UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 215.

G. IV
20

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegii Soctis Jesu Paderborna 1725.

MAGNUM MATRIMONIJ SACRAMENTUM

CASIBUS PRACTICIS EXPOSITUM.

JUXTA PRINCIPIA
THEOLOGIÆ MORALIS,
ET
JURIS PONTIFICIJ.

Authore
P. Ignatio Reütlinger Societ. JESU
SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore.

Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindelicorum.
Sumptibus Joannis Caspari Bencard, Bibliopolæ.
CONSTANTIÆ, apud Leonardum Parcus Typographum Episcopalem.
Anno MDCCXVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CELSISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
JOANNI
FRANCISCO
EPISCOPO CONSTANTIENSI
DOMINO AUGIÆ MAJORIS, & OENINGÆ,
Nec non Episcopatûs Augustani
COADJUTORI &c. &c.
PRINCIPI, AC DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CELSISSIME, & REVERENDISSIME PRINCEPS, DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.

INter alias plerunque solet esse non minima hæc cura ijs, qui libros typo parant, quosnam Patronos eligant, sub quorum tutela, ac præsidio lucem isti aspiciant. Nulla me talis cogitatio solicitum habet; nam plura sunt, quæ, ut hanc meam lucubrationem non alteri, quàm tibi,

tibi, Celsissime, ac Reverendissime Princeps, dedicatam esse velim, me non invitant modò, sed compellunt. Sive enim locum considero, in quo eam prælo subijcio, sive materiam attendo, quæ toto volumine pertractatur, sive denique me ipsum cogito, ubique adsunt rationes, ut ausim huic libro Celsissimum tuum Nomen inscribere, imò ut debeam. Locus, ubi in publicam lucem liber hic progreditur, is ipse est, qui primam lucem affudit etiam Authori. Primam hîc attraxi auram; prima hîc habui literarum quoque incunabula, redeo ad natale solum, & studiorum meorum qualem qualem fructum ad primam originem refero, & eundem tuæ Celsitudini demimississimè offero, quem huius meæ Patriæ supremum Pastorem veneror. Aliud si agerem, non homines duntaxat, atque Cives mei, sed ipsi quoque lapides ingratum me proclamaturi essent, & structura Constantiensis Collegij, cujus nunc incola sum. Totum istud se tibi debet, totum se tuis obsequijs dicat. Recordamur gratâ memoriâ solicitum studium Antecessoris tui Ioannis Georgij ex Perillustri familia ab Hallvveil, Constantiensis Ecclesiæ Episcopi octogesimi primi, cujus curâ, & operâ primum initium Collegio Constan-

tiensi

tiensi datum est. Multùm is laboravit, difficultates plurimas superavit, usquedum hoc consisteret in suæ Diœcesis Urbe Principe; perruptis tamen omnibus, quæ poterant obstare, per ipsum tandem stetit Collegium, opem unà simul liberaliter conferentibus in ejus fundationem Reverendissimo Cathedralis Ecclesiæ Capitulo, & circumjacentibus in vicinia Reverendissimis Dominis, Dominis S. R. I. Abbatibus. Istius confirmationem Apostolicam à Clemente VIII. Pont. Max. ipse obtinuit Anno post Christum Natum Millesimo Sexcentesimo tertio: erectum, & confirmatum suis deinceps favoribus, & gratijs Clementissimè fovit, & amplexus est. Felices fuissemus, nisi tantum Patronum mors nobis invidisset, quæ Clementissimum Principem paulò post eripuit, recèns erecto Collegio nimiùm immatura, quam cladem peracerbam auxerunt bella, quæ deinceps insecuta, totam afflixère Germaniam, & variæ, ac diuturnæ temporum iniquitates, quæ nostrum Collegium, quod necdum satis firmiter consistebat, nunquam sinebant sine lucta esse. Unicum hoc nobis semper solatium fuit, & in afflictis rebus novas spes addidit, quòd Clementissimi Principis Ioannis Georgij subsecuti deinceps successores

res semper se nobis Clementissimos, ac gratiosissimos exhiberent, quorum vestigijs cùm tu quoque, Celsissime, ac Reverendissime Princeps, apprimè inhæreas, en! quàm locus ipse jure istud postulet, ut Tuæ Celsitudini hunc meum laborem consecratum velim, ut grati animi testimonium aliquod exhibeam, quem tibi, quem Antecessoribus tuis debemus. Jam vero si Materiam specto, sacro hæc foro debetur. Matrimonium tracto, per Casus practicos methodo Canonico-Theologica. Ejusmodi causæ in Diœcesi vastissima, & pluribus Episcopatibus æquivalente, cujus tu curam geris, in dies ferè singulos ad tuum Tribunal plurimæ deferuntur. Cui aptiùs casus hosce adscribam, quàm qui in ijs Ordinarius Judex est? Officium denique, quo modò fungor, ex speciali titulo ad hoc me obligat. Admisisti me Clementissimè in Pœnitentiarium Diœcesis tuæ: quam excusationem afferre possem, si alteri, quàm tuæ Celsitudini meum laborem sacratum esse vellem? Tibi igitur Celsissime, ac Reverendissime Princeps, quàm possum, demississimo animo eundem offero, quem si gratioso obtutu dignatus fueris, credam equidem, non potuisse me meliùs, aut gloriosiùs conatus meos impendisse. Annue igitur

tur Clementissimè huic meo voto, ut sub tuo præsidio, quem scripsi, liber publici juris fiat, & quod ex proprio ipsi deest, ex tuo Nomine lumen ipsi accedat; non cessabo ego interea Deum ter Opt. Max. supplicibus votis rogare, ut tuæ Ecclesiæ in multos annos quàm diutissimè luceas, cuius favori, ac gratiæ me, ac speciatim nostrum, imò tuum, Collegium quàm demississimè commendo. Constantiæ 19. Martij, JESU Christi in terris Nutritij festiva Luce. 1716.

Reverendissimæ Celsitudinis tuæ.

Humillimus, & Devotissimus Servus,

Ignatius Reütlinger. S. J.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

EGo Iosephus Preiß Societatis IESU per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum Reverendo P. Michaële Angelo Tamburino Societatis Universæ Præposito Generali, concedo Domino Joanni Casparo Bencard Bibliopolæ Augustano, ut Librum, (cui titulus Magnum Matrimonii Sacramentum *&c.) à P. Ignatio Reütlinger Societatis nostræ Sacerdote, & SS. Theol. ac SS. Canonum Doctore scriptum, & à deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum, probatumq; typis mandare possit. Quam tamen facultatem de una tantùm impressione intellectam volo. Cujus rei fidem mea manu, & Officij Sigillo facio. Halæ 29. Septembris 1715.*

(b) Josephus Preiss.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SAcramentum Matrimonij propono tibi, benevole Lector, quod *Magnum* Doctor Gentium appellat ad ad Ephes. cap. 5. cùm signum sit perfectissimum conjunctionis Christi cum sua sponsa Ecclesia. Magnum, si ita lubet, etiam ex eo dicere possumus, quòd nullum omnino sit ex cæteris Sacramentis, in quo tot, tamque diversi casus, & maximæ difficultates quotidie occurrant, quæ forum utrumque fatigant, quàm experimur accidere in Matrimonio: quæ fuit potissima ratio, ut istud præ alijs explanandum susciperem, hac potiùs, quàm alia methodo, ut scilicet per casus practicos exponerem, quorum quàm plurimi ficti non sunt, sed qui re ipsa contigerunt; alij ita verosimiliter excogitati, ut contingere potuerint, vel in futurum possint, quod si eveniat, magnum hinc, uti spero, lumen habere illi poterunt, ad quos ejusmodi casus deferentur, quorumvè expetetur consilium, si viderint in simili, quid in præsenti decidere oporteat. Neque arbitror, inanem me lusisse operam, quòd alij plures jam præcesserint, qui de hoc Sacramento fusè, ac utilissimè scripserunt, quales sunt Thomas Sanchez, Martinus Perez, Basilius Pontius, Ioannes de Dicastillo, Georgius

Goba-

Gobat, & plures alij; qui tomos integros de Matrimonio in lucem ediderunt. Fateor, cum istis nolim ego de palma contendere, quos ut Magistros veneror, & è quorum doctissimis lucubrationibus, ea, quæ hîc conscripsi, doctus sum; putavi nihilominus, hoc mihi fore licitum, ut, si insistere omnino nequeam, saltem eorum sequar vestigia, & quæ dispersim ipsi dicunt in vastissimis suis voluminibus, ego collectim, ac velut in compendium contracta Lectoribus exhibeam, eosque à molesto investigandi labore, cui multum aliquando temporis, & fortè non sine illius jacturâ, impendere oportet, hac ratione sublevem. Docuerunt illi, quæ in diversis dubijs, quæ plurima occurrunt in hac materia, sententia tum teneatur ab alijs, tum suo judicio tenenda sit; ego usum doctrinæ illorum tibi ostendo, dum ad particulares casus eandem applico, ubique seligendo sententiam, quæ conscientias, quod principaliter præ oculis habui, nec nimiùm laxaret, nec ex adverso nimiùm adstringeret, sed puram, ac simplicem veritatem patefaceret. Accedit, quòd multi, quando ijsdem indigerent, dictorum Authorum copiam non habeant, & ne de ijs sibi prospiciant, nimiâ voluminum vastitate absterreantur, quæ non nisi magnis expensis comparari possunt. Molis non nimiùm magnæ, sed mediocris magnitudinis est liber, quem Lectori offero, cui etiam in hoc consultum esse volui, ut ejus pretium vires ipsius non excederet.

Ut verò cum ordine, & claritate procederem, in tres partes totum Opus distribui. Prima continet ea, quæ ad Sponsalia attinent. Altera Matrimonium tractat, & ejusdem impedimenta, tum impedientia duntaxat, tum etiam dirimentia, & quomodo conjugium invalidè contractum restaurari debeat. Tertia denique illa complectitur, quæ Matrimonio annexa sunt; officia nempe & obligationes conjugum, ejusdemque dissolubilitatem quoad torum, & quibus ex causis institui possit divortium. Soleo autem in utramque partem examinare sententias, ut Le-

ctori constet, quid de ijs alij quoque Authores senserint; eam verò, quam, ponderatis utrinque rationibus, præ altera tenendam esse duxi, non solùm argumentis Theologicis, sed etiam authoritate Iuris plerunque stabilio, præsertim Pontificij, ad quod vel maximè spectat Matrimonium, cui in Decretalibus Gregorij X. integer Liber IV. assignatur. Ad hoc agendum me etiam movere debuit maxima illa affinitas, quæ inter Moralem Theologiam, & Jus Canonicum intercedit, quibus quàmplurimæ materiæ communes sunt, quæ tunc demum securè, ac solidè pertractantur, quando ad utriusque hujus scientiæ principia attenditur, quarum una alteri summè est necessaria, neutra alteriùs operâ carere valet, ut meritò negare possis, bonum esse Canonistam, cui Theologia deficit, & ex adverso bonum Theologum, præcipuè Moralem, qui Canonista non est, juxta id, quod ait Iacobus Pignatellus Tom. I. Consultat. Canon. Cons. 147. n 11. *Non dubito pronunciare, indignum Theologi nomine, qui Ius Canonicum ignorat, sine quo est sicut Empiricus inter Medicos.*

Ex Iure Pontificio non solùm adduco textus, qui faciunt ad confirmandam, ac solidandam sententiam à me electam, sed multos etiam hinc inde Canones expono, è quibus dubia moveri possunt pro opinione contraria. Illud interea sanctè tibi spondeo, Benevole Lector, nullam à me citari Legem, nullumque adduci Canonem, quem priùs non ipse inspexerim, & studiosè examinaverim, nam hoc experientâ doctus sum, multos in varijs libris sæpè citari textus, quos si deinde indagaveris, invenies, prorsus contrarium eos docere, & aliquando allegantur tales, quos in toto Iuris corpore, quàcunque, & quantumcunque verses, nuspiam reperies. Idem tibi dico de Authoribus, quos, ut videre poteris, plurimos allego, sed ex his omnino nullum, quem non legerim; non contentus, quòd ab alijs quibusdam referantur, nisi fortè unum aliquem præ manibus ipse non habuerim; tunc enimverò id significo, à quonam allegetur. Magno quidem, fateor, stetit hoc mihi labo-

re,

re, quem tamen lubens in me assumere volui, ut tuæ utilitati consulerem, possesque tutò habere fidem ijs, quæ à me dicuntur.

Porrò si forsitan in hoc me reprehendas, minusque probaturus sis, quòd aliqua subinde parùm nitidè, nec eo, quem optares, Romanæ Eloquentiæ ornatu proposuerim, non multâ excusatione utar, sed paucis tibi respondeo, hunc finem mihi neutiquam propositum fuisse, ut librum tibi exhiberem, qui eam sermonis elegantiam referret, ut ex illius lectione Latinus fieres; aliorum istud institutum est, præsertim verò ad Veteres, & primos conditores te remitto, ut ab ijs purum sermonem discas, relictis Phraseologis, quibus omnis cura in floribus est. Illi loquuntur, ut viri, isti cum pueris garriunt. Mihi, & qui in simili mecum scriptione versantur, istud satis est, ut Argumentum, quod tractatur, ab ijs, qui lecturi sunt, facilè pecipiatur, & obscuritate careat; de verborum reliquo apparatu soliciti non sumus, modò non penitus inconcinnè dicamus, & ea excludatur barbaries, quæ scholas aliquando inficit. Hoc quidem evitare plerunque studui; si nihilominus hinc inde quidpiam irrepsit, quod tibi minùs arrideat, cogita, etiam in quavis arte, & opificio voces aliquas reperiri, quas *terminos artis* vocant, quibus, ut sua sensa explicatiùs exponant, artifices uti solent; idem mihi hîc contigit. Accedit deinde istud quoque, quòd studiosè non rarò ipsissima Authorum verba, quibus vel hanc, vel illam sententiam proponunt, tibi afferre voluerim, quin aliquid in illis immutarem, ut tanto certiùs de eorundem mente tibi constare posset. Hæc sunt, quæ monere te volui, Benevole Lector: meum tu interim hunc qualemcunque laborem æqui, bonique consule, per quem non aliud, quàm tuum commodum quæsivi. Si utilis tibi fuerit, gaudebo, quòd finem meum assecutus sim. Si errores aliquos deprehenderis, quod typographiæ, vel calami lapsu facilè evenire potuit, hoc me solabitur, quòd Lectorem nactus sim, qui etiam in hoc se ostendet benevolum, ut eos vel ipse corrigat, vel non gravatè supportet. Vale!

ELENCHUS

ELENCHVS
Quæstionum, & Casuum toto Opere contentorum.

PARS PRIMA.
De Promißione Matrimonij, sive Sponsalibus.

Dissertatio proœmialis, quid sit Matrimonium, quid Sponsalia, & quotuplicia? fol. 1.

Sectio Prima.

De Conditionibus ad valorem Sponsalium requisitis. fol. 4.

Quæstio prima.

De Veritate promissionis in contractu Sponsalium, ex animo sincero procedentis, quæ est prima Conditio. ibid.

Casus primus

Promissionis simulatæ. ibid.

Casus secundus

Fictæ promissionis accedente copulâ. fol. 11.

Casus Tertius

Ficti promissoris, volentis ducere defloratam, quam Parentes nolunt dare uxorem. fol. 17.

Quæstio

Quæstio Secunda.

Quomodo debeant esse voluntaria, & deliberata Sponsalia, quæ est secunda Conditio. fol. 21.

Casus Primus

Insano amare æstuantis. ibid.

Casus Secundus

Promissionis indirectè tantùm voluntariæ. fol. 27.

Quæstio Tertia.

Quomodo in Sponsalibus debeat esse promissio acceptata, & mutua, quæ est tertia Conditio. fol. 31.

Casus Primus

Promissionis gratuitæ; item acceptatæ in veris Sponsalibus, sed sine repromissione. ibid.

Casus Secundus

An taciturnitas in Sponsalibus sit sufficiens acceptatio, & consensus? fol. 37

Quæstio quarta.

Qualis libertas requiratur in promissione Sponsalitia? quæ est quarta conditio. fol. 44.

Casus

An appositio pœnæ in Sponsalibus tollat libertatem? ibid.

Quæstio quinta.

Quibus verbis, vel signis promissio Sponsalitia debeat manifestari? quæ est quinta conditio. fol. 52

Casus

An ex circumstantijs colligi possit, quòd aliqua signa sufficiant, quæ secundùm se non sufficerent? ibid.

Quæstio sexta.

Quomodo promissio Sponsalitia fieri debeat circa personam determinatam? quæ est sexta, & ultima conditio. fol. 59.

Casus

Tribus sororibus indeterminatè simul promittentis. ibid.

Quæstio

Quæstio septima.

An ante Matrimonium necessariò præmitti debeant Sponsalia, & an sufficiant clandestina? fol. 64.

Casus

Nolentis contrahere Sponsalia, nisi absentibus Parocho, & testibus. ibid.

Sectio Secunda.

Quænam personæ sint habiles ad celebranda Sponsalia?

Quæstio Prima.

Qua ætas requiratur ad Sponsalia? fol. 71.

Casus

Septennio inferiorum. ibid.

Quæstio secunda.

An ex defectu consensûs Parentum, aut positivo illorum dissensu reddatur quis inhabilis ad contrahenda Sponsalia? fol. 78.

Casus

Contrahentium inscijs Parentibus. ibid.

Sectio Tertia.

De effectibus, & obligationibus Sponsalium.

Quæstio Prima.

De obligatione servandi Sponsalitiam promissionem. fol. 84.

Casus

Resilientis à Sponsalibus sine justa causa. ibid.

Quæstio secunda.

Quantam Sponsi obligationem habeant conservandi se incorruptos ad futuras nuptias? fol. 91.

Casus

Sponsæ fornicantis. ibid.

Quæstio

Quæstio Tertia.

Quænum sint licita Sponsis ante nuptias? fol. 98.

Casus

Frequens, & ferè quotidianus de amplexibus, osculis &c. inter sponses. ibid.

Sectio IV.

De causis, ex quibus dissolvi possunt Sponsalia:

Causa I. Dissolvendi Sponsalia.

Mutuus consensus.

Quæstio Prima.

An fieri hoc possit authoritate propria? fol. 106.

Casus

Vltrò sibi promissionem remittentium. ibid.

Quæstio secunda.

An mutuo consensu remitti possint Sponsalia jurata intuitu pietatis, & in honorem Dei? fol. 113.

Casus

Remittentium sibi promissionem juratam. ibid.

Causa II. dissolvendi Sponsalia.

Ingressus in Religionem.

Quæstio Prima.

Quid per ingressum in Religionem intelligatur? fol. 118.

Casus

Ex voto Religionis abeuntis in Novitiatum. ibid.

Quæstio secunda.

An idem efficiat votum cœlibatûs, vel sacri Ordinis? fol. 126.

Casus

Post celebrata Sponsalia hæc vota eraittentium. ibid.

Causa III. dissolvendi Sponsalia.

Matrimonium ratum, sive Sponsalia de præsenti cum alia.

Quæstio Unica.

An Matrimonium ratum absolutè tollat Sponsalia de futuro præcedentia? fol. 134.

Casus

Sponsæ jus suum pertinaciter urgentis. ibid

Causa IV. dissolvendi Sponsalia.

Absentia Sponsi, vel Sponsæ.

Quæstio Unica.

Quænam absentia sufficiat ad dissolutionem Sponsalium? fol. 143.

Casus

Sponsi aliò discedentis sine præscitu Sponsæ. ibid.

Causa V. dissolvendi Sponsalia.

Fornicatio Sponsæ, vel Sponsi.

Quæstio Unica.

Quænam fornicatio, & num etiam oscula, & tactus ad dissolutionem sufficiant? fol. 149.

Casus.

Sponsi cum alijs fœminis nimiùm familiaris. ibid.

Causa VI. dissolvendi Sponsalia.

Notabilis mutatio.

Quæstio Prima.

Quanta debeat esse ista mutatio? fol. 156.

Casus

Casus

Sponsæ deformatæ. *ibid.*

Quæstio secunda.

An laborans occulto defectu, ob quem alter licitè posset resilire, nihilominus cum hoc contrahere possit, non manifestato defectu? *fol.* 163.

Casus

Sponsæ ab alio impregnatæ. *ibid.*

Quæstio Tertia.

An copula sit confirmatio Sponsalium, quando committitur post agnitum defectum, qui posset sufficere ad eorundem dissolutionem. *fol.* 170.

Casus

Sponsi peccantis cum Sponsa defectuosa. *ibid.*

Quæstio Ultima.

De Sponsalibus conditionatis. *fol.* 176.

Casus

Bis Sponsi. *ibid.*

PARS SECVNDA.

De Matrimonio, & eiusdem impedimentis.

Dissertatio proœmialis de Natura, & essentia Matrimonij. *fol.* 188.

Sectio Prima.

De dispositione, intentione, & consensu requisito ad Matrimonium, & an dissolubile sit quoad vinculum?

§ I.

De dispositione ad Matrimonium.

Quæstio Prima.

An ignorantes fidei rudimenta sint indispositi ad Matrimonium? *fol.* 192.

Casus

Rudium Sponsorum. ibid.

Quæstio Secunda.

Quantùm noceat Matrimonium contrahentibus indispositio ex parte animæ, sive status peccati? fol. 198.

Casus

Contrahentium in statu peccati mortalis. ibid.

§. II.

De intentione, & fine, quem contrahentes habere debent in Matrimonio.

Quæstio Prima.

An per intentionem contrahentium ratio Sacramenti separari possit à contractu Matrimonij? fol. 209.

Casus

Negantium, Matrimonium esse Sacramentum. ibid.

Quæstio Secunda.

Quem finem præfigere oporteat Matrimonio, ut debitè fiat? fol. 217.

Casus

Contrahentium ob finem Matrimonio extrinsecum, cum pacto abstinendi à copula. ibid.

§. III.

De consensu ad Matrimonium requisito.

Quæstio Prima.

Qualis consensus in Matrimonio sit necessarius, & quomodo exprimendus? fol. 230.

Casus

Contrahentium per sola signa sine prolatione verborum. ibid.

Quæstio

Quæstio Secunda.

An fides in utroque foro habenda sit conjugi, dicenti, se sicè contraxisse? fol. 238.

Casus

Matrimonium contrahentis sine consensu interno. ibid.

§. IV.

De indissolubilitate Matrimonij quoad vinculum.

Quæstio Prima.

An Heterodoxorum Matrimonia dissolubilia sint? fol. 243.

Casus

Inter Acatholicos in nostris partibus non infrequens. ibid.

Quæstio Secunda.

An Matrimonium ratum dissolvatur per Professionem Religiosam? fol. 256.

Casus

Transeuntis ad Ordinem Militarem post celebratum Matrimonium. ibid.

Quæstio tertia.

An Matrimonium ratum dissolvi possit authoritate Pontificis? fol. 268.

Casus

Turbati Matrimonij. ibid.

Sectio Secunda.

De impedimentis Matrimonij.

PARS PRIMA.

De *Impedimentis impedientibus*

Quæstio prima.

Quot sint impedimenta impedientia, præsertim Iure antiquo, & quem effectum olim ista habuerint? fol 284.

Quæstio

Quæstio Secunda.

De Impedimentis impedientibus Iure novo, seu moderno.

§. I.

De primo impedimento, quod est

TEMPUS SACRATUM. fol. 289.

Casus

Moræ impatiens. ibid.

§ II.

De Secundo Impedimento, quod est

VETITUM fol. 296.

Casus primus.

De interdicto propriè sumpto, in quantum significat prohibitionem Ecclesiæ. ibid.

Casus Secundus.

De interdicto, quod est Censura Ecclesiastica, an impediat Matrimonium? fol. 304.

§. III.

De tertio Impedimento, quod sunt

SPONSALIA. fol. 314.

§ IV.

De quarto Impedimento, quod est

VOTUM.

Casus primus.

Volentis transire ad Matrimonium cum voto simplici castitatis. fol. 315.

Casus Secundus.

De voto Cœlibatûs. fol. 329.

Casus tertius.

Cum voto Religionis conjugium contrahentis. fol. 341.

Sectio.

Sectionis Secundæ

PARS SECUNDA.

De Impedimentis dirimentibus.

CLASSIS PRIMA.

Impedimentorum Dirimentium,

Consensus Insufficiens.

Explicantur hic quinque impedimenta, *Error*, *conditio*, *vis*, *Raptus*, *clandestinitas*.

§ I.
ERROR. fol. 356.
Casus
Fœdæ deceptionis. *ibid.*
§. II.
CONDITIO. fol. 368.
Casus
Servitutis impropriæ. *ibid.*
§. III.
VIS, seu METUS. fol. 378.
Casus primus.
Sponsæ ex metu in nuptias consententis. *ibid.*
Casus Secundus.
Lytri insoliti ad redimendam vitam. *fol. 392.*
§. IV.
RAPTUS. fol. 402.

Ca-

Casus

Abducentis consentientem. *ibid.*

§. V.

CLANDESTINITAS. fol. 418.

Casus I. Militaris.

De Denunciationibus. *fol.* 419.

Casus Secundus.

Contrahentium sine Parocho, & testibus in loco, ubi Tridentinum Concilium non est promulgatum. *fol.* 437.

Casus tertius.

Matrimonij à milite in hybernis contracti, in quo lis mota est de præsentia Parochi. *fol.* 460.

Casus quartus.

Matrimonij à Sponsis Catholicis contracti coram præcone Lutherano. *fol.* 471.

Casus Quintus.

Matrimonij Acatholicorum contracti coram Præcone in loco mixtæ Religionis. *fol.* 477.

CLASSIS SECVNDA,

Impedimentorum Dirimentium.

Libertas alteri obligata,

Exponuntur hic quatuor impedimenta. *Votum, Ordo, Ligamen, Honestas.*

§ I.

VOTUM. fol. 489.

Casus

Regis, Monachi, Sacerdotis, Mariti. *ibid.*

§. II.

§. II.

ORDO fol. 503.

Casus

Mariti ad Ordines promoti ex falsa relatione de obitu uxoris. ibid.

§. III.

LIGAMEN. fol. 519.

Casus duplex

Contracti Matrimonij in diuturna absentia Mariti, qui eapropter mortuus credebatur. ibid.

§. IV.

PUBLICA HONESTAS. fol. 524.

Casus

Sponsalium mutuo consensu solutorum, ac postea contractorum cum consanguinea prioris sponsæ. ibid.

CLASSIS TERTIA.

Impedimentorum Dirimentium.

NIMIA CONIUNCTIO.

Exponuntur hic iterum quinque impedimenta : Triplex cognatio, videlicet *Consanguinitas*, *Cognatio Spiritualis*, & *Legalis*, *Affinitas*, & impedimentum *Criminis*.

§. I.

CONSANGUINITAS. fol. 547.

Casus primus

Nefandi Matrimonij. *ibid.*

Casus Secundus

Matrimonij malè accusati. *fol.* 569.

§. II.

COGNATIO SPIRITUALIS. fol. 574.

Casus

A pluribus in dubium vocatus. *ibid.*

§. III.

COGNATIO LEGALIS. fol. 595.

Casus

Nostra ætate rarus. *ibid.*

§. IV.

§. IV.

AFFINITAS. fol. 604.

Casus primus

Patris, & filij ducentium Matrem, & filiam. *ibid.*

Casus Secundus

Affinitatis incognitæ. *fol. 619.*

§. V.

CRIMEN. fol. 626.

Casus primus

Occisionis Conjugis sine adulterio, ubi simul etiam exponitur impedimentum ex cæde conjugis cum adulterio. *ibid.*

Casus Secundus

Adulterij cum promissione Matrimonij. *fol. 638*

CLASSIS QVARTA.

Impedimentorum Dirimentium.

Nimia distantia.

Complectitur hæc classis duo impedimenta, *cultûs disparitatem, & impotentiam.*

§ I.

CULTUS DISPARITAS. fol. 652.

Casus

Matrimonij contracti cum hæretico, qui putabatur Catholicus. *ibid.*

§. II.

IMPOTENTIA. fol. 662.

Casus primus

Impotentiæ Matrimonium præcedentis. *ibid.*

Casus secundus

Impotentiæ Matrimonio supervenientis. *fol. 676.*

APPENDIX
AD PRÆCEDENTIA.
De Revalidatione Matrimonii, & Dispensatione.

§. I.

§. I.

De Revalidatione. fol. 690.

Casus

Invalidi Matrimonij ex defectu consensûs; & impedimento dirimente. ibid.

§. II.

De Dispensatione. fol. 709.

Casus Agitatus

Invalidi Matrimonij ex occulto impedimento consanguinitatis. ibid.

PARS III.

De iis, quæ annexa sunt Matrimonio.

SECTIO PRIMA.

De mutuis Coniugum Officiis, & Obligationibus.

Quæstio

Quæstio Prima.

Quam obligationem conjuges habeant ad sibi mutuò cohabitandum? fol. 724.

Casus

Vxoris de cohabitatione solicitæ ob excommunicationem mariti. ibid.

Quæstio secunda.

Quid conjuges sibi invicem debeant quoad alimenta? fol. 733.

Casus primus

Negatæ dotis sponso promissæ. ibid.

Casus secundus

Vxoris à creditoribus multùm exagitatæ ob debita Mariti fol. 743.

Quæstio Tertia.

Quam obligationem conjuges habeant erga suos liberos? fol. 750

Casus

Fictus, & non fictus, de Matre nolente lactare propriam sobolem. ibid.

Quæstio quarta.

Quæ, & quanta sit obligatio conjugum ad debitum conjugale sibi mutuò reddendum? fol. 761.

Casus primus

Vxoris, debitum negantis ob multiplicitatem prolium, & neglecta alimenta à viro ebrioso. ibid.

Casus

Casus secundus

Occulti adulterij. *fol.* 781.

Casus tertius

Affinitatis Matrimonio supervenientis ex incestu cum consanguinea conjugis. *fol.* 789.

Casus quartus

Variorum dubiorum circa conjuges, & usum Matrimonij illicitum. *fol.* 797.

SECTIO SECVNDA.
De Divortio.

§. I.

De Divortio ob periculum animæ. fol. 821.

Casus

Mariti fœdè, ac periculosè à perjura conjuge decepti. *ibid.*

§. II.

De Divortio ob periculum corporis. fol. 831.

Casus

Vxoris ferreâ, & inauditâ patientiâ ægro Marito servientis. *ibid.*

§. *III.*

§. III.

De Divortio ob ſævitiem coniugis, fol. 841.

Caſus

Novæ Xantippes. *ibid.*

§. IV.

De Divortio propter Adulterium, fol. 854.

Caſus primus

Adulteræ incorrigibilis. *ibid.*

Caſus ſecundus

Adulteræ de ſua obligatione ſolicitæ circa manifeſtationem prolis. *fol.* 873.

PARS

PARS PRIMA.

De Promiſsione Matrimonii, ſive Sponſalibus.

DISSERTATIO PROŒMIALIS

Quid ſit Matrimonium, Quid Sponſalia, & quotuplicia?

MAtrimonium, de quo acturi ſumus, eſt contractus, quo mas, & fœmina ſibi mutuò in ſua corpora ad uſum generationis dominium tradunt: Nomen habet à Matre, ut loquitur D. Auguſtinus L. 19. contra Fauſtum: *Matrimonium ex hoc appellatum eſt, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm ut mater fiat.* Dicitur autem, *Matrimonium* potiùs, quàm *Patrimonium*, quia magis habetur ratio Matris, quàm Patris in procreatione liberorum, ad quam Matrimonium inſtituitur, propter illius munia in ferendo utero, & in edenda, ac educanda prole, quæ illam faciliùs, ac certiùs cognoſcit; vocatur proinde *Matrimonium*, quaſi Matris munium, quia matris potiſſimùm officia attenduntur, quemadmodum bona fortunæ dicuntur *Patrimonium* ob Patris in illis acquirendis, & conſervandis præcipuum munus.

Cepit Matrimonium ex inſtitutione Divina ab ipſis mundi primordijs,

mordijs, & postmodum à Christo ad supernaturalem rationem Sacramenti est elevatum, cùm videret illum statum multis miserijs, & difficultatibus plenum, præsertim in servanda castitate, cúmque id partim in tuenda concordia, partim in vitanda Zelotypia, partim in victu comparando, partim in educandis liberis auxilio gratiæ maximè indigeret.

Hujus Sacramenti materia remota sunt ipsa corpora Conjugum; proxima verò mutuus consensus, quatenus tradit jus corporum; Forma idem ipse consensus, ut acceptans jus traditum, seu ipsa acceptatio mutua verbis, vel alijs signis expressa. Ministri sunt ipsi conjuges simul sumpti, nam Sacerdotis benedictio est tantùm accidentalis Cæremonia, de quibus omnibus in decursu tractabitur.

Modò de Sponsalibus priùs agendum est, prout etiam Gregorius IX. in quarto Decretalium actuarus de Matrimonio Capitulum secundum à Sponsalibus inchoavit, & deinceps per aliquot titulos materiam istam est prosecutus, quia nempe Sponsalia sunt via quædam, & quasi præviæ causæ ad Matrimonium: convenit ergo, ut priùs disputemus de Sponsalibus, & tum, quæ ad Matrimonium immediatè pertinent, subjungamus.

Igitur Sponsalia nomen suum sortita sunt à Spondendo; moris enim erat apud veteres Romanos, ut is, sub cujus cura, & potestate Puella aliqua erat constituta, eandem alteri sponderet uxorem dare, qui eapropter *Sponsor*, hæc verò *Sponsa* dicta est; is autem, cui dedesponsatio facta est, quique talem puellam se ducturum repromisit, *Sponsus* vocabatur. L. *Sponsio ff. de V. S.*

Ulteriùs potest nomen Sponsalium triplicem habere significationem; nam 1. & minùs usitatè ipsa dona, sive munera, quæ Sponsæ à Sponso dantur, vocantur aliquando Sponsalia, quo sensu accipiuntur verba illa, quæ servi Saulis dixerunt ad David 1 Reg. 18. *Non habet Rex Sponsalia necesse*, id est, non eget Rex muneribus, quæ Filiæ suæ dentur à genero suo. 2. Frequentiùs sumuntur pro Matrimonio de præsenti contracto, & necdum per copulam consummato, námque Sponsalia de præsenti reipsa à Matrimonio rato necdum consummato non differunt; ita Matth. 1. dicitur: *Cùm esset desponsata Maria Mater Iesu Joseph, antequam convenirent &c.* cùm tamen paulò post eodem capite Conjux Josephi appelletur. Laym. *lib. 5. tr. 10. p. 1. de Sponsal. c. 1. n. 1.* Martè Perez *Disp. 1. de Matrim. Sect. 1. n. 3.* Sanch. *L. 1. de Matr. Disp. 1. n. 1. &c.* 3. Denique communiter, ac frequentissimè, & significatione propria

pria hujus loci accipiuntur Sponsalia pro futuri Matrimonij promissione, unde ad tollendam ambiguitatem quandóque ita vocantur cum addito *Sponsalia de futuro*, & Sponsi in hac tertia significatione, sive de futuro sunt, qui Matrimonium non contraxerunt, sed promiserunt, unde passim appellantur *promissi*, sive in lingua nostra vulgari sie seynd versprochen.

Definiuntur communiter Sponsalia in tertia hac significatione juxta *L. 1. ff. de Sponsal.* & c. Nostrates 30. q. 5. *mutua nuptiarum promissio*, quæ vox *mutua* licèt in textu Canonico non inveniatur; tamen ex cit. Leg. colligitur, eam esse addendam, in qua Sponsalia vocantur *futurarum nuptiarum repromissio*, & fortè ob hanc causam Sponsalia in numero plurali dicuntur, quia continent duplicem promissionem.

Clariùs Sponsalia definit Illsung *tr. 6. disp. 9. q. 1. n. 1.* quòd sint *promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri Matrimonij inter personas jure habiles*, qua definitione comprehenduntur omnes conditiones, quæ ad Sponsalia, ut valida sint, & obligatoria, requiruntur; nimirum debent esse 1. *Promissio mutua.* 2. *Vera, & seria.* 3. *Voluntaria, ac libera*, præsertim ab errore, & metu. 4. *Sufficienter expressa per signum aliquod sensibile externum.* 5. *Inter personas habiles.*

Conditiones istas ad Sponsalia requisitas ante alia examinabimus; addemus deinde alia quædam huc pertinentia, unde materiam Sponsalium universim partiemur in Sectiones, & Quæstiones. 1. Quidnam requiratur ad valorem Sponsalium, seu quæ Conditiones adesse debeant, ad hoc, ut valida sint? 2. Quinam contrahere possint Sponsalia? 3. Quas obligationes Sponsalia inducant? 4. Quomodo dissolvantur.

SECTIO PRIMA.

De Conditionibus ad Valorem Sponsalium requisitis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Veritate Promissionis in contractu Sponsalium ex animo sincero procedentis, quæ est prima Conditio.

CASUS PRIMUS

Promissionis simulatæ.

Sidonius opifex, festivi genij homo, dum in popina indulget potui, Cedriniæ famulæ hospitibus inservienti promittit per jocum futuras nuptias ijs verbis, ut illa rem seriò agi rata promissionem sibi factam acceptaverit, & repromiserit. At lapsu temporis monitus à Cedrinia Sidonius, ut sua promissione staret, abnuit, dicens, se ficto animo fecisse ista omnia.

Q. An teneatur Cedriniam ducere?

SYNOPSIS.

1. *Propositum non sufficit ad Sponsalia.*
2. *Neque promissio ficta. Quotuplex ista sit?*
3. *An contrahat obligationem, qui promittit futuras nuptias sine animo promittendi? Refertur Sententia affirmativa.*

4. Sta-

4. *Statuitur Sententia negativa.*
5. *Satisfit argumentis contrariæ opinionis.*
6. *An, qui promittit animo promittendi, sed non se obligandi, obligetur hoc suo promisso?*

Expenditur Sententia affirmativa.

7. *Hanc aliqui limitant, dicentes, sic promittentem obligari ex fidelitate; non tamen ex justitia.*
8. *Verius est, nullam ex tali promissione induci obligationem, nec constitui vera Sponsalia.*
9. *Solvuntur argumenta contraria.*
10. *Deciditur Casus, & ostenditur, ejusmodi fictitium promissorem, etsi non obligetur ad Matrimonium, tamen peccare vel graviter, vel leviter pro ratione circumstantiarum, & aliquando teneri ad reparationem damnorum.*
11. *In foro externo attenditur ad sensum Verborum, talisque Promissor condemnatur.*
12. *Promittens animo promittendi, seque obligandi, sed non implendi promissum, obligatur in conscientia.*

1. Dictum est in præcedente Dissertatione præmiali, Sponsalia esse *mutuam promissionem futurarum nuptiarum*, ex quo patet, ad contractum Sponsalium nequaquam sufficere solum propositum, etiamsi id efficax sit; Sponsalia enim inducunt obligationem: at verò propositum nondum inducit obligationem, ut experientiâ constat, nam qui propositum habet aliquid faciendi, non eo ipso statim etiam voluntatem habet se obligandi, aliàs nemo facilè sibi quidquam proponeret, si ex proposito immediatè maneret obligatus.

Patet ulteriùs, propositum non sufficere ad contrahenda Sponsalia, quia obligatio Sponsalium solùm oritur ex ipsis Sponsalibus, qui autem proponit tantum, se contracturum Matrimonium, nondum promittit, quia nec verbis promissionem profitetur, nec animo concipit, cùm nondum habeat voluntatem se obligandi: ergo

necdum contrahit Sponsalia, & consequenter nullam obligationem ad futuras nuptias, sed ista oritur ex sola promissione.

2. Quia autem inter primas conditiones requisivimus, ut ista promissio *vera* sit, & *sincera*, hinc instituitur quæstio, an ex promissione ficta oriri possit aliqua obligatio?

Potest autem ficta promissio, seu simulata tripliciter haberi. 1. Si exteriùs solùm verba promissionis proferas absque omni animo interno, atque ita promissionem duntaxat simules, re ipsa autem nolis promittere. 2. Si promittas, & quidem animo promittendi, simul autem animum habeas te non obligandi, seu si nolis ea promissione ullam tibi obligationem imponere. 3. Si promittas animo revera promittendi, téque etiam obligandi, simul tamen cum animo, promissum non exequendi. De hoc tertio ad finem aliquid dicetur.

3. Nunc quæstio est, an qui promittit Puellæ Matrimonium de futuro verbo tenus, sed non habens animum revera promittendi, maneat obligatus, teneatúrque talem ducere?

Ita fictitiè, & simulatò promittentem contrahere veram obligationem, ut etiam ex justitia teneatur talem puellam ducere ex vi Sponsalium, adeóque hæc esse vera Sponsalia, docent Vasq. *Disp.* 6 *de Matr.* Basilius Pontius *Lib.* 12. *de Matr. c.* 2. Petrus Ledesma, Guttierez &c.

Ratio eorum est 1. quia æquè est imperceptibile, posse dari promissionem sine animo promittendi, quàm si quis diceret, posse hominem contra aliquem verba infamatoria proferre, & tamen nolle detrahere, aut posse lethaliter quempiam ferire sine animo feriendi. 2. Promissio, quæ homini fit, consistit in verbis: ergo promittens futurum Matrimonium vult id enunciare, quod verba sonant: sed verba offerunt fidem de Matrimonio contrahendo: ergo promittens futuras nuptias vult se ad istas obligare, atque adeò contrahit vera Sponsalia, quæ quia obligant ex justitia, eo ipso taliter promittens tenetur ad futurum Matrimonium ex justitia.

4. Verùm dicendum est. Qui Puellæ oretenus promittit Matrimonium, sed absque animo promittendi, vel etiam cum positivo animo non promittendi, illius Sponsalia nulla sunt. Ita Sanch. Sporer, Tambur. &c. Probatur, quia de ratione, & essentia Sponsalium est, ut sint Spontanea, & libera promissio: atqui hoc non habetur, nisi à voluntate: ergo evidenter includunt voluntatem, consequenter, ut sint spontanea, & libera promissio, debet adesse voluntas liberè promittendi, atque ideo qui non vult promittere, nulla facit Sponsalia, nam ficta

ficta & simulata promissio simpliciter promissio non est, ubi autem nulla est promissio, ibi per se, & ratione promissionis obligatio justitiæ esse nequit: ergo &c. 2. Sponsalia sunt promissio quædam specifica futurarum nuptiarum: ergo sicuti omnis species supponit genus, ita ubi est talis, seu specifica promissio, ibi supponitur ratio generica promissionis: atqui ista non adest, quia ubi animus promittendi non est, ibi promissio esse non potest: ergo &c.

5. Dices cum Basilio Pontio *L. 12. c. 2. n. 2.* propositum quidem esse actum voluntatis, at verò promissionem esse actum intellectûs, cùm in promissione sit veritas, quæ solùm est in intellectu: ergo ad promissionem frustra requiri voluntatem; quamquam verò Deo, qui introspicit corda, fieri possit promissio per actum internum, id tamen fieri non posse homini, sed debere promissionem huic fieri per verba, aut alia signa externa, & quia promissio ex naturali obligatione debet esse vera, & fidelis, consequi, quòd, qui profert verba promissionis, & scit, quid sit promissio, eo ipso, quòd profert extrinsecus verba promissionis, non possit id facere sine implicito animo se obligandi; proinde qui explicitè promittit Sponsalia, eum non posse interna sua voluntate tollere naturalem obligationem, atque adeò promittentem Virgini Sponsalia per verba, aut alia signa externa, non posse habere animum non promittendi, sicque verissimè obligari.

Resp. Promissionem esse quidem actum intellectûs, & non voluntatis, sed quia promissio debet esse libera, siquidem ea in genere definitur apud Lessium L. 2. de Just. c. 18. dub. 1. n. 1. *Deliberata, & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona, & possibili*, hinc vera promissio fieri nequit sine actu voluntatis: ergo ubi voluntas promittendi non est, ibi non est promissio, & consequenter verba externa promissionem indicantia nihil efficiunt; nam verba sunt ex natura sua, & primæva institutione solummodo repræsentatio internorum conceptuum, ut ea, quæ intus latent, exteriùs manifestent: ergo ubi nulla promissio in mente est, ibi verba nequeunt esse imago, & repræsentatio promissionis, atque ideo quia secundùm totum suum esse pendent ab internis conceptibus, ubi in animo promissio nulla est, ibi verba exteriùs prolata nulla sunt promissio, sed emortuum quoddam simulacrum promissionis.

Nunc ad argumenta opposita. Resp. ad 1. Paritas de detractione nulla est; ad hanc enim sufficit, quòd in aliorum animis ingeneretur mala opinio de aliquo, quam malam opinionem verba nata sunt ingenerare, etsi proferens nolit ingenerari, uti gladius violenter impactus

pactus alterius capiti, velim, nolim, ex se hoc habet, quòd vulneret; quisquis proinde vult verba detractoria coram alijs proferre, aut ensem impetuosè in alterius caput impingere, secundùm communem usum, & interpretationem vult detrahere, aut vulnerare. Ut verò promissio vim suam sortiatur, & sit obligatoria, non sufficiunt verba, sed requiritur interior affectus se obligandi, cùm is ad rationem promissionis requiratur.

Ad alterum pariter respondeo, promittentem futurum Matrimonium velle enunciare, quod verba sonant, ac proinde se obligare, supposito, quòd animus adsit, & voluntas revera promittendi, & non solùm mortuo quodam modo, ac materialiter duntaxat hæc verba usurpandi, *conc.* si desit ista voluntas, *nego.* Intentio est quasi verborum anima, ubi ista igitur deest, ibi verba amittunt suam vim, & remanent quasi mortua.

6. Altera quæstio nunc est, an contrahat vera sponsalia, & obligationem, qui promittit, & quidem animo promittendi, non tamen animo se obligandi?

Pro affirmativa sententia stant iterum Basilius Pontius, & supra citati cum Arragonio. Ratio istorum est, quia obligatio est naturalis effectus promissionis, sicut proprietas, & effectus ignis est urere: ergo sicuti posito igne, velit, nolit apponens, calefactio sequitur, ita posita promissione, animóque promittendi, statim consurgit obligatio. 2. Qui vult antecedens, vult necessariò consequens, ut patet ex *L.* 1. *§.* 1. *ff. Si usus fruct. pet.* ubi dicitur: *Si usus fructus legetur, necesse est, ut sequatur ad eum aditus*: Sed obligatio sequitur promissionem: ergo qui vult promissionem, necessariò vult etiam obligationem.

Tertium Argumentum est huic affine: Dans formam dat etiam consequentia formam: ergo apponens promissionem, apponit etiam obligationem, quæ ipsam consequitur.

7. Cum hac sententia partim conveniunt, partim abludunt Hurtad. *disp. 1. de Matr. difficult. 10. n. 38.* Palao *disp. 1 de Sponsal. pu. 2. n. 2.* & Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub. 5. n. 62.* dicentes, talem obligari quidem ex fidelitate, quia fecit veram promissionem, quæ est enunciatio quædam externa, quâ per promissionem ex animo obtulit fidem contrahendi matrimonium, in quo sita est natura promissionis; ex natura autem, seu ex jure naturali oritur ex vera promissione obligatio fidelitatis ad standum promissis; ergo obligatur saltem ex fidelitate: ajunt tamen, non obligagari ex justitia, quia non intercessit verus contractus, nec enim voluit conferre jus justitiæ ad rem promissam: verus autem contractus non stat in solis verbis, nec jus in rem solis verbis alteri traditur absque animo, & voluntate conferendi, verùm contractus,

tractus, ex quo oritur jus Justitiæ in uno, & obligatio Justitiæ in altero, coalescit simul ex verbis conferendi sufficientibus, & ex consensu conferendi; promissio verò consistit in verbis: ergo potest induci obligatio fidelitatis, quin oriatur simul etiam obligatio justitiæ.

8. Nihilominus contra has omnes sententias dicendum cum Sanch. *L. 1. de Matr. disp. 9. n. 5.* Præpos. *q. 9. de sponsal.* Coninck *disp. 21. dub. 2. n. 7.* Bonac. *q. 1. de sponsal. pu. 1. n. 5.* Molina *tract. 2. de Justitia disp. 352. ante §. illud est observandum*, Tambur. *L. 8. de Matr. tr. 3. de sponsal. c. 1. §. 4. n. 3.* Perez *disp. 1. de Matr. sect. 6. n. 4.* Pirh Sporer, Gobat, & alijs, ejusmodi promissionem sine animo promittendi, aut sine animo se obligandi non constituere vera sponsalia, neque inducere obligationem.

Probatur 1. quia obligatio est naturalis effectus consequens Promissionem veram: ergo qui efficaciter vult Promissionem, efficaciter vult obligationem. Ergo è converso qui efficaciter non vult se obligare, sed omnino oppositum, ille nec vult contrahere sponsalia, neque ex animo promittere; consequenter ubi promissio nulla est, nulla sequitur obligatio.

Probatur 2. & declaratur. Omnis obligatio, quæ non est ex lege, oritur ex privata hominis voluntate: ergo ubi deficit voluntas se obligandi, ibi deficit obligatio. Vel dicamus sic: obligatio promissionis consurgit ex lege privata, sive ipsa promissio obligat veluti lex quædam privata, quam aliquis sibi imponit: sed lex non obligat, nisi Legislator velit obligare, ita ut non sufficiat proferre exteriùs verba, quibus obligare velle videatur: ergo etiam ut quis ex promissione obligetur, non satis est proferre exteriùs verba promissionem sonantia, sed requiritur, ut verè etiam interiùs se voluerit obligare.

Confirmatur. Conditio contraria substantiæ Matrimonij, ipsum annullat, licèt intentio contrahendi adsit, & talia verba etiam proferantur, v. g. si quis apponeret hanc conditionem, quòd velit cum fœmina contrahere, si ipsa generationem prolis impediat, vel donec aliam digniorem, pulchriorem &c. inveniat juxta *c. fin De condit. appos.* ergo quia de natura, & substantia promissionis, ac Sponsalium est animus se obligandi, ubi contrarius animus adest, nulla sunt Sponsalia, sed tali modo promittens fallit, & fallitur, dum ait se promittere Sponsalia, cùm tamen Sponsalia nulla sint.

9. Argumenta contraria nihil evincunt, nam ad 1. Resp. Naturalis effectus promissionis est obligatio, quando vera est promissio. conc. Quando non est vera, quia deficit animus se obligandi. Nego. Nempe, ut similitudine Adversariorum utamur

utamur, sicut solummodo urit ignis applicatus, quando est verus ignis, non autem quando est pictus, ita solummodo obligat promissio vera, non autem ficta, & simulata.

Ad 2. Resp. Qui vult efficaciter antecedens, ille vult etiam consequens. conc. Qui non vult efficaciter antecedens, sed habet animum se non obligandi, atque ideo non efficaciter promittit, sed fictè, & oretenus, nego ant. & cons.

Ad 3. eadem est responsio. Dans formam veram, dat, seu vult etiam consequentia ad istam formam, conc. fictè, & apparenter promittens. Nego.

10. Igitur in casu nostro Sidonius in conscientia nullo modo tenetur Cedriniam ducere, quia simulata promissio non est vera promissio: atqui obligatio ducendi oritur solùm ex vera promissione per se loquendo: ergo per se loquendo non tenetur Cedriniam ducere. Nihilominus tamen peccavit mortaliter ita fictè spondendo, quia Cedriniam decepit in re gravi; nam esto, quòd promissionem illius non exegerit, sufficit, dummodo ultrò factam ipse acceptaverit, unde Cedrinia putavit, se verè esse obligatam ad Matrimonium cum Sidonio, supposuit enim istius quoque reciprocam obligationem. Imò si secutum est inde Cedriniæ damnum, quia v. g. ita decepta, dum putat omnia sincerè acta esse, aliud Matrimonium honestum neglexit, quod ipsi interea oblatum fuerat, tenetur Sidonius ad reparationem damni. Ita Tamb. *l. c. n.* 2. & Gobat *n.* 37. Si verò damnum secutum non est, nec ipse promissionem puellæ intendit acceptare, eámve obligare, censeo, peccasse solùm venialiter, quia hanc repromissionem non exegit, neque voluit Cedriniam ad ejus observationem obligare, sicut revera ipsa per eam non obligabatur ad standum suo promisso, quia ipsius promissio non fuit vera repromissio, nam hæc supponit veram promissionem alterius priùs sibi factam: ergo Sidonius in conscientia mortaliter non deliquit, nisi fortè secutum sit scandalum, atque ita manente Cedriniâ liberâ, etiam fictè promittens liber manet ab obligatione eam ducendi, sicuti si ego tibi promitterem ire Viennam, si mihi dederis centum aureos, deinde verò nollem eò ire, atque ita tu mihi non des centum aureos, ego quidem decepi te meo promisso, sed tamen neque tu mihi, nec ego tibi aliquid debeo.

11. Cæterùm ista procedunt in foro conscientiæ, nam si res deferatur ad forum externum, condemnabitur Sidonius, etsi millies neget, sibi animum promittendi, aut se obligandi fuisse, cùm enim ponatur adhibuisse verba talia, quæ verè poterant significare sinceram promissionem, præsumitur in foro externo verè, & sincerè jurâsse, nec

nec creditur ejus Protestationi contrariæ, nam forum externum accipit verba juxta illorum significationem, ut colligitur ex *c. Ex Litteris de Sponsal.*, & ex *L. Labeo ff. de supellect. legata*, ubi dicitur *non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere.*

12. Nunc denique respondendum est ad tertiam quæstionem, quam rejeci in finem, an, qui promittit animò verè promittendi, seque etiam obligandi, simul tamen cum animo non exequendi promissum, facta promissione obligetur?

Resp. Ad istam quæstionem, sic constitutum promissorem vera, ac valida Sponsalia contrahere, adeoque obligari ad eorum executionem. Ita Sanch *L. 1. de Matr. disp. 9. n. 2.* Palao, Sporer, & communiter alij, quia intentio non adimplendi non tollit obligationem promissionis, nec enim provenit hæc obligatio ex voluntate promissionem exequendi, sed nascitur ex ipsa natura promissionis, quæ sicut obligat promissum exequi, ita obligat etiam habere illius exequendi voluntatem, hinc talis manifestè iterum peccat mortaliter in contractu Sponsalium, quia habet animum non implendi, ad quod se graviter obligat.

CASUS SECUNDUS

Fictæ Promissionis accedente copulâ.

Metrodorus captus amore Pelagiæ Virginis paris cum ipso conditionis, cùm eâ potiri non posset, promittit tandem, sed fictè, quòd velit ipsam uxorem ducere, si consentiret in copulam, hacque spe ipsam inducit in lapsum: advertit post aliquod tempus se gravidam Pelagia, urgetque nuptias, sed has Metrodorus detectâ simulatione eludere conatur.

Q. 1. An in hoc casu fictus iste promissor in conscientia obligetur stare Sponsalibus ?

2. An compelli possit ad nuptias ?

SYNOPSIS.

1. *An deflorans Virginem sub ficta promissione nuptiarum teneatur determinatè ad Matrimonium ?*
   Refertur Sententia negativa.
2. *Deciditur, quòd teneatur eam ducere.*
3. *Nec potest compensare constituendo dotem, aut alio simili modo, si ipsa Matrimonium urgeat.*
4. *Excipiuntur aliquot Casus.*
5. *Extra hos potest deceptor compelli à judice, ut stet promissis, ùt in Casu præsenti.*

1. ET si ficta promissio secundùm se nullam inducat obligationem, ut in casu præcedente vidimus, nihilominus qui sub ficta promissione futuri Matrimonij deflorat virginem non temerè credulam, obligatum esse ad reparandum damnum, quando ipsa deceptionem non percepit, nec facilè percipere potuit, communis est omnium Sententia; in hoc verò vertitur controversia, an talis in conscientia determinatè obligetur ad Matrimonium, sicque deceptam, ac defloratam teneatur uxorem ducere, an verò alia ratione possit satisfacere ?

Censent complures AA., ad hoc non obligari, sed satis esse, si damnum alio modo resarciat, eique satisfaciat, v. g. constituendo dotem, vel eam augendo, quia justitia commutativa tantùm petit æquale reddi, potest autem id fieri satisfaciendo pecunijs; ergo non obligatur determinatè ad Matrimonium, sed indeterminatè ad satisfactionem, sive ea hoc, sive alio modo fiat. Ita post D. Antoninum Barthol. Ledesma, Mart. Perez *Disp. 2. de Matr. Sect. 3. n. 2.* & Præpos. *q. 9. de Sponsal. dub. 4. n. 46. & seq.* ub. sic ait: deduci videtur,

videtur, quòd etiam is, qui sub spe copulæ alicui fictè Matrimonium promisit, etiam obtentâ copulâ non teneatur eam ducere, sepositò scandalo, & damno, quod aliter compensari non possit. Probatur; nam non tenetur ratione promissionis, utpote quæ fuit nulla; nec ratione damni, cùm illud aliter possit compensari, quàm per Matrimonium, ut supponitur; & patet in ea, quæ vi est cognita, quam non tenetur in uxorem accipere is, qui vim intulit; sed potest aliter damnum resarcire: sufficit ergo in casu nostro dare tali fœminæ, quantum moraliter requiritur, ut non conseatur damnum pati, & ut existimetur dari æquale rei ablatæ, quòd enim talis vir peccaverit decipiendo, non infert damnum aliter irreparabile, quàm per Matrimonium: ergo non tenetur Matrimonium inire ad illud reparandum, sed potest illud damnum injustè per fictam promissionem illatum aliter compensare. Ità Præpositus.

2. Dicendum tamen. 1. Qui Virgini promisit conjugium, & sub ea promissione, seu conditione usuram corporis impetravit, tenetur eam ducere in conscientia, etiamsi fictè promiserit. Ratio est, quia hæc promissio facta est per modum contractûs onerosi innominati *do, ut des*, do tibi usum corporis mei ea lege, & conditione, ut postea mecum Matrimonium contrahas; quare si Mulier ex sua parte promissum implevit, tenetur etiam alter implere, quamvis fictè contraxerit, eô quòd tenebatur ex justitia verè contrahere, sicuti si fictè promisi Petro centum aureos, ut eat Romam, quando Petrus Romam ivit, teneor dare; ergo cùm hic contractus fuerit mutuus, eúmque mulier jam impleverit tradendo corpus, tenetur fictus promissor implere eam ducendo. Ita cum S. Th. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 2. *n.* 3. Sanch. *L.* 1. *de Matr. disp.* 10 *n.* 3. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 11. Card. de Lugo *to.* 1. *de Iust. disp.* 12. *n.* 10. Molina *tr.* 2. *disp.* 352. *ante V. illud est observandum.* Bassæus *V. Sponsalia* 2. *n.* 4. Tamb. *p.* 2. *in Decal. L.* 7. §. 3. *n.* 43. *& seqq.* Diana *p.* 5 *tr.* 14. *n.* 32. Gobat, Dicastillo, Basilius Pontius & plurimi alij ab his citati, quod à fortiori certum est, quando ejusmodi deflorator neque augmento dotis, nec aliâ viâ, quàm Matrimonio illatum damnum reparare potest, tenetur sanè tunc eam ducere, quia injustè damnum intulit, ut rectè notavit Palao *l. c.* Neque Patroni oppositæ Sententiæ negare possunt, nam & isti obligant eum ad reparationem damni illati: si igitur alia via id reparandi non supersit, quàm Matrimonium, necessariò debent obligare ad Matrimonium.

3. Sed modò adest difficultas præcipua, An, quando adsunt aliæ viæ compensandi damnum per aliquid

quid æquivalens, v. g. dotando corruptam, vel augendo dotem, quam ipsa jam habet, teneatur nihilominus deceptor determinatè ad contrahendum Matrimonium? circa quam quæstionem.

Dicendum 2. teneri talem deceptorem determinatè ad Matrimonium, si ipsa velit, nec satisfacere augendo dotem, aut dando pecunias juxta æstimationem totius damni, quod illam deflorando intulit, nisi ipsa satisfactione contenta sit. Ita Molina *tr. 3. disp.* 106. *n.* 4. Engl. §. 1 *de Sponsal in Manual. Parocb. Sect.* 2. *n.* 13. Filliuc. Rodriq. Vasq. præter alios supra citatos.

Probatur, quia ipsa non consensit in copulam pro pecunia, qua ipsi damnum compensaretur, sed ut defloratorem haberet maritum: ergo hoc ipsi determinatè debetur, & non aliud, nam justitia commutativa jubet non solùm restituere tantundem, seu æquale, sed etiam, si fieri possit, illud ipsum, sic v. g. qui furatus est equum, non satisfacit restituendo pretium, nam sic cogit Dominum vendere suum equum, & qui tibi vendidit domum, tenetur dare domum, nec satisfacit, dando triticum: cùm igitur deceptor obligationi, & debito suo satisfacere possit in specie, observando, quod exteriùs promisit, non satisfacit pro eo aliquid aliud offerendo, nam juxta *L. 2. §. mutui ff. de reb. credit. si certum petatur* unum pro alio invito creditori solvi non potest.

4. Excipiuntur tamen ab hac doctrina aliquot casus à præfatis AA. Laym. Sanch. Card. de Lugo, Bassæo &c. indicati, in quibus non tenetur illam ducere, sed sufficit damnum aliter resarcire, v. g. dotando, aut dotem ita augendo, ut æquè bene nubere possit, acsi deflorata non fuisset, nam videmus, quod viri plurimi, quibus potior cura est ducendi loculos, quàm conjugem, amore pecuniæ optent etiam corruptas ducere.

Primus itaque casus est, si ipse sit longè nobilior, & opulentior, v.g. si sit vir nobilis, puella verò rustici filia; ipse valde opulentus, at illa pauperrima &c. opus tamen est, ut ipsa hanc statûs disparitatem sciverit, tunc enim facilè suspicari potuit, illum simulatè nuptias promittere, ut eâ frui possit, & sic præsumitur fœmina se ipsam voluntariè decepisse, & potiùs se fingere deceptam, quàm revera decepta sit: esto enim nonnunquam aliqui viri fœminis infimæ notæ, & inæqualis conditionis copulentur, non tamen admodum frequenter istud accidit, unde non debuit ipsa temerè habere fidem, sed accusare nimiam suam credulitatem, sibique imputare, quòd decepta sit.

Quòd si verò habuit illam notitiam de viri conditione, vel Simulator ita asseveranter promisit, ut

Puella

Puella rationabiliter crediderit, rem seriò agi, & exteriùs non habuerit ullam causam suspicandi fraudem, tenebitur hoc casu illam ducere in conscientia, licèt in foro externo liberaretur propter disparitatem conditionis, quia ibi præsumitur Mulier non fuisse seducta, ut docet Petrus Navarra *L. 2. de restit. c. 3. p. 4. n.* 442. Laym. L. 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 11., & probabile putat Lessius *L.* 2. *c.* 10. *dub.* 3. *n.* 22. cum alijs, quia si promisisset ex animo Puellæ inferioris conditionis, deberet ei fidem servare per se loquendo: ergo etiam tenetur, quamvis fictè promiserit, si conditionem copulæ carnalis acceptavit, non enim potuit hoc facere, nisi contrahendo obligationem vicissim implendi id, cujus causâ Mulier promissum suum implevit: cùm ergo hæc pacta fuerit bona fide, id est, sine suspicione ullius deceptionis, corpus pro corpore, ipsumque promissum impleverit, nec dici possit, à se ipsa fuisse deceptam, leviteréque fidem adhibuisse, tenetur & ipse implere, habentque se per accidens ad hunc contractum divitiæ, nobilitas, & similia.

Nihilominus etiam in hoc primo casu, seu limitatione etiamnum multi docent, posse ipsum satisfacere pecuniâ juxta arbitrium viri prudentis, nec obligari in tanta status disparitate deceptam ducere. Ita Sanch. *cit. disp.* 10. *n.* 21. Petrus Ledesma *de Matr. q.* 45. *a.* 4. *dub.* 1. *conclus.* 2. Lugo *l. c. n.* 32. Engl. *l. c. n.* 14. quod etiam Lessius probabile agnoscit. Ratio est, quia promittens non tenetur eam ducere ratione promissionis secundùm se, nam fuit hæc ficta, & invalida; nec etiam ratione Justitiæ, quia Justitia non obligat ad restituendum plus, quàm damnum æstimatur: sed damnum corruptionis non æstimatur tanti, quanti est, si vir nobilis debeat ducere suo statu notabiliter indignam; nec deniqúe ratione ipsius contractûs, quia vi hujus non tenetur ipsi plus dare, quàm fœmina apprehendit, & volebat in pactum deducere; ipsa verò solùm volebat nubere viro æqualis conditionis, qualem putabat esse deflloratorem, nec appetebat excessum istum nobilitatis: ergo vir nobilis non tenetur se ipsum illi offerre, sed sufficit, si damnum illatum ita compensset, ut possit facilè nubere viro æqualis conditionis.

Secundus casus cum primo coincidit. Si ex alijs conjecturis facilè deprehendi poterat, ipsum non sincerè agere; puta, quia notavit, aut notare poterat, ipsum uti verbis ambiguis, vel nimijs exaggerationibus, inconstanter loqui &c. Sic enim iterum non ille decepit, sed ipsa decipi voluit, ex qua causa putat Lessius, nec quidem teneri ad compensationem damni, nam debet Puella levitati suæ tribuere, quòd damnum passa sit juxta Reg.

Juris

Juris antepenult. in 6. *damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alijs, imputare*; potéstque fictor meritò supponere, fictionem suam fuisse deprehensam, sibique factam potestatem corporis non ob promissionem Matrimonij, sed vel ob preces, vel ob libidinem propriam.

Tertius Casus est, si ex Matrimonio oritura sint gravia Scandala, aut malus exitus probabiliter timeatur quia hoc casu nec teneretur, etiamsi verè promisisset: sufficiet ergo damnum compensare.

Quartus Casus est, si aliquod impedimentum legitimum intervenerit, v. g. si fiat ejus affinis; si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros Ordines suscipiat &c. tenebitur tamen damnum compensare.

Quintus Casus est, si fœmina deflorata deinde cum alio fornicetur, nam hæc est causa justa recedendi à veris Sponsalibus, atque etiam in his per supervenientem fornicationem cum alio definit obligatio. Imò juxta Sanch. *n.* 13. Lugonem *n.* 26. & Less. *n.* 28. *ll. cc.* non tenetur tunc ad ullam aliam satisfactionem ob novam hanc culpam fœminæ, quia vi suæ fictæ promissionis solummodo tenebatur illam ducere, & hac ratione ipsi satisfacere, quæ obligatio extinguitur per supervenientem fornicationem: nihil igitur ipsi debet, nisi antecedenter obligatio eam ducendi mutata fuerit in obligationem pecuniariam.

Sextus denique Casus est, si fœmina virum decepit, dicendo se Virginem, isque propterea ei promittat nuptias, ut eâ potiatur, sed postea deprehendat, Virginem non esse, non tenetur stare promissis, quia sicut ipse eam decepit, ita vicissim ab ea deceptus est, atque ita injuria compensatur injuriâ. Quòd si verò rem habuit cum fœmina, quam scivit esse corruptam, eique fictè promisit Matrimonium sub conditione copulæ, eâ impletâ obligatur eam ducere. Laym. Excipe tamen, si copulam habuerit cum fœmina malæ famæ, v. g. cum publica meretrice, eidemque, ut hanc obtineret, promiserit fictè Matrimonium, hanc enim nullo modo tenetur ducere; & quidem non ratione promissionis, quæ ficta est; nec ratione damni, quia fœmina ista damnum nullum patitur, ipsaque ex improportione rei promissæ, nempe Matrimonij, cum ista copula infamis fæminæ, facilè advertere potuit, & debuit, latere hîc deceptionem, ut rectè advertit Lugo *n.* 33. satisfaciet igitur solvendo pretium copulæ, pro quo aliàs consueverat hæc fœmina corpus suum locare alijs. Bassæus & alij.

5. Cùm itaque in casu nostro similes circumstantiæ non adsint, quæ excusare possint, sed Pelagia ponatur virgo ejusdem statûs, & conditionis

tionis, unde deceptionem non facilè agnoscere poterat, tenetur Metrodorus eam ducere uxorem, atque ad hoc etiam compelli potest à judice Ecclesiastico, etsi millies dicat, se fictè promisisse, nam hoc dicenti in foro externo non creditur, quia interna intentio ex actu externo præsumitur *L. 1. C. ad Leg. Cornel. De Sicarijs*, & *L. 5. C. de injurijs*, nisi alia indicia pro se allegare possit, v. g. quòd priùs hunc fictum animum coram amicis declaraverit, possitque adeò juramentum suppletorium præstare. Engl. *l. c. n.* 14. Sed neque hoc admittere videtur Gobat *tr.* 10. *n.* 231. ubi ita loquitur: *minimè dubito, quin quisque æquus judex esset talem condemnaturus ad ejusmodi nuptias, etsi simulator ille probaret duobus, vel tribus testibus, se usum esse merâ fictione; sanè merentur hi spurci Ardeliones, ut de suâ malitiâ non solùm nullum commodum reportent* c. intelleximus de Judic. *sed incommodum hoc referant,*

CASUS TERTIUS

Ficti Promissoris, volentis ducere defloratam, quam Parentes nolunt dare Uxorem.

Florentius carnaliter cognovit Claudiam sub ficta promissione Matrimonij, vult tamen, ut damnum compenset, ipsam ducere, sed nolunt ipsi eam concedere Parentes, etsi Filia optet eum habere maritum.

Q. An Florentius post hanc repulsam adhuc ad aliquid obligetur?

SYNOPSIS.

1. *Si fœmina nolit habere maritum, à quo sub ficta promissione Matrimonij corrupta est, ad nihil ampliùs tenetur corruptor.*

Excipitur unicus Casus.

2. *An teneatur eam dotare, quando ducere nequit, quia Parentes renuunt eam dare uxorem?*

Refertur Sententia affirmativa.

3. *Probabiliter non tenetur ad dotem, vel aliam compensationem; debet tamen conari, ut impetret consensum in nuptias.*

4. *Præter hæc obligatur ad alimentationem prolis.*

1. Dicitur in Casu proposito, *Claudiam optâsse habere hunc Maritum*, si enim ipsa Puella abnuat eum habere Maritum, à quo corrupta est sub nuptiarum promissione, ad nihil ampliùs teneri defloratorem, sive ex animo, sive fictè spoponderit, docet Lugo *to. 1. de Just. disp. 12. sect. 2. n. 28* Tamb. *p. 2. in Decal. L. 7. c. 5. n. 48.* & Haunoldus *to. 6. de Iust. & Iure tr. 2. c. 2. n. 590.* Ratio est, quia non fuit ab ipso promissa dos, sed conjugium: cùm ergo is velit stare promissis, ipsa autem acceptare nolit, in quod tamen priùs consenserat, quodque unicè ipsi promissum erat, jus nullum potest ad dotem prætendere, sed sibi imputare debet damnum, quod suâ culpâ patitur, dicit enim Reg. Jur. 86 in 6. superiùs in casu præcedente citata: *damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alijs imputare*, & universim is, qui promisit, ad nihil tenetur, quando promissarius renuit accipere rem sibi promissam. Excipiunt tamen dicti AA. unum Casum, si nempe Puella injustè decepta fuisset, quia deflorator se finxit æqualem ipsi quoad statum, & conditionem, cùm tamen sit multò inferior, illáque hac fictione cognitâ nolit eum Maritum habere, quippe tunc ipsum velut indignum, & deceptorem jure respuit, justámque causam habet recusandi oblatum Matrimonium, ísque tenetur eam dotare saltem eoúsque, ut acquirat tam bonum Matrimonium, acsi stuprata non fuisset, atque hoc modo servabit illam indemnem, ad quod faciendum obligatur ob illatam injuriam, quod nisi fecerit, cogetur misera vel nubere inæquali, vel carere dote, quæ alium æqualis conditionis allicere possit ad ejus nuptias, per quod rursus patitur damnum, & injuriam.

2. Quæstio igitur tota versatur in hoc, an, si per ipsam non stet, quòd nuptiæ non sequantur, sed istæ

istæ à Parentibus impediantur, ipsâ invitâ, qui nolunt corruptori filiam in uxorem concedere, is, qui eam defloravit sub promissione Matrimonij, teneatur tunc ad aliam quampiam satisfactionem, & compensationem?

Teneri etiam tunc ad restitutionem faciendam, constituendo ex bonis suis, etsi illa alia bona habeat, tantam ipsi dotem, quanta virginibus istius qualitatis dari solet, ut, si morte Mariti dissolvatur Matrimonium, habeant, unde sustententur, & vivant, aut si ipsæ moriantur, id transmittant ad suos descendentes, vel alios Successores, docent Sylvest. *V. Luxuria q.* 5. Navarr. *in Summa c.* 16. *n.*18. Vasq. *de restitut. c.*3 §. 1. *dub.* 3. *n.* 22. Henriq. & alij, quibus accedit Molina *to.* 4. *de Iust. tr.* 3. *disp.* 104. *n.* 9. cum hoc tamen discrimine, quòd in casu, quo Pater renuit dare ipsam Uxorem illi, qui eam vitiavit, non teneatur is huic dare tunc tantam dotem, quantâ indiget ad æquè bene nubendum ac si vitiata non esset, sed quantâ indigeret ad nubendum juxta qualitatem suæ personæ, & juxta circumstantias, quæ aderant, ante quàm vitiaretur; nam si per ipsum defloratorem staret, quòd nuptiæ non sequantur, non satisfaceret constituendo qualemcunque dotem, sed etiam, quando ipsa loco nuptiarum contenta esset compensatione pecuniaria, teneretur per se loquendo, nisi circa hoc quoque aliter transigeretur, illi dare dotem, quantâ indiget, ut æquè bene nubat, ac si corrupta non fuisset, atque ita vitium, quod passa est, quodque ipsam reddit magis abominabilem, quantitate dotis compensetur, ut propter hanc saltem appeti possit in conjugium.

Ratio istorum AA. est, quia scilicet æquum non est, ut sine sua culpa damnum patiatur talis Puella: pateretur verò damnum, si, quia contra voluntatem suam à Matrimonio ipsam impediunt Parentes, corruptor hoc ipso deobligaretur ab alia satisfactione præstanda: ergo æquitas postulat, ut aliter compenset.

Quod confirmari potest ex eo, quod dicitur c. 1. de Adulterijs & stupro: *Si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormierit q; cum ea* (id est, si illam corruperit, sive carnaliter cognoverit) *dotabit eam, & habebit uxorem; si verò Pater Virginis dare noluerit, reddet peccuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere consueverunt*: tenetur igitur etiam in hoc Casu ad illam dotandam.

Respondeo tamen, ex hoc c. nihil probari, est enim lex ista pœnalis, unde etiam juxta Molinam, & Pirhing non obligat, nisi post latam Sententiam; in casu autem præsenti quæritur, an deflorator fictitius volens deposita fictione stare promissis, & vitiatam ducere, si

hanc Parentes negent concedere, in conscientia teneatur, & ante judicis sententiam ad aliam satisfactionem, nempe ad dandam dotem?

3. Dicendum videtur circa hanc quæstionem, valdè probabiliter in hoc casu non teneri ad dandam dotem, vel aliam compensationem. Ita præter Card de Lugo, & Tambur. citatos docent Dicastillo *tr.* 10. *de Matr. disp.* 1. *dub.* 11. *n.* 180. Luisius Turrianus, quem aliqui citant pro parte opposita, *disp.* 30. *de Iust. dub.* 4. *n.* 18. Less. *L.* 2. *de Iust. c.* 10. *n* 17. & Sanch. *L.* 1. *de Matr. disp.* 10. *n.* 15. Ratio est, quia ille nihil aliud debet, quàm quod spopondit sive verè, sive fictè: spopondit autem solum Matrimonium in pretium usûs corporis, &, licèt fictè id egerit, nunc tamen, deposita fictione, paratus est stare suo promisso, eámque ducere: ergo satisfacit.

Confirmatur. Si fictè tibi promittam mutuum, tuque ob hanc promissionem emas merces, facio tibi injuriam, nisi servem promissum: at si servare volo, tu verò nolis accipere, non teneor damnum securum compensare: ergo & iste satisfacit, si sit paratus ad eam ducendam, ita enim amovet injustitiam à se comissam, quæ consistit in fictione; alterius verò damni, si quod consequitur, causa ipse non est, sed Pater, qui nuptias impedit. Judico nihilominus cum Tambur. *l. c.* si spes aliqua sit, quòd possint induci, & persuaderi Parentes, obligari ipsum ad hoc faciendum, ut conetur obtinere illorum assensum, nam qui aliquid promittit, saltem implicitè etiam promittit ponere media ordinaria, quæ faciunt ad promissionem implendam: cùm ergo hoc sit medium, illius usurpandi incumbit ipsi obligatio.

4. Præterea certum est, quòd teneatur ad alimentationem prolis, siquæ ex habita copula nascatur, donec ea sibi possit ipsa procurare alimenta, & sustentationem, intelligendo per hæc victum, vestitum, & alia pro conditione personæ necessaria. Si verò proles moriatur antè, quàm ad eam ætatem perveniat, ad nihil ampliùs obligatur, quia hæc obligatio est affixa personæ; hac igitur intereunte, etiam obligatio desinit, constat enim, alimenta cum vita finiri. *L. cùm hi. 8. §. 10. ff. de Transact.* At si, ut fieri solet, certa pecuniæ summa Matri per transactionem soluta, vel promissa, vel etiam adjudicata est, & infans maturiùs moriatur, ex consuetudine nihil redit ad patrem, sed matri relinquitur tum in solatium, tum quia certum pro incerto solutum est, & hoc ex natura transactionis. Haunoldus *l. c. n.* 594.

Quæstio

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo debeant esse voluntaria, & deliberata Sponsalia, quæ est secunda Conditio.

CASUS PRIMUS

Insano amore æstuantis.

Olympia diu solicitata à Diodoro consensit tandem in flagitium, cui ille amore æstuans tum paulò antè, tum in ipsa copula iteratò promisit Matrimonium, quo tamen promisso stare nunc renuit, dicens, amoris ardore extortam esse istam promissionem, qui cùm vehemens admodùm fuerit, promissum cæco animo factum, & neutiquam fuisse deliberatum, adeoque nullum.

Q. Quid judicandum in utroque foro de isto promissore?

SYNOPSIS.

1. *Ad omnem promissionem requiritur deliberatio.*
2. *Quanta debeat illa esse in Sponsalibus? Quidam requirunt, ut fiat cum mora temporis.*
3. *Satis est, esse tantam, quanta sufficit ad peccatum mortale.*

4. *An nimia vehementia amoris reddat Sponsalia indeliberata, adeoque nulla?*

Sententia quorundam affirmativa?

5. *In foro interno judicandum secundùm assertationem pœnitentis.*

6. *In foro externo alleganti nimium amoris æstum non creditur, sed condemnatur ad nuptias, vel satisfactionem.*

7. *Extraordinaria passionis vehementia potest aliquando eripere libertatem.*

1. Contraxi duas conditiones in unam, ut nempe promissio Sponsalium sit voluntaria, & deliberata. Voluntarietas procedit à voluntate. quæ cùm potentia cæca sit, ductore indiget intellectu, namque, ut fert adagium, *nihil est volitum, quod non est cognitum*: cùm ergo deliberatio sit actus intellectûs, per quem dirigitur voluntas ad faciendam electionem, meritò de utraque ista conditione hîc nobis sermo est.

Certum est, ad promissionem Sponsalium, imò quamcunque aliam promissionem, requiri aliquam deliberationem, advertentiam, & judicium intellectûs, quo is advertat, & judicet, an res, quæ agitur, vel agenda est, bona sit, an mala, quidque sit eligibile, vel eligibilius? quæ deliberatio, & advertentia si deficiat, nullo modo fieri potest, ut actus, qui ponitur, sit humanus, & in proprio sensu voluntarius, nam ut quis modo humano aliquid appetat, & velit, non debet tendere in incognitum, sed prævia cognitione, & deliberatione rem talem velle; ergo ubi deliberatio non est, actus humanus, & consequenter talis actus non est, qui possit inducere obligationem moralem, & humanam, quæ procedit à voluntate: cùm ergo promissio Sponsalitia inducat obligationem, debet ea deliberatè, & voluntariè fieri.

2. Quæstio igitur nunc est, quanta debeat esse ista deliberatio, quæ ad Sponsalia requiritur, ut ea dicantur esse verè, & propriè voluntaria, ac proinde obligatoria?

Felinus, Tiraquellus, & alij apud Sanch. *L. 1. de Matr. disp. 8.* requirunt, ut sit matura deliberatio, & diuturna, nam repentina, ajunt, & quæ est orta v. g. ex fervore iracundiæ, minimè sufficit, idque probant ex textu *c. Divortium 21. de Pœnit. dist. 1.* ubi dicitur: *quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum*

ratum est, quàm si perseverentia apparuerit, judicium animi fuisse. Sicuti ergo non attenditur, neque pro valido habetur, quod fit ex ira præcipiti, quia deest deliberatio, ut dicit Glossa, ita & in alijs, præsertim in contractibus Sponsalitijs, nihil valet, quod fit præcipitanter, præproperè, & sine deliberatione morosa.

Verùm Respondeo, ex hoc capitulo nihil probari; plùs enim non dicit, quàm divortium, de quo illud loquitur, non debere ratum haberi, quod animi perseverentiam non habet, atque propterea Mulierem, quæ à suo marito ex subito calore iracundiæ divertit, puniri non debere, nisi in hoc perseveraverit, quia nempe præsumit Jus, eam non tam fecisse id seriò, & verâ voluntate divertendi, quàm ut animi commotionem, & iram significaret, quemadmodum sæpe irati conjuges sibi mutuò diras imprecantur, cùm tamen maximè dolerent, si quid eorum, quod alteri imprecantur, eveniret: quod ergo hîc statuitur pro speciali Casu, non statim est extendendum ad alia, præsertim ad contractum Spontalitium, factum cum vera, & plena voluntate contrahendi, in quo, licèt, quia agitur de re satis gravi, opus sit majore consideratione, quàm in alijs actionibus communibus, & ordinarijs, non tamen opus est diuturno tempore, & longa, ac protracta deliberatione, sed sufficit, non adesse tantam indeliberationem, quæ usum libertatis simpliciter impediat. Unde

3. Dicendum, requiri, & sufficere eam deliberationem ad contrahenda Sponsalia, quæ sufficit ad peccatum mortale, etiamsi alioquin sit repentina promissio, quia opus non est longa mentis agitatione. Ita Sanch. L. 1. *de Matr. disp. 8. n. 5.* Dicastillo *tr. 10. de Matr. disp. 1. dub. 2. n. 11.* Perez *disp. 1. de Matr. Sect. 3. n. 4.* Less. *L. 2. c. 40. n. 2.* Hurtado *de Matr. disp. 1. difficult. 8. n. 25.* Coninck, Pontius, Sporer, & alij. Ratio est, quia Sponsalia ex natura sua obligant sub peccato mortali: ergo requirunt deliberationem plenam, & sufficientem ad peccatum mortale, non minùs, quàm votum, quod ex communi sententia eandem deliberationem exigit. Quòd verò ista deliberatio sufficiat, iterum patet ex voto v. g. Ordinis sacri, vel Religionis, ad quod sufficit ea deliberatio, quæ potest sufficere ad committendum peccatum mortale: ergo sufficit etiam ad Sponsalia tanta deliberatio, quæ est sufficiens ad contrahendum peccatum mortale, nec enim major exigi debet deliberatio, ut quis se per promissionem obliget homini, quàm ea deliberatio, quæ est sufficiens ad se ligandum ad reatum æternæ damnationis, quæ est res gravissima.

Ex

Ex istis porrò colliges. 1. Non obligari ducere eam, cui ex animo quidem promisit Sponsalia, at ignoravit, ex ista promissione consequi obligationem, neque enim censetur talis habuisse voluntatem perfectè deliberatam promittendi, & se promissione facta obligandi, qui ipsam naturam promissionis ignoravit.

Colliges 2. Sponsalia contracta in furia, vel perfecta Ebrietate nulla esse, utpote quia humana non sunt, habetúrque id in c. Neque furiosus caus. 32. q. 7. *Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur.* Cujus canonis sensus est, furiosos non posse contrahere verum Matrimonium, & ab ijs contractum, esse invalidum; si verò Matrimonium ante furiam celebratum est, non esse dissolvendum ob furiam postea supervenientem.

4. Nunc igitur ad ipsum casum nostrum ut respondeamus, videri potest, juxta secundum hoc corollarium sufficienter indicari, nulla fuisse Sponsalia, quæ Diodorus contraxit cum Olympia, quia qui contrahunt in furia, vel in Ebrietate, illorum contractus est nullus, cùm careant ratione, ac libertate, & consequenter eorum operationes deliberatæ, & voluntariæ non sint: sed ista omnia inveniuntur in excœcatis amore, sunt enim similes ebrijs, & furiosis: ergo illorum quoque contractus nulli sunt, nec voluntariæ ipsorum actiones.

Min. Ostenditur authoritate; atque in primis ebrijs eosdem comparat Aloysius Riccius *p. 3. Decis. Curiæ Archi-Episc. Neapol. decis.* 155. *n.* 5. & *p.* 2. *variar. resolut. resolut.* 135. in quibus locis dicit, quòd sicut vinum, ita amor inebriet, privetque deliberatione: ergo quemadmodum ebrius Sponsalia contrahere nequit, ita nec captus amore.

Confirmatur Authoritate aliorum, qui passim nimio amore æstuantes furiosis, & ebrijs comparant, atque his etiam nominibus appellant; ita nominat ipsos Plato in Phædro, ubi scribit, quatuor esse furoris species, inter quas ponit amorem, qui est à Venere: similiter à Poëtis pro furiosis habentur amantes: talem describit Virgilius Didonem L. 4. Æneid.

Ardet amans Dido, traxitq; per ossa furorem.

Sic etiam cecinit Propertius L. 2. ad Cynthiam.

Libertas quoniam jam nulli restat amanti,
Nullus erit liber, si quis amare velit.

Ipséque Justinianus Imperator *in Auth. Quibus modis natur. fil. effic. legit.* §. *illud. collat.* 6. amantes vocat furiosos, dum ait: *nihil est furore vehementius*: at furiosorum actiones, vel promissiones censentur involuntariæ, & ad nihil obligant, sicuti non censentur furiosi delinquere, nec ob delicta

licta puniuntur: ergo qui excæcati amoris vehementiâ aliquid promittunt, præcipuè ipsa durante copulâ, quo tempore ex medicorum sensu adesse solet transiens aliqua phrenesis, ad nihil obligantur, cùm amor etiam in delictis excuset, ut videre est apud Jul. Clarum *L. 5. §* fin. *Practic. Crimin. q.* 60. *n.* 10. ubi recenset, excusatam fuisse quandam Mulierem, quæ receptaverat res furto ablatas à suo amasio, aliúmque fuisse absolutum, qui libellum famosum publicaverat contra quandam puellam, cujus amore captus erat, quasi ex vehementia amoris non fuerit mentis suæ sat compos, quibus similia plura ibi recenset, hisque affinia legi possunt apud Menoch. *L. 2. de arbitr. judic. cas.* 328. Quin imò in facti contingentia à Curia Neapolitana à promissione Sponsalium liberum fuisse pronunciatum, qui propè carnalem copulam fœminæ, quam adamabat, promiserat Matrimonium, testatur Riccius supra allegatus *decis.* 155. *cit. & p. 3. decis.* 15.

5. Ego spectando utrúmque forum, tam internum, quàm externum, censeo cum P. Gobat *tract.* 10. *de Matr. Cas.* 1. *n.* 26. in foro conscientiæ, sive Sacramentali, ubi idem est testis, & reus, judex autem tenetur ferre sententiam juxta testium depositionem, confessarium debere judicare secundùm assertionem Pœnitentis: si ergo, postquam Confessarius ipsum probè examinavit, an revera tunc non cogitaverit, quid & quantum promitteret, isque constanter, & asseveranter hoc neget, debere eum credere Pœnitenti, atque ideo ad nihil ipsum obligabit.

6. At verò si res deferatur ad forum externum, sive judiciale, non audietur, sed ridebitur allegans istum furorem, ac dicens, se præ amoris magnitudine compotem sui non fuisse, atque ideo promissionem fuisse indeliberatam; ridebitur, inquam, & hac non obstante asseveratione condemnabitur ad nuptias, aut, si id magis expedierit, ad aliam satisfactionem, præsertim quando est habita copula.

Ratio est, quia Judex in obscuris, & dubijs judicare debet secundùm ea, quæ plerunque contingunt juxta Reg. Jur. 45. in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerúnque fieri consuevit*: atqui plerunque etiam vehemens amor non aufert perfectam, & plenam libertatem, plerique enim agnoscunt, se reos esse gehennæ, &, quando copulam etiam consecuti non sunt, vel quia fœmina Christianè restitit, vel ex quacunque alia causa, se ordinariè accusant de scelesta hac sua voluntate, & intentione, vel promissione; ergo adfuit in ijs sufficiens deliberatio, & agnitio malitiæ, ac illius, quod agebant, aut agere parabant, consequenter adfuit ea deliberatio, quæ potuit sufficere ad

Sponsalia, ad hæc enim supra dictum est, sufficere eam deliberationem, quæ est sufficiens ad peccatum mortale; igitur juxta hanc præsumptionem judex Ecclesiasticus eum condemnabit.

7. Dixi, hoc *ordinariè* contingere, quòd vehementia amoris non omnem libertatem eripiat, quia non diffiteor, posse in casu admodum raro evenire, ut extraordinaria vehementia amoris, uti & alterius cujuspiam Passionis, v. g. iracundiæ, mentem ita perturbet, ut liberum judicium ipsi non relinquat, quo casu certum est, nullam esse promissionem, ut etiam fatetur Perez, & Tamb. Verùm hanc vehementiam asserenti credet quidem judex fori interni, ut dictum est, non tamen fidem habebit Præses Consistorij, neque audiet etiam jurare paratum, quòd sibi defuerit plenus rationis usus, nisi aliam semiplenam probationem afferat, qualem non præbet, quòd actu patrato, & æstu remittente, subitò ipsum pœnitudo subierit factæ promissionis, nam sæpè nos etiam eorum pœnitet, quæ tamen gesta sunt cum plena deliberatione, & in calore v. g. iracundiæ multa fiunt deliberatione sufficiente ad culpam lethalem, quæ eo calore secluso minimè admitterentur: aliquo tamen modo probabile reddi potest, quòd defuerit plena deliberatio, promissioque facta fuerit ex aliquo furore amoris, quando Vir, & fœmina sunt admodum disparis conditionis, ut notat Gobat *l. c. n.* 25. & Sporer, aut quando promittens Matrimonium ita priùs abhorrebat ab ea Muliere, ut certò nunquam fuisset ipsam ducturus extra illum furorem libidinis, quo casu rarissimo fortè locus esse poterit juramento,

CASUS

CASUS SECUNDUS

Promissionis indirectè tantùm voluntaria.

Nabor longo tempore Sponsam sibi optavit Rosellam nobilem Virginem, animi, ut ex multis advertere potuit, à se minimè alieni; varia tamen obstacula hactenus absterruerunt à celebrandis Sponsalibus, unde audentior futurus, prout fore indubitatò præviderat, hausto liberaliùs mero, ex hac intentione se inebriat, ut verba Sponsalitia proferret, atque ita reipsa etiam contrahit Sponsalia.

Q. An hæc Sponsalia sint sufficienter deliberata, & valida?

SYNOPSIS.

1. *Proponuntur argumenta pro parte affirmativa, quòd sufficiat ad Sponsalia voluntas indirecta.*
2. *Sed statuitur, & probatur contrarium.*
3. *Idq; ostenditur in varijs Exemplis.*
4. *Solvuntur Argumenta opposita.*

1. ESse valida ista Sponsalia videtur consequi ex Casu præcedente; ea enim requiritur, & sufficit deliberatio ad Sponsalia, quæ sufficit ad peccatum mortale; at verò ad peccatum mortale sufficit, modò illud sit indirectè voluntarium, & deliberatum, videlicet in causa: ergo ad contrahenda Sponsalia sufficiet similis voluntarietas, & deliberatio indirecta, & in causa. *Major* est

eſt concluſio caſûs præcedentis. *Minor* patet ; quia verè committit homicidium in ebrietate, qui ex deliberatione, & intentione hominem occidendi ſe inebriat, quia nempe prævidet, hoc eventurum in ebrietate : eligit enim ipſam ebrietatem tanquam medium ad iſtum finem obtinendum, nimirum ad homicidium : ergo in ebrietate directè volita vult indirectè, & in cauſa ipſum homicidium : ſicut igitur huic verè imputatur homicidium, ipſiſque eſt verè voluntarium, quia ſponte ebrietatem elegit, in qua prævidit, homicidium eſſe ſecuturum, ita dici debent voluntaria, & deliberata eſſe Sponſalia illi, qui ea prævidit à ſe contractum iri, ſi fuerit ebrius, & tamen ebrietatem voluit, & procuravit.

Probatur ulteriùs, quia in Caſu ponitur, eum antecedenter deſideráſſe Sponſalia cum Roſella, quam voluntatem quia nunquam retractavit, ſed potiùs ad finem hunc obtinendum ſe ſe inebriavit, ſufficiet utique voluntas iſta habitualiter permanens ad contrahenda Sponſalia, ſicut etiam ad ſuſcipiendum Baptiſmum ſufficit intentio præterita non ampliùs retractata, atque ideo habitualiter permanens, etiamſi baptizandus poſtmodum incidat in amentiam, vel ebrietatem.

2. Dicendum tamen. Verba Sponſaliorum in ebrietate dicta, etiamſi ante ebrietatem voluntas eorum præceſſerit, & prævisum fuerit, hoc in ebrietate eſſe ſecuturum, imò quamvis eapropter, & ex eorum deliberatione, & intentione ebrietas electa fuerit ut medium prævisum ad verba Sponſalitia proferenda, ſi poſtmodum in ebrietate ea proferantur, minimè ſufficiunt ad contrahenda Sponſalia. Ita Sanch. *L. 1. diſp. 8. de Matr. n. 20.* Perez *diſp. 1. de Matr. Sect. 5. n. 8.* Petrus Ledeſma *de Matr. q. 58. art. 3. dub 1.* Palao *diſp. 1. de Sponſal. pu. 2. n 5.* Vaſq. *diſp 5. de Matr. c. 3.* Coninck, Dicaſtillo &c.

Probatur, quia contractus, qui verbis, aut ſignis perficitur, (qualis eſt contractus Sponſalitius) ut ſit verus contractus, qui poſſit parere obligationem, debet eſſe actus humanus : atqui actio facta tempore ebrietatis, non eſt humana, etiamſi procedat ex antecedente deliberatione, & voluntate, quam quis habuit ante ebrietatem, contrahendi Sponſalia, poſtquam inebriatus fuerit : ergo verus contractus per talia verba non perficitur, qui poſſit inducere obligationem. *Min.* Probo. Actio eo tempore poſita, nempe in ebrietate, non procedit ab homine conſtituto in ſtatu humano : ergo non eſt humana actio, nam ex eo, quòd ante ebrietatem præceſſerit libera voluntas, & intentio hoc faciendi in ebrietate, actio in ebrietate deinde poſita humana dici nequit, quia non conjungitur ampliùs humano

modo

modo cum voluntate præcedente, priorque voluntas libera non perseverat tempore ebrietatis in illa actione externa, nam desinit, quamprimùm homo statum humanum amittit, uti contingit etiam, quando homo moritur, vel dormit: ergo talis actio humana non est, consequenter obligationem non inducit.

3. Confirmo ulteriùs dicta, & probo per exempla: Etiamsi quis habuisset animum dicendi convitium in aliquem, si inebriaretur, & in ipsa deinde ebrietate mille contra ipsum convitia proferat, non censetur propriè injuriam facere, aut convitiari, nec potest alter de hoc conqueri, aut actionem contra sic convitiantem instituere, utpote cujus perversa intentio in foro externo non attenditur, quod autem agit, humano modo non facit; pari modo non censetur mentiri, aut fidem frangere, qui in ebrietate facit oppositum ejus, quod promiserat;

Item quantumvis aliquis Sacerdos, sciens se, quando est ebrius, solere obvium panem consecrare, ea intentione se inebriaret, & certo loco panem poneret, ut ebrius eum consecraret, hic certè nihil efficeret, si postea omnino ebrius verba consecrationis supra hunc panem proferret, quia hæc actio tantùm esset voluntaria in sua causa, non autem in se, nisi per modum objecti, nec propriè dicenda esset voluntaria, sed volita: ergo per consequens non esset verè humana, quia ad hoc requiritur, ut actio sit in se voluntaria per modum actûs eliciti, sive ut eliciatur à potentia hîc, & nunc humano modo agente, qualis non est voluntas omnino ebrij, quia hic agit potiùs brutali modo, quàm humano. Ita Coninck *q. 64. de Sacramentis art. 8. dub 2. n. 74.* Et certè si potest actio humana dici, quæ solùm est voluntaria in causa, morsus, quem tibi infigit canis meus, dici poterit humana actio, quia potest esse mihi voluntarius, & à me volitus per modum objecti, si ego ipsum instigem, ut te mordeat, quod utique dici non debet.

Denique contractus Sponsalitius cùm sit contractus humanus, nequit perfici, nisi per locutionem, vel aliam actionem humanam, per quam humano more significetur, & exprimatur præsens mens loquentis, id est, quid tunc de rebus sentiat, de quibus modò loquitur, ad hoc enim verba, & alia ejusmodi signa, in contractibus usurpari solita, sunt instituta: atqui verba, quæ profert ebrius, non sunt apta ad exprimendam humanam mentem, quam tunc habeat, quia tunc nullam habet in eo statu: ergo verba prolata ab ebrio non sunt humana, proinde, etsi sint Sponsalitia, non inducunt obligationem.

4. Dissolvenda nunc sunt argumenta in contrarium. Ad illud, quod posteriore loco allatum est, Respondeo: etiamsi voluntas habita ante ebrie-

ebrietatem habitualiter duret, quia retractata non est, non tamen durat in ratione actionis humanæ, quod necessarium est ad contractum Sponsalitium, sed desinit esse humana actio, quando, qui eam ponit, ut ita loquamur, desijt esse homo, quod in ebrietate contingit. Quòd verò sufficiat intentio habitualis ad suscipiendum Baptismum, extremam unctionem &c. id adscribendum est benignitati Christi, qui majorem intentionem exigere noluit ob hominum utilitatem, ne sæpe deberent carere Sacramentis vel necessarijs, vel summè sibi utilibus; plus tamen exegit Christus in ministris Sacramentorum, ut nempe haberent intentionem saltem virtualem, & in aliquo effectu perdurantem, quia actio Ministri debet esse actio moralis, & fieri humano modo, qualis non est, quæ ponitur in ebrietate.

Ad prius Argumentum respondeo: Omnino sufficere deliberationem eam, quæ sufficit ad peccandum mortaliter: at verò ad peccandum mortaliter requiritur ea deliberatio, vi cujus actio peccaminosa verè dici possit moralis, posita humano modo, ab homine sui compote, libero &c. quod in ebrietate non fit. Ad exemplum adductum de homicidio in ebrietate patrato, respondet Sanchez *cit. disp. 8. n.* 20. mirum non esse, quòd Sponsalia in ebrietate contracta nulla sint, econtra homicidium in ebrietate patratum sit peccatum lethale, quando tempore, quo homo sui compos erat, prævisum fuit, quia, ut sonat axioma, *bonum ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu*: cùm igitur Sponsalia sint quoddam bonum, exigunt plenam libertatem; at verò ad peccatum, cùm malum sit, satis est, quòd sit in sua causa volitum; tum præcipuè, quia cùm homo teneatur vitare homicidia, & alia peccata, eò ipso, quòd sciat, se in ebrietate ea admittere, tenetur istam vitare: si ergo, cùm deberet, & posset ebrietatem fugere, non curet eam vitare, indirectè, & virtualiter censetur velle peccata, quæ in ebrietate eventura esse prævidet; at cùm non teneatur vitare Sponsalia, non censetur adesse voluntas virtualis circa illa. Hanc responsionem etiam dat Becanus *to. 1. c. 43. de Sacram. in specie q. 5. n. 5. & alij.* Alij malunt respondere cum Perez *disp. 1. de Matr. Sect. 5. n.* 11. quæ responsio omnino conformis est ad nostra dicta, homicidium patratum in ebrietate non esse verum & formale homicidium, neque esse peccatum formaliter eo modo, quo modo censetur esse peccatum formaliter actus exterior malus, qui manet in nostra potestate, nam actus humanus externus tam diu est capax malitiæ moralis, quàm diu liber est, & humanus, proinde quàm diu est in nostra potestate, & tunc, quando opus est malum, est peccatum formaliter:

maliter : at homicidium, quod in ebrietate patratur, nullam in se libertatem habet; quia, dum fit, non fit humano modo, nec est in nostra potestate, consequenter non est formaliter peccatum, sed sicuti liberum est duntaxat in sua causa, ita est peccatum in causa, consequenter non est peccatum formaliter, sed potiùs est effectus peccati præteriti.

QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo in Sponsalibus debeat esse promissio acceptata, & mutua, quæ est tertia conditio.

CASUS PRIMUS

Promissionis gratuitæ, item acceptatæ in veris Sponsalibus, sed sine repromissione.

Sarinus, ut gratum se sistat Cæciliæ, quòd sibi lethaliter ægrotanti indefesso obsequio servierit, promittit eidem futuras nuptias. Idem præstat Mathildi Basilius, non tamen ex gratitudine, sed animo præcisè Sponsalia celebrandi. Utraque acceptat promissum, dicitque se felicem, si possit habere maritum tam exoptatum, neutra tamen repromittit.

Q. An Sarino, vel Basilio, & quænam obligatio ex hac promissione oriatur?

SYNOPSIS.

SYNOPSIS.

1. *Promissio ab altera parte non acceptata non obligat promittentem.*
2. *An promissio gratuita Sponsalium acceptata promittentem obliget? Sententia negativa.*
3. *Probabilius est, obligari promissorem, non quidem vi Sponsalium, sed ex promissione liberali, & gratuita, quin altera pars vicissim obligetur.*
4. *Quanta sit hæc obligatio, & an promissio gratuita inducat impedimentum publicæ honestatis?*
5. *Quid judicandum in dubio, an promissio facta sit gratis?*
6. *An in contractu vero Sponsalitio censeatur pars altera repromittere eo ipso, quòd promissionem sibi factam acceptet?*
7. *Deciditur, vera Sponsalia necessariò exigere promissionem mutuam, aliàs ex neutra parte obligationem inducunt.*

1. DOsui in utroque Casu, promissionem fuisse acceptatam, nova enim quæstio foret, an promissio ab altera parte non acceptata, quia v. g. eam ignorat, vel etsi sciat, tamen ad eam nihil respondet, obligationem inducat? quod affirmat D. Antoninus *p.* 3. *tit.* 1. *c.* 18. Armilla *V. Sponsalia n.* 3. Tabiena, & alij, potissimùm se fundantes in *c. Veniens* 5. *Qui Clerici vel voventes &c.* ubi promissio Matrimonij facta absenti censetur valida, & tamen non videtur fuisse acceptata, cùm fuerit facta absenti.

Dicendum tamen cum Sanchez *L.* 1. *de Matr. disp.* 6. *n.* 24. Hurtado *Disp.* 1. *de Matr. difficult.* 3. *n.* 8. Dicastillo *Disp.* 1. *de Matr. n.* 22. Coninck *Disp.* 22. *dub.* 6. *n.* 35. Bonac. &c. ad hoc, ut promissio obliget, necessarium esse, ut ea acceptetur, quia quævis promissio habet insitam istam conditionem, si alter eam acceptet, nisi tamen aliud statuatur in Jure; communiter quippe excipiunt DD. promissionem factam Civitati, vel Universitati, vel Ecclesiæ, vel Hospitali, qui enim his promittit, non potest promissionem suam revocare, prohibente id

id Jure, non tamen tenetur eam indicare promissarijs, nec ante horum acceptationem adimplere; sed ista huc non pertinent; videri potest Lessius *L. 2. de Iust. c. 18. dub. 6. n. 36.* Ratio autem nostræ conclusionis est, quia non possum alteri obligari, nisi ipse acquirat jus in me, nec potest ille jus istud acquirere, nisi volens, quod fit per acceptationem, per ipsum, vel per alium ejus nomine factam: ergo requiritur acceptatio.

Confirmatur. Etiam vota Deo facta non obligant, quando Deus illa non acceptat, v. g. si sint de rebus indifferentibus, ex communi Sententia: ergo pariter promissio facta homini non obligat, nisi ab eo acceptetur.

Ex *c. veniet* nihil probatur, quia in eo planè non constat, quòd illa promissio absenti facta non fuerit acceptata; imò videtur potiùs in illo supponi, eum, cui promissio facta est, habuisse illius notitiam, eamque acceptâsse, nam dicit Glossa V. Absenti promisit: *per interpositam personam, quæ mandatum habebat ad hoc, aliàs nihil est*; & Jo. Andreas ibid. n. 8. sic ait: *potest sponderi absenti, dummodo sciat, vel ratum habeat*: magis ergo probatur ex cit. c. promissionem Sponsalium debere acceptari, quàm acceptatione opus non esse.

2 Hoc igitur stabilito de acceptatione, quod eâ deficiente promissio Sponsalium nullam obligationem pariat, duplex nunc quæstio examinanda est, 1. an promissio Sponsalium merè gratuita, sed tamen acceptata, obliget promittentem? 2. An in contractu vero Sponsalitio censeatur altera pars repromittere eo ipso, quòd Sponsionem acceptet, atque adeò sola acceptatio ad hoc sufficiat, ut promittenti obligatio oriatur?

Posse quempiam obligari ad contrahendum cum puella merè gratis, & liberaliter, quando illa vicissim non se obligat promittenti, sed ejus promissionem merè acceptat, negant Basil. Pontius *L. 12. c. 4. n. 2.* Vasq. *disp. 4. de Matrim. c. 3.* & alij nonnulli. Ratio eorum est, quia qui alteri promittit nuptias, non vult se obligare ad donandum corpus alteri, sed potiùs ad mutuandum unum corpus cum corpore alterius: ergo promissio ad contrahendum Matrimonium ab uno solo facta absque repromissione alterius, nequit esse valida ad obligandum, proinde fieri nequit, ut quis Sponsalia Virgini promittens ad ea obligetur, nisi & ipsa vicissim promittat, & obligationem contrahat.

3. Verùm dicendum est, posse aliquem obligari puellæ ad illam ducendam, etsi vicissim illa non obligetur ad nubendum, quando scilicet fecit promissionem gratuitam, & liberalem, v. g propter acceptum aliquod beneficium, uti poni-

tur in casu nostro promisisse Sarinus Cæciliæ; hæc verò obligatio non oritur ex vi Sponsalium, sed ex simplici, & liberali promissione, si hanc pars altera acceptavit. Ita Sanch. *L.* 1. *disp.* 5. *n.* 12. Palao *disp* 1. *de sponsal. p.* 2. *n.* 11. Laym. *L.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 2. Becanus *to.* 1. *c.* 43. *de Sacram. in specie q.* 3. Hurtadus *disp.* 1. *de Matr. difficult.* 6. Dicastillo, Bonac &c. Ratio est, quia licèt Sponsalia claudicare nequeant, sed necesse sit vel utrumque obligari, vel neutrum vi Sponsalium, potest tamen simplex promissio esse ex parte unius, altero nihil repromittente, atque ideo manente immuni ab omni obligatione, ut patet, quando aliquid liberaliter promittitur, is enim, qui promittit, obligatur; is verò, cui promittitur, nullam obligationem contrahit, sicut, si quis promittit alteri vendere certam mercem, si ille eam emere velit, promittens tenetur stare promisso, at verò alter nullam habet obligationem emendi: ergo pari modo potest quis liberaliter spondere virgini, quòd velit ipsam ducere Sponsam, si nempe ipsa velit ei nubere, per quod obligabitur quidem promittens, ipsa verò manebit libera, & habebit electionem nubendi, vel non nubendi

Hinc argumentum adversariorum parùm habet efficaciæ. Concedo sanè, quod, qui alteri promittit nuptias, non se obliget ad donandum corpus alteri, sed mutuandum, promittit tamen hoc gratuitò, & non per modum contractûs onerosi, & quamquam ipse hac sua promissione obligetur dare mutuò suum corpus, si ipsa ita velit, non tamen habet hæc ullam obligationem, ut istud velit; nam quamvis ipsa commutatio, uti & contractus propriè Sponsalitius, essentialiter mutua sit, non tamen promissio commutandi liberaliter, & gratuitò facta, quemadmodum, ut dictum est, promissio, & obligatio vendendi alteri domum pro pretio fieri potest absque eo, quòd alter repromittat, & obligetur emere domum, seu dare pretium pro domo, antequam domus venditur, aut traditur.

4. Igitur in casu nostro ad primum quæsitum, etsi Sarinus vi suæ promissionis obligatus sit Cæciliam ducere, non tamen ista vicissim obligatur Sarino nubere. Quanta verò sit ista obligatio ex parte promittentis, Authores non conveniunt. Pirh. *n.* 3. *de Sponsal.* Tannerus *to.* 4. *disp.* 8. *de Matr. dub.* 1. *n.* 4. Henriq. *L.* 11. *c.* 13. *n.* 2. & alij censent, ejusmodi solitariam promissionem, etiam acceptatam, non obligare graviter, sed solùm sub veniali, nisi grave damnum inde sequatur, aut cum solemnitate facta sit. Verum Palao *l. c. n.* 14. Sanch. *L.* 1. *disp.* 5. *n.* 20. Navarr. Vasq. &c probabilius judicant, talem promissionem accep-

acceptatam obligare sub gravi, quia vi dictæ promissionis conceditur promissario jus exigendi promissum; sed violare suam obligationem, & jus alterius in re gravi, qualis est Matrimonij, quod facit, qui suum promissum non servat, est grave peccatum: ergo graviter peccat, qui suum promissum non servat.

Rectè interim advertit Sanch. *cit. disp. 5. n.* 8. & Engl. *in Manuali Paroch. p. 3. c. 5. de Sponsal. Sect.* 2. ex tali promissione merè gratuita nullum oriri impedimentum publicæ honestatis, quod tamen oritur ex veris Sponsalibus; hinc mortuâ fœminâ, cui talem promissionem liberalem fecit Sarinus, poterit is sororem defunctæ Cæciliæ ducere, vel vicissim mortuo Sarino poterit à superstite fœmina in Matrimonium accipi frater Sarini.

5. Iterum bene observat Sanch. *l. c. n.* 15. quando dubium est, an ista promissio facta sit gratis, an verò per modum contractûs, standum esse in primis intentioni promittentis; si verò de ea non constet, attendendum esse ad circumstantias, ut ex ijs desumatur aliqua conjectura, nam si de Matrimonio inter eos contrahendo tractabatur, manifestum est, non esse promissionem gratuitam; si autem nullatenus de hoc sermo erat, sed ob aliquod Beneficium acceptum id promisit, ut se gratum exhiberet, censetur ex gratitudine, & benevolentia promisisse, & non per modum contractûs respectivi. Quando autem penitus dubium est, tunc judicandum est, eum promisisse juxta naturam Sponsalium, quæ sunt contractus mutuus, & respectivus, adeoque non promisisse, nisi dependenter à reciproca repromissione, nam in obscuris inspiciendum, & præsumendum est id, quod plerumque fieri solet; plerunque autem non solent homines alteri spondere Matrimonium, nisi sub hac conditione, quòd & altera pars se obliget ad idem Matrimonium: ergo hoc factum fuisse judicandum est in dubio, proinde altero non repromittente talis promittens ad nihil obligatur.

6. Ultima ista responsio deducit nos ad alteram quæstionem, an in contractu verè Sponsalitio, ubi quis nuptias in futurum promittit non ex gratitudine, aut liberaliter, sed animo ineundi verum contractum Sponsalitium, utrinque reciprocum, & mutuum, sufficiat alterius præcisa acceptatio sine alia repromissione?

Eum, qui acceptat promissionem Matrimonij, censeri eo ipso repromittere, docent Rebellus *p. 2. L. 4. de oblig. Justit. q.* 1. *n.* 7. Pontius *L.* 12. *c.* 4. *n.* 2. Præposit. *q.* 9. *de Sponsal. n.* 4. *ad fin.* Vasq. Paludanus &c. quia acceptans promissionem Matrimonij affirmat eo ipso, se vel-

le inire Matrimonium cum eo; hæc autem affirmatio est repromissio: ergo eo ipso, quòd promissionem acceptet, repromittit. 2. Promittens Matrimonium, illud promittit sub conditione repromissionis: ergo eo ipso, quòd alter acceptet promissionem sub conditione repromissionis sibi factam, repromittit, aut saltem repromittere censetur.

Verùm utraque ratio non obtinet intentum; negatur enim, quòd acceptans promissionem Matrimonij eo ipso affirmet promittenti, se velle inire Matrimonium cum eo, sed tantùm affirmat, se acceptare fidem, aut jus oblatum secum contrahendi Matrimonium; & quamvis acceptans etiam prius affirmaret, nempe se velle inire Matrimonium, non statim per hoc repromitteret, nam sunt ista duo valde diversa, promittere Matrimonium, & nuda affirmatione significare animum, quem habet ad contrahenda Sponsalia, ut bene observant Hurtadus, & Dicastillo.

Ad alterum argumentum iterum negatur *Anteced.* nec enim omnis promittens promittit sub conditione repromissionis, ut paulò antè vidimus in promissione gratuita. Deinde etsi promittens non promitteret, nisi sub conditione repromissionis, altera pars potest nihilominus acceptare promissionem sibi factam, quin necessariò debeat repromittere, nihil enim repromittens non purificat conditionem, atque ita promissionem sibi factam relinquit inefficacem, & conditionatam, facitque, ut non transeat in absolutam, atque adeò nullum effectum habeat.

7. Dico igitur cum Sanch. *L.* 1. *disp.* 5 *n.* 5. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 2. *n.* 9. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 2. Coninck *disp.* 21. *dub.* 2. *n.* 9. Gobat *tr.* 10. *cas.* 1. *de Sponsal. n.* 129. Becano *q.* 3. *cit. n.* 5. Hurtado, Dicastillo, Pirhing, & alijs, Sponsalia necessariò debere esse mutuam promissionem, idque colligitur ex ipsa definitione Sponsalium, nam L. 1. ff. de Sponsal. dicuntur Sponsalia: *mentio, & repromissio futurarum nuptiarum*, quod dicit reciprocam obligationem: si ergo promittas puellæ Matrimonium animo contrahendi Sponsalia, ipsa verò non repromittat, neque ipsa, neque tu ullam contrahis obligationem. Probatur inprimis, quòd puella non obligetur; imò est hoc per se manifestum, quia noluit ipsa se obligare, *actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum.* Argum. c. ult. De Præbend. Quòd tu non obligeris, iterum clarum est, quia noluisti aliter obligari, quàm obligatione Sponsalitiâ, quæ est mutua, & reciproca, nam verba contrahentium accipienda sunt secundùm naturam contractûs *L. ex conducto §. Papinianus ff. Locati.* Ergo neutra pars obligatur,

tur, ideoque in casu nostro, quia Mathildis duntaxat acceptavit, non autem repromisit, nec ipsa, nec Basilius ad nuptias obligatur, neque etiam ex hac promissione oritur impedimentum publicæ honestatis, quia Sponsalia non sunt.

CASUS SECUNDUS

An taciturnitas in Sponsalibus sit sufficiens acceptatio, & consensus?

Fabianus, & Ramirus Sponsalia contrahunt, ille loco filij sui Sanctij, hic pro Elvira pupilla, cujus tutorem agit. Utraque proles præsens est, dum ista fiunt, videtque omnia, & audit, neque reclamat, sed tacet.

Q. An valeant ista Sponsalia, Patre, & Tutore spondente?

SYNOPSIS.

1. *An, & quando taciturnitas in Sponsalibus sit signum interioris consensus? Enumerantur aliquot casus, præsertim quando Parentes contrahunt loco liberorum.*
2. *Non tantùm Pater, sed & Mater potest contrahere Sponsalia nomine Filij, aut Filiæ, imò etiam pro liberis emancipatis, item pro illegitimis, & spurijs, sive præsentes sint, sive absentes.*
3. *Debet tamen absentibus, vel ignorantibus significari, quid gestum sit; ad quod si taceant, censentur acta ratificare, quemadmodum*

præsentes, quando Parentes loco ipsorum contrahunt, censentur consentire, si taceant, & non contradicant.

4. *Dicenti, se tacuisse ex metu reverentiali, quin vellet consentire, in foro interno quidem creditur, non tamen in externo, sed debet dissensum probare.*

5. *Prædictam doctrinam aliqui extendunt eò usque, ut tacens censeatur consentire, quoties quiscunque alius pro ipso contrahit; sed tenendum est contrarium, etiamsi frater esset, vel consanguineus.*

6. *Nihilominus juxta multos Authores locum habet ista doctrina quoad Tutores, & Curatores.*

7. *Sed verius est oppositum: unde deciditur, in casu præsente nulla fuisse, & irrita Sponsalia.*

1. SUppono, utramque prolem pubertatem egressam, ut ex hac parte impedimentum, vel remora nulla sit; atque ita tota quæstio præsentis casûs in hoc sita est, an taciturnitas utriúsque sufficiens signum sit interioris consensûs, qui ad contractum Sponsalium requiritur? qua in re aliqua priùs tanquam certa sunt prænotanda. 1. Certum est, sufficere taciturnitatem, quando aliqui pro alijs tacentibus ex horum mandato Sponsalia contrahunt, sic enim etiam ab absentibus contrahi possunt Sponsalia per procuratorem, ut praxis habet, per litteras &c. ergo à fortiori possunt alij contrahere Sponsalia ex mandato præsentium, & tacentium ad contractum, qui eorum nomine ab alio fit. 2. Certum est, taciturnitatem præcisè non esse signum sufficiens interioris consensûs; non enim puella statim censenda est consentire in repromissionem Matrimonij ex eo, quòd tu illi Matrimonium promittas, ipsa verò taceat: nam, esto, aliqui istud evincere velint ex Reg. Jur. 43. in 6. *qui tacet, consentire videtur*, parùm hoc probat, namque oppono aliam Juris Regulam statim subsequentem: *is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, hoc est, qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur: ut ergo prior regula aliquid probet, intelligenda est solùm in ijs, quæ tacenti utilia sunt, tunc enim is tacendo censetur consentire, non verò in ijs, quæ ipsi

ipsi possunt esse præjudicabilia, ut explicat Menoch. *de præsumpt. L. 3. præsumpt. 42. n. 4.* Covarruv. *pract. quæst. c. 15. n. 5.* alijque passim: cùm igitur repromissio, & consensus traditionis sui corporis non sit in sui favorem, sed in favorem alterius, non censetur consentire, qui tacet, nisi fortè alicubi hoc introductum sit ex consuetudine, vel lege, ut taciturnitas accipiatur pro expressione consensûs, uti moris est in Indijs teste Sanch. *L. 1. disp. 23. n. 14*, ubi populi in tanta sunt servitute, atque adeò timidi, ut nec pedem moveant absque Gubernatoris consensu, qui proinde loco ipsorum, dum Matrimonium ineunt, spondere solet, quin ipsi aliquid proferant, sed si præsentes sunt, & tacent, censentur ex consuetudine patriæ consentire. 3. Certum est, quando Parentes contrahunt pro liberis præsentibus, istique non contradicunt, ipsorum taciturnitatem esse sufficiens signum consensûs. Ita expressè deciditur à Bonifacio VIII. in c. Unic. de Desponf. impub. §. ult. in 6. *porrò ex Sponsalibus, quæ parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus plerúnque contrahunt, ipsi filij, si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Et est idem, si filij tempore Sponsalium absentes, & etiam ignorantes, eadem Sponsalia pòst scientes ratificaverunt tacitè, vel expressè.* Ratio verò est, quia, cùm Parentes valdè diligant suos liberos, præsumuntur illis rectè consulere, eaque procurare, quæ in bonum illorum cedant, ijsque utilia futura sunt; ex alio verò capite filij tenentur illis debitam præstare reverentiam, adeoque, ne videantur dicta eorum contemnere, debent vel consentire, vel dissentire; hinc eo ipso, quòd non contradicant, cùm tamen facilè possent, censentur consentire, proinde taciturnitas filiorum habetur pro consensu.

2. Cæterùm circa prædictum textum Juris Canonici aliqua notanda veniunt. 1. Non tantùm Patrem, sed & Matrem posse hoc modo nomine filij, vel filiæ Sponsalia contrahere, neque enim ipsa minùs, quàm Pater diligit filium, illique censetur velle bene consulere, ejusque bonum procurare, sed imò solent Matres ardentiùs amare, ipseque textus loquitur in numero plurali sine discrimine de parentibus, quod si de solo patre intelligendum, materque excludenda esset, fuisset usus nomine singulari. 2. Intelligitur etiam de filijs emancipatis, qui non ampliùs sunt sub patria potestate, quia jus iterum indistinctè loquitur *pro filijs puberibus, vel impuberibus*, nec excipit emancipatos, & in ista decisione non attendit potestatem patriam, sed naturalem amorem, quem solent habere parentes erga liberos. 3. Intelliguntur etiam filij illegitimi, & naturales, imò & spurij, ac nati ex damnato coitu, qui omnes, si patre,

vel

vel matre pro ipsis spondentibus taceant, Sponsalibus obligantur, quia hic consideratur duntaxat reverentia debita naturæ, proprijsque parentibus, licèt aliàs vi juris Civilis spurij neque filij nominari debeant: *Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.* 4. denique sat clarè ostendunt ultima verba allati textûs Canonici, hoc etiam intelligendum esse, quando Parentes spondent pro filijs absentibus, vel ignorantibus.

3. Igitur absentes quoque, & ignorantes, quando pro ijs Sponsalia contraxère Parentes, censentur consentire, si postmodum certiores facti, non contradicant, quippe dicit textus: *& idem est*, adeóque eodem modo discurrendum, sicut de ijs, qui sunt præsentes, & tacent; unde miror, plus aliquid hic exigere, novúmque signum sui consensûs Patrem Sanchez, & Pirhing. Cæterùm, ut ista taciturnitas, seu non contradictio consensum exprimat, debet filius à Parentibus per se, vel per nuntium, aut epistolam de contractu ab ipsis facto moneri, quia non satis est, quòd ista casu intelligat ex alijs, aut resciat per aliquem, ad quem non pertinet rem gestam ad se deferre, nam huic neque credere tenetur, nec respondere; ergo si taceat, silentium istud nullum consensum indicat: quando autem monetur à Parentibus, reverentia illis debita postulat, ut respondeat, vel reclamando, si contractus displicet, vel annuendo, aut saltem tacendo, si placet; quod si fiat coram Parte, erunt statim Sponsalia; si autem altera Pars absens est, debet hic ipse consensus filij eidem indicari per nuntium, vel per epistolam, ut possit acceptare, & repromittere, quia quamdiù istud non fit, nondum sunt Sponsalia, ut docent Palao *disp.* 1. *pu.* 4. *n.* 15. & Coninck *disp.* 21. *dub.* 3. *n.* 39.

4. Opponi potest dictis, taciturnitatem filij, pro quo Sponsalia contrahit Pater, posse provenire ex alia causa, quàm ex interiore consensu in istas nuptias, quia potest tacere ex metu reverentiali erga Patrem, quin tamen habeat animum consentiendi: ergo ex taciturnitate non potest, nec debet argui consensus liberorum.

Resp. hoc quidem verum esse; sed tamen hoc non probat, quòd taciturnitas minùs indicet internum consensum, quàm si filius illum significaret per expressa verba, nam hæc quoque proferre potest ex metu reverentiali; sive ergo proferat verba; sive non proferat, sed sileat ex metu reverentiali, dum ista fiunt à Patre, quæro, vel consentit interiùs, vel non? Si primum; valida sunt Sponsalia, quia istum consensum sufficienter indicat tacendo, ut dictum est. Si secundum: eo ipso Sponsalia nulla sunt, quia nullus adest consensus. Unde bene advertit Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 13. si dicat v. g. puella in confessionali, nullum

nullum sibi fuisse animum consentiendi, sed tacuisse ideo, quòd ob reverentiam ausa non fuerit contradicere, credendum ipsi esse, quia in hoc foro creditur dicenti tam contra se, quàm pro se; at verò in foro externo tali non credetur, sed debebit ulteriùs vel veris probationibus, vel saltem conjecturis ostendere, se liberum consensum non præstitisse, aliàs cogetur contrahere Matrimonium, justæque judicis Sententiæ obtemperare debebit: in quo tamen magna cautione opus est, ne ex Matrimonio coacto, & in quod contrahendum Puella consensu expresso non consensit, exitus infelices sequantur. Manet igitur indubitatum, silentium liberorum præsentium, quando pro ijs Sponsalia Parentes contrahunt, indicare consensum, sufficereque hanc taciturnitatem ad Sponsalia, ut hactenus probatum est, & communis Sententia AA. docet, pauculis exceptis apud Sanch. *L. 1. disp. 23. n. 2.*

5. Quod dictum de Parentibus pro filio præsente, & non contradicente spondentibus, quidam extendunt ad quamcunque aliam personam, sive extraneam, sive cognatam, adeoque si frater, vel consanguineus spondeat pro sorore, vel consanguinea præsente, & non contradicente, vel etiam si quivis alius tertius pro quolibet præsente, & tacente spondeat, isque non contradicat, erunt vera Sponsalia. Ita docent Petrus Ledesma *q. 45. de Matr. art. 2. dub. 3.* Basil. Pontius *L. 2. c. 14. n. 8.* Henriq. *L. 11. c. 2. n. 6.* Sotus &c. Probant. 1. quia contractus Matrimonij, aut Sponsalium est res expetibilis, & favorabilis; in causa autem favorabili tacens consentire videtur, ut antè dictum est: ergo &c. 2. *c. 1. De Matr. contract. contra interdict. Eccles.* judicantur valida Sponsalia, quæ frater pro sorore præsente, & tacente contraxerat.

Verùm ista Sententia à potiori non admittitur; nam, esto, Sponsalia, vel Matrimonium sit res favorabilis, & expetibilis, non tamen appetibilia sunt Sponsalia cum certa aliqua persona, viro vel fœmina, sed sæpè sunt nociva: ergo ex taciturnitate non præsumitur consentire, præsertim quia, sive frater sit, sive cognatus, sive extraneus, jus nullum habet in eum, vel eam, pro quo, vel pro qua spondet, neque illius est superior: ergo non tenetur alter reclamare, atque ideo tacendo non magis indicant consensum, quàm dissensum. Imò etiamsi v. g. Soror, quæ fratre pro ea promittente tacet, revera internè consentiat, etiam sic non obligabitur, nec erunt vera Sponsalia, antequam hunc suum consensum per signum externum expresserit. Ratio est, quia promissio non acceptata non obligat: sed talis promissio merè interna acceptata non est, nec acceptari ab altera parte potuit, quia per nullum signum exter-

num

num fuit ipsi intimata, & pro tali signo, quo indicetur internus consensus, in hoc casu non habetur taciturnitas, cùm ad loquendum, & reclamandum non obligetur: ergo non obligat etiam iste consensus internus. Engl *in Man. Paroch. p. 3. c. 5. §. 3. n. 5.*

Ad *cit. c.* 1. De *Matr. contract. contra interdict. Eccles.* Respondeo, ex eo prorsus nihil probari, nec enim illa fœmina ad sponsionem fratris pro se factam præcisè tacuit, sed verè consensit, & quidem expresè, ut dicit *Glossa V. præsente*, pluraque alia signa exhibuit, quæ ejus consensum clarè manifestarent, nam, ut in contextu capituli legitur, spontè acceptavit munera Viri secundùm morem patriæ, ipsum tamquam proprium Sponsum sæpè est amplexata &c.

6. Quamquam verò Sententia ista ferè passim reijciatur, complures tamen, gravesque Authores docent, taciturnitatem significare consensum, proque eo accipi, quando Tutores, vel Curatores, alijve, qui curam Pupillorum, vel minorum gerunt, eorum loco Sponsalia contrahunt. Ita Coninck *disp.* 21. *dub.* 3. *n.* 37. Laym. *l. c.* Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu.* 1. *n.* 12. Perez *disp.* 4. *de Matr. Sect.* 6. *n.* 10. Rebellus *p.* 2. *de oblig. Iust. L.* 2. *q.* 10. *Sect.* 1. *n.* 8. Præposit. &c. Ratio est, quia cùm his omnibus singulariter incumbat procurare, ac dirigere res omnes suorum pupillorum, vel minorum, qui ipsorum curæ commissi sunt, censentur ea omnia, quæ pro his agunt, agere eorum nomine: ergo quando Sponsalia contrahunt eorum nomine ijs præsentibus, atque scientibus, hoc ipso, quòd isti non contradicant, cùm facilè possent, censentur consentire, cùm ad alterutrum teneantur, ut nempe vel reclament, si facta displicent, vel ea acceptent, & in illa consentiant, ne videantur tacendo Superiorum suorum acta contemnere. 2. Eadem ratio militat pro Tutoribus, & Curatoribus, quæ militat pro Parentibus, nam & isti tenentur ex Officio suorum Pupillorum, & minorum bona procurare, res eorum dirigere, ijs bene consulere, eorumque utilitati studere &c.

Cùm igitur in casu nostro Fabianus spoponderit pro Sanctio suo filio ex una parte, ex altera verò Ramirus Tutor pro Elvira sua Pupilla, vel potiùs minore, & tam ista, quàm ille tacuerit, censentur in contractum hunc consensisse, eruntque valida Sponsalia juxta istos Authores, & juxta hanc Sententiam, quæ & à ratione, & ab authoritate est valde probabilis.

Nihilominus dicendum mihi videtur, invalida esse ista Sponsalia, quia, etsi taciturnitas filij sufficiat respectu Patris, vel Matris contrahentis: non tamen sufficit taciturnitas pupilli, vel minoris respectu Tutoris, vel Curatoris spondentis. Quod probo. Quòd taciturnitas liberorum non contradicentium, quando pro ijs Sponsalia contrahunt

Parentes,

Parentes, significet eorum consensum, habetur à solo jure positivo vi *c. Vnic. supra cit. De Despons. impub. in 6.* namque spectando jus naturale, contractus Sponsalitius est ita personalis, ut eo etiam à Parentibus filiorum nomine inito, sed sine specialij istorum mandato, nullo modo liberi eo obligarentur: ergo quando frater, tutor, curator, aut alius, qui curam habet, Sponsalia contrahit pro sorore, cognata, pupilla, minore &c. eaque taceat, nullo modo præsumitur consentire, quia Jus positivum de solis Parentibus loquitur, non autem de tutoribus, curatoribus, alijsque similibus; quod autem dispositum est Jure positivo de uno, non debet censeri esse dispositum de altero, maximè quando non adest utrobique eadem ratio, uti profectò non adest ratio eadem in Parentibus, & in Tutoribus, alijsque similibus, quia plerumque multò ardentior amor est Parentum, studiumque magis solicitum liberis suis bene providendi, quàm sit in fratribus, tutoribus, curatoribus &c. qui nimis frequenter, ut experientia docet, quærunt proprium commodum primariò, & principaliter, sive, ut loqui solemus, proprium interesse, ipsique etiam filij longè majorem reverentiam & honorem tenentur exhibere Parentibus, à quibus vitam accepere, quàm tutoribus, aut fratribus: ergo, nisi reclament, meritò præsumit Jus, eos consentire, quoties pro ijs spondent parentes, cùm tamen simile nihil decidat de tutoribus &c. nam quod expressè in jure sancitum non reperitur, non est superstitiosis inventionibus præsumendum. *L. si verò. §. de Viro. ff. soluto Matrimonio.* Ita Palao *disp.* 1. *pu.* 4. *n.* 17. *& seqq.* Wiestner *n.* 43. *de Sponsal.* Engl *l. c.* Pirh. *de Despons. impub. n.* 16. P. Jac. Wex *p.* 5. *tract.* 2. *de Sponsal.* §. 3. *n.* 26. Diana *p.* 10. *tr.* 13. *resol.* 21. Sanch. *L.* 1. *disp.* 23. *n.* 7. Cùm ergo in casu præsente Elviræ taciturnitas non sit consensus, consequenter nec acceptatio, nec repromissio ex parte ipsius detur, & interim Sponsalia claudicare nequeant, dicendum, neque ex hac, neque ex altera parte hîc obligationem oriri.

QUÆSTIO QUARTA.

Qualis libertas requiratur in promissione Sponsalitia? quæ est quarta conditio.

CASUS.

An appositio pœna in Sponsalibus tollat libertatem?

Lucretia expetita in Sponsam à Licostene, cùm sciret, hunc juvenem mobilis esse, & inconstantis genij, aliter non vult contrahere, nisi sub hac conditione, ut resiliens à Sponsalibus teneatur alteri parti mille imperiales solvere.

Q. An hæc apposita pœna invalidet Sponsalia, & quænam alia officiant eorum libertati?

SYNOPSIS.

1. *Sponsalia exigunt perfectam libertatem, cui plura adversantur.*
2. *An Sponsalia injusto metu extorta sint ipso jure irrita? Duplex est Sententia. Prima negat esse irrita, idque probabiliter.*
3. *Secunda probabiliùs affirmat, esse nulla, etsi juramento firmata sint.*

4. Im-

4. *Impugnatur hoc paritate ex usura desumpta.*
5. *Solvitur allata objectio, & ostenditur disparitas.*
6. *An adjectio pœnæ obsit libertati Sponsalium?*
7. *Proponitur Sententia affirmativa, non solùm quando apponitur ab ipsis Sponsis, sed etiam ab eorum consanguineis, Dominis &c.*
8. *Est hæc Sententia communis, & omnino tenenda.*
9. *Patitur tamen limitationem, ut pœnam apponere tantummodo liceat injustè resilienti.*
10. *Exponuntur aliquæ Leges circa hanc materiam.*
11. *Iurans pœnam solvere, si injustè resiliat, tenetur ad hoc ex justitia, & religione; jurans verò eandem solvere, etiam quando justè recederet, ad nullam solutionem obligatur.*

1. IPsum nomen Sponsalium indicat, magnam in ijs requiri animi libertatem; *Sponsalia* enim à *spondendo* dicta sunt, id est à *sponte promittendo*, consensum igitur requirunt non qualemcunque, sed verè spontaneum, huncque in ipsis exigunt tum ipsa Sponsalium natura, tum Juris dispositio, cùm sint via, ac præparatio ad Matrimonium; ergo quemadmodum in Matrimonio, ne exitus infelices sequantur, jura omnia magnopere attendunt, ne quid illius libertati adversetur, ita censendum est, quòd in Sponsalibus quoque illorum libertatem plurimum defendant.

Porrò plura sunt, quæ nocere possunt libertati Sponsalium, nempe 1. Si interveniat error. 2. Dolus, seu deceptio. 3. Gravis metus injustè incussus. Et denique 4. adjectio pœnæ, quæ solvi debeat ab eo, qui resilierit à Sponsalibus. De hoc ultimo procedit casus propositus, reliqua commodiùs tractabuntur in secunda parte de ipso Matrimonio.

2. Cùm verò adjectio pœnæ metum aliquem causet in altera parte, ne pœnam solvere debeat, non abs re erit, hoc statim loco examinare, quid metus efficiat in Sponsalibus, an scilicet idem præstet in ipsis quoque, quod efficere solet in Matrimonio, ita ut, quemadmodum Matrimonium gravi, & injusto metu extortum ipso jure irritum, & nullum est, ita Sponsalia quoque ex simili metu inita ipso jure nulla sint?

Pro

Pro utraque Parte, tam affirmativa, quàm negativa, graves Authores decertant. Valida esse secundùm se Sponsalia ex metu inita, docent Coninck *disp.* 28. *n.* 7. Less. *L.* 2. *c.* 17. *n.* 37. Henriq. *L.* 11. *c* 9. *n.* 6. Petrus Ledesma, Hurtad. Dicastill. & alij; rescindi tamen possunt etiam juxta hos Authores vel per Sententiam Judicis, vel etiam sine hac ab ipsa Parte, quæ metum passa est, propria authoritate per exceptionem metûs, unde vi hujus Sententiæ diverso modo est discurrendum de Matrimonio, & de Sponsalibus, nam Matrimonium aliunde validum ex natura sua est indissolubile, Sponsalia verò cæteroquin valida facilè dissolvi possunt; ergo mirum non est, quòd Jus Canonicum majorem exigat libertatem in ipso Matrimonio, quàm in Sponsalibus, velitque, illud ipso facto irritum, & nullum esse, quando ex metu contrahitur; quod de Sponsalibus quoque statutum esse in Jure non reperitur, nam textus *c. Ex litteris. De Desponf. impub.* hoc non ostendit, ex quo tamen eandem nullitatem in Sponsalibus aliqui probare volunt, quippe Sponsalia, de quibus ibi sermo est, non fuerunt præcisè ex metu inita, atque ita solùm involuntaria *secundùm quid*, sed omni prorsùs consensu destituta, ut colligitur ex vocibus *nolens*, & *invita*, item *de voluntate Parentum potiùs. quàm de sua*: ex jure igi ur non probatur, quia hic textus non facit ad rem, alius verò non ostenditur, qui Sponsalia ex metu inita pro irritis habeat.

Confirmatur. Quamvis Concilium Tridentinum irritaverit Matrimonia clandestina, non ideo censetur irritasse etiam Sponsalia clandestina, quia id ex nullo textu ostenditur, estque admodùm diversa ratio: cùm ergo nullus textus exhiberi queat, quo clarè, & specialiter Sponsalia ex metu inita irritentur, sitque omnino diversa ratio in Matrimonio, & in Sponsalibus, quæque de uno statuuntur, non censeantur disponi etiam de altero, quod est affine, & connexum, quando in utrisque diversa est ratio, dicendum est, quamquam rescindi queant ejusmodi Sponsalia, ex natura tamen sua valida esse, & consequenter ex ijs orietur impedimentum publicæ honestatis.

3. Alteram Sententiam defendunt Sanch, *L.* 4. *disp.* 19. *n.* 3. Bonac. *q.* 3. *pu.* 8. *n.* 31. Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 3. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 2. *n.* 6. Emanuel Rodriquez *in Summa p.* 1. *c.* 230. *conclus.* 4. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 118. Illsung *tr.* 6. *disp.* 9. *q.* 1. *a.* 1. *n.* 5. Sporer *Theol. Sacramental. p.* 4. *c.* 1. *n.* 190. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 278. Tambur. &c. cum quibus dicendum mihi videtur, etsi Sententia præcedens perquam probabilis sit, probabilius tamen esse, quòd Sponsalia injusto metu extorta non minùs, quàm Matrimonium, ipso jure sint irrita.

Conantur hoc aliqui probare ex *c.*

Ex

Ex litteris. De Desponſ. impub. Nam ibi puellæ puberi, quæ metu minarum Parentis nupserat impuberi, datur facultas accipiendi alium maritum, quia Sponsalia invalida fuerunt ex metu. Verùm ex hoc capitulo planè nihil ostenditur, quia puella, ut supra dictum est, in eo casu fuit omnino invita, & penitus nolens à Parentibus desponsata, quin ullo modo ipsa consenserit in istam desponsationem, ut manifestum est ex Glossa *V. desponsata.* Unde dicendum potiùs cum Laym. Palao, & Rodriq. quamvis Sponsalia ob gravem metum celebrata per se, & directè non reperiantur in jure Ecclesiastico cassata, cassari tamen, & annullari indirectè, & per consequentiam, eo ipso, quòd Matrimonium tali metu celebratum ipso jure irritum pronuncietur: Siquidem fieri non potest, ut aliquis promissione sua obligetur ad actum, seu contractum invalidum: Matrimonium autem invalidè contrahitur à persona gravi metu compulsa: ergo Sponsalia, sive promissio Matrimonij talem personam non obligat, quod verum est, etiamsi accesserit juramentum in dictis Sponsalibus, nam Juramentum sequitur naturam actûs, cui adijcitur: ergo quando iste est irritus, Juramentum quoque nullam obligationem inducit.

4. Dices. Esto, contractus Sponsalitius accessione Juramenti non efficiatur in se validus, neque per illud confirmetur, quia per Juramentum non acquirit id, quod in eo substantialiter requiritur, ut nempe sit contractus libero, & spontaneo consensu initus, ac promissio actûs, seu Matrimonij validi, ipsum tamen Juramentum validum est, & obligat, sicut évenit in usura: nam jurans solvere usuras, quamvis id Juramentum non confirmet contractum, utpote in Jure prohibitum, tenetur tamen hoc Juramentum servare vi *c. Debitores, De Jurejur.* quia id observando, & solvendo non peccat; ergo etiam obligabit Juramentum contractui Sponsalitio adjectum, donec relaxetur. Ita sentit cum alijs Rodriq. supra cit. Nam etsi dicat, Sponsalia metu extorta etiam cum Juramento esse irrita, nihilominus addit: *verum est tamen, quòd propter reverentiam nominis Dei debet peti relaxatio Iuramenti.*

5. Verùm respondeo, tale Juramentum non obligare, nec indigere ulla relaxatione. Probatur, & colligitur *ex c. Cùm contingat. De Iurejur.* Ubi juramentum habetur pro irrito, nullamque obligationem inducente, quando cedit in præjudicium tertij: ergo à fortiori nullum est juramentum, nec obligationem inducit, aut relaxatione indiget, quando cedit in præjudicium boni communis: atqui juramentum tale cedit in præjudicium boni communis, si obliget ad Matrimonium metu extortum, quod obest publicæ utilitati: ergo obligatorium non est, & idcirco relaxatione non indiget. Est nempe communis ista regu-

regula, quam præter alios etiam tradit Lessius *L. 2. c. 17. dub. 7.* quòd quando contractus aliquis ob publicam utilitatem prohibetur, etiamsi stabiliatur juramento, hoc juramentum obligationem non inducat, nec relaxatione indigeat, ut patet in juramento Clerici, quo renuncians suo foro promittit, se compariturum coram Judice sæculari, quod juramentum nullum esse definitur *in c. si diligenti. De Foro compet.* Sed ita in Jure prohibentur, saltem indirectè, Sponsalia, & directè Matrimonia ob publicam utilitatem, quia ex Matrimonijs coactis, quorum initia sunt Sponsalia, seditiones oriri solent inter conjuges, lites, jurgia, odia, pugnæ &c. quibus respublica turbatur: ergo juramentum illis accedens minimè obligat.

Unde paritas allata de solutione usuræ non facit ad rem, quia contractus usurarius prohibetur principaliter ob bonum privatum, nec enim interest reipublicæ, sive hic civis, sive ille pecuniam per usuram comparet; at Sponsalia coacta, & metu extorta ob publicam utilitatem interdicuntur: manet ergo indubitatum, tale juramentum non obligare, multò minùs confirmare Sponsalia, sed & hæc, & illud nulla sunt, quapropter ex Sponsalibus injusto metu extortis etiam nullum oritur impedimentum publicæ honestatis, quod tamen oriretur, si ejusmodi Sponsalia ipso jure aliquando valida essent, quamvis forent rescindenda, Sanch. *L. 4. disp. 19. n. 1.*

6. Nunc ut progediamur ad potissimam difficultatem casus nostri, an scilicet adjectio pœnæ eripiat, vel debilitet libertatem in contractu Sponsalitio requisitam?

Affirmativa Sententia desumitur ex Jure, quod non ex alio motivo prohibet, ne Sponsalitio contractui pœna apponatur, quàm quia per hoc libertas ad Matrimonium requisita imminuitur; unde communior Sententia est, nullam, & irritam esse ejusmodi pœnæ adjectionem, etiam modicæ, nec obligari ad quidquam, qui à Sponsalibus resilierit, fidemque non servaverit, sive aliquam resiliendi causam habuerit, sive nullam.

Habetur expressè in *c. Gemma. De Sponsal.* ubi dicitur, talis pœnæ stipulationem in Sponsalibus appositam, meritò reprobandam esse, cùm libera debeant esse Matrimonia: irrita igitur est, & annullata à Jure ejusmodi appositio pœnæ, & consequenter solvenda non est ab eo, qui fidem frangit, atque hoc ideo, ut consulatur libertati Matrimonij, illudque non ineatur coactè ex timore solvendæ pœnæ.

7. Irrita porrò, & nulla est hæc pœnæ appositio non solùm, quando adjecta est contractui Sponsalium ab ipsis sponsis, verùm etiam quando apponitur ab eorum consanguineis, & propinquis, tutoribus &c. quia horum damnum censetur esse damnum Sponsorum, quia moventur ad contrahendum, ne consanguinei pœnam solvere debeant. Idem est, si eam

si eam apponant Domini temporales, quibus Sponsi subjecti sunt, vel alij, à quibus Sponsi molestias, & damnum pati possunt, nisi Matrimonium contrahant, semper enim periculum est, ne istud contrahatur præcisè ex timore pœnæ, & detrimenti. Secus est, si inter extraneos pœna apposita esset, idque proprio nomine, nam ad hos Sponsi non attendunt, nec eapropter inducuntur ad Matrimonium.

Probatur ulteriùs ex L. Titia. 134. ff. De V. O. ubi dicitur: *inhonestum visum est vinculo pœnæ Matrimonia obstringi, sive futura, sive contracta.* & L. Mulier. §. extra definitionem C. De Sponsal ubi sic habetur: *Si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraq; parte nullas vires habebit, cùm in contrahendis nuptijs libera potestas esse debeat:* patet ergo, pœnam Sponsalibus adjectam tollere libertatem ad hunc contractum requisitam, atque ideo nullam, & irritam esse in utroque jure, proinde fidem violantem in utroque jure non teneri pœnam solvere.

8. Sententiam hanc tenet ferè communior Theologorum, & Canonistarum: nominatim ex istis Emanuel Gonzalez, Wagnereck, Henric. Canisius *in c. Gemma. De Sponsal.* Pirh. *n. 23. De Sponsal.* Zoësius, Fermosinus &c. Ex Theologis Sanch. *L. 1. disp.* 30. Hurtad. *disp.* 1. *diffic.* 18. Dicastillo *disp.* 1. *de Matr. dub.* 26. Becanus *de Sacram. in specie c.* 33. *q.* 16. Bonac. Rebellus, Præpos. Filliuc. Naldus, Tambur. & alij ab his citati.

Cum his dicendum est. 1. Non posse apponi pœnam Sponsalibus solvendam ab eo, qui ex justa causa resilit à contractu, ut manifestè probant suprà allati textus, & in hoc conveniunt omnes, tamquam in re certa, & indubitata, adeoque qui non servat promissum de futuris nuptijs, non tenetur ad solutionem pœnæ, nullúmque, & irritum est pactum de pœna solvenda pro eventu, quo quis justè resiliret, & ex legitima causa.

9. Dicendum tamen 2. non pariter irritum, & nullum esse pactum, quo pœna adijcitur injustè resilienti, unde potest apponi pœna illi, qui sine legitima causa injustè à Sponsalibus recedit. Ita ex Canonistis Wiestner *n 78. & seqq. de Sponsal.* Engl *in Manuali Paroch. p. 3. c. 5. §. 1 Sect. 2. n. 7.* Barbosa *in cit. c. Gemma. n.* 10. Ex Theologis verò Laym *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8.* Coninck *Disp.* 22. *dub.* 5. *n.* 29. Perez *Disp* 7 *de Matr. Sect.* 1. Sporer *p. 4. Theol. Sacramental. c.* 1. *§. 3 n.* 162. Palao *Disp.* 1. *de Sponsal. pu. 9. n.* 3. Gobat *tr.* 10. *cas.* 4. *de Sponsal. n.* 170. *& seqq.* Pontius *c* 19. *n.* 8. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 211.

Ratio conclusionis est, quia nullo jure prohibetur, quo minùs possit Sponsalibus ejusmodi pœna apponi, quam solvere is debeat, qui sine legitima causa injustè resilit. Probatur:

non jure naturali, quia hoc utique non prohibet, ut alter adstringatur servare sua promissa, cùm præsertim hæc appositio pœnæ libertatem neque eripiat, neque imminuat, quia eo ipso, quòd promisit contrahere Matrimonium, tenetur illud contrahere, nec ampliùs liber est ad illud vel contrahendum, vel non contrahendum: atqui ubi libertas nulla est, ibi ea vel eripi, vel imminui nequit: ergo adjectio talis pœnæ libertatem non eripit, vel imminuit, sed solùm adstringit ad actum honestum ex justitia debitum, ad quem se liberè obligavit Sponsalia celebrans: ergo juri naturæ non adversatur appositio talis pœnæ solvendæ ab eo, qui sine legitima causa injustè resilit.

Sed neque adversatur juri Divino, cùm textus nullus ostendi possit in sacris Litteris, qui prohibeat tali casu pœnam apponere.

Nec denique est contra jus humanum positivum, quia textus allati ex Jure Canonico, & Civili solùm prohibent, ne pœna adijciatur, quam solvere teneatur is, qui à Sponsalibus recedit, quando hoc ipsi jura permittunt; foret enim id planè iniquum, si pœnæ subijceretur is, qui agit, quod sibi per jus ipsum agere concessum est, v. g. qui post contracta Sponsalia vult Religionem ingredi: in similibus casibus adjecta pœna à jure annullatur, non autem habetur irrita adjectio pœnæ, dum quis illicitè, ac proinde cum injuria alterius à Sponsalibus resilit, aut dum ea apponitur, ne injustè resiliat.

10. Hoc ne in vanum dici videatur, examinemus textus Juris supra allegatos. In primis ex *c. Gemma* clarissimum est, in partem oppositam nihil probari; siquidem ibi sermo est de pœna apposita Sponsalibus puellæ septennio minoris, quæ proinde invalida sunt; vel certè de talibus, quæ facta sunt ab impubere, & à quibus puella pubes facta ex Juris permissione poterat licitè resilire: hujus igitur libertatem noluit Pontifex coarctari per pœnæ adjectionem, sed eam annullavit, neutiquam irritaturus, si injustè recessisset.

Leges citatæ n. 7. pariter nihil probant, quia ibi sermo est de Sponsalibus contractis à Parentibus nomine liberorum non solùm impuberum, sed etiam ignorantium, quæ proinde irrita sunt, & ad ea servanda liberi obligari non debent per pœnam appositam, nam possunt ex juris concessione contractum illum à Parentibus factum repudiare. Præterea antiquo Jure Romanorum, ut observat Palao, & Basilius Pontius, tum in Sponsalibus, tum in Matrimonio legitimè contracto, imò & consummato, licebat divertere, modò resiliens, vel divertens pœnam legibus statutam, nempe arrharum, dotis, aut donationis propter nuptias amissionem subiret, ut

ut patet ex *L. 1. C. De Sponsal.* alijsque pluribus, quæ resiliendi, & divertendi Legibus concessa libertas, ut non impediretur, allegatis Legibus cautum est, ne alijs pœnis Sponsalia, vel Matrimonia constringerentur; in lege Christiana sicut Matrimonium est insolubile, ita Sponsalia pariunt obligationem Matrimonij ineundi, à qua cum neuter ex contrahentibus invito altero absque justa causa sine peccato possit recedere, utiliter cavetur adjectâ pœnâ conventionali, ne pars alterutra temerè, & cum alterius injuria recedat, idque non prohibetur ulla lege vel civili, vel Ecclesiastica: ergo justè, & licitè apponitur pœna Sponsalibus, ne quis injustè resiliat, cùm præsertim non rarò etiam excommunicatio major intentetur, & apponatur injustè resilienti, quæ utique pœna gravissima est, cur igitur nequeat alia pœna apponi?

11. Ex quo deduces cum P. Wiestner, Perez, alijsque citatis, qui juramento firmavit, se pœnam alteri soluturum, casu quo à Sponsalibus injustè resiliret, ex duplici titulo teneri eam solvere, nempe fidelitatis, & justitiæ, deinde etiam titulo Religionis, quia juramentum est validum, cùm sit de re minimè prohibita. Econtra ad nihil tenetur, qui jurat, se soluturum pœnam, etiam quando justè recedit; est enim juramentum istud invalidum, cùm sit de re prohibita ob bonum publicum, irritatis verò promissionibus ob publicum bonum, adjecta juramenta nulla sunt, quod non procedit in usurarum solutione juxta ea, quæ supra dicta sunt, atque ita concluditur, validè, licitéque potuisse apponi pœnam Licosteni in casu nostro, si sine justa causa à Sponsalibus resiliret, nullam verò, & irritam futuram fuisse pœnæ adjectionem, casu quo ex justa causa recessum tentaret à jure sibi permissum, qua ratione videtur inter se conciliari posse duas oppositas Sententias.

QUÆSTIO QUINTA.

Quibus verbis vel signis Promissio Sponsalitia debeat manifestari? quæ est quinta Conditio.

CASUS.

An ex circumstantijs colligi possit, quòd aliqua signa sufficiant, quæ secundùm se non sufficerent?

Lizardus juvenis perhonestus, dum Sponsam sibi quærit pariter bene moratam, incidit in Firmiliam à modestia, & vitæ integritate laudatam Virginem, cui in diversis occasionibus collocutus, ea dedit indicia, ut ea non obscurè intellexerit, suas ab eo nuptias ambiri, à quibus ipsam quoque non esse alienam, è pluribus signis ille advertere potuit; verecundia tamen utrúmque prohibuit, ne Sponsalia apertiùs peteret. Accidit verò, cùm denuo colloquerentur, ut Lizardus Virginis manum apprehendens, eidem sanctè promitteret, non aliam se ducturum conjugem, nisi ipsam, immisso simul in digitum ipsius annulo. Illa dum rubore suffusa, & modestè subridens gratias egit pro pretioso annulo, spopondit juveni, fidelem se, & obsequentem futuram.

Q. An ista omnia sufficiant pro Sponsalibus?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *In quavis promissione Sponsalitia, etiam liberali, opus est signo externo sensibili.*
2. *Nec sufficit interna promissio, etsi alteri parti reveletur Divinitus, in votis tamen Deo factis interna promissio sufficit.*
3. *Non præscribuntur certa signa, sed satis est, esse talia, quæ cognoscantur à contrahentibus.*
4. *Referuntur aliquæ formulæ Sponsaliorum.*
5. *An verba* non ducam aliam præter te, *vel* nisi te, *constituant Sponsalia? Refertur sententia affirmativa.*
6. *Statuitur sententia negativa.*
7. *Verba* promitto, me fore tibi fidelem *secundùm se non sufficiunt ad Sponsalia, uti nec alia signa, v. g. porrectio manûs, immissio anuli &c.*
8. *Simul sumpta possunt significare Sponsalia.*
9. *Deciditur pro Casu præsenti, contracta fuisse vera Sponsalia.*

1. Ontractum Sponsalitium, imò & quemvis alium contractum humanum, debere signo quodam sensibili exprimi, ita certum est, ut probatione nulla indigeat, quia nempe promissio nulla obligat, nisi ab altero acceptetur, siquidem invito jus non acquiritur. *L. 69. & 156. ff. de R. I.* atqui acceptari non potest id, quod incognitum est, cognosci autem nequit ab homine, quod ipsi non indicatur per signum aliquod externum, & sensibile: ergo opus est signo aliquo externo & sensibili non solùm in Sponsalibus strictè, & rigorosè acceptis, quæ dicunt promissionem mutuam, sed etiam in promissione Matrimonij gratuita, & liberali, quia nempe sine ejusmodi signis etiam promissio liberalis acceptari nequit, proinde neque obligat; minùs verò sine ipsis consistunt Sponsalia propriè dicta, quia ubi promissio alterius

alterius manet incognita, ibi nulla datur repromissio, & consequenter nulla Sponsalia, quia hæc sunt promissio mutua.

2. Dubium esse potest, an, si Titius sola promissione interna promittat Bertæ Matrimonium, hancque ipsa promissionem Divina revelatione intelligat, Titius ad nuptias obligetur?

Respondeo cum P. Wex *p. 1. Ariadnes Canonicæ tr. 2. de Sponsal. n. 10.* etiam sic Titium non obligari, quia contractus Sponsalitius instituendus est more humano, quod hic non evenit.

Dixi autem, hæc signa sensibilia necessaria esse ad contractus humanos, & promissiones inter homines factas, quia promissiones meræ internæ, & vota, quæ Deo fiunt cordium inspectori, utique valent, is enim intuetur cogitationes nostras, nec indiget, ut quæ mente concepimus, sibi per signa externa manifestemus, proinde vota etiam solo animo concepta, si aliunde nihil desit, obligant.

3. Cæterùm signa aliqua certa, & determinata in Sponsalibus non requiruntur, sed satis est, ea adhiberi, quæ internam promissionem sufficienter significent, sive verbis id fiat, sive nutibus, sive scripturâ, aut quovis alio modo, imò possunt Sponsi absolutè ejusmodi signis uti ad animum suum invicem indicandum, quæ ex primaria sua institutione, & usu, ac significatione communi prorsus alium, atque etiam contrarium sensum ingenerarent, modò ex propria voluntate spondentium ad reciprocam promissionem significandam seligantur, ut docet Tamb. *de Matr. L. 8. tr. 3. c. 2. §. 3. n. 1.* & Gobat *tr. 10. casu 2. n. 45.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 4. n. 1.* adeoque in foro conscientiæ attendi debet intentio contrahentium, in foro autem externo principaliter attenditur ad verba, aliavé signa, & judicatur juxta eorum communem significationem, quam habent vel ex se, vel ex circumstantijs, in quibus posita sunt.

4. Ejusmodi verba, aliaque signa complura enumerant Authores, quorum aliqua certò constituunt Sponsalia de futuro, alia de præsenti, seu ipsum Matrimonium, alia, nisi major accedat expressio, relinquunt rem in dubio, an vera Sponsalia contracta sint, an non, quæ tum apud alios passim, tum præsertim videri possunt apud Tambur. *L. 8. de Matr. tr. 3. §. 3.* Gobat *tr. 10. cas. 2. n. 48. & seqq.* & Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. Sect. 2 § 4.* nos omissis alijs ea solum hîc loci examinabimus, quæ magis ad casum præsentem faciunt.

Certa sunt apud omnes, significantque indubitatò Sponsalia: *promitto tibi Matrimonium; promitto, me ducturum te; accipiam te; ducam te, contraham tecum Matrimonium.* Quamvis

vis enim aliqui hanc ultimam formam putent, significare duntaxat propositum, uti Tannerus *to. 4 disp. 8. dub.* 1. *n.* 10. eamque pro dubia forma habet Gobat; mihi tamen dicendum videtur, etsi hæc verba significare possint solum propositum, communiter tamen significare Sponsalia, quia idem est dicere: *contraham tecum Matrimonium*, & *ducam te uxorem, vel accipiam te*, quæ verba ex communi usu loquendi implicitè significant promissionem juxta Sanch. *disp* 18. *n.* 12. & Sporer *l. c. n.* 79. unde de istis verbis *accipiam te, ducam te*, & similibus universaliter dicendum est, etsi presè non indicent promissionem, sed mentem potiùs, & propositum contrahendi, perinde tamen esse, sive ita simpliciter, & nudè proferantur, sive addatur verbum *promitto* v. g promitto, me ductum te, utroque enim modo æqualiter constituuntur Sponsalia de futuro, ut clarissimis verbis docet Filliuc. *tr.* 10. *c.* 7. *n.* 241. quia etiam priora verba ita nudè prolata in communi Ecclesiæ sensu accipiuntur ut promissoria. Illud verò mihi certum est, hanc formam: *promitto, quòd velim te desponsare*, quam inter dubias ponit Gobat, & Tamb. penitus nulla conficere Sponsalia, uti etiam sentit Sanch. *n.* 13. & Filliuc. *l. c.* cum Covarruv. *p.* 1 *de Matr. c.* 4. *n.* 1. quia *te desponsabo* aliud non significat, quàm tecum Sponsalia contraham; ergo datur hic solùm promissio de Sponsalibus contrahendis, non autem de contrahendis nuptijs, proinde hæc verba Sponsalia non constituunt, nisi ex circumstantijs deprehendatur, talem intelligere Sponsalia de præsenti, consequenter promittere nuptias, quo casu forent vera Sponsalia.

5. Controversia autem magna est inter Authores, quid verba ista denotent: *non ducam aliam, nisi te*, an nempe sufficiant ad Sponsalia contrahenda?

Vera effici per ea verba Sponsalia, docent Sylvest. *V. Matrimonium*, 2. *n.* 10. *dicto* 4. Menoch *L.* 3. *de præsumptionibus præsumpt.* 3. *n.* 8. Panormit. & alij, quorum plures citat Sanch. *L.* 1. *disp.* 19. *n.* 3. Ratio ipsorum est, quia particula illa exceptiva *nisi* istius naturæ est, ut contradicat præcedentibus, quando igitur præcedit oratio affirmativa, ipsa negationem importat, v. g. si dico: *omnes currunt, nisi Petrus*, sensus est: Petrus non currit, alijs omnibus currentibus, vel omnes alij currunt, solus verò Petrus non currit; quando autem præcedit oratio negativa, ipsa facit affirmationem, v g. *nullus currit, nisi Petrus*, sensus est: Petrus currit, & nullus alius; quod videre est in pluribus alijs propositionibus, veluti *signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ*, hoc est, signum Jonæ Prophetæ dabitur ei, & nullum aliud; *non habemus Regem, nisi Cæsarem*, id est Cæsar est noster

Rex.

Rex, & alium nullum habemus: igitur istius propositionis: *nullam aliam ducam, nisi te*, vel *præter te*, quia eandem vim habent particulæ *nisi*, & *præter* teste Barbosa in dictionibus Juris *dict.* 217. *n.* 19. & *dict.* 279. *n.* 4. sensus est *te ducam, & nullam aliam*: datur ergo hic affirmatio, adeoque promissio, & obligatio Sponsalium.

6. Verùm dicendum est, prædictis verbis nulla Sponsalia effici, neque inde oriri absolutam Sponsalitiam obligationem, sed ad summum conditionalem, ducendi hanc, & non aliam, si velit aliquam ducere, vel disjunctivam, ducendi vel hanc, vel nullam. Ita docent ex Canonistis Pirh. *n.* 7. *de Sponsal.* Wiestner *n.* 35. *eod.* Engl *p.* 3. *Man. Paroch. c.* 5. §. 1. *de Sponsal. n.* 11. Covarr. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 4. §. 1. *n.* 8. Navarr. *Consil.* 7. *de Sponsal.* Alexander de Nevo, & alij ab his citati. Ex Theologis Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 2. *n.* 13. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 2. Coninck *disp.* 21. *dub.* 3. *n.* 29. Sanch. *L.* 1. *disp.* 19. *n.* 5. Fagundez *p.* 1. *in Decal. L.* 2. *c.* 25. *n.* 20. Bonac. *q.* 1. *pu.* 1. *n.* 13. Tannerus *to.* 4. *disp.* 8. *q.* 1. *dub.* 1. *n.* 8. Rebellus *p.* 2. *L.* 4. *q.* 3. *n.* 7. Præpos. Dicastillo, Sporer, Gobat cum plurimis alijs.

Probatur ex communi acceptione & usu Diœcesium, quia communiter censentur ea verba habere solummodo sensum conditionatum: *si aliquam ducturus sum, te ducam, & non aliam*, ex qua promissione sic spondens non adstringitur absolutè ad Matrimonium cum tali fœmina ineundum, sed solùm ex suppositione, quòd Matrimonium contrahere velit, prout patet ex alijs ejusmodi formulis; nam qui dicit: *juro, vel voveo, nullam aliam Religionem me ingressurum, quàm Ordinem Carthusianorum*, non obligatur ad ingressum ullius Religionis absolutè, sed casu quo velit fieri Religiosus, tenetur ingredi Carthusiam: promittens nulli vendere meum equum, nisi tibi, non teneor eo ipso tibi vendere, sed possum venditione prorsus abstinere, si tamen velim aliquando vendere, vi mei promissi obligor, non alteri, quàm tibi vendere: promittens non alienare domum extra familiam, non obligatur eam vendere intra familiam, sed solùm, ne, si quando velit vendere domum suam, eam alienet extra familiam: liquet igitur, particulam, *nisi, præter, quàm* &c. non facere semper affirmativam, etiam quando præcessit oratio negativa, sed aliquando importare præcisè propositionem conditionatam; quandonam verò hanc, vel illam significandi vim habeat, meo judicio desumi debet ex sensu dictionis, qui cùm in hac propositione *non ducam aliam præter te* admodum dubius sit, nec manifestè pateat, an verè ineatur contractus Sponsalitius per ista verba, an non, favendum est potiùs contrahentium libertati, cùm

cùm Matrimonia coacta sortiri soleant difficiles exitus, ac proinde dicendum, hæc verba proferentem nulla contraxisse Sponsalia, quia in dubio non facilè est inducenda obligatio juxta *L. Arianus. ff. de obligat. & action.* Ita sentiunt nobiscum Rebellus *p. 2. L. 4. q. 3. n. 9.* Diana, Wiestner, & Engl.

7. Verba quoque, quibus promittitur obsequium, vel fidelitas, secundùm se non sufficiunt ad Sponsalia, quia amor, fidelitas, promptitudo obsequendi &c. etiam in alijs rebus promitti, & servari possunt, quàm in Matrimonio; sed neque cætera signa secundùm se accepta sat clarè indicant Sponsalia, nisi verba accedant, aut consuetudo ita ferat, quòd ad Sponsalia indicanda sufficiant; ac primò quidem porrectio, vel apprehensio manûs à Sanch. Barth. Ledesma, & alijs non agnoscitur pro signo sufficiente; quòd si tamen juvenis dicat puellæ: *en habes manum meam in signum, quòd velim te habere Sponsam*, & tunc primùm puella manum porrigat, habetur pro signo acceptationis, & repromissionis. Immissio denique annuli, quam subarrhationem Authores nominant, ex se signum æquivocum est, neque sufficiens ad significanda Sponsalia, nam potest hoc fieri in signum amoris honesti, vel turpis, absque ulla Matrimonij, vel Sponsaliorum intentione, idque inter concubinarios aliquando accidere, nimis quàm certum est.

8. Etsi verò ista omnia secundùm se, & singillatim accepta nec Matrimonium, neque Sponsalia indicent, dicendum tamen, in casu nostro ea collectim, & simul sumpta vera Sponsalia significare, & ad ea contrahenda sufficere, ut manifestè eruitur ex Authoribus supra citatis. Namque in primis de formula illa dubia, qua *amor, & fidelitas alteri promittitur*, docent Sporer n. 186. & Gobat n. 65. etsi secundùm se non sufficiat, si tamen accedat traditio arrhæ, aut copula secuta sit, aut mentio facta de Matrimonio, meritò judicari, quòd post talem formulam dubia illa verba declarentur per factum subsecutum, ita ut explicari queant in sensu promissionis Sponsalitiæ. De altera quoque forma: *non ducam aliam, nisi te*, etsi ea passim reijciatur, doctrina est Laymanni *L. 5 tr. 10. p 1. c. 1. n. 2.* Dicastillo *disp. 1. dub. 8. n. 138.* Sanch *L. 1. disp 19 n. 7.* & Bonac. *q. 1. pu. 1. n. 13.* sufficientem illam esse, si ex conjecturis appareat, per ea verba contrahentes voluisse inire Matrimonium, vel Sponsalia, ut si de ijs tunc temporis tractabatur. Idem dicit Cœpolla apud Menochium *l. c n. 8* valere istam formulam, quando præcessit aliquis tractatus de Matrimonio contrahendo, vel traditus fuit annulus, qui dari solet in contrahendo Matrimonio. De

annuli quoque inductione eodem modo loquitur Palao; Etsi secundùm se signum non sit vel Matrimonij, vel Sponsalitij contractûs, si tamen spectata consuetudine alicujus loci concessio annuli Matrimonium, vel Sponsalia significet, illius concessione vel Matrimonium, vel Sponsalia contrahi; additque: idem est, si ex circumstantijs consensus in Sponsalia significetur, uti significatur, cùm de Sponsalibus agitur, & annulus porrigitur, & acceptatur, quia censetur porrigi, & acceptari in signum Matrimonij contrahendi, & à fortiori, si, præcedente tractatu, manum, vel fidem dederis, satis enim significas, te consentire, cum quo idem sentit Coninck *disp.* 21. *dub.* 3. *n.* 28.

9. Cùm igitur in casu præsente Lizardus dicatur antecedenter plura indicia dedisse, ex quibus Firmilia non obscurè intellexerit, nuptias suas ambiri, illaque ab ipsis aliena non fuerit, sed sola verecundia utramque partem impediverit à patentiore manifestatione, cumque eadem manum à juvene arreptam non modò non retraxerit, sed annulum digito insertum cum addita promissione, non aliam se ducturum præter ipsam, blando cum risu acceptaverit, gratesque egerit, spondendo vicissim amorem, & fidelitatem reciprocam, ex istis omnibus simul acceptis concludendum est, utrinque adfuisse animum se obligandi obligatione Sponsalitia, ipsamque juveni, per tot indicia eam sibi Sponsam deligenti, non alium voluisse vicissim promittere amorem, fidelitatem, & obedientiam, dicendo, se fore obsequentem, quàm conjugalem, in cujus subarrhationem, & contestationem cederet, ac veluti vinculum esset porrectus, & acceptatus annulus.

Quæ-

QUÆSTIO SEXTA.

Quomodo promissio Sponsalitia fieri debeat circa personam determinatam, quæ est sexta, & ultima conditio.

CASUS

Tribus Sororibus indeterminatè simul promittentis.

Simachus tribus Bertulphi filiabus, ipso præsente, sibique gratulante, pollicetur, aliquam ex ijs se ducturum in conjugem: Virgines promissionem hanc acceptantes, omnes repromittunt.

Q. An hæc promissio constituat Sponsalia?

SYNOPSIS.

1. *Sponsalia indeterminata ordinariè nulla sunt, & jocularia.*
2. *Si tamen tendant etiam indeterminatè in certum, ac determinatum numerum personarum, possunt obligationem inducere.*
3. *Sed hæc obligatio non est Sponsalitia, nec fiunt per talem promissionem vera, & absoluta Sponsalia, sed potiùs conditionata.*
4. *Evadunt tamen hæc vera, & absoluta, quando promissor unam ex omnibus eligit.*

5. *Si renuat illa, quam elegit, non tenetur aliam ducere.*
6. *Si Pater indeterminatè unam promisit è pluribus filiabus, & posteà quampiam offerat, alter verò eam renuat habere uxorem, non tenetur aliam dare.*
7. *Ante Concilium Tridentinum Sponsalia indeterminata per carnalem copulam transierunt non solùm in absoluta, sed in Matrimonium, non item post Concilium.*
8. *Aliunde tamen, Concilio non obstante, possunt transire in absoluta per copulam supervenientem.*

1
Ponsalia indeterminata ordinariè nulla esse, nec obligationem inducere, manifestum est, veluti si quis promitteret, se ducturum unam ex fœminis hujus regni, vel urbis: talis sanè promissio à nemine solet acceptari, passimque ab omnibus habetur pro nulla, merè joculari, & inepta ad contrahendam more humano nuptiarum obligationem. An verò idem sentiendum sit, quando promissio quidem incerta est quoad determinatam, & individuam personam, sed tamen est directa ad certum numerum personarum, quæ promissionem acceptent, & repromittant, dubium est hujus casus.

2. Certum est, ita promittentem contrahere aliquam obligationem; nam ponitur verè promittere, & non fictitiè: ergo promissio ista inducit obligationem, est enim hoc de natura omnis veræ, & acceptatæ promissionis, ut obligationem inducat; hinc Sapiens Prov. 6. v. 1. dicit: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus: fac ergo, quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui:* capitur ergo, qui promittit, & obligationem contrahit, sibique vincula inijcit. Imò Hebræis promissio non aliud sonat, quàm vinculum, ut notat Hugo Grotius *L. 2. de Iure belli, & pacis c. 11. n. 4.* & L. 1. ff. De Pactis: *nihil est tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare:* debet ergo servare, ad quod se taliter promittens obligavit, nempe ut sub disjunctione unam ducat ex illis, quibus sic sub disjunctione promisit, & ad hanc suam pro-

promissionem servandam cogi potest. Dicastillo *disp.* 1. *de Matr. dub.* 18 *n.* 229. Perez *disp.* 4. *de Matr. Sect.* 5. *n.* 1. Rebellus *p.* 2. *de oblig. Iust. L.* 4. *q.* 4. *de Sponsal. n.* 2.

3. Sed nihilominus hæc obligatio neutiquam est Sponsalitia, neque ex tali promissione consurgunt vera, & propriè dicta Sponsalia. Ita Sanch. *L.* 1 *disp.* 26. *n.* 1. Dicastillo *l. c. n.* 222. Sylvest. *V. Sponsal. q.* 6. Palao *disp.* 1. *pu.* 2. *n.* 7. Coninck *disp.* 21. *dub.* 2. *n.* 16. Perez *disp.* 4. *Sect.* 5. *n.* 3. & *disp.* 5. *Sect.* 4. *n.* 1. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu.* 3. *n.* 2. Præpos. Rebellus, Becanus, Pontius &c. Ratio est. 1. quia Sponsalia sunt via ad Matrimonium, & quædam istius inchoatio: ergo sicuti Matrimonium necessariò debet esse cum determinata persona, ita etiam Sponsalia verè & perfectè contrahi nequeunt, nisi cum una, eaque certa, & determinata persona. 2 Ex Sponsalibus veris, & perfectis oritur impedimentum publicæ honestatis: at verò istud impedimentum non oritur ex Sponsalibus incertis, quæ non feruntur in determinatam personam, ut expressè habetur in c. Unic. De Sponsal. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic ait: *ex Sponsalibus conditionatis ante conditionem extantem, sicuti & incertis, nulla publicæ honestatis justitia oritur*: ergo ejusmodi Sponsalia indeterminata, & incerta non sunt propriè dicta, & perfecta Sponsalia, sed potiùs dici debent Sponsalia conditionata, ad eligendam scilicet in futurum unam ex illis, quibus sub disjunctione facta est promissio, quia nempe promisit quidem omnibus, non tamen quòd omnes velit ducere, sed unam ex ipsis: ergo sub hac conditione contraxit cum singulis, si te v. g. ex hoc ternario elegerim, sicque vicissim puellæ repromiserunt singulæ sub hac conditione; si me ex alijs elegeris.

4. Quòd si unam ex istis omnibus præ alijs eligat, electione istâ purificatur conditio, eâque positâ habentur eo ipso vera, & perfecta Sponsalia, induciturque impedimentum publicæ honestatis; unde si alteram deinde sororem duceret, irritum esset Matrimonium. Ita Authores cit. juxta Concilium Trident. *Sess.* 24. *de reform. Matr. c.* 3. Atque hic est primus modus, quo ista Sponsalia conditionata transeunt in absoluta. De alio modo, quo pariter absoluta evadunt, paulò post dicetur

Dixi *si unam præ alijs eligat*, quia electio spectat ad promissorem, siquidem in omni promissione alternativa, id est, cùm diversæ res sub disjunctione debentur, ad primum promissorem, seu debitorem spectat eligere juxta Reg. 70. de R. J. in 6. *in alternativis electoris* (sive debitoris, ut aliàs legitur) *est electio, & sufficit alterutrum impleri.*

6. Ex hoc consequitur, quòd si

is, qui promisit ex pluribus unam ducere, certam aliquam determinatam eligat, illa autem renuat, non obligetur promissor ad alteram ducendam, sed penitus liber permaneat, nisi tamen se obligaverit, quòd renuente una velit aliam ducere. Ratio est, quia, quantum in se est, paratus est ad promissionem implendam, id est, ad ducendam illam, quæ renuit, unde per ipsum non stat, ne unam illarum ducat, quod facere spopondit, sed stat per illam, quæ recusat, ad quam non pertinet electio, cùm ista spectet ad promissorem: hic igitur promisso suo satisfecit, dum hanc elegit uxorem ducere, quia non promisit, quòd vellet eligere singulas, aut una nolente alteram, sed unam ex omnibus, quod fecit: si igitur, ista renuat, ipse ad nihil aliud obligatur. Sanch. *l. c. n.* 2. Dicastillo, Perez, Bonac. &c.

6. Idem dicendum est, quando Pater promisit unam ex filiabus dare conjugem, hancque incertam, & indeterminatam promissionem alter acceptavit, quia tunc manet electio penes patrem, qui suo promisso satisfacit quamcunque offerendo, etiamsi clauda sit, gibbosa, lusca &c. dummodo cæteroquin corpus habeat, quod aptum sit ad Matrimonium, quam si alter recuset, Pater ad nihil aliud obligatur, quia electio, ut supra dixi, est primi promittentis *L. Si in emptione* §. *si emptio. ff. De contrah. empt.* & *L. Si ita ff. eod.* Quòd si, priusquam aliquam offerat, omnes præter unam morerentur, tenetur dare superstitem, etiamsi dum promisit, non habuerit animum dandi istam, sed aliam, quia aliter nequit implere promissum, nisi tradendo hanc. Sanch. & alij citati Sed hæc in casu nostro ad Bertulphum Patrem non faciunt, nec enim ipse promisit, verùm dum dicitur sibi de Simachi promissione fuisse gratulatus, præcisè complacuit sibi in isto promisso, idque acceptavit, & consensum præstitit, electio verò mansit ex parte Simachi.

7. Modò superest quæstio inter Authores agitata, multumque controversa, an sicuti talis incerta promissio evadit perfecta, & Sponsalitia per supervenientem electionem personæ determinatæ factam à promissore juxta superiùs dicta n. 4. ita Sponsalia incerta, & sub disjunctione contracta reddantur certa, & determinata per copulam supervenientem, veluti si in casu proposito Simachus, qui tribus puellis simul promisit, se unam ex ipsis ducturum, postmodum aliquam ex ijs cognovisset carnaliter, an, inquam, per talem copulam censeatur istam præ alijs elegisse?

Circa hanc quæstionem docet Sanch. *cit. disp.* 26. *n.* 8. ejusmodi promissiones indeterminatas per supervenientem copulam transire omnino in Matrimonium, attendendo jus antiquum ante Concilium Tridentinum, quia promissiones istæ constituunt

stituunt Sponsalia conditionata ante electionem, quæ fiunt absoluta per electionem promissoris, sufficiens autem electio fit per copulam, per quam conditio purificatur; ergo per copulam supervenientem ejusmodi Sponsalia conditionata transeunt in Sponsalia absoluta, imò in ipsum Matrimonium juxta *c. Ex illis. De Condit. appos.* At verò jure novo Tridentini, quòd *Sess. 24. c. 1.* irritat Matrimonia clandestina, ait, jam non ampliùs transire non solùm in Matrimonium, sed neque in Sponsalia absoluta, quæ obligent ad contrahendas nuptias. Ratio est, quia ante Concilium Tridentinum Ecclesia, ne præsumeret delictum fornicationis, præsumpsit, istam copulam fieri affectu maritali, & adesse consensum de præsenti: ergo fiebat tunc Matrimonium ex præsumptione Ecclesiæ, & in illud transibant Sponsalia; nunquam tamen etiam olim Ecclesia agnovisset pro Matrimonio, si constitisset, post Sponsalia copulam fuisse habitam non ex affectu maritali, sed merè fornicario: postquam igitur Concilium Tridentinum clandestina Matrimonia annullavit, Sponsalia per clandestinam hanc copulam nequeunt ampliùs transire in Matrimonium, quia accessus iste ad mulierem non potest ampliùs præsumi fieri affectu maritali, sed est affectus fornicarius, atque adeò, cùm modò in Matrimonium non transeant, nequaquam receditur à conditione, sed manent ex hoc capite Sponsalia conditionata. Ita præter Sanch. tenet Barbosa in *c. Ex literis. De Sponsal. n. 7.* & Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub. 18. n. 241.*

8. Ego in præsenti controversia dicendum judico, ejusmodi Sponsalia conditionata post Concilium Tridentinum, quod Matrimonia clandestina annullat, per copulam supervenientem non fieri quidem ampliùs absoluta sive de futuro, sive de præsenti ex ea ratione, quâ olim transibant in Matrimonium, nihilominus tamen etiam post Tridentinum conditionata isthæc Sponsalia ex alia ratione transire in absoluta de futuro per ipsam habitam carnalem copulam, estque iste secundus modus, quo indeterminata, & incerta Sponsalia ex conditionatis evadunt absoluta, ita mecum sentiunt Perez *disp. 4. Sect. 5. n. 8. & seqq.* Bonac. *q. 1. de Sponsal. pu. 3. n. 3.* Coninck, Rebellus *ll. cc.* Wiestner *n. 24. de Sponsal.* Rationem assigno. 1. quia præsumi non potest, talem per istam copulam aliud voluisse, quàm hanc ex alijs individuo sibi in Sponsam deligere, nam eo ipso, quòd plures ista fœminæ, quibus indeterminatè promisit, sorores sint, ut ponitur in casu præsente, per copulam cum una earum habitam evadit aliarum affinis, ac consequenter inhabilis ad Matrimonium cum alia contrahendum, præterquam cum ea, quam cognovit; ergo hanc verosimile est elegisse.

2. Sive

2. Sive cognatæ sint istæ fœminæ, sive non, præsumi non potest, puellam aliter, quàm sub spe Matrimonij concessuram fuisse usum sui corporis, neque videtur vir aliter exegisse, nisi sub dicta spe, & promissione, proinde se tali modo inter plures determinavit ad hanc præ alijs è ternario eligendam sibi in Sponsam: si igitur in casu proposito post factam indeterminatam promissionem ad tres sorores Virgines unam deinde ipsarum Simachus cognovisset carnaliter, censendus foret, hanc sibi præ alijs elegisse in Sponsam, & cum ea celebrâsse Sponsalia absoluta, secus facta indeterminata promissio, qualis in casu ponitur, ad contrahenda Sponsalia est insufficiens.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An ante Matrimonium necessariò præmitti debeant Sponsalia, & an sufficiant clandestina?

CASUS

Nolentis contrahere Sponsalia, nisi absentibus Parocho, & testibus.

Edricus diu persuaderi non potest, ut ducturus uxorem priùs contrahat Sponsalia de futuro; demum in hoc consentit sub ista conditione, ut ea fiant sine Parocho, & testibus.

Q. 1. An necessariò sint præmittenda Sponsalia?

2. An possint celebrari clandestinè?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Adducitur ratio dubitandi circa utrúmque quæsitum hujus casûs.*
2. *Simpliciter, & absolutè non requiritur, ut ante Matrimonium præmittantur Sponsalia, plerúnque tamen necessarium est post Concilium Tridentinum.*
3. *Etiam ad Sponsalia requiri præsentiam Parochi, & testium, ita, ut sine ea invalida sint, aliquorum Sententia est.*
4. *Alij docent, sine Parocho, & testibus celebrata esse valida, sed tamen illicita.*
5. *Statuitur, & probatur, Sponsalia clandestina valida esse, & plerunque sine peccato, ut maximè patet ex declaratione S. Congregat. Cardinalium.*
6. *Nec semper expedit, Parochum interesse; dissuaderi tamen debet, ne Sponsalia fiant omnino clandestinè, quod aliquando ob specialia statuta Diœcesium etiam non sine peccato fieret.*
7. *Solvuntur argumenta 2um, 3. proposita pro prima Sententia.*
8. *Per quod refutantur etiam ea argumenta, quibus aliqui probant, clandestina Sponsalia esse saltem peccaminosa, & illicita.*

1. AD ambo dubia in hoc casu proposita ansam præbet decretum Concilij Tridentini, quod *Sess. 24. de reform. Matr. c. 1.* irritat, & annullat Matrimonia clandestina, id est, quæ celebrata fuerint sine præsentia Parochi, & testium, his verbis: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos decernit*, quæ verba si ad Sponsalia quoque de futuro extendi debent, à fortiori consequitur, iniri non posse Matrimonium, nisi antecedenter Sponsalia contra-

contracta fuerint, quia qualitas rei, quæ non est, non potest considerari, ut ait Barbosa axiom. 196: Si ergo Concilium citato decreto intelligitur etiam de Sponsalibus definire, qualia ea esse debeant ante contractum actualis Matrimonij, supponit utique, ad istum contractum præcedere debere Sponsalia de futuro.

2. Dicendum tamen cum Tannero *to. 4. disp. 8. q. 1. n. 2.* Pirh. *n 6. de Sponsal.* & Gobat *tr. 10. cas. 1. de Sponsal. n. 8.* Saltem ante, & extra Concilium Tridentinum nusquam præcipi directè, & simpliciter, quòd ante Matrimonium necessariò præcedere debeat promissio de eo contrahendo, decens tamen, & honestum esse, ut præcedant Sponsalia, tum ut res tanti momenti majore solemnitate peragatur, tum ut indissolubilis obligatio Matrimonij majore præmeditatione suscipiatur, hocque colligitur ex *c. nostrates* 30. *q.* 5. Post Tridentinum Concilium, non quidem directè, sed saltem indirectè plerunque est obligatio Sponsalia præmittendi ante Matrimonium, quia post illud plerunque necessarium est, ut præcedant Sponsalia de futuro, quia scilicet ex præcepto Concilij sub gravi peccato præmitti debent Matrimonio publicæ denunciationes, nisi ex justa causa censuerit Ordinarius, eas esse omittendas: non solent autem denunciationes fieri, nisi propter Sponsos de futuro: ergo plerunque ante Matrimonium celebrari debent Sponsalia de futuro.

Dico *plerunque*, quia potest dari casus, ubi necesse non sit præmittere vel denunciationes, vel ulla Sponsalia, v. g. si constitutus in agone ducat concubinam, ut proles ex ea suscepta legitimetur, fit istud absque Sponsalibus.

3. Circa alterum quæsitum, an ad Sponsalia contrahenda requiratur præsentia Parochi, & testium duplex est apud Authores Sententia. Prima est Alexandri de Nevo, Menochij, & aliorum apud Sanch. *L. 1. disp.* 12. dicentium, ita necessariam esse istam præsentiam, ut absque ea clandestinè inita invalida sint, & prorsus irrita. Desumunt hoc, probantque ex L. Oratio. ff. de Sponsal. ubi dicitur: *Oratio Imperatorum Antonini, & Commodi, quæ quasdam nuptias in personam Senatorum inhibuit, de Sponsalibus nihil locuta est; rectè tamen dicitur, etiam Sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti, ut suppleatur, quod orationi deest.* In eundem finem citatur L. 60. §. 5. ff. De ritu nuptiar. *Quamvis verbis orationis cautum sit, ne uxorem tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse.* Ex istis Legibus ita argumentantur: Quoties annullatur Matrimonium, toties annullantur etiam Sponsalia, ut ex citatis Legibus constat: atqui Concilium Tridentinum loco supra cit. irritavit Matrimonia clandestina:

na: ergo per idem Concilium irritata quoque sunt Sponsalia clandestina.

Confirmatur. 1. Quia inhabilis ad Matrimonium, censetur etiam inhabilis ad Sponsalia: sed post Tridentinum in locis, ubi id publicatum est, homines sunt inhabiles ad Matrimonium clandestinum: ergo sunt inhabiles etiam ad Sponsalia clandestina, quia pœna, quæ imponitur Matrimonio clandestino, censetur etiam imponi Sponsalibus clandestinis: ergo inhabilitas imposita uni contractui clandestino imponitur etiam alteri. 2. Prohibito fine censentur etiam prohibita esse media, seu omne id, per quod pervenitur ad illum finem; cùm ergo prohibita sint etiam sub irritatione Matrimonia clandestina, & ad ea tanquam ad finem disponant Sponsalia instar viæ, ac medij, erunt etiam Sponsalia clandestina prohibita.

4. Altera Sententia etsi asserat, valida quidem esse Sponsalia, quæ sine Parocho, & testibus celebrantur, dicit tamen, esse illicita, nec posse contrahi clandestinè sine peccato mortali. Ita Sylvest. *V. Matrimonium 6. q. 7. dicto 6.* Cajetanus *in Summula V. Sponsalitia.* & Armilla *V. Sponsalia n. 14.* quibus ex parte accedit Præpositus, dum *q. 9. de Sponsal. dub. 5. n. 50* ait, nullum quidem videri peccatum, Sponsalia inire sine præsentia Parochi, esse tamen peccatum mortale ita clandestinè contrahere, ut nullus testis intersit. Innituntur Authores isti ferè probationibus supra allatis, adducto insuper *c. fin. de clandest. desponf.* ubi prohibetur Matrimonium clandestinum: ergo & clandestina Sponsalia, tum quia prohibito uno censetur prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud: sed per Sponsalia pervenitur ad Matrimonium &c. tum quia ex Sponsalibus clandestinis eadem incommoda oriuntur, quæ ex clandestino Matrimonio.

5. Dicendum verò, Sponsalia sine præsentia Parochi, & testium celebrata valida esse, & ex se ordinariè nullum esse peccatum ita clandestinè contrahere: validè ergo, & licitè contrahunt, qui sine præsentia Parochi, & testium Sponsalia de futuro celebrant. Ita quoad utramque partem Sanch. *L. 1. disp. 12. & 13.* Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub. 24.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 2. n. 15.* Perez *disp. 5. Sect. 2.* Coninck *disp. 21. dub. 2. n. 20.* Bonac. *q. 1. de Sponsal. pu. 7. n. 12. & 13.* Barbosa *in Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. n. 127. & seq.* Wex *Ariad. Carol. Can. p. 5. tr. 2. § 5. n. 10.* Vallensis *n. 11. de Sponsal.* Engl *§. 2. n. 6. de Sponsal.* ubi hanc Sententiam dicit esse certam. Wiestner, Becanus, Gobat, Pontius, & plures alij.

Verissimam esse hanc Sententiam patet ex eo, quòd sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum sæpius declaraverit, sacrum

crum Concilium, dum Matrimonia clandestina annullavit, nihil immutasse, vel statuisse de Sponsalibus clandestinis, uti videri potest apud Rebellum p. 2. ad finem L. 4. Sect. 3. n. 49. ubi dicit: *Decretum hoc, quo statuitur, ut Matrimonij contractus fiant solemniter coram Parocho, & testibus, habet duntaxat locum in Matrimonio per verba de præsenti, non autem cùm Sponsalia per verba de futuro contrahuntur.* & n. 56. *Clandestina Matrimonia hic solùm prohibentur, non autem illæ promissiones, quæ Matrimonia præcedere solent, quæ factæ servandæ sunt sicut ante Concilium.* Ratio hujus declarationis est, quia decretum Concilij Tridentini *Sess. 24. c. 1. de reform. Matr.* est odiosum, & correctorium juris antiqui, dum irritat, & annullat Matrimonia clandestina: de his ergo intelligendum est solummodo loqui, nec debet extendi ad Sponsalia, ut observant Wiestner, & Wex conformiter *Arg. c. cum expediat. de elect. in 6.* nam quæ expressè non revocantur, censentur consistere, quando constitutio est correctoria, seu revocatoria. *L. Præcipimus. §. fin. C. de appellat.*

Cùm igitur clandestina Sponsalia neque prohibeantur jure naturali, ut per se patet, nec positivo, quia *c. fin de clandest. desponf.* de Matrimonio loquitur, non de Sponsalibus, ipsumque Tridentinum, dum clandestina conjugia annullavit, ex S. Congregationis interpretatione de Sponsalibus non fuit locutum, consequitur, sine Parocho, & testibus Sponsalia celebrantem regulariter, & per se nullum peccatum committere, cùm nullam legem transgrediatur, in quo peccati ratio consistit.

6. Dixi *per se, & regulariter, sive ordinariè*, quia posset alicubi introduci hæc consuetudo obligans sub peccato, ut non nisi in præsentia Parochi, & testium celebrentur Sponsalia, quo casu utique peccaret, qui aliter contraheret. 2. Etsi per se illicita non sint clandestina Sponsalia, sunt tamen dissuadenda, ut monent Coninck, & Perez, cùm sæpè fiant sine debita circumspectione, & prudentia, atque ideo ea contraxisse Sponsos mox valde pœniteat. Per hoc quoque consulitur ad futuram probationem, si fortè pars alterutra Sponsalia negare vellet, posset enim per testes tunc præsentes convinci. An verò consultum sit Parochum interesse, generaliter dici non potest, sed attendendum est ad loci consuetudinem, & statuta Diœcesana: id interim docet experientia, vocari aliquando Parochos ad Sponsalia honestiorum, ac nobiliorum familiarum, ad plebejarum rarò. Engl *l. c.* censet, Parochum non facile debere interesse, ne in ipsius præsentia partes non tantùm Sponsalia, sed ipsum Matrimonium contrahant cum aliorum præjudicio. Hinc est, cur adeò solicitè moneant Ritualia, ut hac in re Parochi cautè procedant, Nostrum

Fri-

Frisingense hæc habet: *Etsi in Sponsalibus de futuro contrahendis Parochi, aut alterius Sacerdotis præsentia non sit necessaria, & prudenter quandòque omitti queat, poterit is tamen, sed non nisi vocatus, illis interesse, verùm non aliter, quàm ad gestorum probationem ut testis, vel pro dando consilio, ut privatus, ideòque sine superpelliceo, & stola, ac sine ullis particularibus Ecclesiasticis ceremonijs.* Constitutiones Synodales Brixinenses iterum editæ 1679. addunt præterea: *nec Sponsos ullo modo per verba de præsenti conjungat, disertè protestatus, illum actum Sponsalia, non Matrimonium esse*: quibus similia habent Decreta Synodalia Diœcesis Augustanæ, & constitut. Diœcesf. Trident. 3. Bene notandum, quando dicimus Sponsalia clandestina validè, & licitè celebrari posse, hoc esse duntaxat ita intelligendum, valere Sponsalia clandestina, quibus promittitur Matrimonium publicè futurum, seu coram Parocho, & testibus celebrandum, non verò quibus promitteretur Matrimonium clandestinum, tunc enim promissionis objectum foret illicitum, & invalidum, consequenter neque promissio valeret.

7. His positis, beneque perpensis, facilis est solutio argumentorum adversæ partis. Ad primum Respondeo. Quando lex irritat Matrimonium, prohibet, & irritat etiam promissionem contrahendi Matrimonium eodem modo, quo Matrimonium celebrari prohibetur, & quomodo contractum irritatur: quia hoc ipso est promissio rei illicitæ, & prohibitæ, imò annullatæ, adeoque nulla. Hinc promissio contrahendi Matrimonium clandestinè prorsus nulla est, quando particula *clandestinè* se tenet ex parte Matrimonij, quia tale Matrimonium ab Ecclesia annullatur: ergo & ejus promissio; non tamen irritatur promissio clandestina Matrimonij publicè, & juxta modum ab Ecclesia præscriptum contrahendi.

Ad confirmationem respondetur eodem modo, quando Matrimonium prohibetur absolutè, & omni modo, nullumque declaratur, tunc etiam Sponsalia, eo ipso, quòd sint promissio rei illicitæ, & annullatæ, prohibita sunt, & nulla; sive qui est inhabilis simpliciter, & absolutè ad omne quodcunque Matrimonium, est etiam inhabilis ad Sponsalia, conc. qui tantùm ad aliquod Matrimonium est inhabilis, ille ad omnia quæcunque Sponsalia est inhabilis, *nego*. Post Tridentinum homines non redduntur inhabiles ad omne Matrimonium, sed tantùm ad clandestinum: ergo redduntur inhabiles solùm ad ea Sponsalia, per quæ promittitur Matrimonium clandestinum, non verò ad clandestina Sponsalia, per quæ spondent contrahere Matrimonium eo pacto, quo jubet Ecclesia, nam hæc Sponsalia sunt promissio rei licitæ: atque ita intelligendæ sunt *L. Oratio*, & *L. si Tutor*

si Tutor supra citatæ, quia ibi prohibitum fuit omne Matrimonium, & omni modo, hinc etiam omnis promissio illius censetur esse prohibita.

Ad illud, quod additur, pœnam impositam Matrimonio clandestino imponi etiam clandestinis Sponsalibus, respondetur pariter, si clandestinitas cadat supra futurum Matrimonium: *transeat.* Si cadat præcisè supra Sponsalia, ita ut hæc sint claudestina promissio futuri publici Matrimonij. *negatur.* Dixi *transeat*, quia non omnis pœna, quæ apponitur contrahentibus Matrimonium, etiam afficit contrahentes sola Sponsalia, nam *Clement. 1. de consang. & affinit.* excommunicantur celebrantes Matrimonium cum consanguinea, hanc tamen censuram non incurrunt, qui sola Sponsalia de futuro celebrant, eo quòd in odiosis nomine Matrimonij non veniant Sponsalia. Barbosa *n. 21. & 22. in cit. Clement.*

Ad secundum respondetur *disting.* prohibito Matrimonio clandestino, prohibentur etiam Sponsalia clandestina, quando sunt via, & medium ad Matrimonium clandestinum, *conc.* quando Sponsalia clandestina sunt medium ad Matrimonium publicè, & solemniter celebrandum, *negatur.* Ostendimus autem, clandestina Sponsalia ex se non esse viam ad nuptias clandestinas, & illicitas, sed ad licitas.

8. Hactenus dicta sufficiunt etiam ad refutanda argumenta eorum, qui dicunt, Sponsalia clandestina esse saltem illicita, & peccaminosa, Ecclesia enim prohibens clandestinum Matrimonium nunquam prohibuit clandestina Sponsalia, nisi forent promissio clandestini Matrimonij. Deinde falsum est, eadem incommoda sequi ex clandestinis Sponsalibus, quæ consequuntur ex clandestino Matrimonio: ergo non pugnat utrinque eadem ratio. Irritavit nempe Ecclesia Matrimonia clandestina, quia voluit præcavere ea delicta, quæ fiebant à contrahentibus secundò publicum Matrimonium, eoque utentibus, relictâ priore uxore, cum qua clandestinè contraxerant, atque ita perseverabant cum secunda in perpetuo adulterio: hoc malum in Sponsalibus clandestinis non evenit, si enim post ista cum una clandestinè celebrata deinde cum alia contrahat publicè Matrimonium, validum hoc est, & ex illius usu non consequuntur prædicta crimina.

Sectio

SECTIO SECUNDA.

Quænam perſonæ ſint habiles ad celebranda Sponſalia?

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ ætas requiratur ad Sponſalia?

C A S U S

Septennio inferiorum.

Perillus ſextum ætatis annum ante quatuor menſes egreſſus, ſed præcocis ingenij puer, Sponſalia contrahit cum Aleyde ipſo manè illius diei, quo circa veſperam completura erat ſeptennium.

Q. An tum ille, tum iſta contrahere potuerint Sponſalia?

S Y N O P S I S.

1. *Vt quis ſit habilis ad contrahenda Sponſalia, ante omnia requiritur uſus rationis.*

2. Deinde

2. *Deinde ut nullo laboret impedimento, nec habeat defectum ætatis, nam contracturus Sponsalia debet implevisse septennium.*
3. *Quod aliqui ita rigorosè petunt, ut negent, validè Sponsalia contrahi ab ijs, qui sunt septennio inferiores, etsi perfecto usu rationis gaudeant.*
4. *Probabilius est, posse malitiâ, & præmaturo usu rationis ætatem suppleri.*
5. *Respondetur ad argumenta contraria, & explicantur allegati textus Iuris Canonici.*
6. *Tempus septennij nihilominus non frustra præfigitur à Iure.*
7. *An septennium à Iure requisitum debeat impleri Physicè, & Mathematicè? Sententia aliquorum docet, sufficere, quòd impleatur moraliter.*
8. *Alij requirunt septennium exactissimè Physicè, & Mathematicè completum.*
9. *Hæc Sententia est probabilior, patitur tamen aliquam limitationem in nimio rigore, ut dicamus, sufficere, ultimam diem esse inchoatam.*
10. *Textibus in contrarium allatis non probatur, quòd debeat compleri usque ad ultimum momentum.*

1. Generatim loquendo ad contrahenda Sponsalia illi duntaxat habiles sunt, inter quos aliquando licitè, & validè consistere potest Matrimonium, ut cum Tannero *to. 4. disp. 8. dub. 2. n. 16* docet communis; vel juxta *arg. c. 23. de Sponsal.* omnes illi, & soli contrahere possunt Sponsalia, qui non speciatim vel à natura, vel à lege positiva prohibentur. Duabus igitur conditionibus affectam esse oportet personam Sponsalia celebraturam: Prima est perfectus usus rationis, id est tantus, qui sufficit ad contrahendam culpam mortalem, ut alibi diximus in secunda conditione Sponsalium, quæ est, ut sint voluntaria, & deliberata; quamquam enim Bonac. *q. 1. pu. 4. n. 4.* Petrus de Ledesma *q. 43. art. 2. de Matr.* Rebellus *p. 2. L. 4. de obligat. Iustit. q. 5. n. 1.* & alij requirant majorem usum rationis ad Sponsalia, quàm ad peccatum mortale, quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & advertentia mali præsentis, ad Sponsalia

Sponsalia verò requiritur cognitio futurorum, cùm sint promissio futuri Matrimonij; major autem procul dubio usus rationis requiritur ad providentiam futurorum, quàm ad consensum alicujus actûs præsentis, tamen à posita conclusione, quam defendit Palao, Dicastillo, Perez, & plurimi alij, recedendum non est, cùm absque fundamento perfectior usus rationis exigatur, quia ex constitutione Juris ad contrahenda validè Sponsalia sufficit septimus annus ætatis completus *c. 4. & 5. De Desponf. impub.* At verò malè hoc statueretur à Jure, & incautè præscriberetur septennij tempus, si major rationis usus requireretur, cùm in tenera illa ætate, in qua vixdum incepit esse capax culpæ lethalis, puer nondum habere queat providentiam futurorum, qui neque præsentia satìs advertit: nunquam igitur, vel certò rarissimè Sponsalia validè contraherentur à septennibus, atque ideo pessimè à jure assignaretur tempus septennij, quia in ea ætate vix ullus est, qui præsentium providentiam habeat, quomodo ergo providentiam futurorum habere poterit? Cæterùm vi primæ istius conditionis in specie à natura inhabiles sunt ad contrahenda Sponsalia, quotquot sunt incapaces rationis, & sufficientis deliberationis, ac libertatis, videlicet infantes, amentes, plenè ebrij &c.

2. Altera conditio est, ut persona volens contrahere Sponsalia nullo laboret impedimento, vel dirimente, vel etiam impediente. Tannerus *l. c.* Coninck *disp. 21. n. 49.* quia nemo potest se obligare ad contrahendum Matrimonium, quod licitè contrahere non potest juxta c. In malis 22. q. 4. cùm *impia sit promissio, quæ scelere adimpletur.* Vi talis impedimenti, ut alia prætеream, ad Sponsalia à natura inhabiles sunt perpetuò impotentes ad usum Matrimonij, & probabiliùs etiam illi, qui simul laborant his tribus defectibus, ut sint cæci, surdi, & muti, quia moraliter vix videtur possibile, ut his defectibus gravatus intelligat requisita ad Matrimonium, & obligationes annexas, ut notat Pirh. *n. 11. De Sponsal.* Verùm quæ ad impedimenta pertinent, commodiùs alibi tractabuntur. Hìc loci una nobis consideranda est inhabilitas, quæ inducitur à Jure Canonico, positivè prohibente, ne quis Sponsalia contrahat ante ætatis annum septimum expletum, ante quem illa invalidè contrahuntur, prout habetur *c. Literas c. Accessit* supra citatis, *c. Ad dissolvendum. De Desponf. impub. & c. unico eod. in 6.*

3. Hìc verò duplex oritur dubium, cujus solutio pro casu nostro serviet. Primum est, an Jus Canonicum ita rigorosè definiat ætatem septennij, ut licèt quis ante expletum septimum annum perfecto usu rationis potiatur, nihilominus in

habilis sit ad contrahenda validè Sponsalia, atque adeò malitia ætatem supplere nequeat? Alterum est, an ad valorem Sponsalium requiratur septennium Physicè, vel Mathematicè completum, an verò sufficiat completum moraliter?

Sponsalia ante septennium completum invalida esse, tametsi contrahentes perfecto usu rationis gaudeant, docent Palao *Disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 6. *n.* 8, Cevallos *opin. commun. contra commun. q.* 746. *n.* 6. & 9. Hurtad. *Disp.* 1. *de Matr. difficult.* 14. *n.* 61. Vasq. Præpos. & alij. Ratio ipsorum est, quia in Jure Canonico expressè declarantur nulla Sponsalia celebrata ante septennium *c. Litteras. c. Accessit. c. Ad dissolvendum. De Desponf. impub.* Si ergo ante septennium possent valere, malitiâ ætatem supplente, frustra præscripsissent jura septennium, sed potiùs dicere debuissent absolutè, tunc valere, quando adest usus rationis, sive hoc fiat ante, sive post septennium.

4. Verùm dicendum, valere Sponsalia etiam ante expletum septennium, quando ante illius expletionem in contrahentibus adest plenus usus rationis, atque ita malitia ætatem supplet, quocunque tempore ante septennium hoc fiat. Ita Covarruv. *in L.* 4. *Decretal. p.* 1. *c.* 2. *n.* 1. Gonzal. *in c.* 5. *De Desponf. impub. n.* 4. Wiestner *eod. tit. n.* 14. Wex *p.* 5. *tract.* 2. *De Sponsal.* §. 3. *n.* 18. Sanch. *L.* 1. *disp.* 16. *de Matr.* Laym. *De Sponsal. c.* 1. *n.* 16. Dicastillo *disp.* 1. *de Matr. dub.* 19. *n.* 252. & 258. Illsung *tr.* 6. *disp.* 9. *q.* 1. *a.* 1. §. 3. *n.* 11. Bassæus *V. Sponsalia.* 1. *n.* 2. Perez, Coninck, Pontius, Becanus &c. Probatur. 1. paritate cum Matrimonio, ad quod Sponsalia sunt via, & dispositio. Potest in Matrimonio malitia supplere ætatem, ut illud contrahi possit validè ante tempus à Jure aliàs præstitutum; ergo hoc fieri potest etiam in Sponsalibus; nam, esto, non omnia conveniant Sponsalibus, quæ circa Matrimonium statuta sunt, siquidem istud est insolubile, econtra facili de causa solvi possunt Sponsalia: ista possunt contrahi clandestinè, non item Matrimonium &c. nihilominus quando utrobique est eadem ratio aliquid statuendi, præsumi non potest, quòd Jus sic circa unum, circa alterum verò aliter statuerit, quia ubi ratio eadem est, ibi esse debet eadem juris dispositio, ut ait Barbosa *Axiom.* 197. *n.* 3, & desumitur ex *L. Illud. ff. Ad Leg. Aquil.* Atqui nulla subest ratio, cur aliter discurrendum sit in Sponsalibus, quàm in Matrimonio, nam ideo in Matrimonio malitia supplet ætatem, quia potentia generandi, quam Jus requirit ad Matrimonium, solet aliquando adesse ante ætatem à Jure præscriptam: sed etiam usus rationis, quem Jus requirit ad Sponsalia, solet aliquando anticipare ætatem à Jure præ-

præscriptam : ergo in Sponsalibus quoque malitia potest supplere ætatem.

Probatur 2. Decisione Eugenij Papæ *in c. Iuvenis. De Sponsal.* ubi declaratur nullum Matrimonium contractum à juvene cum consobrina Puellæ, quam is antecedenter necdum septennem sibi desponsaverat, atque sic decidendi rationem allegat Pontifex impedimentum publicæ honestatis : ergo supponit Sponsalia priùs cum puella infra septennium contracta fuisse valida, & hoc, quia in ista puella videbatur supplere malitia ætatem, & adesse sufficiens usus rationis, ut posset deliberatè in Sponsalia consentire, nam ex Sponsalibus invalidis nullum oritur impedimentum Justitiæ publicæ honestatis, ita cit. c. exponunt, & agnoscunt, quòd efficax inde deducatur argumentum, ex quo probetur, posse ætatem in Sponsalibus præmaturo judicij, & rationis usu suppleri, Wagnereck, Alagona, Vivianus, Gonzalez; quia si invalida forent Sponsalia contracta ante septennium cum pleno usu rationis, frustra sanè mandasset Pontifex sequens cum consobrina Matrimonium rescindi: valida ergo fuerunt eo ipso, quòd rescindi istud debuerit.

5. Patet ex his, quòd argumenta Adversariorum parùm nos stringant; nam primum, quod desumitur ex *c. Literas, De Desponf. impub.* prorsus ad rem non facit, siquidem ibi sermo non est de Sponsalibus initis cum puella necdum septenni, gaudente tamen pleno usu rationis, sed dicitur expressè, quendam perfectæ ætatis desponsasse sibi puellam in cunabulis, quod est penitus extra nostram quæstionem, cùm econtra præcitatum *c. Iuvenis. De Sponsal.* manifestè militet pro nobis, non verò pro adversarijs, ut ad oculum patet legenti Glossam : ne igitur textus Juris sibi contradicant, & secum invicem pugnent, dicendum, præscribi quidem á Jure septennium expletum *ordinariè*, quia ante istam ætatem nondum præsumitur adesse sufficiens usus rationis, non tamen præscribi hoc ita universaliter, ut in nullo casu ante septimum annum celebrare Sponsalia liceat, quando manifestum est, vel ostendi potest, contracturos gaudere pleno usu rationis.

6. Neque propterea frustra, aut impertinenter septennij tumpus constitutum est, quia saltem servit istud statutum in dubio, nam in similibus contractibus tria sunt attendenda. 1. Quando vel utraque pars, vel alterutra ante, imò & post septennium non gaudet pleno usu rationis, certum est, Sponsalia contrahi tunc invalidè. 2. Si verò constat, ante hoc tempus adesse usum rationis, iterum certum est, quòd validè contrahantur, aut saltem probabilissimum, ut hucusque probatum est,

est, quia malitia ætatem supplet, unde hoc casu, cùm constet de veritate, præsumptio de ætate debet cedere *c. Puberes. De Desponf. impub.* 3. Denique, quando est dubium, an contrahentes habeant usum rationis, tunc judicandum est secundùm Juris dispositionem, ut nempe præsumatur, si septennium necdum expleverunt, usum rationis sufficientem nondum adesse. Dicastillo, Perez &c.

7. Progredimur nunc ad alteram quæsiti partem, an, quando non constat, adesse sufficientem usum rationis, malitia ætatem supplente, ut adeò complendum sit tempus septennij, illud compleri debeat Physicè, vel Mathematicè, an verò sufficiat, compleri moraliter, ita ut pro septenni habeatur, cui adhuc desunt septem, octo, vel decem, aut saltem unus, duo, tres dies?

Sufficere septennium moraliter impletum, adeoque validè Sponsalia contrahere, qui parùm distant à septennio, seu quibus aliquot solùm dies deficiunt, docet Petrus de Ledesma *q. 43 de Matr. a. 2. conclus. 1.* ubi ait, id cum D. Thoma tenere omnes Thomistas, Franc. Getius *in Summa Theol Moral. Doctoris Angelici V. Sponsalia. q. 8* Sylvest. *V. Sponsalia. q. 2. dicto 2.* Vivaldus *in candelabro c. 2. de Sponsal. n.* 4 ubi ait, valida esse, etsi deficiat una hebdomada, & aliquid amplius. Victoria *in Summa n. 284. de Matr.* Rebellus *p. 2. De Oblig. just L. 4. q 5. n. 2.* ubi ait, non opus esse, ut ultimus septennij dies inchoatus sit, sed sufficere, etsi octo, decemvé dies ad complendum septennium desint, Sotus & alij. Ratio istorum est, quia, quod parùm distat, nihil distare videtur, teste Aristotele. 2. Physic. & à Jurisconsultis *parùm*, & *nihil* æquiparantur in Jure.

8. Altera Sententia exigit dictos annos omnino Physicè, & Mathematicè completos, ita ut nec una quidem dies desideretur, quia, si vel unus deficiat, annus, qui ex mensibus, & diebus componitur, non est completus. Ita Sanch. *L. 1. disp. 16. n. 4.* Coninck *disp. 21. dub. 5 n. 51.* Perez *disp cit. Sect. 5.* Dicastillo, Pontius supra citati. Ratio præterea est, quia quando à Jure designatur aliquod tempus, debet id etiam ex præscripto Juris ita Physicè compleri, ut neque dies unica deficiat, cujus exemplum habemus in *c. Ex publico. De convers. conjugat.* ubi conceditur bimestre ad deliberationem de ingressu Religionis, & in Professione Religionis, ad quam Concilium Trindentinum *Sess. 25. c. 15. de Regular.* exigit decimum sextum annum completum, currit hoc tempus à momento ad momentum, ita ut ultima quoque dies completa esse debeat, ut præter alios expressè docet Jacobus Pignatelli *tom. 9. consult. 87. n. 1.* ubi ait, irritam fore professionem, si fiat per aliquot horas

ras ante exactum ætatis annum decimum sextum; qua de causa etiam ad Sponsalia Hurtadus, & Palao requirunt ætatem septennij usque adeò scrupulosè completam, ut neque unicum instans abesse possit.

9. Secundam istam Sententiam & ego probabiliorem judico cum allegatis Authoribus, cum quibus nihilominus censeo, eam limitandam esse quoad nimium rigorem Hurtadi, & Palao, ut nempe dicamus, sufficere in favorem Matrimonij, ultimam septennij diem esse inchoatam, etsi ea completa non sit. Moveor, quia non minùs favorabile est Matrimonium, quàm testamentum: sed ad testamentum, ad quod condendum in maribus requiritur annus decimus quartus completus, in fœminis duodecimus, sufficit, ultimam diem esse inchoatam, ut statuitur *L. Quæ ætate. ff. Qui testam. fac. poss.* ergo idem sufficiet in Sponsalibus, & hoc modo locum habere potest regula supra allata: quod patùm distat, nihil distare videtur.

10. Quæ adducuntur ex Concilio Tridentino, & *c. Ex publico. De converf. conjug.* non compellunt nos ad rigorem Hurtadi, & Palao, quia in primis dicto capitulo non probatur, quòd tempus septennij ad momentum usque debeat esse completum, nam tempus bimestre, quod ibi conceditur ad deliberandum de ingressu Religionis, est arbitrarium, ita ut à judice possit restringi, seu abbreviari, vel prorogari ex justa causa, ut docet Glossa *in cit. c. V. infra duorum*: cùm ergo nec ibi tempus bimestre Metaphysicè debeat esse completum, ex eo loco nihil probatur pro complendo tam scrupulosè septennio.

Ad locum Concilij Tridentini assignatur disparitas. Ut Professio valida sit, petit Concilium decimum sextum ætatis annum completum, & quidem usque ad momentum, idque decernit in favorem minoris ætatis, uti in simili statuitur de ætate minore in Jure Civili *L. 3. §. minorem. ff. De Minoribus*; ætas verò in nostra materia assignatur in favorem Matrimonij. Præterea contractus Sponsalitius est multò inferior statu Religioso: igitur mirum non est, quòd pro Religione strictiùs requiratur terminus præscriptus. Denique statuit hoc Trindentinum Concilium etiam in favorem ipsius Religionis, ut ætas strictè habeatur completa, & hac ratione fiat exactiùs perfecta deliberatio, & judicium Religiosi.

Cùm itaque Perillus in casu præsente dicatur præcocis ingenij, & ex hoc probetur, malitiam prævenire ætatem, Aleydis verò ultimum septennij diem inchoaverit, & ille, & ista habiles sunt ad contrahenda Sponsalia.

Quæstio

QUÆSTIO SECUNDA.

An ex defectu consensûs Parentum, aut positivo illorum dissensu reddatur quis inhabilis ad contrahenda Sponsalia?

CASUS

Contrahentium inscijs Parentibus.

Wendelinus Sponsalia contraxit cum Florinda, paris quidem conditionis, sed imparis fortunæ: fecit verò hoc utriusque Parentibus inscijs, atque ideo non consultis, quòd sciret non daturos consensum, sed potiùs ad iracundiam concitandos.

Q. An valida sint ista Sponsalia?

SYNOPSIS.

1. *Refertur cujusdam Recentioris hac in re Sententia nimis absoluta, & universalis.*
2. *Iure antiquo Sponsalia sine Parentum consensu contracta injusta erant, non tamen invalida juxta multos.*
3. *Iure novo Concilij Tridentini Sponsalia inscijs, aut invitis Parentibus contracta certò valida sunt.*

4. Ali-

4. *Aliquando etiam licita, si justa causa adsit.*
5. *Hac deficiente, agunt liberi ex multorum Sententia saltem illicitè. Verùm videtur distingui debere inter hæc duo, an agant inscijs, & inconsultis, an verò invitis Parentibus, & dicendum, teneri saltem petere ab ijs consilium.*
6. *An obligatio ista sit sub mortali?*
7. *Non tenentur sequi datum Consilium, adeoque possunt invitis Parentibus licitè Sponsalia contrahere.*
8. *Dummodo inde non timeantur gravia mala, scandala &c. sic enim essent illicita, & invalida.*
6. *Quo sensu si locutus fuit dictus Recentior, approbatur illius doctrina.*

1. CAsum hunc è Recentiore impresso descripsi, solis ferè nominibus immutatis, pro cujus solutione dictus Author ita loquitur: Wendelinus non contraxit validè cum Florinda. Ratio est, quia universaliter, quando Matrimonium non potest celebrari absque gravi peccato, ejus promissio est invalida: sed in proposito est sic, nam Parentes Florindæ graviter indignabuntur, indeque multa mala, ut puta rixæ, cædes &c. certò certiùs expectanda sunt: itaque hujusmodi promissio fuit nulla, neque enim justitia ad malum cooperatur. Hæc pauca ille ad casum non usque adeò expeditum, & sæpiùs occurrere solitum. Verùm decisio ista semper mihi visa est nimis absoluta, & universalis, quocirca operæ pretium erit indagare, an, vel quo sensu ea sustineri queat?

2. Maximam fuisse olim Parentum, ac præsertim Patris authoritatem circa conjugia liberorum, constat ex diversis textibus Juris. *L. 2. ff. De Ritu nuptiarum, L. 2. ff. De Sponsal. c. 3. Qui Matr. accus. poss.* & *c. Aliter. 30 q. 5.* An verò tanta ea fuerit, ut vel nuptiæ, vel Sponsalia, sine Parentum consensu celebrata, fuerint irrita, & invalida, idque ex citatis textibus ostendi possit, non est hujus loci: videri poterunt Basil. Pontius *L. 2. de Matr. c. 1. n. 5.* & 21. qui affirmat, & Gonzal. *in c. 1. De Despons. impub. n. 8. & seqq.* qui, etsi affirmet, jure antiquo nuptias sine Parentum consensu contractas fuisse injustas,

injustas, negat tamen, fuisse invalidas: sed hæc pro casu præsente opus non est fusiùs examinare.

3. Nam certum est, Jure novo post Concilium Tridentinum Sponsalia, & Matrimonia à liberis contracta, inscijs Parentibus, imò & invitis, valida esse. Constat istud ex Tridentino, quod, etsi Oratores Regis Galliarum fortiter institerint, teste Julio Capono *to. 3. Discept. Forens. discept.* 160. *n.* 33. ut irrita declararentur Matrimonia contracta à filijs absque Parentum consensu, post variorum Sententias ultrò, citroque multùm agitatas, & maturè expensas, rejecit nihilominus hoc postulatum, & decrevit contrarium, ut legi potest in historia Concilij Tridentini Card. Pallavicini *L.* 22. *c.* 1. *n.* 16. & *L.* 23. *c.* 5. *n.* 17. & in ipso Concilio Tridentino Sess. 24. c. 1. de reform. Matri. ubi anathemate damnat illos, *qui falsò affirmant, Matrimonia à filijs Familias sine Parentum consensu contracta irrita esse, & Parentes ea rata, vel irrita facere posse:* cujus ulterior ratio est, quia quoad statum vitæ eligendum quivis est sui juris, nec pendet ab arbitrio alterius, idque maximè locum habet in statu Matrimonij, quod gravia onera annexa habet, estque servitus quædam perpetua, & indissolubilis, à qua à natura liberi sumus: ergo non debet illius electio pendere ab aliorum voluntate, quàm eorum, qui statum hunc liberè suscipiunt.

4. Certum est 2. Liberos aliquando non solùm validè, sed etiam licitè contrahere Matrimonium Parentibus non consultis, sed inscijs, quando adest justa causa occultandi, quia v. g. prævident, Parentes injustè, & sine rationabili causa impedituros, aut quando hi nolunt liberos jam adultos, & in periculo incontinentiæ constitutos in Matrimonio honesto collocare, vel quando uxorem obtrudunt ægram, imprudentem, rixosam; aut si Pater senex, & avarus conjugem offerat filio vetulam, & deformem, sed opulentam, cùm alter præoptet juvenem, & venustam, etsi minùs divitem, ex quibus plerunque infortunata Matrimonia consequuntur inter conjuges, quorum animi vix possunt esse conjuncti, & mutuo amore inter sese obstricti, *quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit.* c. Præsens. 20. q. 3. Laym. Tannerus &c.

5. Quòd si talis causa non adsit, multi DD. affirmant, illicita esse Matrimonia inscijs Parentibus, aut invitis contracta. Ita Rebellus *q.* 14. *Sect.* 1. Sotus, Navarr. & alij citati à Sanch. *L.* 4. *disp.* 23. *n.* 9. putatque Hurtad. *disp.* 6. *de Matr. difficult.* 10. *n.* 36. cum pluribus alijs, committi peccatum mortale, quia infertur Parentibus injuria in re gravi, magnaque irreverentia, ob quam meritò, & jure optimo gravissimè offenduntur.

Verùm

Verùm limitanda est hæc assertio, faciendumque discrimen inter Parentes invitos, & inscios, atque dicendum, teneri omnino filios consilium suorum Parentum circa Matrimonia petere, ac proinde inita Parentibus inscijs esse illicita; quamvis non obligentur datum consilium sequi, cùm possint licitè ijs invitis, sed consultis tamen, inire Matrimonium, quod volunt. Ita Sanch. *l. c.* Dicastillo *disp. 4. de Matr. dub.* 17. Perez *disp.* 17. *Sect.* 18. Tamburin. &c.

Prima pars probatur, quia in re tanti momenti, & quæ Parentes quoque ratione familiæ non parùm concernit, omnino decens est, ut filij eos consulant, quod si omittant, agunt absque dubio contra reverentiam vi quarti præcepti Parentibus debitam, adeoque illicitè contrahunt.

6. An verò hæc obligatio petendi consilium sit sub mortali, dubium esse potest. Palao *disp.* 2. *de Sponsal. pu.* 12. *n.* 11. Coninck *disp.* 28. *dub.* 5. *n.* 52. Basilius Pontius *L.* 2. *c.* 1. §. 2. *n.* 27. asserunt, esse mortale. At mihi videtur cum Tambur. *L.* 5. *in Decal. c.* 5. §. 3. *n.* 6. & Dicastillo *l. c.* non petentes à Parentibus consilium posse quidem aliquando peccare mortaliter, si eo posthabito, & non petito, periculum sit ineundi Matrimonium indignum genere, & familiâ, unde timeri possent graves dissensiones inter cognatos, & affines contrahentium, vel si inirent Matrimonium, cujus onera præ nimia egestate sustinere non possent: in his, & similibus casibus, fortè peccabunt graviter non tam ex eo, quòd contrahant Parentibus inconsultis, sed quia, dum spreto prudentiorum consilio temerè Matrimonium contrahunt, se tali periculo exponunt: hæc verò si absint, cum citatis Authoribus non perspicio, cur dicantur peccare mortaliter, qui nuptias, aut Sponsalia celebraturi Parentes de his non consulunt, nam possunt utique 1 consulere virum alium, fortè parentibus prudentiorem, ut adeò paterno consilio non indigeant. 2. Cur, obsecro, dicantur peccare mortaliter, qui Parentes non consulunt, cùm tamen non peccent mortaliter, imò ex communiore Sententia omnino non peccent, qui datum à Parentibus consilium non sequuntur, cùm unum non videatur magis repugnare debitæ reverentiæ, quàm alterum. 3. Si cum indignis sint contracturi, v. g. inferioris conditionis, aut tenuioris fortunæ, exposcendo consilium in nova pericula rixarum etiam cum Patre se conijcient, namque is contradicet, cùm agatur de suæ familiæ dedecore, præsertim si filius constans permanserit in concepto proposito, prout licitè potest juxta Sanch. etiam contra datum consilium: satiùs igitur fore existimat Tamburinus, ut Pater

 ignoret,

ignoret, quàm ut noscat, & ejus authoritas coràm despiciatur.

7. Altera pars, videlicet quòd sequi non teneantur datum à Parentibus consilium, sed possint licitè, si illi nolint consentire, ipsis invitis Sponsalia, aut nuptias contrahere, probatur: quia filij sunt sui juris in contrahendo Matrimonio æquè, ac in deligenda Religione. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in C.* ubi ait, in his, quæ ad proprij corporis sustentationem, prolisque generationem attinent, omnes homines esse pares, nec filios subijci Parentibus: dum ergo utuntur jure suo, in Parentes impij, & irreverentes non sunt, sed isti hoc immeritò conqueruntur. Sanch. *disp* 23. *cit.* Dicastillo, Perez, & perquam eleganter Felicianus Oliva p. 1. de Foro Ecclesiæ. q. 29. à n. 20. *honestum est valdè*, inquit, *sine consensu Patris non contrahere Matrimonium, non tamen etiam tenetur sub præcepto illum exigere; nec peccat, si contrahat eo non petito, vel non obtento.*

Ex his autem nullo modo consequitur, frustra peti à parentibus consilium, si non est obligatio istud sequendi; nam plurimùm etiamnum prodest hoc agere, cùm fortè possint à Parentibus aliqua aperiri, ob quæ filio decepto licitum sit dissolvere contracta Sponsalia, vel ut, si ijs adstrictus necdum est, mutet suam voluntatem.

8. Cæterùm quando dicitur, non esse peccatum absque Parentum consensu inire Sponsalia, aut contrahere Matrimonium, semper intelligendum est, quando ex istis non timetur, fore, ut gravia mala, scandala, & incommoda sequantur, sic enim erunt illicita, non ob defectum consensus, sed quia peccaret mortaliter contra charitatem, qui ista prævidens nihilominus contraheret.

Quin imò, si timeantur ex futuris nuptijs graves rixæ inter Parentes contrahentium, magnaque, & diuturna horum offensa, fatalia odia, dissensiones, gravia Scandala &c. Sponsalia Parentibus invitis inita, aut non consultis, non solùm illicita, sed invalida quoque, & nulla sunt, ut docet Sanch. *L.* 1. *disp.* 14. Gobat *tr.* 10 *de Sponsal. n.* 106. Less. *in Auctario V. Sponsalia Cas* 4. Wex *p* 5. *Ariadnes Carolino-Canonicæ tr.* 2. *de Sponsal.* §. 3. *n.* 12. Ratio est, quia virtus Justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest: sed contrahere Matrimonium in dictis circumstantijs, ubi ex eo oritura sunt gravia scandala, dissensiones &c. est manifestè peccatum mortale, cùm notabiliter lædatur charitas proximi, dissolvatur amicitia cognatorum, & agatur contra pietatem parentibus debitam: ergo promissio talium nuptiarum non subsistit, sicuti nulla est promissio adulterij, vel homicidij &c. quia sicut ad impossibile, ita ad inhonestum nemo obligari potest. *c. Quanto. de Iure, ur.* atque ideo potest, ac debet Magistratus

tus Ecclesiasticus meditatum Matrimonium impedire, nam ejus officium est cavere, ne talia Matrimonia ineantur, ex quibus scandala, & infelices exitus sequi solent. Laym. *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14.* Engl *Man. Paroch. p. 3. c. 5. §. 3. n. 11.*

9. Ex hactenus dictis constare nunc potest, cur supra ad initium dixerim, à Recentiore impresso ad casum propositum nimis absolutè, & universaliter fuisse responsum; neque enim eo ipso Sponsalia, quòd sint illicita, semper etiam irrita sunt, sed possunt obligare, quamvis non sine peccato contracta sint, quia v. g. in consilium adhibiti non sunt, qui consuli super eo debuerant, sicut donatio, vel promissio obligat, etsi ea prodigè, vel ex vana gloria facta sit. 2. Nec semper etiam ex eo capite nulla sunt Sponsalia, quòd timeatur Parentum offensa, aut Pater prævideatur ad iracundiam concitandus, quod exprimitur in casu, sæpè enim ista offensa minimè diuturna est, sed statim cessatura. Et sanè experimur non rarò, quando deferbuit primus Parentum, vel agnatorum impetus, paulò post minas omnes in nihilum recidere, & amicorum hortationibus facilè componi animos, ut actis acquiescant, omniqúe sedata tempestate contentissimos deinceps esse secuto filiorum Matrimonio. Tunc igitur solùm irrita sunt, quando ejusmodi gravia mala, quæ recensuimus, pertinaciter duratura non vanè prævidentur; Hæc autem à memorato Authore adducuntur quidem pro ratione suæ resolutionis, verùm in ipso casu neutiquam exprimuntur, & fortè rationabiliter timeri non poterant, cùm tota iracundiæ occasio ibi dicatur esse, quia Sponsa est impari fortunæ, quem defectum compensare utique potuit æqualitate nobilitatis, & conditionis, quæ à nobilibus magis attendi solet, qui mercatores nolunt agere, & soli lucro inhiare, quiqúe, quod prudentes faciunt, pro nuptiali thalamo Sponsam quærunt, non verò pecunias, moti monitione Martialis L. 8. ad Priscam.

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis ? Uxori nubere nolo meæ.

Sectio

SECTIO TERTIA.

De effectibus, & obligationibus Sponſalium.

QUÆSTIO PRIMA.

De obligatione ſervandi Sponſalitiam promiſſionem.

C A S U S

Reſilientis à Sponſalibus ſine juſta cauſa.

Rodericus Sponſalia contraxit cum Milburga, modò alterius amore ineſcatus renuit ſtare promiſſis.

Q. 1. Quale peccatum committat ſine juſta cauſa reſiliens à Sponſalibus?

2. An compelli poſſit à judice, ut ſtet promiſſis, & num conſultum ſit Sponſæ, ut in hoc urgeat ſuum jus?

S Y N O P S I S.

1. *Præter impedimentum publicæ honeſtatis alius effectus Sponſalium eſt obligatio, quam inducunt.*

2. *Obli-*

2. *Obligant graviter, etiam non jurata, ad contrahendum Matrimonium.*
3. *Quo tempore Sponsalia implenda sint? Referuntur duæ oppositæ Sententiæ.*
4. *Eædem inter se conciliantur.*
5. *Monitum S. Congregationis Concil. Tridentini, ut Sponsalia quàm primùm impleantur.*
6. *An nolens implere Sponsalia, compelli possit à Iudice? Sententia negativa parùm roboris habet.*
7. *Affirmativa probatur.*
8. *Nequit tamen compelli, quando ex tali coactione timentur gravia mala, vel scandala.*
9. *Compellere resilientem potest etiam Iudex sæcularis.*
10. *Non est consultum, ut Sponsa nimiùm urgeat suum jus.*

1. DUplex communiter assignari solet effectus, qui ex Sponsalibus oritur. Prior est impedimentum publicæ honestatis, de quo tractabitur, quando agetur de impedimentis Matrimonij. Alter est gemina obligatio, quam inducunt Sponsalia. Prima consistit in eo, ut promissio Matrimonij impleatur. Altera est tacita quædam conditio suum corpus, usque dum actu Matrimonium incatur, integrum, & incorruptum conservandi; qui enim alteri rem promittit, tenetur eam tradere in eo statu, in quo tunc erat, quando promissio facta est, & cavere, ne reddatur deterior.

2. Obligant verò Sponsalia, sive juramento firmata sint, sive non, etiam clàm, & sine testibus contracta, sub culpa lethali ad Matrimonium contrahendum, nisi rationabilis causa superveniens ab hoc excuset. Perez *disp. 6. Sect. 1. n. 2.* Pirh. *n. 15. de sponsal.* Covarr. *p. 1. de sponsal. c. 4. n 2.* Sanch. *L. 1. disp. 27 n. 2* Laym *L. 10 p. 1. c. 1. n. 3.* Palao *disp. 1. de Sponsal pu. 7. n. 1.* Tannerus *to. 4. disp. 8. q. 1. dub. 3. n. 34.* & hoc testante communis, & certa DD. Sententia, quidquid aliqui Juristarum in contrarium dicant, moti L. 1. C. De Sponsal. ubi dicitur; *alij desponsata renuntiare conditioni,*

&

& nubere alij non prohibetur, quæ lex per SS. Canones correcta est. Nec probant suam intentionem pauci quidem è Canonistis, qui putant, Sponsalia tunc solùm obligare sub culpa gravi, quando accessit juramentum ob *c. Ex literis. 2.* & *c. Præterea. De Sponsal.* Sed dicendum cum Pirh. *l. c. n.* 18. etsi in utroque loco mentio fiat juramenti, huius tamen Pontificem rationem non habere, sed velle, ut sponsi stent suis promissis non propter factum juramentum, verùm propter injustitiam, quæ committitur, dum Matrimonium promissum non impletur, ut apertissimè constare potest ex c. Præterea hi. De Sponsal. ubi Pontifex loquens de duobus, qui mutua promissione contraxerunt Sponsalia, & postea mutarunt intentum, nolebantque adimplere promissum, sic ait: *hi, qui de Matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis inducendi, ut præstitam fidem observent*; quod sanè non alia de causa Pontifex præcipit, quàm quia ad fidem servandam sub gravi peccato tenentur, idque incurrent, si non observaverint, ut advertunt Wagnereck in *cit. c. Not.* 1. & Barbosa ibid. n. 8. utens particulâ causativâ *quia*, nempe ut præstitam fidem servent, *quia* Sponsalia obligant sub culpa lethali, quasi diceret, hoc permovisse Pontificem, ut istud præciperet: vides autem, in dicto capitulo nullam mentionem fieri ullius juramenti; ergo, ne alios Canones allegem ab Authoribus adduci solitos, ex Jure sufficienter constat, Sponsalia etiam non jurata sub gravi peccato obligare.

Probatur verò etiam ratione, quia omnis contractus onerosus, & reciprocus, quando versatur in materia gravi, & quæ sufficiat ad peccatum mortale, obligat sub mortali: atqui promissio mutua de futuro Matrimonio, sive Sponsalia sunt talis contractus reciprocus, & onerosus, mutuam obligationem inducens *facio, ut facias* &c. & materia, in qua versantur, est gravis, cùm alteri inferatur magna injuria, si non observetur: ergo Sponsalia inducunt obligationem sub mortali, & sine justa causa resiliens peccat lethaliter, nec potest à Confessario absolvi, quamdiu persistit in proposito non servandi suum promissum. Beja *p.* 1. *cas.* 3. *de Sponsal.*

3. Cæterùm quo tempore implenda sint Sponsalia, & contrahendum promissum Matrimonium, variant Authores: id certum est, quando præfixum est ab ipsismet contrahentibus certum tempus, observari debere terminum, qui mutuo contrahentium consensu est constitutus, nisi aliter iterum inter se conveniant. At quando nullum tempus est designatum, rursus opinantur complures, non obligare Sponsalia ad Matrimonium tunc statim

statim contrahendum, quando opportuna occasio fuerit, sed expectari posse, donec pars altera istud exigat, actum primùm adesse obligationem contrahendi, si fieri commodè possit. Ita Sanch. *disp.* 28. Pirh. Tannerus &c. qui se fundant in *L. Debitores præsentes. C. De Pignoribus*, generale enim est, debitorem obligatum non esse ad solvendum debitum, nisi Creditor postulaverit, quando terminus præfixus non est, nisi tamen, ut ipsi Authores hujus Sententiæ limitant, exigere debitum intermittat ob nimiam verecundiam, vel metum reverentialem, vel ob ignorantiam debiti, aliamvé similem causam, quod sæpè contingit in Sponsalibus ex parte fœminarum, quæ, licèt maximè cupiant Sponsalia perfici, petere tamen non audent vel ob naturalem pudorem, vel ob timorem Sponsorum, ne tædio affecti penitus desistant.

Altera Sententia huic opposita docet, hanc obligationem incipere à momento contractûs, ita ut statim teneatur contrahere Matrimonium, etiam non requisitus, quàm primùm commodè potest. Ita Pontius *L.* 12. *c.* 6. *n.* 1. Coninck *disp.* 22. *dub.* 1. *n.* 2. Perez, Palao &c. Fundatur Sententia hæc in Jure, in quo statuitur, quòd omnis obligatio, quando terminus non præfigitur, statim debeatur: exemplum habemus L. Eum, qui. §. 1 ff De V. O. & L. in omnibus, 14. ff. De R. I. ubi dicitur: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Ratio est, quia Sponsalia contracta sunt absolutè, non verò sub conditione, ut altera pars exigat: ergo nulla est ratio, cur expectare debeam postulationem partis.

Citata Lex *Debitores præsentes. C. De Pignoribus.* non facit ad rem, ut ex ea possimus concludere universaliter de omni debito, siquidem non loquitur de debito, sed de alio casu quodam speciali, nempe de distractione pignoris, ad quam à creditore procedendum non est ante debiti exactionem; pari modo se res habet in mutuo, & precario, ea enim non statim, ac contrahuntur, reddi debent, sed arbitrio Viri prudentis, quia aliàs nullius essent utilitatis. At verò Sponsalia velociter, & confestim impleri contrahentibus utile esse potest: non est igitur ratio, cur debeant impleri post annum, vel mensem, & non statim à die initi contractûs.

4. Hæc Sententia per se, & sistendo in rigore Juris vera est, & omnino tenenda; conciliari tamen poterunt diversæ opiniones, si dicatur cum Palao, P. Jacobo Wex *p.* 5. *Ariadnes Carolino-Canonicæ tr.* 2. §. 6. *n.* 8. & Tambur. *c.* 1. *de Sponsal.* §. 1. *n.* 14. obligationem implendi Sponsalia ex natura sua incipere quidem à die, quo sunt contracta, in praxi tamen regulariter excusari, qui impletionem differt, donec altera pars exigat, quemadmodum fieri solet etiam in

in alijs debitis, usque dum creditor solutionem petat, cùm enim posset promissionis impletionem urgere, & non urget, censetur tacitè in dilationem consentire, dummodo tamen istud non fiat ex verecundia, timore &c. ut supra dictum est, nam sic non minùs obligaberis implere Sponsalia, quàm si pars altera peteret, si alia causa excusans non adsit, & habeatur implendi opportunitas.

5. Dicta hactenus confirmari possunt justissimo monito S. Congregationis Cardinalium ad Concil. Trident. Sess. 24. c. 1. de reform. Matr., uti referunt Tannerus *to. 4. disp* 8. *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 35. Gobat *tr.* 10. *cas.* 4. *de Sponsal. n.* 124., & Gallemart, quo Parochos hortatur, ut post contracta Sponsalia curent, quamprimùm à sponsis, quoad fieri potest, Matrimonium de præsenti contrahi ad vitandum fornicationis periculũ, *quod velim*, ait Gobat, *Domini Parochi sæpè inculcent suis Parochianis, procrastinatio enim Matrimonij inter sponsos præbet occasionem efficacem infinitarum turpitudinum, ut prodolor! dolent Confessarij.*

6. Quæstio nunc est, an si pars una exigat, altera verò Sponsalia implere renuat, compelli ad hoc possit, aut debeat non solùm à Confessario, negando absolutionem, si implere nolit, de quo dictum est n. 2. ad finem, sed etiam á Judice per censuras, aut alias pœnas?

Compelli non posse, saltem quando Sponsalia jurata non sunt, defendunt cum D. Thoma Armilla *V Sponsalia n.* 7. Rodriq. *p* 1. *Summæ c.* 243. *n.* 1. qui ait, compelli non debere, nisi pars altera fuerit infamata, Angles, & alij nonnulli. Rationem desumunt ex c. Præterea. 2. de Sponsal. ubi Pontifex ait, *commonendos esse, & modis omnibus inducendos*, quin faciat mentionem ullius censuræ, vel pœnæ, *& c. Requisivit. eod.* Sponsam monendam potiùs asserit, quàm cogendam, cùm libera debeant esse Matrimonia, & coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Ad hæc si coactio fiat intentatâ excommunicatione, matrimonium tanquam gravi metu extortum, & legitimo consensu destitutum pro invalido habendum est *c. cùm locum. de Sponsal.* ergo censuris, alijsvé pœnis compelli nequit.

Verùm parùm soliditatis habet ista probatio, nam primum capitulum duntaxat asserit, coactionem adhibendam non esse, quando Sponsalia dissolvuntur ex mutuo consensu, tunc enim vult Pontifex, monendos esse, & modis omnibus inducendos, ut præstitam fidem servent, &, si non paruerint, patienter tolerandam esse eorum inconstantiam. Ita passim exponunt Authores, & colligitur ex verbis: *Si autem se ad invicem admittere noluerint.* Alter textus, qui allegatus est, non prohibet intentare censuram, dum enim ait: *monenda est potiùs, quàm cogenda*, sensus est, ut cum Glossa exponit Dicastillo, priùs monendam,

dam, & si non acquieverit, compellendam esse: ergo non prohibet, sed permittit coactionem, sed non primò, verùm post prævíam monitionem. Ad tertium. Metus excommunicationis, quando justè infligitur, non est metus cadens in virum constantem, cùm culpâ illius inferatur, qui eum patitur, potestque ipsemet se illo metu liberare, removendo injuriam, & observando promissum, ad quod se sponte obligavit.

7. Dicendum igitur, qui post monitionem factam recusat sine legitima causa implere fidem Sponsalium, per se, & regulariter potest, ac debet compelli à Judice, etiam intentatâ censurâ, sive Sponsalia juramento firmata sint, sive non. Sanch. *L. 1. disp. 29. n. 4.* Coninck *disp. 22. dub. 2. n. 9.* Engl *de Sponsal. n. 12.* Covarr. Laym. Dicastillo, Pontius, Gobat, Riccius *in praxi fori Ecclesiast. to 4. resol. 420.*, & *in decisionibus Curiæ Neapol. p. 2. decis.* 184. *n.* 5. Pirh. Wiestner, Perez, Tannerus, &c.

Patet hoc in primis ex recepta praxi Curiarum Ecclesiasticarum, in quibus sæpissimè hi casus occurrunt, ut pars injustè resiliens censuris Ecclesiasticis, excommunicatione, alijsque opportunis remedijs ad contrahendum Matrimonium cogatur. 2. Idem constat ex cit. *c. Requisivit*, & apertissimè *ex c. In literis.* 10. *De Sponsal.* ubi Alexander III. de viro, qui promiserat Matrimonium, & resilire attentabat, ita statuit, scribens ad Pictaviensem Episcopum: *Eum moneas, & si non acquieverit monitis, Ecclesiasticâ censurâ compellas, ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat*, ubi licèt agatur de Sponsalibus juratis, perinde tamen est, etsi jurata non sint. 3. Denique patet etiam ex ratione, quia Judex ex officio tenetur procurare, ne subditi injuriam patiantur, aut, quod ex justitia eis debetur, ipsis denegetur: at resiliens à Sponsalibus sine causa gravem injuriam irrogat parti, cum qua contraxit, eamque privat iniquè suo jure: ergo compelli potest, ac debet à judice, ut ab injuria desistat, & Sponsalia impleat.

8. Dixi verò *per se*, & *regulariter*, quia per accidens aliquando cogendus non est injustè resiliens, ut ex cit. cc. constat, quando nimirum, attentis circumstantijs, judex prudenter arbitratur, ex invitis nuptijs gravia mala esse secutura, qualia sunt perpetuæ rixæ, dissensiones, jurgia &c. vel si advertat, tantam esse inter desponsatos animorum aversionem, ut una pars malit censuras, & omnia perferre, quàm Matrimonium contrahere, aut si timeatur denique, ob metum excommunicationis consensuram quidem, sed simulatè, ac postmodum deserta uxore, & fortè impregnatâ abiturum: quando hæc, & similia

lia prævidentur, aut excommunicatio nihil profutura judicatur ob nimiam recusantis pertinaciam, præstat ab illa imponenda abstinere, aut, si imposita fuerit, eandem relaxare, etiam quando absolutionem ab ea non petit, nam satiùs est, permittere minus malum violatæ promissionis, quàm ulteriore coactione procurare mala majora coacti Matrimonij.

9. Quæres, an etiam Judex sæcularis possit compellere injustè resilientem à Sponsalibus?

Resp. Affirmativè, uterque enim Judex & Ecclesiasticus, & sæcularis compellere potest resilientem ad observandum contractum, & ubi culpa notoria est, utrique cumulativè competit inflictio pœnæ: si autem primùm instituendum sit examen de valore Sponsalium, aut de causa dissolvendi, aut infidelitas alterutrius partis non manifesta sit, sed primùm probari debeat, tunc istud ad judicem sæcularem non spectat, nam ejusmodi causæ Matrimoniales, in quibus non de facto, & executione Sponsalium, verùm de jure illorum agitur, privativè pertinent ad forum Ecclesiasticum. Gobat *l. c n.* 132. Palao *pu.* 8. *n.* 6. Pontius, Sanch. &c.

10. Ex istis omnibus facilè apparet, quid Sponsæ sit consulendum, quæ parata est, jus suum urgere, videlicet, licitè quidem posse hoc ipsam tentare, consultum tamen non esse in istis circumstantijs, ut Sponsum valde urgeat ad fidem servandam, cum experientia quotidiana doceat, coacta Matrimonia solere exitus infelices habere; similiter neutiquam expedire, ut urgeat, ne absolvatur ab excommunicatione, si lata in ipsum est, aut rigidè, & instanter per eandem ad Matrimonium compellatur, quia vel consequetur Matrimonium perturbatum, vel fictum, eritque periculum, ne metu censuræ compulsus consensum simulet, at postea defloratâ Sponsâ discedat, fugamque arripiat: consultius ergo est, ostendere, quòd ipsa causam resiliendi ei non dederit, atque ita urgeat, ut satisfaciat sibi pro damnis, quæ incurret ob ejus perfidiam, eumque sic dimittat, quod consilium pluribus se dedisse, testatur Gobat *n.* 134.

Quæ

QUÆSTIO SECUNDA.

Quantam Sponsi habeant obligationem conservandi se incorruptos ad futuras nuptias?

C A S U S

Sponsæ fornicantis.

Callinia Sponsa Sulpitij peccat carnaliter cum Gundemato.

Q An debeat specialiter aperiri hæc circumstantia in confessione?

SYNOPSIS.

1. *An fornicatio Sponsæ sit adulterium?*
2. *Defenditur Thomas Sanchez contra Basilium Pontium.*
3. *Concluditur, & probatur, fornicationem Sponsi, vel Sponsæ non esse adulterium, cum annexis corollarijs.*
4. *An saltem contineat specialem malitiam, ita ut circumstantia ista, quòd Sponsa sit, vel Sponsus, debeat specialiter in confessione manifestari? Refertur prima Sententia negativa.*

5. *Refertur secunda Sententia, quæ dicit, hanc circumstantiam manifestandam esse ex parte Sponsæ, non verò ex parte Sponsi.*
6. *Statuitur tertia Sententia, hanc circumstantiam ex utraque parte continere gravem malitiam præter peccatum luxuriæ, esseque specialiter in confessione aperiendam.*
7. *Respondetur ad argumenta opposita.*
8. *Gravius peccatum est ex parte Sponsæ, quàm Sponsi.*

1. Dictum est in casu præcedente, ex Sponsalibus oriri obligationem abstinendi ab omnibus ijs, quæ facta à conjuge, essent contra fidem Matrimonij, adeoque servandi corpus suum futuro conjugi incorruptum, quam obligationem si violet Sponsa, peccando carnaliter cum alieno, adulterij ream pronunciant è Juristis complures apud Sanch. *L. 1. de Matr. disp* 2. & Jul. Clarum *L. 5. recept. Sentent. §. Adulterium. n.* 8. cum quibus è Theologis sent it Paludanus *in 4. dist.* 27. *q.* 1. *a.* 3 *n.* 17. Probant autem opinionem suam ex L. Uxor. 13. §. 3. ff. Ad L. Jul. de Adult. *Divi Severus, & Antoninus rescripserunt, etiam in Sponsa hoc idem vindicandum, quia neque Matrimonium qualecunque, nec spem Matrimonij violare permittitur.*

2. Sanchez *l. 6.* negat, à Sponsa de futuro committi adulterium, aitque, in dicta lege, dum idem crimen etiam in Sponsa vindicandum asseritur, intelligi Sponsam per verba de præsenti, nondum cognitam, cum hac enim æquè committitur adulterium, sicuti cum uxore jam cognita. Ob hanc responsionem indignis modis vapulat Sanchez à Basilio Pontio L. 12. c. 6. n. 6. *Errat autem hic turpiter Sanchez*, ait Pontius, more suo ferè ubique justo acerbiùs dentes infigere solitus, ubi opinioni suæ Thomam Sanchez contrarium reperit; Certè in solo citato capite non admodum magno præter hunc locum adhuc quater utitur ejusmodi phrasibus n. 1. bis; *cujus oppositum immeritò dixit Th. Sanchez &c. itaque perperam suam doctrinam ex dicta lege colligit Sanctius* n. 4 *non attendit Sanchez, textum hunc ex c. 2. non esse ad rem, de qua agimus.* n. 8. *ridiculè Thomas Sanchez censet &c.* Miror profectò tam indignè tractari à Pontio

Pontio Authorem de re literaria optimè meritum, de quo dixisse scribitur Clemens VIII. Pont. Max. nullum unquam authorem extitisse, qui dubias de Matrimonio controversias uberiùs, & accuratiùs enodasset; & Felician. Oliva *p. 1. fori Eccles. q. 29. n. 13. in fine* vocat eundem doctissimum, ac diligentissimum in scrutandis opinionibus Doctorum, ut ideo pro multis sufficiat eum allegare. Quantùm, obsecro! discrepant ista encomia à dictis Pontij! ut non immeritò jam pridem acerbam ejus crisin aversati sint Castro-Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 13. § 6. n. 7. in fine.* ubi ait, unicum finem Basilij Pontij in scribendo fuisse, non tam investigare veritatem, quàm dictis Thomæ Sanchez contradicere, & Dicastillo disp. 4. de Matr. dub. 2 n. 25. *Unde non potest*, inquit, *non displicere Basilius Legionensis, qui immeritò invehitur in Thomam Sanchez, cujus tractatum æmula contentione conatus est superare, ad quem tamen longo intervallo attingere non potuit.*

Verùm se ipsum vindicat Sanchez, quia, dum ait *n.* 3. concedi quidem in dicta lege vindictam Sponso, non ratione adulterij, sed quia per violationem Sponsæ atrox ipsi injuria illata est, per verba subsequentia aliud nihil videtur velle dicere, quàm si quis urgeret, in dicta L. vocari idem crimen uxoris, & Sponsæ violationem, adeoque esse adulterium, verum hoc esse, si in textu citato nomine Sponsæ intelligatur Sponsa per verba de præsenti, necdum cognita, juxta id quod dicit Glossa in c. Discretionem De eo, qui cognov. consang. V. reatum adulterij: *& est hoc notabile, quòd adulterium committitur cum Sponsa nondum cognita à viro*, quo sensu dum loquitur cum Glossa Sanchez, sanè non turpiter errat, ut Pontius cavillatur.

3. Dicendum itaque, fornicationem Sponsi, vel Sponsæ de futuro non esse adulterium. Ita cum Sanch. & Julio Claro communis aliorum. Ratio est, quia per talem concubitum non violatur torus alienus, qui Sponsis necdum conceditur ante Matrimonium atqui adulterium est violatio tori alieni, ut illud definit D. Th. 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. *C.* ergo nullum à Sponsis committitur adulterium. Item L. Inter. 6. §. 1. ff. Ad Leg. Jul. De Adult. dicitur: *propriè adulterium in nuptam committitur*: at Sponsa non est nupta, sed nuptura: ergo &c. Denique etiam lex superiùs adducta ab adversarijs, si benè consideretur, potiùs contrarium dicit, apertè enim distinguit violationem Matrimonij, quæ est adulterium, à violatione Sponsalium, etsi dicat, utrumque delictum esse puniendum, quod nemo negat.

Ex his porrò deduces. 1. liberos ex tali concubitu natos non esse spurios, sed naturales legitimos, quia solùm impedimentum dirimens Matrimonium inter parentes efficit filios

filios spurios, inter istos autem validè, esto illicitè, Matrimonium contrahi potest, unde neque illi sunt Spurij, qui nati sunt ab habente votum simplex castitatis. Laym. Palao, Coninck, Hurtad.

Deduces 2. non excusari ab excommunicatione, qui percutit Clericum deprehensum in fornicatione cum Sponsa de futuro, quamvis eam non incurrat, qui percutit turpiter inventum cum uxore juxta c. 3. De Sent. Excommun. quod à Glossa in *cit. c. V. cum Vxore.* meritò extenditur ad Sponsam de præsenti, ad Sponsam verò de futuro nullo modo. Gobat *tr.* 10 *de Sponsal. n.* 6. & expressis verbis Covarr. 4. *Decret p.* 1. *c.* 1 *n.* 16.

Deduces 3. pari modo non evadere irregularitatem ex homicidio, qui alienum occidit, quem reperit cum sua Sponsa carnaliter peccantem, etsi juxta Laymannum, & alios irregularis non fiat, qui occidit in turpi flagitio deprehensum cum Matre, uxore, sorore, vel filia, sed hoc in alijs personis ulterioribus, eum non ita propinquè attingentibus, uti est Sponsa de futuro, non procedit.

4 Postquam igitur ostensum est, fornicationem Sponsi, vel Sponsæ non esse adulterium, exoritur novum dubium, an saltem in se contineat malitiam specie distinctam à simplici fornicatione, ita ut hæc circumstantia debeat specialiter in confessione aperiri?

Circa hoc triplex est Sententia, quarum quamlibet Card. de Lugo ait esse probabilem, nec esse facile, aliquam ex ijs efficaci argumento impugnare. *Disp.* 16. *Sect.* 4. *de Sacr. Pœnitent.* §. 5. *n.* 178.

Prima docet, esse solum peccatum intemperantiæ, nec continere in se ullam injustitiam, unde hanc circumstantiam Sponsi vel Sponsæ non necessariò in confessione esse manifestandam, cùm opus non sit, aperire eas circumstantias, quæ speciem non mutant, juxta probabiliorem Sententiam. Ita Covarr. *l. c n.* 18. Henriq. *L.* 11. *c.* 13. *n.* 4. Vivaldus *in candelabro aureo tit.* 16. *de Sponsal. n.* 10. Basilius Pontius *L.* 12. *de Sponsal. c.* 6. *n.* 8. Tannerus *to.* 4. *disp.* 8. *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 42. & alij plures, quam Sententiam referunt aliqui, etiam Azor agnovisse pro probabiliore, sed falluntur in hoc, namque is *tom.* 3. *L* 3 *c.* 4 *q.* 6 dum refert Sententiam Covarruviæ, hæc subdit: *licèt alij ab eodem Covarruvia citati oppositum senserint, satis probabiliùs*: non ergo agnoscit Azor pro probabiliore hanc Sententiam, sed oppositam. Ratio istorum est, quia non violatur fides in Sponsalibus data, hæc enim data est solùm ad contrahendum suo tempore Matrimonium cum ipso, & non cum alio, non autem, quòd nolit cum alijs fornicari, quod promissum non obstante fornicatione adhuc impleri potest: ergo præter peccatum luxuriæ non datur

hic

hîc aliqua specialis infidelitas, sicuti si quis promisit ingredi certam aliquam Religionem, & postea fornicetur, nullam admittit infidelitatem contra suum promissum. Sed neque datur hîc præter peccatum intemperantiæ aliqua distincta injustitia, quia, dum alteri concedit usum sui corporis, non tradit alienum, cùm per sola Sponsalia necdum tradiderit Sponso suum corpus, aut jus eo utendi: ergo nulla committitur injustitia.

5. Altera Sententia docet, ejusmodi fornicationem non solum esse peccatum contra temperantiam, sed esse peccatum mortale etiam contra justitiam, si fiat ex parte Sponsæ, non autem, si facta sit ex parte Sponsi, adeoque hanc circumstantiam debere exponere in confessione solam Sponsam, quando ipsa fornicata est, sicuti & illum, qui fornicatus est cum Sponsa aliena, non verò si Sponsus fornicationem commisit cum alia quapiam soluta, quæ nulli desponsata est. Ita docet Sanch. *L. 1. disp. 2. n. 6.* Filliuc. *tract. 10. c. 7. q. 1. n. n. 233.* Fagundez *L. 2. de præcept. Eccles. c. 3. n. 20.* Molina *to. 4. de Iust. tr 3. disp. 93 n. 8. ad finem*, Rodriq. Bonac. & plures alij, unde miror, ausum fuisse dicere Basilium Pontium *l. c. n.* 8. ridiculè ita censere Thomam Sanchez, cùm videamus, Sententiam istam tot viros doctos fuisse amplexatos, quod neutiquam fecissent, si esset istâ explosione digna. Ratio autem hujus doctrinæ est, quia illa fornicatio est Sponso graviter injuriosa, tum ob infamiam, quam incurret, si ducat corruptam ab alio, quæ tanta est, tantumque æstimatur probrum, ut vix sit ullus, etiam infimæ sortis, qui sciens Sponsam esse ab alio defloratam, eam ducere velit, cùm notabiliter vilior reddita sit, tum quia insuper conjunctum est periculum, ne Sponsus prolem alere debeat alienam, tanquam suam, & habere hæredem. Econtra si Sponsus fornicetur cum alia, non redditur ipse in hominum æstimatione notabiliter vilior, neque accedit Sponsa simile periculum, neque infamia, consequenter non nisi levis quædam injuria ipsi infertur, etiam in eorum Sententia, qui dicunt, hujusmodi fornicationem continere specialem malitiam injustitiæ contra jus Sponsæ acquisitum per Sponsalia in corpus Sponsi; cùm igitur hæc injustitia sit solùm venialis, non necessariò illius facienda est mentio in confessione.

6. Tertia Sententia asserit, fornicationem tam Sponsæ, quàm Sponsi esse grave peccatum injustitiæ, distinctum à simplici fornicatione, quocirca hanc circumstantiam ab utroque esse aperiendam, quæ Sententia ex omnibus videtur probabilior, eamque tenent Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 7. n. 6.* Coninck *disp. 22. dub. 1. n. 6.* Hurtadus *disp. 1. de Matrim. difficult. 2. n. 6.* Dicastillo *disp. 1. de Matrim. dub. 46. n. 663.*

Wiesner

Wiestner *n.* 57. *de Sponsal.* Præposit. *q.* 6. *de Matr. dub.* 3. *n.* 23. Ratio est, quia fornicatio tam ex parte Sponsi, quàm ex parte Sponsæ præstat parti innocenti sufficientem occasionem, ut delinquentem repudiet, & Sponsalia dissolvat *c. Quemadmodum. De Iurejur.* ergo, cùm dissolutio Sponsalium, & repudiatio delinquentis sit aliquid grave, & repulso non leviter nocivum, debet fuisse commissa gravis injustitia, & injuria, ex qua oriatur hoc jus resiliendi. 2. Probatur. Fornicatio commissa à Sponso, æquè est contra jus Sponsæ, quod habet in corpus Sponsi, quàm illa peccet fornicando contra jus Sponsi, quod habet in corpus Sponsæ, nam ambo sibi mutuò dederunt fidem in contractu Sponsalium de usu corporis sibi tradendi, & nulli alteri, & hoc secundum quidem non solùm per Matrimonium, sed multò magis per fornicationem, eò quòd ista longè fœdior, & abominabilior sit. Præterea fornicatio Sponsi præbet Sponsæ occasionem gravis tristitiæ, dum videt, aliam fœminam à Sponso plùs diligi, potestque meritò suspicati, etiam post contractum Matrimonium se minùs amandam esse à Sponso, quæ quidem tristitia eò gravior est, quia videt, in fervore primi amoris Sponsum alienis amoribus esse implicitum, & fortè magis, quàm suo, quod potest movere cordatam fœminam, ut malit millies Sponsalibus renuntiare, quàm tali viro nubere.

Denique sæpè periculum est, ne proles nascatur ex fornicatione Sponsi, quæ postea ali debeat communibus sumptibus, vel si etiam alatur sumptibus Sponsi solius, id tamen non fiat sine præjudicio Sponsæ. Accedit, quòd ista proles futura sit invisa oculis uxoris, & identidem refricatura memoriam delicti sui mariti, unde nascetur aversio animi, diffidentia, novæ suspiciones, Zelotypia &c. continet ergo etiam fornicatio Sponsi non levem in se malitiam.

7. Rationes in contrarium adductæ *n.* 4. *&* 5. facilè dissolvuntur; quippe hucusque satis ostensum est, per fornicationem sive Sponsi, sive Sponsæ graviter violari datam fidem Sponsalium, & veram injustitiam committi contra jus acquisitum in corpus Sponsi, vel Sponsæ: esto enim neuter adhuc habeat jus in corpore alterius, atque ita per fornicationem non dari alteri usum corporis alieni, habet tamen jus ad rem per Sponsalia sibi acquisitum, per quæ sibi invicem sunt polliciti non solùm dare corpus in Matrimonium, sed sibi etiam simul, saltem implicitè, promiserunt, servare corpora illibata usque ad Matrimonium, nec ulli alteri permittere illius usum, consequenter non fornicari, quia traditio, quæ fit alteri per copulam fornicariam, parti

ti innocenti multò detestabilior est, quàm traditio Matrimonialis. Præterea, quando res quæpiam debetur alicui ex contractu, peccat procul dubio contra justitiam, qui rem istam concedit alteri ad usum illi nocivum, cui promissa est, vel ex contractu debita, v. g. si equus mihi sit debitus ex contractu, quamvis necdum illius ego dominus sim, grave injustitiæ crimen adversùs me committeret, qui oculum ipsi erueret; ergo cùm corpus Sponsorum sit ex justitia debitum, licèt necdum sit traditum, abusus illius per fornicationem summè nocivus, & infestus parti innocenti, ultra delictum fornicationis continet insuper crimen injustitiæ, & sic ea circumstantia specie diversa necessariò in confessione aperienda est.

Paritas adducta de Religione non facit ad rem, quia votum Religionis fit Deo, non religioni: cùm ergo religio per hanc promissionem necdum acquisiverit ullum jus, etsi talis fornicando peccet contra castitatem, non tamen peccat contra justitiam, inferendo religioni injuriam, nec peccat contra suum votum, nisi per hoc se redderet minùs aptum ad ingressum religionis: satisfacit igitur, si dicat confessario, se esse fornicatum.

Præterea nihil probat id, quod ajunt Authores secundæ Sententiæ, ex fornicatione Sponsi non oriri Sponsæ ullam infamiam, quia istud non impedit læsionem juris, in quo consistit injustitia, aliàs etiam adulterium ex parte viri commissum non esset injustitia, quia rarò ex illo infamia uxori proveniet: similiter ista injustitia etiam per hoc non tollitur, quòd fornicatio sive Sponsi, sive Sponsæ occulta sit, quidquid dicat Perez *disp. 6. Sect. 4. n.* 10. quamvis concedam, quando penitus occulta est, non esse obligationem defectum istum manifestandi alteri parti innocenti, de quo alibi agetur.

8. Istud interim non negaverim, gravius esse peccatum ex parte Sponsæ, quia redditur ipsa multò vilior, estque viro multò probrosius, si ducat ipse corruptam, quàm Sponsæ, si nubat viro, qui fornicatus est, unde in communi æstimatione gravior censetur injuria, quòd Sponsa fornicetur, quàm Sponsus, cùm major requiratur honestas in fœminis, quàm in viris.

QUÆSTIO TERTIA.

Quænam sint licita Sponsis ante nuptias?

CASUS

Frequens, & ferè quotidianus.

Silverius, & Rutilia Sponsi de futuro frequenter se invicem amplexantur, & deosculantur, de quibus, & de tactibus se accusant in confessione.

Q. An sine peccato, saltem mortali, fieri ista potuerint?

SYNOPSIS.

1. *Amplexus, oscula, & similia Sponsis de futuro licita esse, plures Authores docent.*
2. *Discernuntur certa ab incertis, ac primò quidem ista illicita sunt, si fiant cum periculo pollutionis, aut tactus exerceantur in partibus inhonestis.*
3. *Præterea nullo modo licent Sponsis de futuro sub conditione.*

4. *Oscula,*

4. *Oscula, amplexus &c. in signum benevolentiæ, & honesti amoris testimonium culpâ vacant.*
5. *Si fiant ex joco, & levitate animi, per se loquendo, peccatum veniale non excedunt.*
6. *Oscula, amplexus &c. habita inter solutos ob delectationem sensualem sine periculo ulterioris consensûs, aut pollutionis, non excusantur à peccato mortali, ut patet ex prohibitione Alexandri VII.*
7. *Damnata hæc propositio oritur ex ea, an detur in re venerea parvitas materiæ, quæ Sententia in Societate IESV specialiter prohibetur.*
8. *Distinguitur delectatio sensibilis à sensuali, sive carnali.*
9. *Concluditur, neque Sponsis de futuro licita esse oscula, amplexus, tactus &c. ex causa delectationis sensualis, æquè parùm, ac alijs solutis.*

1. EVenit non rarò, ut in confessione se accusent de osculis, tactibus, & amplexibus etiam ij, qui inter se contraxerunt Sponsalia de futuro: alij econtra tam parùm sibi hæc ducunt scrupulo, ut pro indubitato habeant, licere ista Sponsis tanquam effectus quosdam initorum Sponsalium, quin imò Doctores non pauci, etiam magni nominis, defendunt, oscula, amplexus, aliosque tactus carere saltem peccato mortali inter Sponsos de futuro, tametsi intendant eam delectationem sensitivam, quæ ex ipsis osculis, amplexibus &c. oritur, dummodo impudici non sint, & ex ijs non oriatur periculum copulæ, aut consensûs in illam, vel pollutionis. Ita Sanch. *L. 9. de Matr. disp. 46. n 48.* Sà *V. Luxuria. n. 13.* Navarr. *in Manuali c. 16. n. 11.* Toletus *L. 5. Summæ c. 14.* Cajetanus *in summula V. Sponsalitia, & 2. 2. q. 154. art. 4.* Lopez *p. 1. Instructorij c. 54. §. peccant Parentes.* Bonac. *q. 4. de Matr. pu. 9. n. 6.* Salas *in clavi Regia L. 8. c. 6. n. 1.* Valentia *to. 3. disp. 9. q. 3. pu. 3. ad finem §. sentit tamen.* Fagundez *L. 9. in Decal. c. 5. n. 1.* Diana *p. 2. tract 17. resolut. 6.* & plures alij ab his citati. Ratio istorum AA. est, quia sicuti Matrimonium cohonestat copulam, ita Sponsalia, quæ sunt quoddam Matrimonij initium, censenda sunt

sunt cohonestare eas actiones, oscula nempe, amplexus, tactus, locutiones amatorias &c. quæ sunt inchoatio quædam copulæ, & quasi via ad ipsam, nam ex eo, quòd per Sponsalia inchoatum sit Matrimonium, datur de præsenti ex natura rei major facultas ad aliquas actiones, quæ ad copulam ordinantur; ergo ista licita sunt, præsertim quia sic magis fovetur amor in ordine ad Matrimonium; hinc Navarrus, & Toletus supra citati, uti & Filliuc. ac Tambur. *L. 7. in Decal. c. 3 §. 5. n. 61.* dicunt absolutè, hæc sine peccato fieri, etiamsi fiant propter delectationem in illis residentem, modò, ut diximus, absit periculum copulæ, vel consensûs in illam, aut pollutionis. Alij verò minùs indulgentes, qui allegati sunt, excusant saltem à gravi, seu mortali peccato, è quibus Sayrus sub dubio loquitur cit. loc. *etiamsi propter delectationem fiant, peccata mortalia non erunt, sed aut nullum omnino peccatum, aut solùm veniale.*

2. Priusquam dicatur, quid hac in re sentiendum sit, aliqua oportet præmittere, ut certa ab incertis secernamus; ac primò quidem certum est, non excusari Sponsos à mortali peccato, si tactus illi sint impudici, fiantque in partibus verendis, seu inhonestis, ut omnes Authores, etiam supra allati, fatentur, quia hoc modo sunt dispositiones proximiores copulæ: ad eamque proximè ordinantur, ac proinde ejusmodi actiones illis duntaxat licitæ sunt, quibus licita est, & permissa ipsa copula conjugalis. Idem est, si fiant cum periculo, ne progrediantur ulteriùs ad concubitum, aut consentiant in delectationem veneream copulæ, vel cum periculo pollutionis, tunc enim ij tactus, & delectatio ex ijs tactibus, amplexibus, osculis &c. habita essent peccatum mortale, quia & copula, & pollutio respectu Sponsorum de futuro sunt peccata lethalia; quin imò ipsis etiam conjugibus illiciti sunt tactus impudici, nec exercentur sine peccato mortali, si hoc fiat solius voluptatis gratiâ, nec alia justa causa adsit, & ipsi prævideant, ex illis secuturum esse periculum pollutionis, etsi eam directè non intendant, neque sit periculum directi consensûs in illam, ut cum Sporero docent AA. communiter, quale periculum quia rarò abest in Sponsis, hinc etiam ex patronis relatæ Sententiæ diligenter monet Valentia, à talibus tactibus, osculis, amplexibus communiter esse ipsis abstinendum; Navarrus verò, & Lopez hortantur Parentes, ne Sponsos permittant solos secretò agere, & absque arbitris, quia periculum est, ne deveniant ad tactus impudicos, aut incurrant enarrata pericula.

3. Certum est 2. prædictos tactus etiam non impudicos, amplexus, & oscula

oscula intenta ex delectatione sensitiva, seu sensuali, quæ ex illis capitur, non esse licita, nec à mortali excusari in Sponsis, qui contraxerunt Sponsalia de futuro cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, alióve simili sub conditione, si Papa dispensaverit, ut iterum fatentur ij quoque Doctores, qui inter Sponsos absolutos ista licere docent, ut expresè habet Fagundez *l. c. n. 2.* Sanch *n. 48. ad finem*, & Perez *disp. 13. de Matr. Sect. 6.* Ratio est, quia, donec illa conditio in re ponatur, & impleatur, revera Sponsalia non sunt, sed erunt talia, conditione impletâ. Confirmantur dicta ex *c. Vnic. De Sponsal. in 6.* ubi decidit, ex Sponsalibus conditionalibus ante impletam conditionem non oriri impedimentum publicæ honestatis, eò quòd nondum valida sint: ergo qui ita contraxerunt, antequam dispensatio obtineatur, & impleatur conditio, Sponsi non sunt, consequenter ipsis etiam in priori Sententia illicita sunt oscula, tactus &c.

4. Certum est 3. oscula, amplexus, & tactus non impudicos, sed tales, quibus etiam verecundi palam sine pudore uti solent, quando fiunt in signum benevolentiæ secundùm patriæ consuetudinem ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem, vel contestandam honestam amicitiam, etiam inter non Sponsos vacare omni culpâ, cùm nulla in illis sit turpitudo, sed castus amor, etiamsi aliquando in ijs exurgat motus aliquis sensualitatis, & delectatio venerea, dummodo is reprimatur, & nullus præstetur consensus. Ita expresè D. Th. 2. 2. *q.* 154. *a. 4. in C.* Dominicus Viva *in Thesibus damnatis propos.* 40. *prohibita ab Alexandro VII. n. 3. & 15.* hæc enim cohonestantur à fine honesto, ob quem fiunt: hinc sine peccato, etiam veniali, potest frater suam sororem, & consanguineus consanguineam peregrè venientem amplexari, & osculari ad testandam lætitiam istius adventûs, etiamsi oriatur magna Spirituum commotio, modò desit periculum consensûs, & ex eadem causa potest Sponsus amplecti, & osculari suam Sponsam, ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem in ordine ad contrahendum Matrimonium, atque à fortiori, si aliàs haberetur pro inurbano, & austero, nam fiunt ista ex fine honesto, unde ab eo cohonestantur. Perez *disp. 9. Sect. 6. n. 4.* Arsdekin *to. 2. p. 2. tract. 5. c. 6. n. 12.* Illisung *tr. 4. disp. 1. n. 67.* Reiffenstuel *tract. 9. q. 7. n. 75.* Rebellus &c.

5. Certum est 4. Oscula, amplexus, tactus, si fiant ex joco, vel quadam animi levitate, non verò causâ delectationis venereæ, uti quandoque contingit in choreis, venialem culpam non excedere per se loquendo, ut præter Sanch. docent

Laym.

Laym. *L. 3. Sect. 4. n.* 10. Reiffenstuel *l. c. n.* 80. Less. *L. 4. de Iust. c. 3. n. 62.* Steph. à S. Paulo *Theol. Mor. tr.* 1. *disp.* 5. *dub.* 3. *n.* 26. Baldellus *L.* 3. *disp.* 14. *n.* 8. & communis. Dico tamen *per se loquendo*, quia subinde ratione scandali, vel periculi labendi in gravius peccatum possunt esse peccatum mortiferum, quod tunc vix solet abesse, quando ejusmodi oscula figuntur cum ardore, & mora, aut sæpiùs in appressis genis, ac facie replicantur, ubi morale periculum est libidinis, & ordinariè mortalis culpa contrahitur, teste Sporer *tract.* 1. *proœm. in Decal. c.* 1. *n.* 19. Præterea adhuc istud bene limitat Laym. ut nempe ejusmodi tactus, imò & aspectus non sit valde impudicus, v. g. partium verendarum, sive deinde hic tactus fiat immediatè supra carnem, sive supra vestimenta, quia tum ex objecto magnam deformitatem habet, tum gravi periculo hominem exponit, cùm ex natura sua ad veneream delectationem tendat, eamque valdè excitet: excusat verò Navarr. *in Manuali c.* 14. *n.* 42. à peccato mortali tactus ex joco, & levitate factos circa mamillas, seu ubera mulieris, verùm etsi, hos aliquando culpam venialem non excedere, negare non velim, plerunque tamen videntur esse admodum periculosi tum ratione scandali, tum quia tales sunt, quos casti, & pudici vitare solent, & abominari, eosque in præsentia honestorum quisque, etiam minùs pudicus, veretur exercere.

6. Denique certum est 5. oscula, amplexus, tactus inter solutos, qui exercentur ob delectationem veneream, ita ut non sistatur in ipsa delectatione, quæ ex osculo, vel amplexu percipitur, sed per eam ulteriùs intendatur ipsa copula, vel delectatio morosa de ipsa, vel si exerceantur cum periculo talis delectationis, aut pollutionis, grave peccatum continere, nec erit, qui neget, committi per ista culpam mortiferam. Quòd si verò hæc habeantur ob solam delectationem carnalem, ac sensualem, quæ ex ipso osculo, vel amplexu percipitur, ita ut in illa sistatur, nec intendatur ulteriùs ipsa copula, aut delectatio morosa de illa, licèt etiam absit periculum ulterioris consensûs, aut pollutionis, quidquid aliqui docuerint, dicendum est absolutè, etiam sic à peccato mortali non excusari.

Certitudo istius assertionis manifesta est ex prohibitione Alexandri VII. dum condemnavit sub excommunicatione latæ Sententiæ Pontifici reservata hanc propositionem, quæ est inter prohibitas quadragesima: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.*

7. Sententia hæc ortum suum habuisse videtur ex eo, quòd aliqui defenderint, dari etiam in rebus Venereis

nereis parvitatem materiæ, quæ à peccato mortali excuſet. Talem eſſe, modicam delectationem Veneream, etiam deliberatè quæſitam, docuit Caramuel in Reg. D. Benedicti diſp. 69. Franc. Aravio, & alij apud Dianam *p. 7. tr. 11. reſol. 28.* cùm igitur putarent complures ex Authoribus, oſculum ob ſolam carnalem, & ſenſualem delectationem habitum, ſecluſo periculo ulterioris conſenſûs, & pollutionis, eſſe materiam levem, tum ante, tum poſt Caramuelem docuere multi, ejuſmodi oſculum non excedere culpam venialem, pro qua Sententia citatur Martinus de Magiſtris, Soto, Ledeſma, Jac. Marchantius &c. ſed hæc opinio hodierno tempore defendi nequit, licèt alterum in hac propoſitione à Pontifice non decidatur, an nempe detur materiæ parvitas in re Venerea, quam tamen non dari, neque admitti poſſe, aliunde probatur, quia videlicet ejuſmodi oſcula, tactus, amplexus, & ſimilia, exercita ob carnalem, & ſenſualem delectationem ex natura ſua diſponunt ad copulam per commotionem Spirituum generationi ſubſervientium, idque multò magis, quàm delectatio moroſa, quæ in ſola mente conſiſtit, cùm iſta delectatio ſe diffundat in corpus; præterea quia per hanc Spirituum commotionem, & reſolutionem ſeminis tendit, & diſponit proximè in ejuſdem emiſſionem, quæ extra actum conjugalem graviter illicita eſt, & abominanda pollutio: non poteſt proinde non eſſe peccatum mortale tum ipſa iſta pollutio, tum delectatio ſenſualis ad ipſam non tantùm remotè, ſed proximè diſponens; nam quantumcunque parva ſit materia, jam continetur in ea tota malitia immunditiæ, quemadmodum ea continetur in delectatione moroſa, ſive illa duret per unicum inſtans, ſive per horam: non ergo datur in re venerea parvitas materiæ, quæ ſtet cum plena deliberatione, & tamen à peccato mortali excuſet. Unde meritò in Societate noſtra in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pæna excommunicationis P. Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis noſtris præcepit: *ne ullus è Societate publicè, aut privatim non modò ut veram, vel probabilem, ſed nec ut tolerabilem quidem doctrinam ulla ratione doceat, aut ſibi placere ſignificet, aut ſecundùm illam conſilium cuiquam det, ſcilicet in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam propter levitatem materiæ excuſari à peccato mortali*, quod præceptum deinde Congregatio IX. Generalis decreto 24. iterum confirmavit.

8. Antequam nunc deveniamus ad ultimatam deciſionem, adhuc faciendum eſt diſcrimen in ſupra citata propoſitione prohibita inter delectationem ſenſibilem, & delectationem ſenſualem ſive carnalem, quod in multis occurrentibus dubij ſervi

servire poterit. Differt itaque delectatio sensualis à delectatione merè sensibili, quæ non est simul carnalis, quòd illa sentiatur in carne cum commotione Spirituum subservientium generationi circa partes libidinosas, & hac de causa vocatur etiam delectatio carnalis; at delectatio merè sensibilis ea est, qua solùm placet tactus, seu actio tactiva, ut tactiva est, vel visus v. g. proprij corporis, vel alieni absque ulla libidine, ob proportionem, vel connaturalitatem cum organo tactûs, vel visûs, veluti quando tangitur res blanda, vel mollis, v. g. felis, holosericum &c, vel quando videtur res pulchra, ut pulcher equus, pratum, flos &c. quæ naturaliter delectant, vel quando mater osculatur suum infantem &c. hæc delectatio sensibilis, sive sensitiva, ut sensitiva, sistens præcisè in tactu, vel visu, si non ordinetur ad finem malum, & non exponat hominem periculo delectationis sensualis, omni culpâ vacat; si autem fiat ex levitate quadam animi, vel curiositate, ut si v. g. ex levitate quadam animi inordinata manum alterius tangam, pulchram faciem aspiciam &c. erit peccatum veniale. De quibus videri potest Dominicus Viva *in Thesibus damnatis, Propos. 40. Alexandri VII.* & alij Authores.

9. Cùm igitur ex dictis pateat, qualia oscula, tactus amplexus inter solutos prohibeantur, nunc tandem concludendum est, an ea saltem Sponsis de futuro absolutè, & propriè talibus, id est, qui sine conditione contraxerunt, permissa sint, uti permissa esse affirmant Authores Sententiæ supra relatæ *n.* 1?

Dicendum, Sponsis de futuro nullo modo licita esse oscula, amplexus, tactus &c, etiam non impudicos, si fiant causâ delectationis sensualis, quæ residet, & percipitur in his ipsis osculis, vel amplexibus &c. sed ista omnia æquè ipsis interdicta esse, ac alijs, qui Sponsalia non contraxerunt, sed penitus soluti sunt, neque vacare culpâ mortali. Ita Viva *l. c. n. 23.* Rebellus *de obligat. Iust. L. 3. q. 19.* Mendo *in statera differt. 5. q. 12.* Hurtad. *disp 10. de Matr. difficult. 10. n. 48.* Perez *disp. 13. Sect. 6. n. 5.* Reiffenstuel *tr. 9. q. 7. n. 76.* Taberna *tr. 1. c. 5. §. 1. q 6.* ipseque etiam Bonacina l. c. Sententiam hanc dicit esse tutiorem, & probabiliorem, Dicastillo *disp. 9. de Matr. dub. 16. n. 193.* & *L. 1. de Iust. disp. 3. dub. 15. n. 217.* Gobat *tract. 10. n. 670.*

Probatur, quia solutis, ut ostensum est, non licent ejusmodi oscula, & amplexus, cùm ipsis interdicta sit copula, ad quam ea sunt dispositio: ergo illicita quoque sunt, & à mortali non excusantur in Sponsis de futuro, cùm copula inter eos æquè sit illicita, ac in alijs solutis; nec dici potest, quòd ista cohonestentur per promissionem futuri Matrimonij,

trimonij, quia promissio Sponsalitia futuri Matrimonij jus nullum præsens tribuit in corpore alterius in ordine ad copulam, consequenter neque ad actus istos, qui ex natura sua ad illam ordinantur, & sunt suo modo illius inchoatio: nam esto, quòd vocentur Sponsalia inchoatio quædam Matrimonij, certè per hoc non præbent jus ad inchoationem copulæ, quemadmodum nec inchoatio alterius cujuslibet contractûs jus ullum mihi tribuit ad usum rei, quæ mihi necdum tradita est, v.g ob inchoatam venditionem domûs, aut vineæ non licet mihi statim usurpare domum, aut fructus vineæ decerpere, antequam fiat traditio, & cui Rex promisit, quòd ipsum velit constituere Judicem, nequit is eapropter ante adeptam officij possessionem aliquam illius muneris partem exercere; ergo etiam, priusquàm fiat traditio corporum per actuale Matrimonium, ejusmodi actus non magis liciti sunt Sponsis, quàm alijs solutis, sic enim necdum habent dominium in corpore alterius, atque ideo nullatenus etiam imperfectè possunt eo uti, utpote adhuc alieno.

Et verò, si benè consideretur, videtur plus esse periculi delectationis venereæ, & consensûs in ipsam copulam inter Sponsos, qui ex ipsa spe, & desiderio futuri conjugij inter oscula, & amplexus majore libidinis æstu commoventur, & propter factam conjugij promissionem aliquando plus audent, ac impudentiores sunt, quàm inter omnino solutos, qui respectum nullum ad copulam habent, vel quia eam non desiderant, vel quia prævident, se illam non obtenturos, unde communiter timorati Parentes, qui attendunt ad honestatem, voluntque vitare, quæ huic adversantur, nunquam solent permittere, ut Sponsæ de futuro cum Sponsis secretò, & seorsim versentur.

Unum adhuc noto circa hanc materiam, & propositionem Alexandri VII. supra allegatam, quòd ubi in plerisque exemplaribus legitur *osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem*, Dominicus Viva in dicta propositione scribat *& sensualem*. Et verò hoc sensu debere intelligi, patet ex dictis n. 8. Unde addit dictus Author in citatam propos. *n. 4.* ad finem, ubi excusat delectationem merè sensibilem, aut sensitivam, sive tactivam, ut tactiva est: *Idemq; verum esset, si osculum inter virum, & mulierem haberetur ex ea tantùm delectatione sensibili.* Meritò tamen subjungit: *quia tamen moraliter impossibile est, quòd hujusmodi oscula fiant ob delectationem sensibilem, & non habeatur etiam periculum delectationis sensualis, idcirco non est practicè probabile, quòd hujusmodi oscula vacent lethali culpâ.* Ita Viva, & ego cum ipso.

SECTIO QUARTA.

De causis, ex quibus dissolvi possunt Sponsalia.

Egimus hactenus de natura, & constitutione Sponsalium, agendum nunc est de eorundem dissolutione, cùm enim Sponsalia Sacramentum non sint, sed via ad Sacramentum Matrimonij suscipiendum, possunt, ut alij contractus, varijs modis dissolvi; quot autem sint ejusmodi causæ, quæ ad Sponsalia dissolvenda sufficiunt, varia est Authorum opinio, alijs plures, alijs pauciores statuentibus. Sylvester enumerat septendecim; Vallensis tredecim; Tannerus duodecim; Palao undecim; Layman decem, nobis sufficiet adducere septem, nam ad has reliquæ reduci possunt. De prima nunc sermo erit.

CAUSA PRIMA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Mutuus Consensus.

QUÆSTIO PRIMA.

An fieri hoc possit authoritate propria?

CASUS

Ultrò sibi promissionem remittentium.

Vedastus contraxit Sponsalia de futuro cum Serena; post aliquot septimanas ipsum pœnitudo subit, rogat igitur suam Sponsam,

Sponsam, ut factam promissionem sibi remittat; hæc, cùm & ipsa mentem mutaverit, libenter annuit, atque ita mutuo utriusque partis consensu solutis Sponsalibus, aliam ipse ducit, & ipsa nubit alteri.

Q. An ista facere potuerint authoritate propria, an verò necessaria fuerit authoritas Superioris?

SYNOPSIS.

1. *An possint mutuo consensu dissolvi Sponsalia? difficultas movetur ex* c. 2. De Sponsal.
2. *Ponitur, & probatur Sententia affirmativa, etiamsi secuta sit carnalis copula cum Sponsa, sed hoc limitatur.*
3. *Respondetur ad argumentum* n. 1. *allatum, & explicatur citatum capitulum.*
4. *Etsi ex se illicita non sit, plerunque tamen non fit mutua dissolutio sine omni peccato.*
5. *Quandoque prohibetur speciali statuto Diœcesano, quo casu opus est auctoritate Ordinarij.*
6. *Quæ etiam necessaria est, quando dubitatur de causa sufficiente dissolvendi, non verò, quando constat de causæ sufficientia, & Sponsalia sunt occulta, cessatque periculum scandali.*
7. *Dicta procedunt solùm de puberibus, nam impuberes Sponsalia contrahentes resilire nequeunt, donec pubertatem attigerint. Quid verò si pubes contrahat cum impubere?*

1. AN Sponsalia mutuo consensu dissolvi possint validè, aclicitè, dubium moveri potest, & argumentum pro parte negativa desumi ex c. Præterea hi. De Sponsal. ubi dicitur: *eos, qui de Matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, ut præstitam fidem servent; si autem se ad invicem admittere noluerint, ne fortè inde deterius contingat, esse in patientia tolerandum*: si igitur hæc dissolutio patienter toleranda est, nequit ea

fieri ipso jure pro libitu Sponsorum, aliàs isti monendi non essent, ut præstitam fidem servent, si nullam illius servandæ obligationem habent: supponit igitur Pontifex, saltem licitè fieri non posse dissolutionem Sponsalium ex sola voluntate Sponsorum. Ita Lancellot. *Instit. Iur. Can. L. 2. Tit. De Sponsal. V. tolerari*, & alij quidam apud Sanch.

2. Sed dicendum, Sponsalia puberum mutuo consensu non solùm validè, sed & licitè dissolvi posse. Ita Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 17. n. 2.* Sanch. *L. 1. de Matr. disp. 52. n. 2.* Perez. Bonac. & alij communiter. Ratio est, quia omnis contractus ex natura sua solubilis (qualis est Sponsalitius, non verò Matrimonium propter Sacramentum annexum) sicuti ex mutuo consensu paciscentium nascitur, ita per eundem mutuum consensum dissolvitur juxta communem regulam utriusque juris, & quidem Canonici c. 1. De Reg. Jur, *Res omnis* (nempe naturâ suâ solubilis, ut dictum est) *per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Idem habetur c. Omnis res. 27. q. 2. & in Jure Civili L. 35. ff. De R. I. *nihil tam naturale est, quàm eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est, ideo verborum obligatio verbis tollitur, & nudi consensûs obligatio contrario consensu dissolvitur.* Denique §. ult. Instit. quib. mod. toll. oblig. *Obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur.* Ergo valida est talis dissolutio, quæ mutuo partium consensu fit.

Quòd verò etiam licitè fieri possit, inde constat, quia id nullo jure, nec naturali, nec positivo prohibetur: ergo per se, & attendendo præcisè contractum, licitè fit, quamquam non negem, aliquando, imò sæpè, intervenire peccatum, verùm istud non præcisè ex natura præcedentis contractûs, qui hîc, & nunc dissolvitur, sed aliunde, ut postea videbimus.

Atque hoc communiter extenditur 1. ad Sponsalia juramento firmata, ut in sequenti casu ex instituto probabitur. 2. Ad Sponsalia quoque, quæ subsecuta est carnalis copula, nam licèt ante Concilium Tridentinum ejusmodi Sponsalia per copulam transiverint in Matrimonium juxta *c. Is qui. De Sponsalibus*, ac proinde facta sint indissolubilia, hodie tamen post Tridentinum non transeunt ampliùs in Matrimonium, ad quod de facto requiritur præsentia Parochi, & testium, unde hoc tempore indissolubilitatem non induunt, ac consequenter si Sponsa etiam post corruptionem velit cedere suo juri, & in hoc consentire, ut mutua utriusque voluntate Sponsalia dissolvantur, id facere potest, ut ex responso S. Congregationis docet Jacobus Pignatelli *to. 9. consult. 133. n. 45.* Crediderim tamen ego, Eminentissimos DD. Cardinales plus dicere noluisse, quàm

quàm posse istud facere, attendendo præcisè hoc, quòd per carnalem copulam Sponsalia non facta sint indissolubilia; aliunde tamen potest adesse ratio, cur non ita facilè post habitam copulam consentire possit in dissolutionem Sponsalium Sponsa deflorata, si videlicet ex ista copula conceperit, & pepererit prolem, tunc enim videtur mater non posse sine gravi culpa ita facilè cedere suo juri, & consentire in dissolutionem, quia tenetur vel ex justitia, vel saltem ex charitate, & pietate consulere suæ proli, ne maneat illegitima, nevé desit congrua sustentatio, & bona educatio, quam infamiam, & alia mala avertere potest, si urgeat Matrimonium, secùs erit prodiga honoris, & fortunarum suæ sobolis, ut docet Card. de Lugo *L. 1. respons. Moral. dub. 44. n. 4.* si tamen meritò timeat magnas molestias, & afflictiones in conjugio, ad quod maritum compulit, remittere potest suum jus, nec obligatur habere rationem prolis cum tanta sua molestia juxta Gobat *tr. 10. n. 286.* quia charitas incipit à se ipsa.

3. Quod adductum est pro argumento ex *c. 2. Præterea hi. De Sponsal.* non obtinet intentum, nam ibi Pontifex jussit Sponsos moneri, ut præstitam fidem servent, non quòd aliquo jure prohiberentur mutuo consensu à Sponsalibus recedere, cùm id permissum esse, apertè indicet ipse textus citatus, Sponsalia comparans contractui societatis, quem nemo negat, posse mutuo consensu dissolvi, sed ideo jussit moneri, ut vitaretur offensio vulgi, graviter quandoque apprehendentis ejusmodi recessum à Sponsalibus, præsertim juratis, ob præstiti juramenti, ut sibi imaginantur, violationem, qualia offendicula cavere, & amovere convenit, cùm decens sit vitare speciem quoque mali, quæ dare possit ansam obloquijs.

Sed neque ex ultimis verbis allati textûs *hoc poterit in patientia tolerari* ostenditur, dissolutionem Sponsalium mutuo consensu factam illicitam, nullamque esse, ac solùm permitti causâ vitandi pejoris exitûs, si ducat uxorem, quam odio habet, nam, ut rectè advertit Pirh. *n. 42. De Sponsal.* & Wagnereck *in exegesi ad cit. c.* potest aliquid à Jure patienter tolerari dupliciter. Uno modo permittitur, quod per se quidem iniquum est, sed metu majoris mali toleratur: sic permittuntur lupanaria ad vitanda majora mala, v. g. adulteria, incestus &c. Alio modo toleratur aliquid à jure, permittendo illud non tanquam in se malum comparatione majoris mali, sed ut aliquid minùs conveniens ob notam inconstantiæ, & levitatis, qualis, saltem in opinione vulgi, dari videtur in dissolutione Sponsalium quamvis utrinque Spontaneâ.

Adhuc

Adhuc aliam responsionem dat Laym. *L. 5. tr. 10. c. 2. n. 1.* Pontificem ista dixisse in casu, qui frequenter solet evenire, ut unus è Sponsis, v. g. fœmina, cupiat sibi fidem servari, sed alter omnibus modis renuat, cupiatque Sponsalium remissionem fieri, eò quòd abhorreat à muliere, tunc sanè commonendus est, & omnibus modis inducendus, ut præstitam fidem servet; sin autem bonus exitus non speretur, post factam monitionem de fide servanda, toleranda est dissolutio tanquam minus malum, ne deterius aliquid contingat, quæ dissolutio cùm ex parte mulieris non fiat ex mera voluntate, sed cum admixto involuntario, non fit ex parte viri sine gravi peccato, quod tamen permittitur, neutiquam id approbando, sed tolerando, ut majora incommoda vitentur.

4. Cæterùm etsi spectando ipsum contractum liberrimè sine peccato possint Sponsi dissolvere contracta Sponsalia, si in hoc convenit mutuus utriusque consensus, omnino liber, id est sine fraude, vel metu aliquo injustè incusso extortus, fatendum nihilominus est, ut supra insinuavi, si istud fiat sine rationabili causa, plerunque ferè aliquid intervenire, unde per accidens in tali dissolutione committatur peccatum, ad minimum veniale, quia nempe ut plurimum istud fit vel ex nimia animi levitate, & inconstantia, vel ex ira subitò coorta, aut alia passione prædominante, ut rectè advertunt Perez *disp. 9. de Matr. Sect. 1. n. 5.* Gobat, Sporer, Wex, & alij: & verò videtur hic esse sensus communis etiam plebejorum, qui se accusant in confessionibus, quòd sine justa causa, quamquam cum consensu alterius partis, à Sponsalibus resilierint: agnoscunt ergo, vel certè metuunt, à se culpam esse admissam.

Dixi *ad minimum veniale*, quia in aliquibus Diœcesibus, ut de Constantiensi testatur Gobat *tr. 10. n. 262.* est peccatum Episcopo reservatum, si, qui Sponsalia de futuro contraxerunt, ea non observent, etiamsi discessio fiat accedente libero utriusque consensu, & sive ea celebrata fuerint coram Parocho, sive non, dummodo fuerint notoria: addit tamen citatus Author, paucos esse, qui hoc agendo in casum reservatum incidant, quia plerique non existimant, se à Sponsalibus recedendo peccare mortaliter, venialia autem peccata vel nequeunt, vel certè non solent reservari, cùm nemo teneatur illa confiteri, unde de istis se accusans à quolibet Confessario in foro interno absolvi potest.

5. Statutum istud Diœcesis Constantiensis occasionem præbet, ut gradum faciamus ad alteram quæstionem in casu specialiter contentam, videlicet an, quia Sponsorum mutuo consensu dissolvi possunt Sponsalia,

Sponsalia, facere hoc ipsis licitum sit authoritate propria, an verò necesse sit, ut Superioris authoritas accedat? Et quidem quando Superioris hîc mentio fit, clarum est, alium Superiorem non intelligi, quàm Ecclesiasticum, quia hæc materia Spiritualis est, materia autem Spiritualis non pertinet ad alium judicem, quàm ad Ecclesiasticum.

Dicendum, spectando jus commune, ipsamque naturam promissionis Sponsalitiæ, nullam requiri authoritatem judicis, aliamvé solennitatem, præter utriusque desponsati consensum, sed posse propria authoritate dissolvi, non minùs, ac alios contractus, quando moraliter certò constat de causa sufficiente ad istam dissolutionem. Ita Coninck *disp.* 23. *dub.* 8. *n.* 70. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu.* 9. *n.* 8. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 23. Pontius *L.* 12. *c.* 18. *n.* 8. Pax Jordanus *L.* 3. *tit.* 7. *n.* 205. Dicastillo, Gobat, Engl &c. testantibus tamen his omnibus, non solùm præstat adesse judicis authoritatem, sed sæpè ea etiam necessaria est. Videlicet

Ratione statuti Diœcesani; in pluribus enim Diœcesibus ad frænandam nimiam levitatem, & licentiam ineundi Sponsalia, & initis iterum renunciandi laudabiliter statutum est, ne dissolutio ista Sponsis permittatur, nisi causâ priùs ad Ordinarium delatâ, & ab isto approbatâ; ita, ut de statuto Constantien. si nihil ampliùs memorem, talia decreta extant in Diœcesi Mechliniensi, Cameracensi, Buscoducensi, Audomarensi in Belgio, & in Episcopatu etiam nostro Frisingensi, ubi hæc scripsi.

Statutum Mechliniense apud Bernardum Van Espen p. 2. Juris Ecclesiast. tit. 12. c. 2. n. 22. Ita habet: *non consentiant Parochi, ut illi, qui in legitima ætate constituti Sponsalia contraxerunt, se mutuò ab ejusmodi promissione futurarum nuptiarum propria authoritate absolvant, sed illos Spiritualis Curiæ promotori denuncient, ut causâ per Episcopum, ejúsve Officialem discussâ, si ea secundùm juris dispositionem legitima sit, ab ejusmodi promissione absolvantur.*

Similia habet statutum Cameracense: *Sponsalia contracta non dirimant Parochi, sed rei cognitionem ad Officialem nostrum remittant.*

Frisingense denique Rituale *seriò inhibet Parochis, ut quotiescunque propter dissolvenda Sponsalia, præsertim publica, & absolutè facta, aut si privata quidem fuerint, postmodum verò quovis modo evulgata, inter Sponsos lites, & controversiæ emergunt, circa compositionem, vel dissolutionem eorundem Sponsalium nihil attentent. - - Sed totius negotij series ad judicem causarum Matrimonialium, seu Officialem nostrum referatur.*

6. Ex istis pro resolutione casûs advertes 1. Non sufficere, quòd res agatur coram Parocho, is enim competens judex non est, cùm non habeat jurisdictionem in foro externo.

Sanch.

Sanch. *L.* 1. *disp.* 69. *n.* 10. Bonac. &c. 2. Advertes cum memorato Bernardo Van Espen, similia statuta Dioecesana solùm intelligi de Sponsalibus publicis, & coram Ecclesiæ Ministro ritu solemni contractis, quibus dum Ecclesia semel manum apposuit, nihil se inconsultâ fieri permittit: impeditur etiam hoc pacto levitas, quæ aliter in re tam gravi, & frequenter non sine scandalo, alijsque incommodis interveniret, quæ ut devitarentur, etiam occultè celebrata Sponsalia, sed postmodum quovis modo publicata, vetantur sine Ordinarij authoritate rescindi mutuo consensu.

Quocirca si in præsenti casu, aut quovis alio simili desponsatio facta prorsus occulta est, propria authoritate ex mutuo consensu dissolvi possunt Sponsalia, quia tunc cessat periculum scandali; Quando autem de Sponsalibus constabat quidem, sed non pariter constat de justa causa dissolvendi, cùm hac ratione non evitetur scandalum, aut quando non satis clarum est, causam resiliendi esse sufficientem, sed de ea meritò dubitatur, dissolvi nequeunt sine authoritate judicis Ecclesiastici. Ita Sanch. Coninck, Dicastillo, & alij.

7. Cæterùm tota hæc quæstio, & quæ hucusque dicta sunt, procedunt tantummodo circa Sponsalia puberum, nam de impuberum Sponsalibus alia prorsus est Juris dispositio *c. De illis. De Desponf. impub. & c. à nobis. eodem.* Videlicet non possunt impuberes contrahentes Sponsalia etiam mutuo consensu resilire, priusquam ad annos pubertatis perveniant; cujus constitutionis ratio est, ut sic levitas animi caveatur, ne passim contrahant, & iterum resiliant. Verùm adveniente pubertate, qui priùs illam attigit, is resilire potest, nec opus est, ut expectet pubertatem alterius, cùm solùm ex ejus dissensu post pubertatem permisso Sponsalia dissolvantur *c. De illis.* §. *si verò. De Desponf. impub.* Quòd si verò non statim, ac pubertatem attigit, aut saltem intra triduum reclamet, censetur eo ipso Sponsalia confirmare, ac si post pubertatem illa contraxisset. Sanch. *L.* 1. *disp.* 51. *n.* 8. & seq. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 17. *n.* 5. & alij. Si denique pubes contraxit cum impubere, pubes resilire non potest, sed expectare tenetur, an impubes pubertatem nactus respuat; quòd si non respuerit, firma persistunt Sponsalia *c. cit. De Desponf. impub.* & Ratio est, quia in pubere non præsumitur immaturitas judicij, idcirco lex ipsi non subvenit.

Sectio

QUÆSTIO SECUNDA.

An mutuo consensu remitti possint Sponsalia jurata intuitu pietatis, & in honorem Dei?

C A S U S

Remittentium sibi promissionem juratam.

Vincentius homo opulentus è gravi, ac lethali morbo restitutus, ut Deo se gratum sistat, Tatianæ Virgini pauperrimæ, sed admodum formosæ, atque ideo in periculo constitutæ, promittit cum juramento, quòd velit eam ducere uxorem, præstiturus hac ratione Deo obsequium, liberando virginem ab egestate, & peccandi periculo; at paulò post facti pœnitens præoptat alio modo eidem subvenire, petitque remissionem sui promissi.

Q. An hæc Soonsalia mutuo consensu dissolvi possint?

S Y N O P S I S.

1. *Quando juramentum est factum in favorem partis, possunt Sponsalia etiam jurata mutuo consensu remitti.*
2. *Negant aliqui, mutuo consensu dissolvi posse, quando juramentum*

principaliter factum est in honorem Dei, idq; probant tum rationibus, tum authoritate D. Thomæ.

3. *Sed tenenda est contraria Sententia.*

4. *Iurans ducere pauperem indeterminatè, non indiget remissione, cùm nullum sit hoc juramentum.*

5. *Respondetur ad argumenta num. 2. proposita, & ostenditur, Doctorem Angelicum nullo modo esse adversarium.*

1. CAsus præcedens continebat Sponsalia nullo juramento firmata, quæstio nunc est, an, sicuti mutuo consensu dissolvi possunt quoad obligationem fidelitatis, & justitiæ ex Sponsalitia promissione contractam, ita etiam, quando accessit juramentum, mutuo consensu dissolvi possint quoad obligationem religionis ex juramento ortam?

In hac re communiter consentiunt DD. sufficere consensum mutuum, quando juramentum præstitum est in favorem alterius partis, juransque eo duntaxat animo juravit, ut Deum adduceret in testem sui promissi ad confirmanda Sponsalia, non verò ut ipsi Deo faceret aliquam promissionem. Ita Laym. Perez, Dicastillo, & passim omnes in Superiore casu citati. Ratio est, quia in omni juramento, quod in favorem, bonumque & utilitatem alterius præstitum est, subintelligitur tacita ista conditio: *si ab altero acceptetur*, aut *si ab isto non remittatur*: ergo si iste remittat obligationem contractûs initi, ad quem firmandum factum est juramentum, etiam juramentum non ampliùs obligabit. Quod confirmatur ex eo, quia juramentum appositum contractui tanquam accessorium istius sequitur naturam, & conditiones actûs, cui est appositum *c. Quemadmodum. De iureiur.* ergo sublata per mutuum consensum obligatione orta ex contractu Sponsalium, tollitur etiam ea, quæ est ex juramento, idque prorsus necessariò, quia dum altera pars obligationem contractûs Sponsalitij remittit, eo ipso tollitur materia juramenti: nequit igitur hoc juramentum ampliùs obligare.

2. Nunc controversia sistit in eo, an, quando juramentum hoc factum est principaliter in honorem Dei, attendendo ad ejus obsequium, etiamsi res promissa cedat in utilitatem, & favorem partis, mutuo consensu dissolvi possit ejusmodi contractus juramen-

juramento firmatus, v. g. sicuti in casu ponitur, dum quis intuitu pietatis, & in honorem Dei promittit Matrimonium sub juramento Virgini pauperi, cujus pudicitia periclitatur? juratur enim Deo, & se res habet per modum voti.

Non posse mutuo consensu dissolvi ejusmodi jurata Sponsalia, docet Sotus *L. 8. de Iust. q. 1. art. 9. ad 2.* Diana *p. 9. tr. 7. resol. 76.* & pro eadem Sententia citatur Ledesma, Covarr. &c. pro qua etiam stare videtur D. Thomas *2. 2 q. 89. a. 9. ad 2.* Hæc tamen Sententia non ita intelligenda est, quòd tali modo jurans teneatur puellam, cui sic promisit, etiam nolentem ducere, quia Matrimonia contrahi, & constare debent ex mutuo consensu; sed sensus istorum AA. est, per remissionem promissionis factam ab altera parte jurantem non manere liberum, sed obligari adhuc ad contrahendum Matrimonium ob juramentum Deo factum, quoties, & quandocunque remittens id velit.

Probant suam assertionem 1. authoritate allegata memorati Doctoris Angelici ita loquentis l. c. *Homo potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta, si sub juramento promittat, se serviturum ei, vel pecuniam daturum, & à tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est: intelligitur enim jam ei solvisse promissum, quando facit de eo secundùm ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem alicuius, puta, si aliquis sub juramento promittat alicui, se intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum, & tunc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei, principaliter, sed Deo.*

Probatur 2. Quia, quando juramentum est principaliter in honorem Dei præstitum, confirmando aliquam promissionem homini factam, Deus est principalis creditor, cui ex merito talis juramenti fuit acquisitum jus: ergo sine authoritate vel Dei, vel ejus, qui ipsius vicem gerit, remitti nequit, vel relaxari

Probatur, & confirmatur 3. Quia tale juramentum factum intuitu pietatis principaliter in honorem Dei æquivalet voto, & Deo præstatur; ergo soli Deo jus acquiritur: quemadmodum igitur in voto nulla persona privata potest dispensare, illudvé relaxare, aut extinguere, eò quòd soli Deo jus acquisitum sit, ita nec potest remittere, vel relaxare, aut extinguere quisquam hominum hoc juramentum, sed jurans etiamnum obligatur ad contrahendum Matrimonium, quotiescunque remittens hoc petit, etiam post factam remissionem.

3. Dicendum nihilominus, Sponsalia etiam jurata certæ, & determinatæ personæ, uti in casu nostro Vincentius juravit Tatianæ, etsi id factum

factum fuerit principaliter in honorem Dei, & intuitu pietatis, mutuo consensu dissolvi posse, & promissorem non ampliùs obligari, si hanc promissionem juratam remittat persona, cujus ea intererat, & in cujus utilitatem facta est. Ita Sanch. *L.* 1. *disp.* 52. *n.* 8. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 17. *n.* 4. Pontius *L.* 12. *c.* 9. *n.* 2. Perez *disp.* 9 *Sect.* 1. *n.* 10. Rebellus *L.* 4. *q.* 8. *Sect.* 1. *n.* 3. Less. *L.* 2. *de Iust. c.* 42. *n.* 57. Suar. *L.* 2. *de Iuram. c.* 39. *n.* 6. Præpos. Coninck, Dicastillo, Sporer &c. Ratio est, quia Deus juramentum illud non acceptat, nisi in gratiam partis, etiamsi intuitu Dei factum sit: ergo nolente parte, Deus jurantem non obligat, cùm gratia in invitum non conferatur: neque etiam obligatur altera pars non remittere, quia liberum unicuique est, juri & favori suo renunciare, ut habetur *L. Si Iudex. ff. De Minoribus*, & *c. Si terra. De Privileg.* Accedit, quòd etiam tale juramentum pium, vel votum semper intelligatur factum cum conditione imbibita: *promitto, juro, voveo ducere, si altera pars velit, vel nisi altera pars remittat.* Sporer *Theol. Sacramental. p.* 4. *c.* 1. *n.* 234.

4. Notanter dixi in conclusione *Sponsalia jurata certæ, & determinatæ personæ*, si enim juramentum intuitu pietatis Deo factum sit absolutè, ducturum se aliquam fæminam pauperem, quin ulla determinetur, non egere tunc ejusmodi juramentum aliqua relaxatione, aut remissione, cùm nullam inducat obligationem aliquam ducendi, sed posse sic jurantem in cœlibatu manere, docet Pontius *l. c.* Perez *n.* 11. Rebellus *n.* 4. Molina *tom.* 1. *de Iust. tr.* 2. *Disp.* 149. *V. hinc oritur.* Ratio est, quia juramentum absolutè Deo factum, & non certæ personæ, habet rationem, & obligationem voti: at votum debet esse de bono meliore, ut ex ejus definitione constat, quod hîc non datur, cùm votum istud, etsi intuitu pietatis emissum, in se, & ratione sui impeditivum sit majoris boni, & status altioris perfectionis, aut religionis, qui status simpliciter majus bonum est, quàm Matrimonium, etiam ut pium opus est, quia regulariter gratior est cœlibatus, quàm nuptiæ, ut in Concilio Tridentino definitur Sess. 24. de reform. Matr. Can. 10. *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatûs, & non esse melius, & beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm jungi Matrimonio, anathema sit*: invalidum ergo est tale votum, & nullum; addit tamen Rebellus, si talis deinceps velit uxorem ducere, teneri ipsum tunc ducere pauperem, prout juratò vovit, eò quòd gratius Deo sit, cæteris paribus, inopem ducere propter Deum, & ex misericordia, quàm divitem. Verùm hanc obligationem non agnoscunt Perez, & Basil. Pontius, eò quòd

quòd juramentum Deo factum, quod est impeditivum majoris boni, simpliciter nullum sit: negant ergo, teneri ducere pauperem ex vi istius juramenti, cùm nulla fuerit ejus obligatio, nec voverit sub conditione, sed absolutè, ducere pauperem, quod votum irritum, & nullum fuit.

5. Respondeo nunc ad argumenta proposita *n. 2* & quidem ad ea, quæ ex ratione petuntur, nam quid de mente Doctoris Angelici tenendum sit, patebit ex responsione ad alia argumenta. Ad primum fateor, per ejusmodi juramentum, per quod Sponsalia primariò, & principaliter in honorem Dei promittuntur homini, Deo principaliter acquiri jus, atque ideo hominem, cui promissio facta est, huic renuntiare non posse directè, potest tamen indirectè, & consequenter; nam eo ipso, quòd cedat juri suo, quod facere omnino potest, cessat jus Dei, quod erat annexum juri hominis, eoque promissionem remittente, extinguitur statim obligatio juramenti, non relaxatione directa, quod fieri nequit, nisi à Deo, aut vicem illius agente, sed quia homo relaxat promissionem in suum commodum factam, atque ita cessat conditio, sub qua per præstitum juramentum obligabatur Deo.

Ad secundum est eadem ferè responsio; concedo nempe, quòd tale juramentum æquivaleat voto, nego tamen, quòd ea propter non possit modo paulò antè exposito remitti ab homine, nam quando materia juramenti, aut voti cedit in utilitatem, & favorem hominis, potest is utique hanc obligationem remittere, ut in exemplo clarissimum est: si promisisti Deo, te Petro pauperi daturum eleemosynam, potest utique Petrus tibi remittere hanc obligationem, & tali ratione tu desinis obligari tuo voto, vel juramento.

Rem totam elegantissimè explicat Suarez *to. 2. Relig. tr. 4. L. 1. de juramento promiss. c. 39. n. 5 & 6.* Potest aliquando fieri promissio jurata Deo, & principaliter propter ejus honorem, & nihilominus actus promissus esse in beneficium, & utilitatem hominis (quale exemplum adduximus in eleemosyna) & in hoc casu dicimus, juramentum & promissionem condonari ab homine, in cujus utilitatem cedit, quia ejus consensus, & voluntas includitur in materia illius juramenti tanquam conditio, sine qua impleri non debet, nec moraliter potest. Alio modo juramentum fieri potest in gratiam hominis, non tamen ita, ut illi fiat promissio, vel obligatio, sed Deo, & in honorem ejus, licèt fiat ad complacendum homini; sæpè enim promissio facta alicui fit propter alterum tanquam propter motivum, vel quia scio illi placere, vel quia ipse petit, & in hoc casu, ita

ait Suarez, rectè dicit D. Thomas, juramentum factum principaliter in honorem Dei, licèt fiat secundariò homini, id est ob benevolentiam ejus, vel quasi adhibendo etiam illum ut testem promissionis Deo factæ, non posse condonari à tali homine; & ratio est clara, quia non est homo, cui fit promissio, sed Deus, homo verò est quasi testis, seu incentivum promissionis; talia duntaxat juramenta Deo facta, asserit D. Angelicus, non posse remitti ab homine, ejusque adducit exemplum: si quis juratò promittat alicui, se intraturum Religionem, quod cum Suarez nos non negamus. Verùm hoc modo nec nos Doctorem Angelicum nobis adversarium, nec pars adversa sibi faventem habet, nobisque immeritò objicit ejus Authoritatem.

CAUSA SECUNDA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Ingressus in Religionem.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid per ingressum in Religionem intelligatur?

C A S U S

Ex voto Religionis abeuntis in Novitiatum.

Arnoldus proximè celebraturus nuptias cum Mariamne sibi desponsata, mutatâ subitò mente, animum vertit ad statum Religiosum

Religiosum, in qua voluntate ut firmiùs persisteret, propositum Religionis ingressum voto insuper edito confirmat, ac paulò post enixis precibus admissionem impetrat, unde relictâ Sponsâ Religionis tyrocinium subit.

Q. 1. An, necdum secuta professione, solo ingressu in Novitiatum sui Sponsi Mariamnes evaserit libera à Sponsalitio contractu, ut alteri potuerit nubere?

2. An etiam votum ingrediendi Religionem solvat Sponsalia de futuro.

SYNOPSIS.

1. *Per solemnem professionem Religionis solvuntur Sponsalia priùs contracta ex utraque parte.*

2. *An idem præstet solus ingressus in Novitiatum? Refertur triplex Sententia. Prima asserit, ex neutra parte solvi.*

3. *Altera opposita docet, solvi ex utraque parte Sponsalia.*

4. *Probabiliùs dissolvuntur ex parte illius tantùm, qui manet in sæculo, non verò ex parte ingredientis Religionem.*

5. *Solvuntur argumenta primæ, & secundæ Sententiæ.*

6. *Etiamsi fuerint juramento firmata Sponsalia, potest alterutra pars Religionem ingredi, neque tenetur Sponsus priùs contrahere Matrimonium, nisi ob speciales circumstantias consulere debeat honori Sponsæ.*

7. *Votum ingrediendi Religionem eo modo dissolvit Sponsalia, ut actualis ingressus.*

1. Quòd

1. Quòd Sponsalia de futuro priùs celebrata ex parte utriusque dissolvantur per solemnem professionem alterutrius emissam in Religione approbata, certum & evidens est, ut manifestè constat ex *c. Verùm post consensum, & c. Ex publico. De Converſ. conjug.* ubi expressè statuitur, licere etiam in ipso actuali conjugio ante Matrimonij consummationem, altero invito, Religionem ingredi, & ei, qui remansit in sæculo, licitum esse post hujus professionem ad secunda vota transire; idemque in Tridentino quoque Concilio est definitum Sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius conjugis non dirui, anathema sit.* Si igitur per professionem solemnem dissolvuntur Sponsalia de præsenti, sive ipsum Matrimonium ratum, à fortiore per eandem dissolvuntur Sponsalia solùm de futuro.

2. Quæstio nunc est præsentis casûs, an dissolvantur Sponsalia solo ingressu in Religionem, sive Novitiatum, necdum secuta professione, an verò expectandum sit, donec ista sequatur, & vota solemnia Religionis emittantur?

Triplex est circa istud quæsitum Sententia. Prima negat absolutè, Sponsalia dirimi sive ex hac, sive ex altera parte per solum ingressum in Novitiatum, unde vi hujus Sententiæ uterque Sponsus manet adhuc obligatus ex inito Sponsalium contractu, quemadmodum obligatus fuerat ante Religionis ingressum, & si Novitiatum deserat, atque ad sæculum revertatur, tenetur uterque servare fidem Sponsalium, debetque exspectare pars altera, donec iste vel redeat, & sic Sponsalia impleantur, vel professionem emittat, ut sic libera evadens pars relicta possit cum alio contrahere. Citantur pro hac Sententia apud Sanch. *L. 1. disp. 42. n. 1.* Durandus, Paludan. Viguerius, Armilla, eamque Petrus de Ledesma *de Matr. q. 4. art. 3. dub. 2.* uti & Sanch. dicit esse probabilem. Ratio ipsorum est, quia per ingressum in Religionem adhuc neutra pars renunciat juri per Sponsalia acquisito: non remanens in sæculo, ut per se patet; sed neque ingrediens in Religionem statim juri suo cedit, quia ingreditur, ut experiatur, an sibi expediat in tali Religione profiteri, an verò contrahere Matrimonium.

Confirmatur. Vota ab ingrediente emissa ante Religionis ingressum non solvuntur per ipsum ingressum, nisi professio subsequatur, sed durante probatione manent veluti suspensa, usque dum Novitius aut professionem emittat, & sic omnino dissolvuntur; vel redeat ad sæculum,

culum, & sic iterum convalescunt, denuoque obtinent suum robur: igitur pari modo Sponsalia antecedenter contracta per solum Religionis ingressum non statim dissolvuntur, sed suspenduntur, donec sequatur professio.

3. Altera Sententia est omnino opposita, nam docet, per ingressum in ipsum Novitiatum Sponsalia dissolvi ex utraque parte; tam manentis in sæculo, quàm ingredientis Religionem. Ita Sanch. *L. 1. disp. 42. n. 5.* Bonac. *q. 1. de Sponsal. pu. 5. n. 2.* Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub. 32. n. 435. & seq.* Fagund. *L. 2. in Decal. c. 17. n. 6.* Sylvest. *V. Sponsalia q. 10. cas. 2.* Card. Toletus *L. 7. c. 17.* quamquam hi duo postremi non satis distinctè doceant, quòd ea solvantur ex utraque parte, passim tamen pro hac Sententia citantur. Ratio istius assertionis est, 1. quia sicut se habet professio ad Matrimonium ratum, ita se habet Novitiatus ad Sponsalia, quia sicut Novitiatus ordinatur ad Monachatum, ita Sponsalia ordinantur, & sunt via ad Matrimonium: ergo quod operatur in Matrimonio Monachatus, seu professio Religiosa, id operatur Novitiatus in Sponsalibus: atqui professio Religiosa dissolvit Matrimonium ratum quoad utramque partem *c. 2. De Convers. conjug.* ergo Novitiatus, qui est via ad professionem, dissolvit Sponsalia, quæ sunt initium Matrimonij, quoad utramque partem.

Alterum argumentum est speciosius, formaturque à Dicastillo: Eo ipso, quòd duo contrahant Sponsalia, censetur unusquisque se obligare sub conditione, quòd alter quoque se obliget: ergo cùm altero ingrediente Religionem, is, qui in sæculo manet, ex communiore Sententia liber evadat à sua obligatione, etiam necdum secuta alterius professione, alter quoque, qui ingressus est, liber erit, ne Sponsalia claudicent, & obligatio persistat solùm ex parte unius, non verò ex parte alterius; quod est contra rationem Sponsalium verè, & propriè talium.

Addunt tamen Authores istius Sententiæ, hoc verum esse solùm tunc, quando Novitiatum ingreditur bona fide, non autem quando ingressus fit fraudulenter, animo nimirum statim iterum egrediendi, sicque defraudandi alterum Sponsum, hoc enim casu non cessat ex parte ingredientis obligatio, quia fraus, & propria culpa non debet patrocinari delinquenti *c. Ex tenore. De Rescriptis*: neque eligitur hoc casu status melior, sed fingitur eligi: cessat igitur ex parte solius Sponsæ manentis in sæculo obligatio, nam ingrediens renunciavit Sponsalibus, quantum est ex sua parte, quia dolosè ingressus est, ut ab ijs resiliret.

4. Tertia Sententia, quæ probabilior mihi videtur, ex parte negat, & ex parte affirmat, nam dicit, non dissolvi Sponsalia ex parte illius, qui Religionem ingressus est, eumque manere etiam tunc obligatum, sicut priùs, atque ideo, si à Religione recedat, Professione non secutâ, adhuc obstrictum esse, & ad hoc etiam compelli posse, ut fidem Sponsalium olim datam impleat, si pars in sæculo remanens ita voluerit, & expectaverit, nec interim ad alia Sponsalia transiverit: ex parte alterius verò, qui manet in sæculo, ea dissolvi, esseque ipsum ab obligatione plenè liberum, ita ut possit cum alio, vel alia Matrimonium contrahere, non expectata alterius professione. Ita Laym. *L. 5. tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 2. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 13. *n.* 3. Perez *disp.* 9. *Sect.* 3. *n.* 5. Coninck *disp.* 23. *dub.* 3. Rebellus *L.* 4. *de Sponsal. q.* 8. *Sect.* 6. *n.* 36. Pirhing *n.* 50. *de Sponsal.* Hurtadus *disp.* 2. *de Matr. difficult* 6. *n.* 21. Engl, Bassæus, Illsung, Less. Præpos. Platelius, Steph. à S. Paulo &c.

Probatur quoad primam partem, quòd non dissolvantur ex parte ingredientis Religionem. Certè non dissolvuntur ex natura rei, ut per se constat, nam potest à Religione iterum recedere, & contracta Sponsalia implere: nec dissolvuntur per jus aliquod positivum, quia textus nullus afferri potest, ubi hoc asseratur in Jure; nam licèt Jus Canonicum concedat Sponsis potestatem ingrediendi Religionem post Sponsalia, non tamen decernit, quòd Sponsalia per ipsum hunc ingressum dissolvantur; nec licet argumentari, quòd concedatur id ipsum Novitiatui respectu Sponsalium, quod à Jure conceditur Professioni Religiosæ respectu Matrimonij, siquidem in his, quæ dependent à Jure positivo, non possumus statim argumentari ab uno casu ad alium, maximè quando utrinque non est eadem, sed diversa ratio, prout est in Matrimonio, & in Sponsalibus, quippe solemnis professio in Religione constituit statum perfectionis, quem Religiosus deserere non potest, sed Novitiatus non est status, imò nec via firma ad statum, cùm eam assumens pro libitu iterum possit deserere: est ergo ratio, cur dissolvatur Matrimonium in professione Religiosa, qualis non est in ingressu Novitiatûs, unde ob istam diversitatem non debet extensio fieri ab uno casu ad alterum.

Probatur nunc etiam secunda pars, quòd scilicet ex parte remanentis in sæculo Sponsalia dissolvantur, quia negari non potest, ex parte illius, qui Novitiatum ingreditur, notabilem fieri mutationem, quæ sanè cederet in grave nocumentum remanentis, si non statim solveretur ab obligatione Sponsalium,

lium, sed expectare deberet, donec pars altera profiteretur, grave etenim onus est, si expectare cogatur toto Novitiatûs tempore, & interim abstinere à nuptijs, ad quod subeundum, præsumi non potest, quòd unquam voluerit se obligare: adhuc autem gravius foret onus, si recedentem à Religione deberet postmodum accipere in conjugem, quia is post dimissum habitum jam non æquè aptus est ad nuptias, ac erat ante ingressum, nam ob discessum è Novitiatu contraxit civilem maculam, notamque levitatis, & inconstantiæ, passimque habetur pro dedecore apud homines, si mulier nubat ei, qui fuit Monachus Novitius, aut Vir uxorem ducat, quæ recessit à Monialibus: ergo manens in sæculo non tenetur expectare professionem alterius, sed ob notabilem istam mutationem in Sponso statim à Sponsalibus resilire potest.

Accedit, quòd ingrediens Religionem videatur ipse Sponsalibus priùs initis tacitè, & ipso facto renunciare, imò satis apertè per hoc ipsum significare, se voluntatem suam mutâsse; nam vel ingressus est sincero animo permanendi in Religione, vel animo simulato, præcisè se liberandi hac ratione à Sponsalibus? Si prius: mutavit suam mentem. Si secundum: fuit infidelis, iterumque adest utrobique mutatio valde notabilis, & sic debebit Sponsa, nisi dicatur statim deobligari, vel nubere ei, qui fuit Monachus, vel ei, qui ipsam decepit, ac despexit, fictè Religionem ingrediendo.

5. Ad rationes in oppositum pro prima Sententia sufficere possunt, quæ modò dicta sunt. Nempe negatur, ingredientem non sufficienter renunciare juri per Sponsalia acquisito: & si hoc etiam transmittatur, adhuc est sufficiens ratio, cur dissolvantur ex parte remanentis in sæculo, quia ex parte alterius fit valde notabilis mutatio, ob quam passim asseritur, partem alteram posse resilire.

Ad alterum *c. a. dist. conseq.* ergo etiam Sponsalia tantùm suspenduntur ex parte illius, qui Religionem ingressus est. c. cons. etiam ex parte remanentis in sæculo. n. cons. huic enim accrescit novum onus, si debeat expectare integro anno Novitiatûs, & nova difficultas, si deberet nubere ei, in quo est facta tam notabilis mutatio: ergo respectu ipsius Sponsalia non suspenduntur, sed cessant.

Ad argumenta secundæ Sententiæ iterum patet responsio ex probatione nostræ tertiæ conclusionis: negatur nempe, eodem modo se habere Novitiatum ad Sponsalia, sicut se habet Professio ad Matrimonium; quòd enim hæc Matrimonium dissolvat, est statutum in Jure, quòd autem Novitiatus dissolvat Sponsa-

lia, in Jure non statuitur, unde recedens à Religione non minùs tenetur adimplere Sponsalia priùs contracta, quàm teneatur iterum servare vota priùs emissa.

Alterum argumentum ab ipsomet Dicastillo solvendum est; nam is fatetur cum Sanch. *n. 436.* non solvi Sponsalia ex parte utriusque, quando alteruter è Sponsis non bona fide, sed dolosè Religionem ingreditur, animo statim iterum exeundi, tunc enim, ait, non debere huic propriam suam fraudem patrocinari: ergo agnoscit, quòd possit tolli ex parte unius obligatio Sponsalium, quin etiam ex altera parte tollatur. Idem patet in pluribus exemplis, nam juxta communem Sententiam, quando alteruter è Sponsis commisit fornicationem, pars innocens, si velit, potest resilire, quin in altero obligatio Sponsalitia cesset; & ne dicat, hoc ideò fieri, quia commisit delictum, quod ipsi patrocinari non debet, id ipsum contingit, quando supervenit notabilis quædam mutatio, v. g. Sponsa fit deformis, contrahit lepram, morbum caducum, incidit in egestatem &c. in his, & similibus casibus non eo ipso quidem nulla sunt Sponsalia, nam, si velit, potest cum Sponso, vel Sponsa etiam sic affecta, vel fornicaria pars altera contrahere nuptias, atque ita perdurant in suo vigore Sponsalia, dissolvuntur tamen in actu primo, in quantum pars altera libertatem habet resiliendi, cùm nunquam intenderit pro istis quoque casibus se obligare.

6. Duplex nunc restat dubium. 1. An, quando Sponsalia juramento fuerunt confirmata, possit nihilominus Sponsus desertâ Sponsâ Religionem ingredi, & an per hunc ingressum Sponsalia etiam jurata dissolvantur modo explicato? 2dum. dubium est, an votum assumendi Religionem idem efficiat, quod actualis ingressus?

R. Ad primum. Etsi complures doceant, quando Sponsalia sunt juramento confirmata, non posse partem alterutram Religionem ingredi, nisi priùs promissum Matrimonium contrahat, ut hoc modo juramentum adimpleatur, cujus Sententiæ sunt Rebellus *L. 4. q. 8. Sect. 6. conclus. 2.* Navarrus, Ledesma &c. quorum aliqui id dicunt esse de præcepto, alij duntaxat de consilio, nihilominus

Dicendum, etiam non contracto priùs Matrimonio posse ipsum Religionem ingredi, quamvis Sponsalia jurata fuerint, & hæc ingressu Religionis modo superiùs explicato dissolvi. Ratio est, quia Sponsalium promissioni inest hæc tacita conditio, nisi ea contrahens perfectiorem statum Religionis elegerit: sicuti ergo juxta communem non obstat promissio Sponsalitia, quo minùs possit v. g. Sponsus amplecti Religionem, ita neque obstat, ut hoc agat

agat apposito Sponsalibus juramento, nam juramentum additum contractui, sequitur naturam, & conditionem ipsius contractûs, cui adhæret *c. Quemadmodum. De Iurejur.* igitur non inducit majorem obligationem, quàm ipse contractus, in cujus confirmationem adjectum est; atque propterea cessante obligatione Sponsalitia cessat quoque obligatio juramenti, quod factum est in confirmationem contractûs Sponsalitij, consequenter etiamsi Sponsalia jurata fuerint, cessat eorum obligatio ex parte remanentis in sæculo, non verò ex parte ingredientis Religionem; nec tamen imponenda est huic obligatio, ut ante ingressum priùs contrahat Matrimonium cum sua Sponsa. Perez *disp. 9. Sect. 5.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 18. n. 5.* Sanch. *L. 1. disp. 43 n. 3.* Coninck, Pontius &c. Excipitur tamen casus, si fortassis v. g. Sponsæ multùm interesit, ut Sponsus Matrimonium cum ea priùs ineat, quia aliter famæ, & honori fæminæ ab ipso cognitæ consuli commodè non potest, tum ut proles ex ea nata legitimetur.

7. Ad secundum idem prorsus respondeo, in primis licitè posse à Sponsis tale votum emitti, etiamsi Sponsalia juramento firmata sint, quia potest licitè v. g. Sponsus Religionem ingredi, & in ea profiteri: ergo licitè potest illam quoque vovere, præscindendo iterum à circumstantijs, si Sponsa non fuerit sub promissione Matrimonij ab ipso vitiata, aliudvé exigat legitimatio prolis ex ea copula natæ, hoc enim casu votum Religionis, quatenus cedit in Sponsæ injustum detrimentum, Deo gratum esse non potest, neque obligatorium. 2. Ejusmodi votum emissum post contracta Sponsalia, etsi dissolvat obligationem ex parte remanentis in sæculo, ita ut cum alio nova Sponsalia possit contrahere, non tamen dissolvitur obligatio ex parte illius, qui Religionem vovit, quoc rca si fortè in nullo Religioso ordine admitteretur, vel in eo non perseveraret, probabiliùs adhuc obligabitur, si Sponsa in sæculo remanens expectet, atque ita velit, facta Sponsalia implere. Pirh. *n. 51. de Sponsal.* Tamb. *tr. 3. de Matr. c. 5. §. 2. n. 7.* Perez *Sect. 5. n. 2.* Palao *pu. 20. n. 4.* Ratio est, quia non aliter votum ingrediendi Religionem potest dissolvere Sponsalia præcedentia, quàm ipse Religionis ingressus: sed iste ante professionem non dirimit Sponsalia ex parte ingredientis; ergo neque votum.

Quæstio

QUÆSTIO SECUNDA.

An idem efficiat votum Cœlibatûs, vel sacri Ordinis?

CASUS

Post celebrata Sponsalia hæc vota emittentium.

Crescentius, & Domangartus post celebrata Sponsalia de futuro vota faciunt, ille Castitatis perpetuæ, hic sacri Ordinis suscipiendi.

Q. An per hæc vota dissolvantur Sponsalia?

SYNOPSIS.

1. *Vno è Sponsis votum cœlibatûs, seu votum simplex perpetuæ castitatis emittente, pars altera non vovens libera manet ab obligatione Sponsalium.*

2. *An etiam ipse vovens à Sponsalibus liberetur, adeoque tale votum simpliciter Sponsalia præcedentia dissolvat, diversa est Sententia. Prima affirmativa est valde probabilis.*

3. *Patitur*

3. *Patitur tamen limitationem.*

4. *Probabilius est, ex parte voventis Sponsalia non dissolvi.*

5. *Satisfit argumentis contrariæ Sententiæ.*

6. *Exponitur, quo sensu votum continentiæ emissum post contracta Sponsalia non solùm sit illicitum, sed etiam invalidum.*

7. *Deducuntur ex dictis aliquot corollaria.*

8. *Nec votum Ordinis sacri dissolvit Sponsalia ex parte voventis.*

9. *Dirimuntur tamen simpliciter Sponsalia præcedentia, si Sponsus actu suscipiat sacros Ordines.*

10. *Non verò, si minores, saltem ex parte Ordinati, sed tamen probabiliùs etiam tunc solvuntur ex parte Sponsæ.*

1. DE duplici voto nobis hîc sermo est, quæ in quibusdam conveniunt, in alijs verò à se discrepant, unde de utroque agendum, ita tamen, ut plurima, quæ de priore dicemus, secundo applicari valeant. Primum est votum cœlibatûs, sive perpetuæ castitatis in sæculo servandæ editum post contracta Sponsalia. Alterum est votum assumendi sacros Ordines, quibus annexum est votum castitatis, pari modo emissum, postquam jam antecedenter cum fœmina sunt contracta Sponsalia, quid enim sentiendum sit de votis, quæ ante Sponsalia facta sunt, ad impedimenta Matrimonij pertinet.

Ut primò loquamur de voto cœlibatûs, seu castitatis perpetuæ emisso post contracta Sponsalia, certum est, si unus è Sponsis tale votum concipiat, alterum, qui non vovit, eo ipso evadere liberum à fide, & observatione Sponsalium, tum quia vovens censetur hoc suo facto Sponsalibus priùs initis renuntiare, tum quia res ex parte ipsius notabiliter immutantur, cùm post ejusmodi votum nequeat ampliùs petere debitum conjugale; si igitur pars altera resilire non posset à Sponsalibus, imponeretur ei intolerabile onus, nam semper

semper ipsa deberet petere debitum, quod præsertim fœminæ ob innatam verecundiam gravissimum posset accidere, eamque forsitan exponere periculo incontinentiæ. Pirh. *n.* 29. *Qui Clerici, vel voventes.* Sanch. *L.* 1. *disp.* 46. *n.* 4. Tannerus *to.* 4. *disp.* 8. *q.* 1. *dub.* 4. *n.* 54. Fagundez *L.* 2. *in Decal c.* 16. *n.* 7.

2. Quæstio igitur tota nunc versatur in eo, an post contracta Sponsalia de futuro votum castitatis simplex licitè emitti possit, & servari ab alterutra parte, ita ut Sponsalia priùs inita dissolvantur etiam ex parte voventis?

Licitè concipi tale votum, etiam invitâ altera parte, perque illud Sponsalia simpliciter dissolvi ex parte quoque voventis, ita ut Matrimonium post voti istius emissionem inire, & facta Sponsalia implere nequeat, docent gravissimi AA. Azor *p.* 1. *L.* 11. *c.* 21. *q.* 10. Basil. Pontius *L.* 12. *de Matrim. c.* 12. *n.* 4. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal pu.* 5. *n.* 13. Tannerus, & Fagundez *ll. cc.* Eman. Rodriquez *to.* 1. *Summæ c.* 244. *n.* 2. Petrus de Ledesma *q* 43. *de Matr. art.* 3. *dub.* 3. Henriq. *L.* 11. *c.* 14. *n.* 4. qui tres posteriores cum Cajetano expressè hoc asserunt etiam de Sponsalibus juramento confirmatis. Eandem Sententiam, licèt non sequatur, probabilissimam vocat Sanch. *disp. cit n* 7. & quam tutissimè amplecti possimus, Vasq *Opusc. de restitut. c.* 3. §. 2. *dub.* 6. *n.* 17. Suarez & alij plures.

Ratio est 1. quia in Sponsalibus subintelligitur ista conditio: *nisi statum perfectiorem amplecti voluero*: cùm igitur status continentiæ multò sit perfectior, hujus electione per simplex votum castitatis cessat obligatio Sponsalium: quod confirmatur per textum c. Pervenit. 2. De Iurejur. ubi dicitur: *promissum non infringit, qui in melius commutat.* 2. Vinculum voti est fortius vinculo Sponsalium, cùm illud contineat obligationem fidelitatis respectu Dei, hoc verò respectu hominis: ergo per votum castitatis Sponsalia priùs contracta dissolvuntur, quia quotiescunque concurrunt duo vincula incompatibilia, & valida, prævalet fortius, ut colligitur ex *c. Si inter. De Sponsal.*

3. Hanc Sententiam, licèt non amplectatur, probabilem tamen agnoscit etiam Tamburinus *de Matr. tr.* 3. *c.* 5. §. 4. sed limitat, ac proindè monet 1. eam locum habere duntaxat in vero, & sincero Voto, ob cultum Dei edito, vel animæ salutem; secùs, si fieret ob odium Sponsæ, vel aliquid simile in fraudem. 2. Habere locum tantummodo in foro conscientiæ, nam in foro externo vix credet Judex, te verè ob votum castitatis Sponsalia deserere, cui consentit Laym. *L.* 5. *tr. to. p.* 1. *c.* 2. *n.* 7. ob tot DD. gravium authoritatem eandem Sententiam & ipse vocans probabilem, simulque affirmans, tutum fore in conscientia, qui

qui propria authoritate à Sponsalibus, præsertim clam celebratis, resilierit, animo sincero amplectendi statum perfectiorem continentiæ; quando autem publicè celebrata fuerunt, vix posse authoritate propria sine Sponsæ infamia, multorum querelis, rixis &c. à Sponsione recedere, & si ad forum externum hæc causa deferatur, contingere solere, ut Judex Ecclesiasticus Sponsum, qui post Sponsalia votum continentiæ se edidisse affirmat, ad viam tutiorem compellat, videlicet, ut vel fidem Sponsaliorum servet, vel intra præfixum ei tempus Religionem ingrediatur. 3. Advertit Fagundez *l. c. n. 9.* in hac Sententia eum, qui post votum castitatis contrahit Matrimonium cum alia, frangere quidem votum, sed non frangere fidem priorum Sponsalium, quia hæc per votum cœlibatûs superveniens jam penitus dissoluta sunt, & sic reum esse voti, non verò priorum Sponsalium.

4. Etsi verò probabilis sit ista Sententia, probabilius tamen est, ejusmodi votum post contracta priùs salia illicitè emitti, & ex parte voventis Sponsalia non dissolvi. Ita Sanch. *L. 1. disp. 46. n. 9.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 20. n. 6.* Laym. *l. c. n. 6.* Perez *disp. 9. Sect. 6. n. 9.* Coninck *disp. 23. dub. 3. conclus. 7.* Hurtad. *disp. 2. de Matr. diffic. 3. n. 11.* Illsung *tr. 6. disp. 9. q. 1. art. 3. n. 24.* Becanus *to. 1. c. 43. de Sacramentis in specie q. 22. n. 3.* Less. *L. 2. de Iust. c. 41. dub. 6. n. 54.* Præpos. Rebellus, Engl &c.

Colligitur apertè ex *c. Veniens. Qui Clerici vel voventes*, ubi mulieri, quæ post Sponsalia contracta votum continentiæ emiserat, & idcirco Sponsus ad alias nuptias transijt, pœnitentia injungitur tum propter fidem Sponsalium violatam, tum propter votum, à quo cupiebat liberari, ut cum alio posset contrahere: censuit ergo Pontifex, per illud votum Sponsalia non dissolvi, nec licitè illud emitti, aliàs non jussisset imponi pœnitentiam etiam ob fidem Sponsalium violatam.

Probatur ulteriùs, quia Deo grata non est, neque ab eo acceptatur promissio, in quantum ista cum alterius injuria, & damno conjuncta est, & in illius præjudicium cedit: atqui hoc ipso, quòd alteri parti per Sponsalia jus acquisitum sit, cui illa nunquam renunciavit, tale votum sine illius præjudicio, & damno non concipitur: ergo corpus per præcedentia Sponsalia alteri promissum non potest de novo cum præjudicio Sponsæ per votum superveniens offerri Deo, neque ab eo acceptatur, quemadmodum si Petro promisisti mille aureos, quos ipse acceptavit, non potes postmodum vovere, quòd eos velis dare Ecclesiæ, neque hoc votum à Deo acceptatur.

5. Argumenta pro prima Sententia adducta finem suum non conse-

quuntur, sed ex eorum solutione adhuc magis stabilitur nostra Sententia. Ad primum nego, excipi statum continentiæ, sive includi in Sponsalibus hanc tacitam conditionem: *nisi statum perfectiorem continentiæ amplecti voluero*, nec enim includitur ista condirio ex natura rei, aliàs dicam, eandem subintelligi in quacunque alia promissione homini facta; unde si Petro promisero centum florenos, dici potest, etiam hîc subintelligi, *nisi voluero eos dare pauperibus*, & sic de alijs, quod planè absurdum est. Nec potest prædicta conditio præsumi ex mutuo contrahentium consensu, quia communiter nihil minùs cogitant Sponsalia contrahentes, quàm quòd sibi velint reservare jus servandi castitatem. Nec denique subintelligitur ista conditio ex jure positivo, in hoc enim solus status Religiosus ob singularem illius perfectionem exceptus invenitur, quæ exceptio ad alios casus extendenda non est, cùm cedat in præjudicium Juris alteri parti acquisiti.

Nec probat aliquid citatum *c. Pervenit*, nam respondetur, promissum non infringere, qui illud in melius commutat ex voluntate ipsius creditoris, uti contingit in votis, & obligationibus soli Deo factis, nam Deus semper acceptat rem meliorem loco minoris: at verò in promissionibus, quæ fiunt in favorem hominum, idem dici non potest, quia istis non semper præplacent ea, quæ secundùm se meliora sunt: infringitur ergo data fides, quando non datur res promissa, atque ideo nihil probat in casu nostro textus allegatus, maximè quia cœlibatus, quamvis sit aliquid melius secundum se, atque etiam respectu promittentis, non tamen est quid melius in istis circumstantijs, quia conjunctus est cum damno, & incommodo alterius partis, ceditque in ejus præjudicium.

Ad secundum respondet Perez, esse quidem vinculum fortius in voto, quàm in promissione, quæ homini fit, si attendamus præcisè personam, cui est facta promissio, non verò si consideremus modum ipsum se obligandi, nam utrobique obligatio oritur ex libera promissione: quæ responsio si non arrideat, aliter cum AA. hujus Sententiæ respondetur sub distinctione. Conceditur nempe, inter duo vincula fortius stringere validiùs, quando utrumque validum est: at votum continentiæ subsequens Sponsalia invalidum est, quatenus cedit in præjudicium Sponsæ: ergo, quamvis factum sit Deo, ligare nequit.

6. Dixi superiùs n. 4. hujusmodi votum continentiæ emissum post celebrata Sponsalia esse illicitum, nunc verò in ultima data responsione asseritur, etiam esse invalidum; utrumque hoc explicandum est.

Quòd sit illicitum ex hactenus dictis

ctis sufficienter constare potest, quia nempe est promissio, quæ Deo grata esse nequit, utpote cui offertur res alteri debita ex promissione, idque non sine incommodo prioris promissarij. Quale verò, quantumvè peccatum per tale votum committatur, non conveniunt, nec satis exprimunt Authores. Mortaliter peccare eum, qui post Sponsalia vovet castitatem, docuisse referuntur à Fagundez *l. c. n.* 11. Sylvest. Ludov. Lopez, Corduba &c. at ego non invenio, ubi expressis verbis hoc asserant: in exemplum adduco Sylvestrum, qui *V. Sponsalia q.7.* ita loquitur planè genericè, quin aliquid determinet, num sit mortale, num verò veniale peccatum, imò potiùs convenit cum prima Sententia n. 2. relata: *quoad voventem est majus dubium, utrùm hoc possit facere sine peccato, & utrùm eo facto sit absolutus: & dico, quòd si intendit Religionem intrare, vovendo non peccat &c. aliàs peccaret vovens in alterius præjudicium.*

Mihi videtur dicendum cum Rebello *p. 2. L. 4. q. 8. Sect. 7. n.* 52. non nisi venialiter peccare. Ratio mea est, quia etsi non vovens magnum incommodum patiatur ex eo, quòd altera pars debitum conjugale petere nequeat, quamvis id reddere teneatur, (ut statim dicemus) magnopere autem onerosum sit, præsertim fæminæ, ut ipsa semper petat, tamen hoc onus non usque adeò grave est, cùm peti possit circa hoc votum dispensatio vel ab Episcopo, vel alio privilegiato; nec difficulter impetrabitur, justa enim causa, ut ait Lopez *p. 1. Instructorij c. 49. circa finem*, dispensandi in voto castitatis est magna fragilitas voventis, & periculum, ne contra suum votum agat, cui absque dubio expositus est; tum ipsum quoque incommodum partis alterius, quod sine sua culpa subit, unde tenetur vovens petere dispensationem, ne permaneat in perpetuo periculo incontinentiæ. Tamb. *l. c. §. 4. n.* 7.

Dum autem dicitur, hoc votum etiam esse invalidum, non ita intelligendum est, quasi irritum prorsus sit, & nullum penitus effectum habeat, sed quòd invalidum sit ex parte, in quantum scilicet Sponsæ præjudicat: nempe, ut verbo dicamus, nullam inducit hoc votum obligationem, ut Matrimonium non contrahat cum ea, cui fidem dederat, validum tamen est, in quantum continet obligationem, ne contrahat cum ulla alia; tum etiam ut post contractum Matrimonium cum sibi antecedenter desponsata debitum conjugale ab ea non petat, ut explicant Laym. Palao, & Perez.

7. Ex istis igitur deduces sequentia corollaria. 1. Sic voventem non posse petere debitum conjugale, teneri tamen conjugi petenti reddere, quia v. g. uxor ad hoc habet jus justitiæ, ut sibi reddatur, quod verè suum est, potestque ideo tale votum

ex parte esse invalidum, ex alia verò parte validum, quia respicit objecta divisibilia, ut non obscurè colligitur ex c. Placet. de Converf. Conjug. ubi legitur: *licèt votum ejus usque-quaque non tenuerit, eatenus tamen obligatorium fuit, quatenus se poterat obligare:* potuit verò se obligare in præjudicium proprium, non verò in præjudicium Sponsæ. 2. Ita voventi non esse liberum, sed debere ipsum procedere ad Matrimonium, si altera Pars ita velit. 3. Matrimonio per mortem conjugis dissoluto, rursus obstrictum esse ad votum suum integrè servandum, nisi dispensationem obtinuerit, quemadmodum is quoque, qui vel ante, vel post Sponsalia vovit Religionem ingredi, & postea vel licitè, vel illicitè contraxit Matrimonium, soluto Matrimonio per mortem conjugis adhuc tenetur, si adhuc sit idoneus, Religionem ingredi. Sporer *Theol. Sacramentalis p. 4. n. 259.* Sanch. *l. 6. n. 15.* cum communi.

8. Quæ dicta sunt de voto simplici castitatis, seu cœlibatûs, dicenda quoque sunt de voto suscipiendi sacros Ordines emisso post contracta Sponsalia, nam hoc quoque votum insciâ, aut renuente Sponsâ conceptum, etsi per illud libera fiat Sponsa, ut à Sponsalibus resilire possit, tamen ex parte ipsius voventis Sponsalia præcedentia non dissolvit, & à Sponso illicitè concipitur, prout locuti sumus de voto castitatis, itaque hic quoque, si Sponsa ita desideret, tenetur contrahere Matrimonium, nisi eligat ingressum Religionis: quòd si autem Sponsalia justa de causa dissolvantur, quia v. g. Sponsa fidem sibi datam remisit, vel si etiam contractum cum ea Matrimonium morte uxoris dirimatur, tenebitur etiamnnm implere suum votum, & SS. Ordines suscipere. Ita Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 19.* Perez *disp. 9. Sect. 6.* Sanch. *L. 1. disp. 47.* Rebellus *p. 2. L. 4. q. 8. Sect. 5.* Coninck, Reginald. Filiuc. Præposit. Hurtad. Wiestner *n. 66. Qui Clerici, vel voventes,* Pirh. Engl &c. contra Laym. *l. c. n. 8.* Pontium, Henriq. Gobat, Dicastillo, Sporer, Fagundez &c. Ratio est eadem, quæ de voto castitatis; est enim illicitum Sponso, invitâ, aut inscia Sponsâ suscipere sacros Ordines: ergo neque licet in præjudicium Sponsæ vovere illorum susceptionem. Antecedens patet, quia nullo jure reperitur hoc esse concessum sacris Ordinibus, ut post contracta Sponsalia Sponso licitum sit eos suscipere, quemadmodum à Jure conceditur intrare Religionem, est enim hoc speciale Privilegium, quo sacri Canones propter ejus excellentiam prosequuntur statum Religiosum, qualis favor de SS. Ordinibus non legitur.

Sed neque ex hoc aliquid probatur, dum dicitur, sacros Ordines longè præstare Matrimonio: jam enim in præcedentibus ostensum est, eam

eam conditionem non includi: *nisi aliquid melius elegero*, & sicuti non licet votum, vel juramentum commutare in aliquid etiam evidenter melius, quando hoc cedit in præjudicium alterius, ita nec licitum est, relinquere Matrimonium in præjudicium Sponsæ pro sacro Ordine, cùm id illi speciali privilegio minimè sit concessum. Quod ex eo quoque ulteriùs confirmatur, quia ab Ordinarijs Diœcesium admitti solent oppositiones Sponsalium, si quando ad sacros Ordines aspiranti à Sponsa excipiente obijciantur, ut testantur Perez *l. c. n. 7.* Rebellus *n. 30.* & Præposit *q. 9. dub 9. de Sponsal. n. 80.*

9. Quamquam verò votum suscipiendi sacros Ordines non dissolvat Sponsalia ex parte voventis, certum tamen est, per actualem sacri Ordinis susceptionem Sponsalia dirimi, ut manifestum est ex Concilio Trident. *Sess. 24. de Sacr. Matrim. Can. 9.* quia nempe per sacrum Ordinem ponitur homo in statu, qui est insociabilis cum Matrimonio, eumque ad istud contrahendum inhabilem efficit; peccat tamen mortaliter sacrum Ordinem invitâ, aut insciâ Sponsâ suscipiens juxta citatos AA. quia infert Sponsæ gravem injuriam, cui porrò remedium adhibere non potest, teneturque & hic, & qui post celebrata Sponsalia Religionem profitetur, resarcire damna, quæ ob id Sponsa incurrit, quia v. g. expensas in Sponsalibus fecit, & in præparatione ad nuptias &c. Laym. *l. c. n* 8. Sanch. Sporer.

10. Dixi *sacros Ordines*, nam extra dubium est non solùm votum minorum Ordinum, sed etiam actualem eorundem susceptionem Sponsalia præcedentia non dirimere saltem ex parte suscipientis, in quo omnes conveniunt, quia non pugnant minores Ordines cum conjugio, neque constituunt hominem in statu, qui sit incompossibilis cum Matrimonio, unde non peccat teste Rebello, & Perez, qui post Sponsalia suscipit minores Ordines, nec Sponsa contra hoc rationabiliter invita esse potest; atque ideo ex utraque parte, nempe etiam ex parte Sponsæ, ea non dissolvi, docent Tambur. Palud. & pro certo id asserit Sanch. *L. 1. disp. 47. n. 1.* At mihi probabilius est cum Tannero *l. c. n. 35.* dissolvi ea etiam hoc casu ex parte Sponsæ, quando ipsâ vel insciâ, vel invitâ Sponsus susciperet minores Ordines, nam videtur hoc facto remittere Sponsæ jus suum in illam subitque ipse notabilem mutationem dum se curat tonderi in Clericum, quod in Germania præsertim locum habere putant Gobat *tr. 10. cas. 8. n. 321.* Wex, & Sporer Authores Germani, quia communiter in istis partibus nollent puellæ contrahere cum illo, quem scirent translatum iri in classem Clericorum.

Causa

CAUSA TERTIA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Matrimonium ratum, sive Sponsalia de præsenti cum alia.

QUÆSTIO UNICA.

An Matrimonium ratum absolutè tollat Sponsalia de futuro præcedentia?

C A S U S

Sponsæ jus suum pertinaciter urgentis.

Pammachius contra fidem Sponsalium cum Massalina celebratorum contraxit Matrimonium cum Juliana, quæ post triennium mortua est. Massalina urget nunc nuptias à Pammachio sibi promissas.

Q. An eam ducere teneatur?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Contrahens secunda Sponsalia de futuro non liberatur à Sponsalibus præcedentibus, etsi secunda juramento firmaverit.*
2. *Si tamen sub promissione conjugij secundam Sponsam defloravit, tenetur probabiliùs hanc ducere, relictâ primâ; quemadmodum etiam, qui post emissum votum Religionis corrupit Virginem, potiùs tenetur eam ducere, quàm ingredi Religionem.*
3. *Ponuntur aliquæ tum limitationes, tum etiam extensiones.*
4. *Per Sponsalia de præsenti solvuntur Sponsalia de futuro priùs contracta cum alia, si tamen ob impedimentum aliquod invalida fuerint, tenetur redire ad Sponsam priorem, sed hæc non obligatur eum acceptare.*
5. *An, qui post celebrata Sponsalia de futuro aliam duxit de præsenti, teneatur hac mortuâ redire ad Sponsam priorem, eamque ducere, si ipsa velit? Duplex est Sententia. Refertur negativa.*
6. *Statuitur, & probatur Sententia affirmativa.*
7. *Respondetur ad fundamenta contraria.*
8. *An contrahens de futuro cum duabus, teneatur implere secunda Sponsalia, si priora fuerint dissoluta?*

1. CErtum est, non solùm per posteriora Sponsalia de præsenti, seu actuale Matrimonium, sed etiam per Sponsalia posteriora de futuro dissolvi Sponsalia præcedentia cum alia priùs celebrata ex parte Sponsi repulsi, tum quia contrahens secunda Sponsalia censetur eo ipso prioribus renunciare, tum quia alteri sufficientem causam præbet à data fide recedendi, postquam ipse prior fidem fregit; & in hoc conveniunt omnes: an verò etiam dissolvantur ex parte secunda

secunda Sponsalia contrahentis, adeò ut ab obligatione priorum Sponsalium liber evadat, dubium aliquod esse potest. Et quidem si absque juramento, vel copula contracta sint secunda Sponsalia, iterum communis est DD. assertio, ita contrahentem non esse solutum à priori Sponsalium obligatione, unde etiamnum tenebitur ducere priorem Sponsam, si ipsa ita velit, & urgeat, quia res uni obligata invalidè alteri promittitur, consequenter secunda Sponsalia nulla sunt, cùm sint promissio rei illicitæ: Si autem secunda Sponsalia firmata sint juramento, docent Innocentius, Imola, & alij quidam apud Sanch. *L. 1. disp. 50.* prævalere secunda Sponsalia.

Verùm dicendum est cum communiore, & certa Sententia, per secunda Sponsalia, etsi juramento firmata sint, nullo modo dissolvi Sponsalia præcedentia, sunt enim hæc secunda, etsi jurata, nullius valoris, utpote quæ sunt de re iniqua, & in præjudicium tertij; nemo autem obligari potest ad id, quod sine peccato præstare non potest, nec juramentum potest esse vinculum iniquitatis, *c. Sicuti 22. De Sponsal.* Gonzalez *in cit. c. n. 3.* Palao *disp. 21. pu. 22. n. 2.* Sanch. Bonac. Coninck &c.

2. Excipitur tamen casus: si quis post prima Sponsalia contraxit secunda cum alia priorum omnino ignara, & sub promissione conjugij ab ea obtinuit copulam, tunc enim est probabilius, ex parte utriusque dissolvi priora Sponsalia, huncque defloratorem obligatum esse ad ducendam secundam fœminam à se corruptam, ut docent Palao *l. c. n. 6.* Pontius *L. 12. c. 14. n. 4.* Coninck *disp. 23. dub. 4. n. 34.* Rebellus *L. 4. de oblig. Iust. q. 8. Sect. 8. n. 56.* Illsung *tr. 6. disp. 9. n. 25.* Perez *disp. 9. Sect. 8. n. 15. & 16.* contra Sanch. Hurtad. Filliuc. Pirhing, Bassæum &c.

Probant conclusionem istam Palao, & Coninck, quia obligatio contrahendi, quam habet cum secunda, est obligatio ex contractu oneroso, ob usum corporis sub ea conditione sibi concessum, ut Matrimonium secum contrahat; priorum verò Sponsalium obligatio est omnino liberalis, & gratuita: ergo hæc cedere debet obligationi onerosæ, nam obligatio liberalis est de concedendo lucro, at onerosa est de vitando damno, cui semper est favendum. In exemplo res patet: si vendidissem Joanni equum, deinde verò eundem denuo venderem Petro, & acceptum ab eo pretium ante traditionem consumerem, nec aliud haberem, aut habere possem, quod ei restituerem, deberem equum potiùs tradere Petro, quàm Joanni, ut deciditur *L. Quoties. C. De rei vindicat.* ubi res vendita uni, & alteri insuper tradita huic adjudicatur: at in prioribus

ribus Sponsalibus te in Matrimonium promisisti, in secundis verò te insuper quasi vendidisti, recepto pretio, imò & tradidisti, si non quoad dominium, saltem quoad usum: ergo deberis Sponsæ secundæ, & obligaris posteriora Sponsalia exequi, non verò priora; compensare tamen debebis priori Sponsæ injuriam juxta naturam rei.

Confirmatur ulteriùs. Si quis post votum Religionis à Virgine, aut honesta Vidua voti istius ignara sub promissione conjugij obtinuit copulam, tenetur potiùs cum ea contrahere Matrimonium, quàm votum adimplere ingrediendo Religionem, quia hanc ingredi jam non potest, nisi gravem injuriam irrogando puellæ, nec patitur æquitas naturalis, ut talis existat liberalis in Deum cum tanto damno proximi, ut contra Laym. Navarr. Rodriq. &c. docent Lessius, Palao, Coninck, ipseque Sanch. *L. 1. disp. 45. n. 3. & seq.* cum Bonac. *q. 1. de Sponsal. pu. 5. n. 7.* ergo hîc quoque tenetur potiùs ad secunda Sponsalia, quàm ad priora.

Quòd si alicui minùs placeat ista probatio, eò quòd secunda promissio, quia fuit de re illicita, & in præjudicium prioris Sponsæ facta, nulla fuerit, & invalida, quæque proinde nequiverit jus suum auferre priori Sponsæ jam acquisitum per Sponsalia præcedentia, ut argumentatur Sanchez cum alijs; formatur novum argumentum, &

Probatur conclusio 2dò. Quoties damnum notabile advenit secundæ fæminæ ex eo, quòd Matrimonium cum ipsa non contrahatur, affirmant etiam Sanch. Pirh. & alij oppositæ Sententiæ patroni, Sponsam priorem debere cedere suo juri, & Judicem interpellatum debere talem Sponsum compellere, ut secundam ducat, quam vitiavit: atqui hoc damnum ferè semper contingit, cùm rarò secunda fœmina Sponsum æqualem inveniat, aliaque plura damna patiatur: ergo, etiamsi detur, ex ipsa promissione secundùm se spectata jus nullum fuisse consecutam, tenebitur tamen ipsam ducere, atque ad hoc ipsa jus habet saltem ob damnum injuriosè sibi illatum, quod aliter resarciri commodè nequit, præsertim si fuit impregnata, quia tunc istud exigit etiam bonum prolis, quod maximi fit à jure, ne remaneat hæc illegitima; hoc verò jus est fortius jure, quod prior Sponsa acquisivit per sola Sponsalia: ergo prioris Jus potiùs impeditur per jus secundæ, quàm contrà, quia jus fortius superveniens impedit minùs forte præcedens, ut cum communi docet Sylvest. *V. Sponsal. q. 7. reg. 2.*

3. Cæterùm in hac conclusione advertes 1. Dicta locum habere tunc solummodo, quando secunda Sponsa, quæ corrupta est, ignara fuit priorum Sponsalium, adeoque quando egit bona fide; nam si conscia fuit, virum jam esse desponsatum alteri, is non

is non fecundam, fed primam ducere tenetur, hæcque fecunda veluti particeps delicti in utroque foro reijcitur, quia decepta non fuit, fed potiùs fe ipfam decipere voluit, unde damnum fecutum fibi imputare debet, non viro, cujus promiffum fcivit iniquum effe, & nullum. 2. Si etiam prior Sponfa carnaliter fuit cognita, non obftante Sponfæ posterioris bona fide, & ignorantiâ Sponfalium præcedentium, priora Sponfalia non diffolvuntur, fed etiamnum adeft obligatio ducendi primam, quia cùm damnum utriufque Sponfæ fit æquale, prima autem ante aliam jus acquifiverit, locus eft Regulæ Juris 54. in 6. *qui prior eft tempore, potior eft jure.* 3. Advertendum, quæ dicta funt de obligatione ducendi fecundam vera effe, etiam quando cum ipfa, five Virgo ea fuerit, five honefta Vidua, carnalis quidem copula nulla habita fuit, fed tamen à Sponfo conjugium promittente ita cum ea familiariter actum eft, ut magna fufpicio fit, eam corruptam effe, unde incurret infamiam, & alia incommoda. Card. de Lugo *to. 1. de Iuft. difp. 12. n. 48.* Vafq. *c. 3. de reftit. n. 21.* 4. Denique advertit Gobat *tr. 10. n. 325.* quando fecundæ Sponfæ violatio eft occulta, teneri talem Sponfam adhuc ducere primam, utpote quæ tunc ex nullo titulo obligatur ad renunciandum fuo juri, quia per occultam violationem, in quam altera fponte confenfit, non exponitur adeò gravi damno, & injuriæ fecunda Sponfa, nifi in conjugem affumatur, ut ad illud avertendum cum proprio incommodo prior Sponfa privari jure fuo poffit, aut cedere debeat etiam ex charitate.

4. Nunc verò, ut loquamur de Sponfalibus cum altera non de futuro, fed de præfenti initis, quod in cafu noftro exprimitur, certum eft apud omnes, per ea diffolvi Sponfalia de futuro priùs contracta cum alia, etfi ea jurata fuerint, ut manifeftum eft ex *c. ficut ex literis. c. Si inter Virum. De Sponfal. & c. 1. De Sponfa duorum.* Ratio eft, quia Sponfalia de præfenti funt ipfum Matrimonium ratum, confequenter fortius eft eorum vinculum, quàm fit Sponfalium de futuro, namque res tradita uni per contractum indiffolubilem non poteft ampliùs tradi alteri, cui tantummodo promiffa eft: obligatur igitur Sponfæ fecundæ, cum qua contraxit de præfenti, ea verò, quæ præcefferunt, Sponfalia diffolvuntur.

Cæterùm iftud intelligendum eft; fi hæc Sponfalia de præfenti, five Matrimonium fuerit validum, fi enim fit invalidum, quia v. g. contractum eft cum confanguinea, priora Sponfalia non diffolvuntur, fed, qui ejufmodi Matrimonium attentavit, tenetur redire ad priorem Sponfam, cùm hac ratione non adfit fortius vinculum Matrimonij, quod prævale-

prævalere possit vinculo Sponsalium præcedentium, nam, ut loquuntur Jura, *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Reg. 52. de R. I. in 6.

Interea Pars altera, à qua recessum est, etiam sic non obligatur eum denuo acceptare, sed potest uti jure suo, ut fidem non servet illi, qui priùs fidem frangere voluit, quia, etsi contractus invalidus fuerit, tamen etiam per hunc sufficienter indicavit, se mentem suam mutâsse, prioribusque Sponsalibus renunciare, per quod pars altera causam justissimam resiliendi acquisivit. Perez *disp. 9. Sect. 7. n. 1. & 2.* Palao &c.

5. Difficultas nunc in eo est, an præcedentia Sponsalia de futuro per subsequens Matrimonium validum, sive per Sponsalia de præsenti etiam ex parte illius, qui hoc contraxit, ita dissolvantur, ut omnis eorum obligatio penitus extinguatur, & cesset, an verò præcedens obligatio, quamdiu præsens Matrimonium durat, solummodo suspensa maneat, ita ut mortua conjuge, vi priorum Sponsalium adhuc teneatur deinde primam Sponsam, priùs à se relictam, ducere, si ipsa ita velit?

Prorsus extingui priorem obligationem, ita ut mortuâ uxore non teneatur ad priorem Sponsam redire, docent Tannerus *to. 4. disp. 8. q. 1. dub. 4. n. 56. & seq.* Sanch. *L. 1. disp. 48. n. 3.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. in fine.* Bonac. *q. 1. de Sponsal. pu. 7. n. 2.* Filliuc. *tr. 10. n. 272.* Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub. 27. n. 347.* Pirh. *n. 59. de Sponsal.* Rodriq. Bassæus &c. Probant hanc suam assertionem ex *c. Si inter. De Sponsal. c. 1. De Sponsa duorum. c. fin. caus. 27. q. 2.* alijsque pluribus locis è Jure Canonico desumptis, ubi dicitur, priora Sponsalia omnino extingui per Matrimonium superveniens; cujus ulterior ratio est, quia in alijs quoque casibus vinculum fortius superveniens extinguit obligationem priorem ejusdem rationis minùs fortem, ut manifestum est ex c. Qui post 5. De Regular. in 6. ubi votum profitendi in strictiore Religione penitùs extinguitur per actualem professionem in Religione laxiore: *Qui post votum* (ait textus) *à se de certa Religione intranda emissum Religionem aliam, & laxiorem ingreditur. & profitetur in ipsa, potest voto non obstante priore, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum, manere licitè in ea.* Sicuti ergo omnino hîc cessat prior obligatio, quia vinculum fortius secutum est, scilicet solemnis professio, ita per actuale Matrimonium, quod vinculum quoddam fortius est, prorsus extinguitur obligatio prior orta ex solis Sponsalibus: atqui obligatio semel extincta non reviviscit *L. Qui res. §. aream. ff. De Solutionibus,* & *c. Quæris. dist. 4. de consecrat.* ergo post mortem conjugis prior Sponsalium obligatio non reviviscit, ac con-

sequenter non tenetur redire ad Sponsum priorem.

Addit Dicastillo *n. 549.* ex hac quoque causa non perseverare priora Sponsalia, nec solùm sopiri, sed penitus extingui etiam ex parte ejus, qui Matrimonium inijt, quia istud magnopere expedit bono præsentis, & existentis Matrimonij, paciqúe & amori conjugum, ut conjux ille non habeat causam, aut occasionem amandi aliam personam amore ordinato ad Matrimonium, nec tentationem machinandi mortem conjugis, habito respectu ad præcedentia Sponsalia, si adhuc pendeant in futurum eventum. Accedit, quòd etiam persona relicta tentationem, & occasionem habere potest desiderandi, & machinandi mortem ejus conjugis, quo mortuo reviviscat obligatio Sponsalitia, possitque nuptias, quas priùs voluit, inire, & ad illas cogere personam sibi jam devinctam per priora Sponsalia. Denique occasio hinc oritur etiam zelotypiæ alterius conjugis, qui sciens præcessisse priora Sponsalia, eademque per Matrimonium secum initum extincta non esse, sed duntaxat sopita, facilè in suspicionem veniet ex levissimis, & ferè nullis indicijs, etiam amorem adhuc perseverare erga priorem Sponsam, unde turbabitur pax, & amor minuetur, pluraque alia exurgent inconvenientia, quæ omnia vitari possunt extinctione Sponsalium præcedentium.

6. Dicendum nihilominus. Quamvis ista Sententia probabilis sit, præsertim ob tot, tantorumque DD. auctoritatem, probabilior tamen est opposita, videlicet per secunda Sponsalia de præsenti non plenè, & pro omni tempore dissolvi Sponsalia præcedentia etiam ex parte illius, qui fidem fregit priori Sponsæ de futuro, dum aliam duxit de præsenti, sed solùm sopiri, ac suspendi in eventum, quo præsens uxor moriatur, atque tunc eum obligatum esse ad ducendam primam à se relictam, si ipsa velit. Ita Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 21. n. 2.* Coninck *disp. 23. dub. 4. n. 32.* Tamb. *c. 5. de Matrim. §. 5. n. 3. & seqq.* Perez *disp. 9. de Matr. Sect. 7. n. 5.* Hurtad. *disp. 2. de Matr. difficult. 7. n. 26.* Basil. Pontius *L. 12. c. 13.* Wiestner *n. 100. de Sponsal.* Wex *Ariadnes Carolino-Canonicæ p. 5. tr. 2. §. 7. n. 12. & seqq.* Haunoldus *Institut. Theol. L. 4. n. 601. & seq.* Præposit. Sporer, Petrus Ledesma &c.

Probatur. 1. Quia omnino iniquum est, ut aliquis per injuriam alteri jus suum tollat, seque ab ejus obligatione eximat, quando potest ei satisfacere: atqui si talis non teneretur priorem ducere, per injuriam ei jus suum ita tolleret, seque eximeret ab ejus obligatione: dicendum igitur, ne admittatur talis iniquitas, eum teneri ad ducendam priorem Sponsam post mortem præsentis conjugis, ne Matrimonium malitiosè

tiosè absque necessitate contrahens ex sua injustitia commodum reportet, & Pars relicta damnum, jurisque sibi debiti privationem; tum etiam ne detur ansa passim resiliendi à primis Sponsalibus per novos contractus de præsenti, sed ut potiùs homines absterreantur à tali malitia, si sciant, priorem obligationem non penitus tolli, sed solùm suspendi durante Matrimonio, ita ut eo soluto Sponsæ relictæ adhuc possint, & debeant satisfacere.

Probatur 2. quia si Matrimonium superveniens non solùm impedit, quàm diu durat, Sponsalium præcedentium executionem, sed penitus tollit eorum obligationem, tunc vel extinguitur hæc obligatio ex dispositione Juris positivi, vel naturalis, quia nempe ex ipsa natura rei per secutam posteriorem, & fortiorem obligationem præcedens minus fortis extinguitur? Non primum, quia ex nullo textu Juris ostendi potest, nec enim ij, qui pro Sententia priore allati sunt, istud evincunt, ut in solutione argumentorum adversæ partis videbimus. Non secundum, quia vinculum Matrimonij non est incompossibile cum obligatione Sponsalium respectu primæ Sponsæ, quamquam ejus impletionem hîc, & nunc impediat: ergo qui Matrimonium contrahit, non eo ipso solvitur à Sponsalibus præcedentibus. Antecedens patet, quia impedimentum obligationi cuidam superveniens eandem non prorsus extinguit, sed suspendit, donec cessante hoc impedimento iterum reviviscat, ut manifestum est in exemplis, nam qui Religionem vovit, si postea Matrimonium contrahit, adhuc tenetur uxore mortua implere suum votum, & Religionem intrare, quia obligatio voti non fuit extincta per Matrimonium, sed tantùm suspensa, ut cum Haunoldo *Instit. Theol. L. 4. n. 601.* de Sacramento Matrimonij alij passim docent. 2. Si Petro vel promittas equum, vel etiam vendas, hac tamen promissione, vel venditione non obstante, Titio deinde vendas, & simul tradas eundem equum, spectabit is ad Titium *L. Quoties. C. De rei vindicat.* Si verò postmodum equus iste tibi reddatur, teneris adhuc ex prima promissione eundem dare Petro, atque ita implere tuam obligationem: ergo pari modo Sponsus, de quo loquimur, mortua sua conjuge, exequi etiamnum debet Sponsalia priùs contracta.

7. Fundamenta adversæ Partis facilè subruuntur; siquidem in textibus citatis nunquam asseritur, Sponsalia priora penitus extingui, sed solùm deciditur, Matrimonium superveniens validum esse, eoque copulatos separari non debere; an verò superfit aliqua obligatio ex Sponsalibus præcedentibus, Matrimonio per mortem conjugis soluto, prorsus nihil statuitur; unde malè hîc usurpatur

patur axioma: *obligatio semel extincta ampliùs non reviviscit*, quia in quæstione est, an obligatio extincta sit, idque nec Jure positivo, nec naturali probatum est.

Sed neque ex *c. Qui post. De Regular. in 6.* id probatur, nam ibi, ut eleganter id ostendit Pontius *l. c. n. 5. & seqq.* fit specialis quædam Juris positivi dispositio, ut pax Monasteriorum conservetur, ne inter ea nascantur discordiæ, aut quies profitentium turbetur; similis autem specialis constitutio Juris pro præsenti casu non habetur. Præterea est ibi idem creditor, scilicet Deus, cui res præstantior conceditur professione in Religione laxiore, quàm fuerit concessa per votum simplex assumendæ strictioris; hic verò sunt creditores diversi, atque unius commodum in alterius damnum cedit, quod æquitas naturalis non permittit: igitur tum Juri naturæ, tum positivo Sententia hæc conformior est.

Ad argumentum denique, quod format Dicastillo, Respondeo, quemadmodum ipse dicit, bonum præsentis Matrimonij exigere, ut priora Sponsalia penitus extincta sint, ita, & multò magis exigere bonum Sponsalium de futuro, ut ea per Sponsalia de præsenti non prorsus extinguantur, sed suspensa maneant, ne passim contrahant de præsenti cum alia, quos nausea cepit prioris Sponsæ, ut ab hac tali modo se liberent, sed potiùs absterreantur, si sciant priorem obligationem posse reviviscere; neque est tantum periculum, ut arbitratur hic Author, ne multis tentationibus obnoxius sit, aut mortem machinetur suæ conjugi, ut frui possit prioribus Sponsalibus, cùm meritò timere debeat, ab ea se repulsum iri, esseque illi odio, quam prior ipse deseruit, multò enim frequentiùs evenit, ut fœminæ perfidum desertorem execrentur, quàm ut affectum aliquem erga ipsum conservent, hocque ipsum potest uxorem præsentem à Zelotypia immunem reddere: si verò etiam prior Sponsa ob hunc finem in necem conjugis præsentis consentiat, per se inducitur impedimentum dirimens, ut Matrimonium contrahi nequeat, contractumque nullum sit. Denique nimium probat hoc argumentum; nempe spem omnem tali homini, imò cuivis marito debere adimi quamcunque ducendi post mortem præsentis conjugis, si enim hanc pertæsus sit, & amore alterius teneatur, aut ulli familiariùs colloquatur, mala omnia evenire possunt, quæ metuit Dicastillo, quod tamen à nemine asseritur.

8. Quæres, an sicut, qui post Sponsalia de futuro cum una, contraxit deinde de præsenti cum altera, hac mortua tenetur ducere priorem, ita qui post Sponsalia de futuro cum una, contraxit pariter de futuro cum altera, obligetur hanc secundam ducere, si prima Sponsalia dissolvantur

vel

vel per mortem prioris Sponsæ, vel per illius ingressum in Religionem, aut voluntariam remissionem ?

Resp. negativè, etiamsi secunda jurata fuerint. Ratio est, quia secunda Sponsalia, cùm inirentur, erant invalida ratione priorum Sponsalium, quibus contrahens ligatus erat; *quod autem ab initio validum non fuit, tractu temporis non convalescit* Reg. Jur. 18. in 6. hinc si ligatus voto castitatis contrahat Sponsalia de futuro, etsi postea dispensationem voti impetret, non tenetur ad ea servanda, quippe quæ ab initio invalida fuerunt. Pirh. *n. 57. in fine de Sponsal.* Sanch. *L. 1. disp. 50. n. 6.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 22. n. 4.* Perez contra Covarruv. Rebellum &c.

CAUSA QUARTA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Absentia Sponsi, vel Sponsæ,

QUÆSTIO UNICA.

Quænam absentia sufficiat ad dissolutionem Sponsalium?

C A S U S

Sponsi aliò discedentis sine præscitu Sponsæ.

Pepinus juvenis Studiosus in ferijs autumnalibus domum reversus ab Academia, ubi Philosophiæ studuit, Sponsalia contraxit

traxit cum Timandra opulenti Mercatoris filia, ætate, formâ, & opibus florente, atque ideo à multis exoptata in Sponsam: ne verò juberetur contrahere ipsas nuptias, studijs necdum completis, atque ideo minùs aptus ad honoratum Officium obtinendum, clam, eâ insciâ, post aliquot septimanas Viennam abijt, daturus operam utrique Juri, nec inde rediturus, nisi post quadriennium.

Q. An Sponsa hæc teneatur expectare ipsius reditum, an verò possit alteri nubere?

SYNOPSIS.

1. *Sponso mutante domicilium potest Sponsa immediatè resilire, etiam propria authoritate, etsi jurata fuerint Sponsalia.*

2. *Non ita, si discessio fiat in locum propinquum, & ad breve tempus.*

3. *Si Sponsâ insciâ, vel invitâ Sponsus discedit in locum remotum sine spe celeris reditûs, diversa est Iuris Civilis constitutio, quando abest ex Causa necessaria, & quando ex voluntaria.*

4. *An istud etiam in Iure Canonico observetur?*

5. *Probabiliùs leges Civiles in hac materia à Iure Canonico correctæ non sunt, ex alio tamen capite de facto non ampliùs attenduntur.*

6. *Quid in praxi sit observandum in hoc, & alijs similibus casibus?*

7. *Dicta de absentia Sponsi intelligenda sunt etiam, & à fortiori de absentia Sponsæ.*

I. Absentiam

1. ABsentiam Sponsi justam causam præbere, ut à Sponsalibus Sponsa resilire queat, apud omnes in confesso est; potest verò istud evenire dupliciter. 1. Si Sponsus aliò migret absque Sponsæ præscitu, vel consensu animo non redeundi, sed mutandi domicilium. 2. Si fiat discessus animo revertendi. Primo modo si fiat, nempe si terram absolutè dimittat recedendo animo non redeundi, sed alibi figendi domicilium, insciâ, vel invitâ Sponsâ, manet hæc eo ipso libera à Sponsalibus, quamprimum Sponsus ita discedit, quin ipsum debeat vel minutissimo tempore expectare. Deciditur istud apertissimè in c. De illis 5. De Sponsal. *De illis autem, qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis, si non est ampliùs in facto processum, ad alia se vota transferre &c.* in quo textu aliqua specialiter notanda sunt, ac primò quidem, per voces illas *liberum erit* indicari, statim ac alter discedit, Sponsam esse liberam à dictis Sponsalibus, eique licitum, ut alteri nubat, absque hoc, quòd expectare debeat per tempus aliàs in Jure Civili præscriptum. Præterea ijsdem vocibus indicari, non opus esse ad hoc authoritate Judicis, verùm hac etiam non requisitâ posse eam liberrimè ad alia vota transire, namque vox *liberè* excludit consensum, sive authoritatem alterius tanquam necessariam, ut observat Glossa *in Clement. Dudum. De Sepultur. V. liberè*, & *in c. Cùm plures. V. liberè. De Offic. Iud. Deleg.* in 6. Denique hoc etiam procedere, quando Sponsalia fuerunt juramento stabilita, id enim manifestè exprimitur in dicto cap. nam juramentum additum est in confirmationem Sponsalium: ergo his dissolutis etiam cessat obligatio juramenti, quæ omnia advertunt Palao *disp. 1. de Sponsal. pn 23. n. 1.* Perez, Hurtadus, Dicastillo &c. Ratio assertionis est, tum quia per talem discessum animo non redeundi, sed mutandi domicilium videtur Sponsus suo juri ipso facto renunciare, quantum est ex parte sua, tum quia Sponsa de futuro non tenetur sequi Sponsum mutantem domicilium, quemadmodum ad hoc obligatur Uxor. Glossa *in cit. c. De illis. V. recepta*, Perez, Dicastillo: quando igitur novit, velle Sponsum mutare domicilium, in alium locum se transferendo, non tenetur cum ipso contrahere, sed potest resilire propter notabilem mutationem supervenientem; quod à fortiori dicendum, si Sponsus incipiat esse vagabundus.

2. Circa alterum quoque modum,

dum, quando discessus fit animo redeundi, qualis est Scholarium, qui studiorum causâ discedunt è patria, nec tamen dicuntur mutare domicilium. *L. 2. C. De incolis*, aut qui de loco aliquo animi recreandi gratiâ, aut alicujus negotij causâ aliò se transferunt, qui & ipsi non dicuntur dimittere domicilium, nisi *secundùm quid*, & cum addito *ad tempus*, non verò absolutè *L. Cùm possidere 6. §. qui ad nundinas. ff. De acquir. vel amitt. possess.* circa hanc, inquam, absentiam pariter aliqua sunt advertenda. 1. Debere hunc discessum fieri in locum remotum. 2. Ad tempus diuturnum. 3. Ut inde difficilis sit regressus, nam si discedat in locum propinquum, unde reditus facilis est, quique non diu differendus creditur, etiamsi inscia, vel invitâ Sponsâ discesserit, non potest eapropter Sponsa statim recedere à Sponsalibus, sed expectandus est Sponsi reditus, quia per talem discessum in locum non remotum, & ad breve aliquod tempus non censetur Sponsus renunciare Sponsalibus, neque infertur Sponsæ grave damnum, neque res notabiliter mutatur: ergo causa justa non est, ob quam Sponsa possit resilire, atque in hoc AA. passim conveniunt.

3. In hoc verò est difficultas, an, quando Sponsus absque notitia, vel consensu Sponsæ discedit in terras remotas animo quidem redeundi, sed absque spe celeris reditûs, Sponsa libera maneat à contractu Sponsalium, an verò Sponsum expectare debeat, & quanto tempore?

Circa hoc dubium attendendum est ad discrimen, quod dari potest inter absentias; aliter enim loquuntur AA, quando causa absentiæ est necessaria, atque iterum aliter, quando ea est voluntaria. Si causa absentiæ est necessaria, v. g. mors Parentum, valetudo propria, capitalis inimicitia, ob quam tutò redire nequit, longior peregrinatio ex necessitate suscepta, aliudvé negotium magni momenti, statutum est in Jure Civili, expectandum esse finem negotij, sive donec ejusmodi causa cessset. *L. Sæpè. ff. De Sponsal.* Quando autem causa absentiæ est voluntaria, puta, quando discedit ex causa quidem voluntaria, sed tamen justa, & honesta, v. g. ad bellum justum, ad studia, ad negotiationem &c. iterum cum differentia statuitur in Jure Civili, scilicet quando abest intra Provinciam, expectandum esse biennio. *L. Si is. 2. C. De Sponsal.* Si autem extra Provinciam absens est, triennio. *L. Liberum. 2. C. De repudijs.*

4. Hanc Juris Civilis constitutionem etiam in Jure Canonico retinendam, & observandam esse docent Laym. *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 14.* Sylvest. *V. Sponsalia q. 10. cas. 4.* Henric. Canisius &c quia ubi Jus Canonicum circa rem quampiam nihil speciale decidit, quemadmodum

dum hìc nihil speciale deciditur, observanda est constitutio Juris Civilis juxta *c.* 1. *De novi oper. nunciat.*

Alij cum Bonac. *q.* 1. *pu.* 6. *in fine* ajunt, has leges tantummodo observandas esse in foro externo, non autem in foro conscientiæ. Sed hæc doctrina non placet: vel enim per Jus Canonicum leges Civiles sunt abrogatæ, & correctæ, vel confirmatæ? Si primum: etiam in foro externo non debemus juxta illas procedere, præsertim in rebus, quæ propriè pertinent ad forum Ecclesiasticum, uti sunt Sponsalia. Si secundum: tunc illæ in utroque foro observandæ sunt.

Sanchez denique *L.* 1. *disp.* 54 *n.* 6. cum pluribus, quos citat, docet, Jus Civile in hac parte correctum esse per Jus Canonicum, quare Sponso in longinquam regionem se transferente, non obtentâ Sponsæ licentiâ, liberum esse huic relictæ statim alteri nubere, idque probat ex *c. De illis. De Sponsal.* Verùm ex cit cap. hoc planè non probatur, ibi enim sermo est solùm de discessu in terras remotas animo mutandi domicilium, non autem quando discedit cum spe reditûs, quamvis iste diutiùs differendus sit, unde non patet, quòd Jus Civile hac in re à Jure Canonico correctum sit.

5. Nihilominus etsi prædictæ leges à Jure Canonico correctæ non sint, probabilius tamen est, ex alio capite eas de facto non esse observandas, ut necessariò expectari debeat biennium, vel triennium pro diversitate absentiæ, quia in primis memoratæ leges, dum statuunt, biennium, vel triennium esse expectandum, non ideo hoc decernunt, ut Sponsa possit Sponsalia dissolvere, & ad alia vota transire, quia de Jure Civili hoc aliàs fieri licitè poterat solo dissensu Sponsæ *L.* 1. *C. De Sponsal.* sed expectare debuit præscriptum tempus, ut posset retinere arrhas à Sponso datas, quæ aliàs restituendæ erant, si is in Sponsalitiæ promissionis executione culpabilis non fuit. At verò in Jure Canonico obligatio Sponsalium ita firma est, ut nequeat pro cujusque arbitrio dissolvi, sed necessariò veniant dissolvenda non aliter, quàm si Sponsus gravem causam dissolutionis præbeat, quæ tamen esse potest biennio, vel triennio non expectato, unde decisio Juris Civilis non est necessariò observanda, cùm præsertim possint adesse tales circumstantiæ, ut ob periculum incontinentiæ tamdiu differri nuptiæ non debeant. Ita Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu* 23. *n.* 2.

Adhuc aliam rationem affert Dicastillo *disp.* 1. *de Matrim. dub* 36. *n.* 544. cum Perez *disp.* 9. *Sect.* 9. *n.* 10 & Hurtado *disp* 2. *de Matr. difficult.* 10. *n.* 40. cur constitutio ista Juris Civilis hoc tempore ampliùs attendi non debeat, sive à Jure Canonico correcta sit, sive non, nam ajunt, non posse eam de

facto ampliùs habere locum in Sponsalibus baptizatorum, quia contractus Sponsalitius inter baptizatos habet pro materia, & objecto contractum Matrimonij elevatum ad esse, & dignitatem Sacramenti, atque ideo materia illius est spiritualis: ergo standum est Juri Canonico, & per hoc, non verò per Jus Civile regulanda sunt omnia in Sponsalibus.

6. Hisce igitur legibus insuper habitis, censeo cum P. Wiestner *n. 121. De Sponsal.* circa hunc, aliosque similes casus in praxi hæc esse observanda, videlicet quando Sponsus abest ex quacunque causa, conscia, & consentiente Sponsa, expectandum esse terminum præfixum pro reditu, quem si transgrediatur, aut si nullus ante abitum ipsi præstitutus est, locus erit responsionibus, quæ mox dabuntur pro casu, quando abest Sponsa inscia, vel invita. Quando igitur sine præscitu, vel consensu Sponsæ aliò se contulit animo mutandi domicilij, licitum est Sponsæ, quando de hac Sponsi intentione certò constat, eo momento à Sponsalibus, resilire, & transire ad alia vota juxta dicta n. 1. ex *c. De illis. ibi cit.* Id ipsum ei licebit etiam tunc, quando inscia & invita Sponsa procul abest, &, quamquam hoc non fiat animo mutandi domicilij, certò tamen scitur, aut meritò timeri potest, eum diuturno tempore non rediturum, neque enim tenetur Sponsa tam longam moram pati, maximè quia per tam diuturnam absentiam inducitur notabilis rerum mutatio.

Quòd si de absentis intentione, & diuturnitate absentiæ non constat, non illicò resiliendum est à Sponsalibus, sed absens per epistolam, vel nuntium monendus est, ut redeat, aut si hoc non permittat distantia loci, vel tempestivi reditûs certa spes non affulgeat, res deferenda est ad Judicem Ecclesiasticum, ut ipse considerata qualitate Sponsæ, ejusque præsente statu, alijsque circumstantijs, judicet, ac pronunciet, an adsit causa sufficiens dissolvendi Sponsalia, præsertim attento periculo incontinentiæ in Sponsa, quale adesse potuit in casu præsente, concurrentibus ætate juvenili, magnis divitijs, venustate formæ, & obista illicia procorum multitudine; ita vitabitur errandi periculum, quod aliàs facilè incurrunt ij, qui audent se ipsos propriæ causæ judices constituere, hancque Sententiam tenent Palao *l. c. n. 3.* Gobat *tr. 10. n. 353.* Gonzalez *in c. De illis. De Sponsal. n. 3.* Idque re ipsa sensit etiam Layman, Sporer, alijque, & observatur in praxi.

7. Quæ hactenus dicta sunt de absentia Sponsi, procedunt etiam, & quidem à fortiori in absentia Sponsæ, tum quia Sponsus, & Sponsa sunt correlativa, & quod disponitur de uno, censetur dispositum de altero, quando subest eadem ratio. *L. fin. C. De indicta Viduitate*, tum quia ex absentia Sponsæ sinistra suspicio concipi solet. Palao *n. 4.* Sanch. &c.

CAUSA

CAUSA QUINTA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Fornicatio Sponsæ, vel Sponsi.

QUÆSTIO UNICA.

Quænam fornicatio, & num etiam oscula, & tactus ad dissolutionem sufficiant?

C A S U S

Sponsi cum alijs fœminis nimiùm familiaris.

Maxentia fidem dedit de nuptijs proximè contrahendis Floriberto, at post contracta Sponsalia intelligit tum ex alijs, tum ipsa quoque non rarò id videt, Sponsum hunc suum frequentem esse, & perquam familiarem cum alijs fæminis, easdem passim amplexari, minus pudicè tangere, & deosculari, præsertim Blancam festivioris genij, & formæ venustioris puellam, à quibus actionibus ut abstineret memor fidei sibi datæ,

cùm

cùm sæpiùs ipsum hortaretur Maxentia, sed omnibus admonitionibus, precibusque nihil efficeret, tandem pertæsa has levitates, nuncium ipsi remittit, renuitque deinceps stare sua Sponsione, & eum habere maritum.

Q. An sicuti fornicatio Sponsalibus superveniens, ita etiam oscula, tactus, amplexus &c. causam sufficientem præbeant à Sponsalibus resiliendi, sive ista exerceantur, aut admittantur à Sponsa, sive à Sponso?

SYNOPSIS.

1. *Ob supervenientem fornicationem Sponsæ, vel Sponsi dissolvi possunt Sponsalia præcedentia.*

2. *Etiam quando Sponsa per vim compressa est.*

3. *Quando uterque est fornicatus, juxta aliquos neuter à Sponsalibus resilire potest.*

4. *Sed communior Sententia est, posse resilire Sponsum, non verò Sponsam.*

5. *Quòd utrique licitum sit resilire, est Sententia valde probabilis.*

6. *Ob oscula, tactus, amplexus post Sponsalia exercitos à Sponsa, vel sponte admissos, potest resilire Sponsus, non item Sponsa, si hæc à Sponso facta sint.*

7. *Fornicatio præcedens Sponsalia, & postea innotescens dat Sponso causam dissolvendi Sponsalia, quando eam commisit Sponsa, non item Sponsæ, si fornicatus est Sponsus.*

8. *In casu præsente licitè resilit etiam Sponsa ob tactus, oscula &c. à Sponso exercita.*

1. Varia

1. VAria sunt, quæ pertinent ad quintam causam dissolvendi Sponsalia; ac primò quidem certum est, ea dissolvi posse, etiamsi juramento firmata sint, quando vel Sponsa, vel Sponsus post facta Sponsalia committit fornicationem, tunc enim innocens resilire potest, ut deciditur *c. Quemadmodum. 25. De Iurejur.* Si tamen is etiamnum nuptias expetat, tenebitur nocens ad Sponsalium impletionem, ne ex iniquitate sua ipse referat commodum, & innocenti damnum, ac præjudicium generetur, quia quod in favorem alicujus introductum est, non debet in ejus damnum retorqueri, ut dicitur in *L. Quod favore. C. De Legibus, & L. Nulla ff. eod.*

Licet verò in dicto *c. Quemadmodum.* sermo duntaxat sit de Sponsa fornicante, certum nihilominus est, quod antè diximus, intelligendum quoque esse de Sponso fornicante, quia communiter omnes DD. hunc Juris textum extendunt etiam ad fornicationem Sponsi, ut propter hanc Sponsa innocens dissolvere possit Sponsalia non minùs, quàm Sponsus ob fornicationem Sponsæ. Ratio est, quia in hac parte pares sunt, cùm uterque ob Sponsalitium contractum obligatus sit suum corpus nemini tradere, sed comparti servare in usum Matrimonij, quam obligationem violat ille, qui fornicatur, gravemque injuriam infert alteri parti: sicuti ergo post unius conjugis adulterium alteri, tam uxori, quàm marito, divertere permissum est *c. Apostolus. 32. q. 7.* sic post unius, tam Sponsi, quàm Sponsæ, fornicationem alteri à Sponsalibus licebit resilire. Sanch. *L. 1. disp. 55. n. 4.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 25. n. 2.* Coninck *disp. 23. dub. 7. n. 54.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10.* Dicasti lo *disp. 1. de Matr. dub. 39. n. 575.* Wiestner *de Sponsal. n. 105* & passim alij.

2. Hucusque dicta satis certa sunt; in uno autem, alteróve casu, quem modò proponemus, controversia esse potest, ac primò quidem. An liceat Sponso resilire etiam tunc, quando Sponsa per violentiam compressa est, ipsique involuntaria fuit fornicatio?

Armilla *V. Sponsalia n. 12.* cum Tabiena id negat, quia Sponsa hoc modo non violavit fidem, nec potest oriri suspicio ex violenta hac, & involuntaria fornicatione, quòd fidem deinceps violatura sit durante Matrimonio: non est igitur ulla ratio privandi ipsam jure sibi debito.

Verùm communis aliorum Sententia est apud Palao *l. c. n. 4.* Sanch. Laym. &c. etiam hoc casu posse Sponsum à Sponsalibus resilire; idque probant aliqui ex *c. Raptor. 27. q. 2.* ubi permittitur Sponsi arbitrio, ut Sponsam sine suâ culpâ violento rap-

tu

tu abductam vel ducat, vel dimittat: ergo etiam, niſi ſponte adhuc ducere velit Sponſam violenter ab alio cognitam, dimittere eam poteſt. Sed hanc rationem pro minùs efficace agnoſcit Dicaſtillo *l. c. n.* 581. tum quia rarò committitur raptus ſine aliquo vel conſenſu raptæ, vel ſaltem minore ipſius cautela; ergo datur præſumptioni locus; præterea in raptu res maximè eſt notabilis, & ſcandaloſa, econtra violenta copula poteſt eſſe abſque omni conſenſu corruptæ, & omnino occulta, vel non niſi pauciſſimis nota; ergo pro hoc caſu non eadem, & æqualis ratio eſt, ut Sponſus reſilire poſſit à Sponſalibus, quemadmodum eſt in raptu violento.

Abſtrahendo igitur ab argumento ex *cit. can.* deſumpto, probatur noſtra aſſertio, quia etſi Sponſus reſilire nequeat ex cauſa, quòd Sponſa fidem violaverit, aut ſe ſuſpectam reddiderit de futura violatione, recedere tamen etiamnum poteſt ideo, quia etiam per violentam corruptionem Sponſa reddita eſt notabiliter vilior, Sponſoque eſt probroſum ducere ab alio corruptam, imò incurrere etiam poteſt periculum alendi prolem alienam, eritque iſta infamiæ nota tantò major, & certior, quia non omnibus conſtare poteſt, Sponſam per vim præciſam, & prorſus involuntariè fuiſſe cognitam, & fortè id pauci credent. Certè Card. de Lugo hujus opinionis eſt, violentam oppreſſionem rariſſimè omnino involuntariam eſſe fæminæ, ita enim loquitur tom. 1. De Juſt. diſp. 10. Sect. 10. n. 199. *addo tamen, in praxi difficilè credendam eſſe violentam oppreſſionem, & abſque culpa ex parte fæminæ: rariſſimum enim eſt, quòd, ſi velit, non poſſit aliquo modo reſiſtere, & violationem impedire, ſed ob metum, ob animi imbellicitatem, & aliquando etiam ob latentem laſciviæ affectum, quem manifeſtare omnino erubeſcunt, conſentiunt ſaltem invitæ, qui tamen conſenſus, licèt ex parte involuntarius ſit, ſufficit ad peccatum grave; quem conſenſum, ſicut & congreſſum ipſum debuiſſent virili fortitudine impedire, & rariſſimè contingit, virum delectationem turpem ab invita omnino, & reluctante captare velle:* qua de re legi etiam poteſt *Tambur. L. 7. in Decal. c. 6. §. 2. n. 5.* atque ita non prorſus inefficax eſt textus Canonis ſupra citati, quia uti ex mente Dicaſtillo in raptu violento plerunque præſumi poteſt aliqua cooperatio raptæ, ita & in copula per vim illata, ac proinde datur ſufficiens paritas inter raptum, & copulam violentam.

3. Alterum dubium eſt, an Sponſo utroque poſt Sponſalia fornicante, liceat utrique reſilire, an verò illa delicta mutua compenſatione tollantur, ita ut neutri licitum ſit à Sponſalibus recedere?

Reſp. In hoc dubio Authores multùm diſcrepant. Perez *diſp.* 9. *Sect.* 16. & Bonac. *q.* 1. *pu.* 8. *n.* 6. cum Paludano

Paludano docent, neutrum in hoc casu resilire posse, quia delictum unius compensatur delicto alterius. *c. Intelleximus. De Adult. & Stupro* ergo sicut in Matrimonio, quando maritus cum alia, & uxor cum alio commissit adulterium, non potest hæc virum adulterum repudiare, nec ille uxorem adulteram, etsi adulterium uxoris in se sit multò gravius adultetio viri, quia est ignominiosius, & periculosius, ita similiter neuter ex Sponsis resilire potest à Sponsalibus, & alterum repudiare, quando uterque commisit fornicationem, etsi hæc turpior sit ex parte Sponsæ, quàm ex parte Sponsi.

4. Alij communiùs docent, posse resilire Sponsum, non verò Sponsam, quia etsi quoad fidei, & juris fractionem conveniant, tamen per fornicationem Sponsi nullo modo compensatur fornicatio à Sponsa commissa, nam fornicatio in fœmina est multò turpior, quàm in viro, multoque ignominiosius est Sponso, talem ducere, quàm Sponsæ tali nubere, majusque Sponso obvenire potest damnum ex fornicatione Sponsæ ob incertitudinem prolis: ergo delictum unius non compensatur hîc delicto alterius, cùm sit iniqua, & nulla compensatio, ubi ex una parte detrimentum multò gravius manet, ut accidit ex parte viri, cui multò gravius nocumentum affert fornicatio Sponsæ. Confirmatur hoc *L. In arenam. C. De in offic. testam.* ubi non licet fœminæ meretrici filiam luxuriosè viventem exhæredare, quia in pari turpitudine est; at Patri concubinario licitum est filiam meretricem exhæredare, quia turpitudo utriusque non censetur æqualis. Est hæc Sententia communior, & priori præferenda, quam docent Laym. *L. 5 tract. 10. p. 1. c. 2. n. 12.* Coninck *disp. 23. dub. 7. conclus. 6* Sanch. *L. 1. disp. 55. n 9.* Pith. *n. 62. de Sponsal.* Tannerus, Sporer, Henriq Hurtad. Reginald. Diana *p. 3. tr. 4. resol. 284.* Bassæus &c.

Nec obest paritas allata pro prima Sententia, videlicet quòd vir non possit repudiare uxorem adulteram, quando ipse quoque adulter est: ergo neque Sponsum, qui fornicationem commisit, posse repudiare Sponsam fornicariam; non est enim hîc paritas, sed lata disparitas, ut in uno casu admittatur compensatio delictorum, non item in alio, quia nempe Sponsalia ex se sunt facilè solubilia, hinc ad eorundem dissolutionem quælibet causa, & superveniens notabilis mutatio potest sufficere; econtra quia Matrimonium ex natura sua indissolubile est, non ita facilè permittitur separatio conjugum quoad torum, sed potiùs attenditur, ut ex quocunque capite ista impediatur, idque in favorem ipsius Matrimonij, ut firma consistat ejus indissolubilitas, unde admittitur hîc compensatio adulteriorum, reputaturque ea sufficiens ad separationem

nem hanc impediendam, & Matrimonij indissolubilitatem in suo robore servandam, etsi de cætero adulterium uxoris turpius sit, quàm adulterium viri.

5. Cæterùm licèt Sententia ista, uti vidimus, multò communior, & probabilior sit, atque ideo priori longè præhabenda, semper tamen plurimùm mihi placuit, valdeque probabile visum est, quod docet Palao *l. c. n.* 10. Tamb. *tr.* 3. *de Matr. c.* 5. §. 6. *n.* 6. & Wiestner *de Sponsal. n.* 106. utroque è Sponsis fornicante, posse utrumque, adeoque non solum Sponsum ob fornicationem Sponsæ, sed etiam Sponsam ob fornicationem Sponsi, resilire. Ratio est, quia, esto, quòd fornicatio Sponsæ sit fædior, & viro detestabilior, per hoc tamen non efficitur, quòd datam fidem non violaverit etiam vir, atque ideo Sponsæ sufficientem causam dederit Sponsalia dissolvendi. Præterea constat, quòd, quando uterque Sponsus culpabilis est in Sponsalium executione, utrique Sponso permissum sit resilire, quin culpa unius alterius culpâ compensetur: ergo idem dicendum est in causa fornicationis.

6. Nunc, ut ad casum propositum propiùs accedamus, eadem ferè Sententia AA. est circa oscula, tactus, & similia, ut disseruimus in secundo hoc dubio de fornicatione; videlicet docent, si oscula, tactus impudici, amplexus &c. sponte admissi, aut exerciti fuerint à Sponsa, habere Sponsum causam sufficientem dissolvendi Sponsalia, eò quòd Sponsa per hæc reddatur vilior, & pro impudica habeatur, seque suspectam reddat de actu adhuc turpiore, unde non possit eam ducere absque nota. Imò Menochius apud Gobat *tr.* 10. *n.* 328. id asserit de sola præsumptione patratæ fornicationis, ut si Sponsa frequentet domum illius, cum quo sciebat Sponsus, eam peccâsse ante Sponsalia: contrarium verò arbitrantur dicendum esse de viro, sive Sponso, quia per similia oscula, & tactus ipse non redditur vilior, nec est probrosum fœminæ cum illo contrahere, nisi tamen, ut limitant, ejusmodi oscula, tactus, & amplexus sint valde frequentes. Ita Laym. *l. c. n.* 10. Sanch. Coninck, Pontius, Bonac. Palao tamen iterum *l. c. n.* 8. & Ill. Sung putant, probabilius esse, à quacunque parte talia exerceantur, aut admittantur, innocentem habere causam sufficientem dissolvendi Sponsalia; quamvis enim Sponsus inde non fiat vilior, quemadmodum vilior reputatur Sponsa, tamen ejusmodi tactus, & oscula voluntariè exercens, aut sustinens, factus est impudentior, magisque suspectus de non servanda aliquando fide Matrimoniali, & quòd minùs amaturus sit suam Sponsam, quæ videntur sufficere ad dissolutionem Sponsalium. Præterea contrahentes

tes Sponsalia promittunt alteri suum corpus non tradere quocunque modo, sed sibi invicem reservare, ut eo uti possint contracto Matrimonio, hanc verò Sponsionem admittens oscula, & tactus violat: ergo illi fides servanda non est, utpote frangenti fidem.

7. De fornicatione ante Sponsalia commissa, & postea primùm cognita, cum alijs convenit etiam Palao, *disp. 1. pn. 29. n. 7.* Si ea commissa fuerit à Sponsa, posse Sponsum à Sponsalibus resilire, id ipsum verò Sponsæ non esse licitum, si post contracta Sponsalia ei innotuerit, quòd ante illa Sponsus cum alia commiserit fornicationem, quia Sponsa, non item Sponsus, per hoc redditur vilior, & licèt ignominiosum sit viro ducere corruptam fœminam, nullam tamen notam contrahit, quæ nubit viro, qui aliam cognovit, nec habet eandem qualitatem Sponsalia præcedens fornicatio Sponsi, quam habet his superveniens, quippe ob hanc præcedentia Sponsalia dirimi possunt ideo tantùm, quòd fidem datam violaverit, seque suspectum reddiderit de futuri tori violatione, quæ tamen in fornicatione ante Sponsalia à Sponso commissa non procedunt: at si Sponsa antecedenter fornicata fuerit, etsi ipsa quoque fidem necdum violaverit, hac tamen ipsa fornicatione vilior, & contemptibilior facta est, unde meritò repudiari potest; non ita Sponsus, nisi tamen hic fuisset cum pluribus fornicatus, & huic vitio deditus censeretur, aut ex fornicatione prolem haberet, quia sic redditur Matrimonium difficilius, tum ob obligationem præstandi alimenta, tum quia solet esse causa discordiarum.

8. Ex istis nunc facilis est conclusio pro casu præsente; nempe dicendum, etsi juxta communiorem Sententiam, abstrahendo à Castropalao, & Illsung, resilire nequeat à Sponsalibus Sponsa ob oscula, tactus, & amplexus exercitos cum alia à Sponso, potuit tamen, & meritò repudiavit ob hanc causam Floribertum Maxentia, quia Perez *disp. 9. Sect. 15. n. 8.* Laym. Sporer, alijque supra citati expressè addunt, hoc non licere Sponsæ, *nisi sint tactus frequentes, ut indicent propensum valde Sponsi in alteram animum, ut meritò timeri possit, ne Sponsam minùs sit amaturus, aut fidem non servaturus*, ut sonant verba Ægidij Coninck *disp. 23. dub. 7. n. 56.* atqui ista meritò timere poterat Maxentia de Floriberto, quia hæc passim facere solitum fuisse cum alijs fæminis refertur in casu, per quæ sanè videri potuit impudicus, & minùs curare suam Sponsam, cùm etiam preces ejusdem, & adhortationes, ut ab istis se abstineret, protervè contempserit; maximè autem timere poterat Maxentia, ne omnem in se amorem converteret Blanca, eumque ad ulterio-

ra pertraheret pellax puella vel ante, vel post contractum Matrimonium, cujus, lepore, & venustate jam niniùm irretitus, difficulter esset depositurus memoriam, & amorem, nam, ut ait Seneca in Hipp. *Qui blandiendo dulce nutrivit malum, serò recusat ferre, quod subijt, jugum*: meritò igitur ab initis priùs Sponsalibus recessit.

CAUSA SEXTA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Notabilis mutatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quanta debeat esse ista mutatio?

C A S U S

Sponsa deformata.

Adilia Virgo à forma, & morum modestia commendata, præterito Lelio, qui eam adamabat, Sponsalia contraxit cum Ergasto. Huic Sponsam suam invidens Lelius, & impatiens repulsæ,

pulsæ, quam passus est, dum pridie nuptiarum sub noctis initium à suo Sponso domum sola regreditur Adilia, eandem in via adortus, ductâ per totam faciem novaculâ, ingenti plagâ afficit, ut suo Sponso hac ratione invisam redderet, suamque, ut putabat, injuriam, in hoc, & illa ulciscereturr.

Q. Ob quam mutationem Sponsalia dissolvi possint, & an ob istam plagam Ergasto à data fide resilire licuerit?

SYNOPSIS.

1. *Ob notabilem mutationem supervenientem dissolvi possunt Sponsalia.*
2. *In triplici bonorum genere mutatio hæc evenire potest, ac primò quidem ea accidit circa bona corporis.*
3. *Secundò circa bona animi.*
4. *Denique in bonis fortunæ.*
5. *Ob paupertatem Sponsæ supervenientem dissolvi possunt Sponsalia, etiamsi dos nulla promissa fuerit.*
6. *An idem liceat ob divitias inopinatò supervenientes Sponso; diversa est AA. opinio, & earum utraque probabilis.*
7. *Notabilis deformitas præbet causam sufficientem resiliendi, etiamsi eveniat sine amissione oculorum, nasi &c.*
8. *In viro non satis est ad dissolutionem Sponsalium ea deformitas, quæ sufficit, si superveniat Sponsæ.*

1. Onveniunt in hoc communiter omnes tam Theologi, quàm Jurisperiti, quoties aliqua notabilis mutatio de novo supervenit Sponsalibus, sive in alterutro è Sponsis, quæ eorum executionem, statumque Matrimonij notabiliter difficiliorem reddit, quæque, si ab initio adfuisset, hominem cordatum similis conditionis prudenter ab illis avertisset, toties cessare obligationem respectu illius,

illius, cui difficilius redditum est Matrimonium, proinde posse eum à Sponsalibus resilire, etiamsi juramento firmata sint. Ita Sanch. Coninck, Bonac. Perez, & communis omnium Sententia. Ratio est, quia promissio, & juramentum non obligant ultra intentionem promittentis, & jurantis: at promittens, & jurans non censetur habuisse intentionem promittendi, & jurandi, superveniente notabili mutatione, qua prævisâ judicio prudentis non promisisset, neque jurâsset: ergo superveniente notabili mutatione facta promissio, & juramentum eam confirmans ipsum non obligant, hæc enim censentur facta fuisse rebus sic stantibus, & in eodem statu permanentibus, seque non extendisse ad talem casum valde difficilem, & non prævisum.

Dixi autem, si superveniat notabilis aliqua mutatio, quæ prævisa hominem etiam *cordatum*, & *prudentem* absterruisset à contractu Sponsalium, quia plurimi contrahunt Sponsalia, qui ob levissimas causas desisstent ea contrahere, si eas prævidissent, veluti, si advertant, Sponsam esse minùs gratiosam, aut Parentes minùs liberales, quàm esse eos priùs conceperant: hæc nullo modo sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, & à citatis AA. neutiquam admittuntur pro causa sufficiente.

2. Cæterùm mutatio ista evenire potest circa tria bonorum genera, quæ singillatim percurremus, videlicet vel in bonis corporis, vel animæ, vel fortunæ.

Quoad bona corporis potest accidere talis mutatio, quæ sufficiat ad dissolvenda Sponsalia, si è Sponsis alteruter incurrat in lepram, paralysin, morbum Gallicum, aliúmve contagiosum, aut incurabilem, qualis est epilepsia, seu morbus caducus; hæc enim reddunt Matrimonium notabiliter difficilius, cùm nimis grave sit, debere hæc pati perpetuò in socio suæ vitæ: imò sola morbi gallici vehemens suspicio, etsi non plenè probetur, præstat sufficientem causam Sponsalia dissolvendi juxta Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 27. *n.* 3, & Basilium Pontium *L.* 12. *c.* 17. *n.* 4. Addit Tambur. *tr.* 3. *de Matr. c.* 5. §. 8. *n.* 4. idem esse de suspicione cujuscunque infirmitatis gravis incurabilis ob paritatem rationis, quia sola ista suspicio in principio absterreret hominem prudentem à Matrimonio contrahendo. His morbis adnumerant alij, & nominatim Sanch. Palao, Perez, Tamburinus &c. oris graveolentiam, quæ arte medicinæ tolli nequeat, nam et hoc in mutua cohabitatione, & tam arcta conjunctione nimis est onerosum, ac vix sustineri potest, estque indicium cujusdam habitualis molestissimi morbi; si autem fætor non sit valde notabilis, non censetur adesse magna mutatio, quæ ad dissolutionem sufficiat. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu.* 8. *n.* 10.

n. 10. Idem est, si alteruter è Sponsis incideret in gravissimam deformitatem, eò quòd vel oculos, vel aures, vel nares amiserit, aliamvé similem turpitudinem patiatur, ut exprimitur *c. Quemadmodum, De Iureiur.* in quo licèt exigi videatur amissio utriusque oculi, cùm textus utatur numero plurali, communis tamen AA. interpretatio est, sufficere amissionem unius oculi, cùm ista jam censeatur gravis deformitas, & notabilis mutatio. An verò ad resiliendum sufficiat, si fæmina priùs venusta ex alia causa deformetur, inferiùs in decisione ultimata præsentis casûs dicetur.

3. In bonis animi censetur facta notabilis mutatio, si quis è Sponsis gravi infamiâ maculetur, v. g. si Sponsus post celebrata Sponsalia de turpi crimine condemnetur, veluti de furto, quod verum esse affirmat Dicastillo *disp.* 1. *de Matr. dub.* 40. *n.* 517. etiamsi infamia esset alicujus criminis falsò impositi, dummodo verè apud alios habeatur infamis; si Sponsus proscribatur patriâ, seu banniatur. Navarr. *de Sponsal. consil.* 9. si fiat hæreticus, vel Apostata; si fiat scortator, aleator, aut ebriosus, alijvé simili vitio deditus, quia probrosum est talem ducere; si asper moribus, admodùm sævus, aut truculentus evadat, hæc enim causa sufficiens est ad divortium. *c. Literas.* 13 *De Restit. spoliat. in fine* ergo à fortiori sufficit ad Sponsalia dissolvenda; si graves inimicitiæ ortæ fuerint inter Sponsorum Parentes, vel inter ipsos Sponsos, in quo tamen casu licèt uterque possit recedere, is, qui causa fuit inimicitiæ, obligatur priùs omnia moralia, & ordinaria remedia adhibere ad pacem inducendam; si timeantur imposterum vel inter Sponsos, vel consanguineos magna discordia, diuturnæ offensiones, & malus exitus nuptiarum, quia v. g. contraxerunt Parentibus ex utraque parte obstinatè contradicentibus, unde hæc, & similia mala meritò timeri possint, quo casu alter etiam invito altero licitè resiliet, seque ad aliud Matrimonium transferet. Tamb. Sporer: bene tamen uterque monet cum Sanch. *L.* 1. *disp.* 14. *n.* 3. cautè in hoc esse procedendum, nam sæpè jactantur minæ, opponuntur pericula, amplificantur discordiarum timores, quæ tamen experientia vidit, vana esse, & statim inito Matrimonio deferbuisse.

4. Quoad bona fortunæ idem evenit, si Sponsa, vel ejus Parentes, aut quisquis demum promisit, vel non possint, vel nolint dare dotem promissam, quia sub illius conditione censentur Sponsalia contracta, nam grave onus subiret Sponsus, si deberet ducere indotatam, & solus onera Matrimonij ex proprijs bonis sustinere. Ita rursum communis. Item si vel unus, vel uterque gravem bonorum jacturam patiatur, & in paupertatem incidat.

Primum

Primum à nemine negatur. Alterum probatur, quia tantò difficiliùs poterunt sustinere onera Matrimonij, atque ideo non datur hîc compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius, ut rectè advertunt Pontius *L.* 12 *c.* 17. *n* 8. Palao, Tamb. Sporer, Rebellus *L.* 4. *de oblig. Iust. q.* 8. *n.* 70. licèt aliqui Rebellum, & Pontium citent pro parte adversa, quasi docerent, neutri tunc licitum esse recedere à Sponsalibus; sed malè ab istis citantur, cùm apertè uterque teneat nostram Sententiam. Ex eadem causa juxta Tambur. & Pontium alter è Sponsis licitè resiliet, si timeatur rationabiliter, alterum fore exhæredandum, quia aliâs is se immitteret in periculum sustinendæ paupertatis; atque hæc iterum satis certa sunt.

5. Dubium nunc est, quid si dos nulla promissa fuit à Sponsa divite, hæcque postea incidat in notabilem paupertatem, poteritné etiam in hoc casu à Sponsalibus recedere Sponsus?

Resp. Negant Covarr. *p.* 1. *de Sponsal. c.* 5 *n.* 4. & Rodriq. *p.* 1. *Summæ c* 97. *n.* 8. quia sibi debet imputare Sponsus, quòd de dote non pactus sit. Verùm tenenda est Sententia opposita, quam docent Sanch. *L.* 1. *disp* 59. *n.* 4. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu.* 8. *n.* 11. Tamb. *l. c. n.* 9. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resolut.* 286. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 292. Palao &c poterit adeoque licitè Sponsus etiam in hoc casu resilire. Ratio est, quia etsi non fuerit explicitè promissa dos, fuit tamen promissa implicitè, omnes enim supponunt, fœminam transire in domum viri cum omnibus suis bonis, neque censetur Sponsus judicio prudentum, habuisse intentionem se obligandi ad contrahendum Matrimonium in eo eventu, quia mutatio hæc admodùm notabilis est, quæ quemcunque vel cordatissimum hominem à contrahendis Sponsalibus, & Matrimonio prudenter averteret,

6. Alterum dubium est; si post contracta Sponsalia Sponso accedat subitò nova hæreditas, aliovè modo ipsius status plurimùm divitiarum copiâ melioretur, ita ut Sponsa tunc ipsi sit prorsus inæqualis, possitné eapropter Sponsalibus renunciare Sponsus?

Resp. Negant hoc Palao *pu* 28 *n.* 5. Coninck *disp.* 23. *dub.* 8. *n.* 69. Sanch. *disp.* 59. *n.* 7. Bonac. &c. quia Sponsa non est facta deterior, nec est deceptus Sponsus, aut erravit circa conditionem Sponsæ: ergo nullum habet fundamentum resiliendi, habetque res se prorsus eodem modo, sicut si ego promisissem vendere equum pretio, quod tunc justum erat, ac postmodum traditionis tempore plurimùm augeretur, non possem eapropter à meo promisso tunc resilire. Econtra Hurtadus *disp.* 2. *de Matr. difficult.* 14. *n* 52. & Perez *disp.* 9. *de Matr. Sect.* 11. *n.* 11. docent, talem Sponsum

Sponsum à Sponsalibus posse resilire, quia per hanc mutationem Matrimonium fit Sponso notabiliter gravius, ita ut, si ab eo prævisa fuisset hæc mutatio tempore Sponsalium, nunquam cum ista Sponsa contraxisset, quæ est præcipua ratio, ob quam etiam in præcedentibus casibus Sponsalia dissolvi queant. Adhæc licèt simpliciter, & absolutè Sponsa non facta sit deterioris conditionis, facta est tamen deterioris conditionis ut relata ad statum præsentem sui Sponsi, sicuti si is ad altioris dignitatis gradum Comitis, vel Marchionis ascendisset, nisi tamen, ut limitat Perez, cum ea Sponsalia contraxerit ob solam pulchritudinem, vel nobilitatem, tunc enim ad novam hanc accessionem pecuniæ non attenditur.

Ex his duabus sententijs utraque probabilis est, unde nec Tamb. *c. 5. de Matrim. §. 8. n. 15.* circa alterutram quidquam decernere voluit, sed solùm ita concludit: *circa has duas Sententias interponat judicium me sapientior; quòd si Leandrum sequi te juvat, invenies apud ipsum, utramq; Sententiam esse probabilem.*

7. Nunc ut accedamus ad ultimatam decisionem præsentis casûs, quæstio in eo versatur, an ob formositatem Sponsæ notabiliter immutatam, etiamsi hoc non evenerit ob nares, v. g. vel unum, aut utrumque oculum amissum, aliamvé supervenientem turpitudinem in *c. Quemadmodum* suprà cit. expressam, possit Sponsus recedere à Sponsalibus?

Pro parte negativa citantur Covarr. Tiraquell. Lud. Lopez, & alij, eò quòd citatum capitulum solùm permittat dissolutionem Sponsalium ob oculorum, vel nasi amissionem, aliúmve defectum, qui possit horrorem incutere, non verò ob deformitatem, quæ solùm adversatur præcedenti vultûs pulchritudini, hanc enim inferioris generis deformitatem viros non admodùm curare, inde patet, quòd etiam cum non pulchris frequenter fornicentur.

Nihilominus standum est pro sententia affirmativa opposita, atque dicendum cum Palao *pu. 27. n. 5.* Sanch. Basilio Pontio, Hurtado, Tambur. Diana *ll. cc.* etiamsi deformitas non fuerit inducta per aliquem istorum defectuum modò enumeratorum ex citato textu Juris, ac consequenter etiamsi minor sit, dummodo tamen sit verè notabilis deformitas, Sponsum habere legitimam causam resiliendi. Ratio est, quia etiam talis inducit notabilem mutationem, & talem, quæ si à principio extitisset, Sponsalia impedivisset. Esto autem, lascivos quospiam non habitâ ratione venustatis etiam ad deformes accedere, relicta conjuge pulchriore, hoc certè per accidens est, namque per se amorem mariti conciliat mulier pulchra, deformis autem avertit, unde in materia Matrimonij plurimùm ab hominibus æstimatur pulchritu-

chritudo: in quam rem notanda sunt verba Innocentij in dict. c. Quemadmodum. n. 3. *Dissolvuntur*, inquit, *Sponsalia, quando notabilis deformitas supervenit, quia non manet res in eodem statu, cùm non sit fœmina apta facere id, propter quod ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quia ad eam tam deformem accedere non valet.*

Idcirco in casu præsente si plaga inflicta Adiliam venustam antè, & amabilem notabiliter deformiorem reddidit, à contractis Sponsalibus meritò resilire potuit Ergastus, qui tamen, cùm casus iste non multis ab hinc annis contigerit, laudem & commendationem apud omnes consecutus est, quòd à vulnere restitutam, non obstante deformi cicatrice, non minùs, quàm antehac in amore habuerit, contentus uxorem ducere si minùs jam formosam, æquè tamen modestam, & virtuti deditam, & sic constante, non solùm fragili, fluxaque pulchritudine ornatam.

8. Quæ dicta sunt de deformitate Sponsæ, non sunt eodem modo intelligenda de Sponsi deformitate, si fortè in eam ipse incidat, quia, licèt ista etiam notabiliter magna sit, non eo ipso à Sponsalibus resilire licitum est Sponsæ, nisi deformitas sit prorsus excessiva, ac tanta, quæ spectantibus possit horrorem incutere, quod évenit, si fortè totum omnino nasum perdat; tota facies fœdè exuratur, aut si unà cum deformitate accedat insuper aliud malum, veluti si amittat unum oculum, sitque periculum, ne perdat etiam secundum, aut ne ineptus reddatur ad suum opificium exercendum, vel acquirendum officium ad sustentationem familiæ necessarium: in his, & similibus circumstantijs quælibet prudens fœmina cum sic affecto meritò horreret contrahere; alia autem Sponsi deformitas non ita magna, & excessiva non dat Sponsæ justam causam resiliendi, ut docent Coninck *disp. 23. dub. 8. n. 66* Hurtad. Perez, Bonac. Diana, quia in viris non requiritur tanta pulchritudo, quanta exigitur in fœminis, nam ut Ovidius canit, *forma viros neglecta decet.*

Quæstio

QUÆSTIO SECUNDA.

An laborans occulto defectu, ob quem alter licitè posset resilire, nihilominus cum hoc contrahere possit, non manifestato defectu?

CASUS

Sponsa ab alio impregnata.

Bertranda Sponsalia celebravit cum Gosvvino, priusquam verò hoc fieret, carnaliter cognita est à Caprasio, sentitque se impregnatam.

Q. An teneatur hoc manifestare suo Sponso, aut à Sponsalibus resilire?

SYNOPSIS.

1. *Causæ, quæ sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, quando ijsdem superveniunt, sufficiunt etiam, quando Sponsalia præcesserunt, sed in contractu Sponsalitio fuerunt ignoratæ.*

2. *Nec obest* c. Quemadmodum. De Jurejur.

3. *Dubium est, an teneatur Sponsus, vel Sponsa defectum occultum manifestare, an verò possit eo tacito contrahere? ubi duplicis generis defectus considerari possunt, præter eos, qui repugnant substantiæ Matrimonij, cum quibus certum est, contrahi non posse.*

4. *Multorum Sententia est, præter hos nullam esse obligationem, alios defectus manifestandi, modò quis non positivè decipiat, vel oppositum fingat.*

5. *Meliùs dicitur, taceri posse eos duntaxat defectus, qui etsi reddant nuptias minùs expetibiles, non tamen reddunt alteri parti noxias, etsi hos quoque saltem ex charitate aliquando opporteat patefacere, vel abstinere à nuptijs.*

6. *Defectus secundi generis, qui Matrimonium reddunt non solùm minùs expetibile, sed alteri parti damnosum, ex Iustitia manifestandi sunt, vel abstinendum à nuptijs.*

7. *Deciditur præsens quæstio, & satisfit objectioni oppositæ.*

1. Petunt non rarò ejusmodi corruptæ Sponsæ, dum de admisso peccato in sacro tribunali se accusant, à Confessarijs consilium, quid in hoc rerum statu sibi agendum sit, & ad quidnam se conscientia obliget, vel non obliget? quo in casu suppono cum communi, easdem causas, quæ sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, quando eveniunt, postquam ea jam celebrata fuerunt, sufficere etiam, si contigerunt ante Sponsalia, sed ab altera parte fuerunt ignoratæ, quia in Jure paria habentur, aliquid supervenire, & præcedere ignoranter, res enim fieri dicitur tunc, quando primò innotescit *c. Pastoralis. De Exceptionibus*, idemque est in Jure non esse, & non apparere *L. Duo sunt Titij. ff. De Testam. tutel.* & *L. In lege. ff. De contrah. empt.* ergo à sensu contrario paria sunt esse, & apparere, consequenter quando post Sponsalia vitium aliquod apparet, quod priùs ignorabatur, idem est, acsi de novo adesset.

2. Neque obstat, quòd in *c. Quemadmodum. De Iurejur.* definiatur, Sponsalia non dissolvi ob fornicationem,

nem, vel morbum præcedentem, quia ex eod. c. etiam constat, rebus notabiliter mutatis promissionem non obligare: sunt autem respectu partis innocentis res notabiliter mutatæ, quando defectum reperit valde notabilem, ante hac prorsum ignoratum: ergo promissio Sponsalitia priùs facta ipsum non obligat, si postea ipsi innotescat defectus, v. g. fornicatio Sponsæ, quæ causam daret dissolvendi Sponsalia, si post celebratum contractum supervenisset. Igitur quando in *cit. c.* dicitur, propter causas præcedentes non dissolvi Sponsalia, intelligitur, si eæ non fuerint ignoratæ, ut exponit Glossa *ibid. V. præcedentem*: potest igitur Sponsus cognitâ Sponsæ corruptione, quam priùs ignorabat, juxta omnes à celebratis Sponsalibus resilire, nec debet moveri hac in re dubium.

3. Hoc verò posito, oritur nunc quæstio, an Sponsa ab alio antecedenter corrupta, & imprægnata teneatur ipsa defectum hunc manifestare Sponso, cum quo post copulam cum alio habitam Sponsalia celebravit, ut ista sic dissolvantur, an verò, tacito suo vitio, possit inire cum ipso Matrimonium?

Solutio istius dubij pendet ex universali hac quæstione, an Sponsus, vel Sponsa laborans aliquo defectu occulto, qui cognitus averteret compartem à Sponsalibus, vel Matrimonio contrahendis, possit, eo tacito, contrahere Matrimonium? Qua in re certum est, esse vel manifestandum, vel à contractu abstinendum, quando adest talis defectus, qui Matrimonij substantiæ repugnat, aut continet impedimentum aliquod dirimens. Alij verò defectus qui justam causam præbent resiliendi à Sponsalibus, in duplici classe constitui possunt.

Primi generis sunt, qui reddunt quidem nuptias minùs expetibiles, non tamen perniciosas alteri: quales sunt, si mulier, quæ putabatur, pulchra, quia absens est, sit deformis; si ipse, vel ipsa sit pauper, & ignobilis, cùm tamen nobilis, aut dives putaretur; si non sit bonæ famæ, aut improbis moribus, feroci ingenio &c. in quibus tamen statuit se corrigere; si fœmina sit corrupta sive vi, sive spontè, quæ putabatur Virgo. Hæc, & similia etsi Matrimonium reddant minùs commodum, minùsque appetibile, non tamen ipsi officiunt, cùm non impediant vitam socialem, generationem, & honestam prolis educationem.

Alterius classis defectus sunt, qui nuptias reddunt alteri Parti non tantùm minùs commodas, sed positivè incommodas, ac damnosas: Tales sunt, si sit omnino perversis moribus, velitque ita perseverare; si laboret paralysi, morbo gallico, gravi lepra, alióve morbo contagioso, qui arte medica ante nuptias tolli nequeat;

nequeat ; si laboret infamiâ vel ex genere, vel ex delicto proveniente, quæ honestam familiam deturpare possit , quibus cum Sporero , & Gobat adnumero impregnationem provenientem ex copula habita cum non Sponso.

4. Circa prædictos defectus censent Hurtadus *disp. 2. de Matr. difficult. 17.* Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub 42.* & alij quidam ab ijs citati , laborantem quocunque defectu, sive primi, sive secundi generis, posse licitè cum altero istius ignaro contrahere, defectum hunc occultando , dummodo positivè non decipiat ,simulans , aut fingens oppositum. Ratio est, quia si hoc esset illicitum, aut peccatum, esset contra Justitiam : at contra hanc non est , quia qualiscunque defectus sit, dummodo non inducat inhabilitatem corporum ad commixtionem carnalem , quâ perficitur, & consummatur Matrimonium, nullam in se continet injustitiam , quæ possit in contractu Matrimoniali committi , quia in hoc nihil aliud intenditur, quàm ut tradatur corpus habile ad copulam pro altero similiter habili corpore , absque eo , quòd debeat esse habile etiam ad alia, nam ad primum duntaxat exigitur societas conjugalis, quamvis ad alia quoque utilis sit , v. g. ad mutua obsequia, quæ fieri debent, quando fieri possunt , non tamen intenduntur primariò, & principaliter : ergo occultus defectus studiosè tacitus non impedit à contrahendo Matrimonio, in quam Sententiam etiam Sanchez videtur inclinare, dum *L. 1. disp. 68. n. 7.* absolutè, & absque ulla distinctione de istis defectibus loquitur, imò pro exemplo ponit morbum gallicum.

5. Cæterùm meliùs loqui videntur alij , qui inter hosce occultos defectus faciunt differentiam : ajunt igitur, si quis laborat defectu, qui nuptias quidem reddit minùs commodas, minùsque expetibiles, sive deinde Sponsalia præcesserit , sive supervenerit , modò non reddat eas noxias, & omnino incommodas , nullam adesse obligationem eum detegendi , sed posse eo dissimulato , ac tacito, nuptias contrahere.

Ratio est , quia nemo tenetur se ipsum infamare , & defectus suos proclamare , quamdiu hi alijs non nocent : sed defectus isti primi generis non nocent , neque enim impediunt socialem vitam , nec generationem , nec honestam educationem prolis , in quem finem contrahitur Matrimonium : ergo non sunt necessariò detegendi , sed alteri parti incumbit diligenter inquirere, quod si non faciat, atque ita decipiatur , sibi debet imputare.

Confirmatur assertio ipso usu ; est enim receptum , & usitatum inter contrahentes, ut ex communi eorum consensu propria vitia non detegant, essetque pro fæminis hoc onus durissimum, & intolerabile, quia sic sæpe vel

vel manerent innuptæ, vel nubere deberent viris infimæ sortis; sicut igitur viri non solent sua vitia manifestare, ita ad hoc non obligantur fæminæ, cùm sit in hoc puncto æqualis harum, & illorum conditio.

Neque dicas cum Tiraquello apud Sanch. *L. 6. de Matr. disp. 27. n. 7.* Matrimonium esse speciem quandam venditionis, ubi vir est quasi emptor, mulier verò venditrix: ergo sicuti venditor ex lege Justitiæ obligatur rei venditæ latentia vitia aperire, ita Sponsam quoque obligatam esse defectus occultos manifestare, & occultando graviter peccaturam contra Justitiam.

Nam Resp. 1. non magis ipsam esse venditricem, quàm emptricem, quia & Sponsus, & Sponsa emunt jus ad usum alterius corporis pro usu sui, mutuoque dant, & accipiunt: ergo par ratio est ex utraque parte. 2. Etiam in venditione non peccat contra justitiam venditor, quando non aperit occulta vitia, quæ rem non reddunt notabiliter minùs utilem usui, ad quem expetitur, nam solùm tenetur manifestare illa vitia, quæ usui, ad quem res petitur, contraria sunt, ne emptor vitio rei venditæ damnum incurrat; quia igitur defectus primi generis usui Matrimonij non repugnant, nulla est obligatio eos manifestandi, sed possunt tales defectus etiam studiosè tegi, præsertim quando adjunctam habent aliquam infamiam, dummodo quis contrarium non positivè simulet dicto, vel facto.

Hinc potest recens nupta, vel desponsanda, quæ virgo putatur, cùm tamen non sit, licitè, imò etiam consultò, uti medijs, vel artificio ad vitium suum occultandum, quia propriam suam turpitudinem manifestare non tenetur, famamque suam prodigere, & per hoc ipsa viro non nocet, sed favet sibi, ne deprehensa habeat ipsum à se aversum, aut alia multa incommoda subeat. Quin imò etiam interrogata potest interrogationem æquivoca responsione eludere.

Dico autem iterum, *modò non positivè simulet se Virginem*, aut patiens alios defectus dicto, factóve contrarium simulans alterum vana spe ad nuptias suas alliciat, quia hæc esset manifesta fraus, & mendacium alteri nocivum, quem tali modo à commodioribus nuptijs ad incommodas inducit. Censet tamen Sanchez cum Coninck, Dicastillo, & Perez, etiam tale mendacium, quo Virginem se diceret, non fore lethale, quando vitium est omnino occultum, & aliud malum non timetur, præterquam quòd alter deceptus duceret corruptam pro Virgine, quia hoc propriè ipsi non nocet, sibique imputare debet, quòd affirmanti credat, cùm facilè possit intelligere, illam nunquam patefacturam, se esse corruptam, quamdiu hoc celare potest. Ita quoad omnia sentiunt Palao

lao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 30. Coninck. *disp.* 23. *dub.* 12. *n.* 92 *& seqq.* Perez *disp.* 10. *de Matr. Sect.* 2. Basilius Pontius *L.* 12. *de Matr. c.* 18. *n.* 5. Gobat *tr.* 10. *n.* 367. *& seqq.* Sporer *Theol. Sacramental. p.* 4. *c.* 1. *Sect.* 2. *n.* 286. *& seqq.* Turrian. *disp.* 78. *de Iust. dub.* 2. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 287.

Addunt tamen meritò citati AA. etsi ex Justitia obligatio nulla sit defectus istos primi generis manifestandi, posse tamen per accidens adesse obligationem eos aliquando vel manifestandi, vel abstinendi à Matrimonio ex charitate, quando videlicet adest periculum, ne vitium occultatum postea Sponsus deprehendat, atque ita amor vertatur in odium, oriantur graves dissensiones, scandala, aliáve mala, & crimina, quæ obligamur ex lege charitatis vitare: exigit ergo charitas, ne Sponsa commodum suum tam gravi proximi damno procuret.

6. Nunc quoad defectus secundi generis, qui Matrimonium non solùm reddunt minùs expetibile, sed valde notabiliter difficilius, quique sunt alteri parti damnosi, docent AA. supra allegati, nullo modo licitum esse, contrahere Matrimonium, vel Sponsalia cum ignaro talium defectuum, nisi & ipse similes defectus patiatur, sed debere talem vel recusare nuptias, vel parti innocenti defectum aperire. Ratio est, quia sic contrahens alteri parti affert grave damnum, quod per se malum est; est enim tale Matrimonium Parti perniciosum in societate conjugali, & in susceptione, & educatione prolium, in quem tamen usum contrahitur Matrimonium: ergo tenetur vel recusare nuptias, vel alteri defectum aperire, secùs contra justitiam peccat non minùs, quàm ille, qui ædificaturo domum vendit ligna putrida, & cariosa, quæ alter putat esse sana, & commoda, cùm tamen ad finem præfixum noxia sint, & incommoda, quo casu tenetur venditor ante traditionem, & solutionem pecuniæ vel contractum rescindere, vel vitium aperire, aliàs obligabitur ad compensanda damna, quæ inde consequuntur, ut decidit in *L. Iulianus.* 13. *ff. De Actionib. empti, & vend. L.* 1. *ff. De Ædilitio edict.* & *L.* 1. *C. de Ædilitijs action.*

7. Unde concludo in casu nostro, Bertrandam debere omni modo procurare, ut inita cum Goswino Sponsalia rescindantur; quod si aliter obtineri nequeat, teneri admissum vitium ipsi patefacere, secùs aget contra Justitiam, quia Goswino nuptiæ futuræ sunt non solùm minùs commodæ, sed verè noxiæ, quia debebit ducere non solùm vitiatam ab alio, sed impregnatam; quid verò possit esse magis nocivum futuro Matrimonio, quàm ducere Sponsam cum tali auctario? debere facere expensas in puerperium, lactationem, educationem prolis, & similia?

lia? ut nihil dicam de incommodis, quæ suo tempore oriri possunt circa hæreditatem: tenetur igitur manifestare, & à Sponsalibus desistere.

Opponi poterit, fœminam durante Matrimonio imprægnatam ab adultero non obligari ad manifestandum suum scelus, modò provideat, ne prolibus legitimis damnum eveniat: ergo etiam Sponsa de futuro non obligatur crimen suum manifestare, si aliter damnum avertat à prolibus è futuro Matrimonio nascituris.

Resp cum Gobat *l. c. n. 374.* latam esse disparitatem inter uxorem, & Sponsam de futuro, eò quòd adultera non cooperetur *positivè* ad damna, quæ consequuntur, sed solùm *negativè*, scilicet tacendo, quod non tenetur loqui; at Sponsa imprægnata facit positivè injuriam Sponso, dando ipsi mercem summopere vitiosam, & noxiam: ergo ab una non licet argumentari ad alteram; nam esto, sicut tenetur id facere adultera, ita & Sponsa imprægnata possit à secuturis legitimis prolibus damnum avertere bonis suis paraphernalibus, alijsque similibus modis, tamen adhuc Sponsum *positivè* decipit offerendo mercem corruptam pro bona, per quod injustè agit, ut ostensum est: hoc ergo cavere debet manifestando crimen, si aliter dissolvere Sponsalia nequeat: adultera meliorem mercem jam nequit substituere: sufficit ergo, ut caveat alia damna, quæ ex violata conjugali fide oriuntur, maximè cùm sæpe necquidem possit manifestare, quia sic causam daret fatali odio contra adulterum, & fortè etiam cædibus secuturis: quibus addo, quòd frequenter maritus, & filij minimè petant uxoris, & matris adulteræ manifestationem, sed sint ad eam inviti, ac præoptent silentium, malintque ea tacente magna parte facultatum privari, & admittere in consortem hæreditatis filium spurium, quàm ut patefiat delictum uxoris, & matris, ex qua manifestatione non parùm dedecoris in ipsos redundat.

QUÆSTIO TERTIA.

An copula sit con firmatio Sponsalium, quando committitur post agnitum defectum, qui posset sufficere ad eorundem dissolutionem?

CASUS

Sponsi peccantis cum Sponsa defectuosa.

Quinidio innotescit in Jolantha sibi desponsata usque huc sibi incognitus defectus ejus generis, qui possit justam præbere causam ad dissolvenda Sponsalia, quod agere etiam constituit, nihilominus eandem postea carnaliter cognoscit.

Q. An per hoc amiserit jus à Sponsalibus resiliendi?

SYNOPSIS.

1. *Affirmativa Sententia communis est, & probatur.*
2. *Confirmatur casu Riccij.*
3. *Necesse tamen est, ut Sponsus non nesciat, competere sibi jus resiliendi, & ut Sponsalia non fuerint jam penitus dissoluta.*

4. *Doctrinam*

4. *Doctrinam hanc locum habere in utroque foro, multorum opinio est, sed videtur discrimen fieri debere inter forum internum, & externum.*
5. *In foro externo certum est, quòd rebus ita constitutis resilire non possit.*
6. *Idem est in foro interno, si accedat ad Sponsam cum expressa voluntate perseverandi in priore contractu.*
7. *Absque hoc animo si Sponsam cognoscat carnaliter, in foro conscientiæ non amittit jus rescindendi Sponsalia.*
8. *Respondetur ad argumenta opposita.*

1. Conveniunt in hoc communiter DD. Sponsum conscium causæ sufficientis ad dissolvenda Sponsalia amittere jus resiliendi, si, postquam adeptus est hanc notitiam, carnaliter ad Sponsam accedat. Ita Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 29. *n.* 11. Coninck *disp.* 23. *dub.* 10. *n.* 75. Sanch. *L.* 1. *disp.* 66. *n.* 2. Lopez *p.* 1. *Instructorij c.* 77. §. *hinc emergit.* Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 20. Basilius Pontius *L.* 12. *c.* 18. *n.* 4. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu.* 10. *n.* 10. Reginaldus *L.* 31. *n.* 267. Gobat, Filliuc. &c.

Probatur, quia accedens carnaliter ad Sponsam conscius juris, quod habet, resiliendi à Sponsalibus, censetur eo ipso permanere sciens, & volens in priore consensu, & jus rescindendi Sponsalia remittere, eaque potiùs de novo confirmare, si ab initio fuerunt valida; si autem à principio invalida fuerunt ob dolum præcedentem, & postea detecto dolo adhuc cum ea copulam habeat, iterum judicatur habere consensum contrahendi, & præcedentem contractum confirmandi, ac ratificandi, quod à simili patet, quia etiam conjux conscius adulterij, si accedat ad uxorem adulteram, amittit jus petendi divortium; imò si etiam divortio jam celebrato sequatur inter ipsos copula, censentur conjuges se reconciliare, atque ideo tenentur in Matrimonio perseverare, ac per eandem copulam jus quoque amittunt accusandi. L. si uxor. §. sed & si qua. ff. Ad Leg. Jul. De adult. ubi dicitur: *abolevit enim prioris Matrimonij delicta reducendo eam*: Ergo etiam Sponsus secutâ simili copulâ amittit jus resiliendi à Sponsalibus.

2. Confirmari ulteriùs hoc potest casu, quem narrat Jo. Aloysius Riccius *Decis. Aurearum p.* 1. *decis.* 195. Contraxerat quidam Sponsalia cum formosa,

formosa, & nobili puella cum conditione, si intra certum tempus dos per ejus Patrem sibi solveretur, & non aliter, nec alio modo; cumque pendente conditione supra dictâ accessisset ad domum puellæ, eamque pluries deosculatus fuisset, postea adveniente tempore cùm dos sibi non persolveretur, & ob id nollet Matrimonium contrahere, pro parte dictæ puellæ institutum fuit judicium in Curia Archi-Episcopali Neapolitana, decisumque, ut, quamvis dos intra dictum tempus non sit soluta, cogeretur prædictus juvenis ad contrahendum Matrimonium, etiam pœnis, & censuris intentatis, eò quòd censeretur renunciasse conditioni; quemadmodum olim quoque decidit Innocentius III. *in c. Per tuas. De condit. apposit.* ubi ait, si quis sub honesta conditione Sponsalia contrahit, & ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, præsumendum esse pro Matrimonio, quia videtur à conditione recessisse. Quamquam verò textus iste solùm loquatur de recessione à conditione per supervenientem copulam, eodem tamen modo decidit Curia Archi-Episcopalis in casu Neapolitano, quòd oscul um æquiparetur copulæ in ordine ad supra dictum effectum juxta Glossam *in L. Quod ait lex. ff. Ad Leg. Iul. De adult.* idque etiam colligitur ex Covarr. *in Epit. de Sponsal. p. 2. c. 7. §. 6. n. 3.* Julio Claro *L. 5. §. adulterium n. 16.* Mascard, *L. 1. de probat. conclus. 64. n. 2.* alijsque: igitur in nostro quoque casu Sponsam carnaliter cognoscens post agnitum defectum videtur cedere juri, quod habet ad resiliendum.

3. Ut verò quis recedere censeatur à jure resiliendi, quod habet, & confirmare priorem consensum per copulam supervenientem, necesse est, ut, quando istam habet, non nesciat resiliendi jus sibi competere propter notabilem defectum modò agnitum, quem priùs ignorabat, unde superiùs *n. 1.* dictum est: *accedens carnaliter ad Sponsam conscius Iuris, quod habet*, nec enim censetur priorem consensum confirmare, qui nescius est, se jus habere resiliendi, nec dici potest velle cedere huic juri, qui ignorat id sibi competere, siquidem ignorans non dicitur negligere, nec contemnere suum jus. *L. Nec ignorans. C. De donat.* sicut qui dolum ignorat, non censetur ratificare Sponsalia ob dolum nulliter, & invalidè celebrata, etiamsi per copulam illi fæminæ, cum qua Sponsalia contracta sunt, conjungatur, quia ad ratificandum aliquem actum priùs nullum requiritur scientia nullitatis.

Pari modo qui, postquam Sponsalibus omnino renunciavit, copulam habet cum ea, quæ priùs fuerat ejus Sponsa, non confirmat per istum actum priora Sponsalia, ut ad ea iterum teneatur, quia cùm inter istas personas jam nulla sit promissio futuri Matrimonij, & dissolutis Sponsalibus

libus inter illas nullum ampliùs maneat vinculum, nequit istud per eum actum confirmari; unde diversa ratio est inter conjuges, qui facto divortio iterum copulantur, quos inter per istam copulam Matrimonium denuo convalescit, & censetur condonata injuria, quia etiam facto divortio adhuc manet vinculum Matrimonij, at dissolutis Sponsalibus nullum vinculum superest.

4. Cæterùm necdum sufficienter patet, an hæc Sententia, quòd Sponsus, qui Sponsam suam carnaliter cognovit, postquam ipsi innotuit, se ob priùs incognitum, nunc verò patefactum notabilem defectum, v. g. fornicationem Sponsæ, aliumvé quempiam ex ijs, quos supra enumeravimus, justam causam habere Sponsalia dissolvendi, censeatur cedere huic juri, illudque amittere, etiam in foro conscientiæ, an verò ea duntaxat pro foro exteriore tenenda sit?

Sanchez, Palao, Coninck, Basilius Pontius, alijque AA. citati arbitrantur, locum eam habere in utroque foro, ob rationes supra allatas ad hanc doctrinam stabiliendam. At mihi videtur, cum differentia hac in re differendum esse, uti faciunt Perez, & Hurtadus. Unde

5. Dicendum est 1. Sponsus conscius causæ sufficientis ad dissolvenda Sponsalia, si, stante hac notitia, nihilominus accedat ad Sponsam, eamque cognoscat, in foro externo amittit jus resiliendi à Sponsalibus. Est hæc conclusio certa, & à nemine negatur, siquidem ab omnibus judicabitur, eo ipso, quòd cognoverit Sponsam, sciens se posse resilire, accessisse ipsum cum animo renunciandi suo juri, & priorem contractum, etsi affectum vitio, approbandi, nam dictus accessus vehemens est indicium, quòd condonaverit, vel negligat, & non curet Sponsus deprehensum in Sponsa defectum, & quòd proinde voluerit tacitè cedere juri resiliendi, cùm præsumatur Sponsa non nisi sub tali conditione in copulam consensisse, unde in foro externo non audietur, si postea à Sponsalibus resilire tentaverit,

6. Dicendum 2. quando accedit cum expresso animo servandi priorem contractum, vel eum confirmandi, ac implendi, nullâ habitâ ratione istius defectûs, etiam in foro conscientiæ non posse ipsum à Sponsalibus resilire, ut per se clarum est, quia nempe in ipso datur actu voluntas standi suo promisso; ex parte autem Sponsæ censetur adhuc moraliter perseverare voluntas priùs habita: tenetur ergo illam ducere, & præcedentia Sponsalia hoc facto rursum approbata, & ratihabita implere.

7. Dicendum 3. Quòd si accedat ad Sponsam sine ejusmodi intentione perseverandi in priore contractu, eúmve renovandi, vel confirmandi, aut cognitum defectum condonandi, in

in foro interiore conscientiæ jus à Sponsalibus resiliendi Sponsus non amittit. Ita Hurtad. *disp. 2. de Matr. difficult. 16.* & Perez *disp. 9 Sect. 17. n. 6.* Ratio est, quia copula secundùm se nullo jure continet vel explicitam, vel implicitam voluntatem renunciandi proprio juri, aut confirmandi priora Sponsalia, cùm fieri possit prorsus independenter ab ista voluntate, imò cum expressa voluntate opposita non renunciandi: ergo accedens ad Sponsam absque animo cedendi suo juri resilire potest à Sponsalibus, neque tenetur ad aliquid aliud, quàm ut compenset damnum, si quod intulit, si possit pro eo aliter satisfacere, quàm ducendo Sponsam: dicitur autem tunc intulisse damnum, quando per istam copulam, in quam censetur Sponsa sub spe Matrimonij consensisse, ea redditur minùs apta ad nubendum alteri sibi æquali: quòd si verò accedens ad eam Sponsus fuisset protestatus, se ad ipsam accedere, servato sibi jure integro ad dissolvenda Sponsalia, quin ei per hoc renunciare intendat, tunc non tenetur ad ullam damni compensationem, quia scienti, & volenti nulla fit injuria juxta Reg. 27. De R. J. in 6. & Reg. 145 ff. eod. *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt.*

8. Nunc ad argumenta oppositæ Sententiæ respondeo, probare quidem ea pro foro externo, non tamen pro foro interno conscientiæ; nam esto, exteriùs significet ille accessus animum remittendi, & pro ejusmodi signo habeatur, in foro tamen conscientiæ non eo ipso resiliendi jus remittit, aut priùs inita Sponsalia confirmat; quippe ut istud fiat, necesse est, animum quoque, & voluntatem hoc faciendi adesse, quemadmodum ut detur vera, & obligatoria promissio, non satis est, sola verba adesse, sed positivus simul animus promittendi requiritur, ut dictum est *Sect. 1. de conditionibus ad valorem Sponsalium requisitis q. 1. cas. 1. n. 4.* ostensum quoque est, copulam cum tali Sponsa habitam ex natura sua non confirmare priora Sponsalia juxta id, quod dicit Reg. 30. ff. De R. J. *nuptias* (idem est de promissione nuptiarum) *non concubitus, sed consensus facit.* Et sanè sunt quamplurimi, qui commiscentur cum Sponsis de futuro, quin ipsis aliud in mentem veniat præter turpem libidinem: ergo concubitus non eo ipso dicit novum consensum, nuptiarúmve promissionem, cùm stare etiam possit cum voluntate opposita.

Ad allatam paritatem de marito accedente ad uxorem adulteram, respondeo similiter: neque vir, qui conscius adulterij suæ uxoris adulteram cognoscit, si non accedat animo remittendi injuriam, amittit eo ipso, & propter hanc ipsam copulam secundùm se jus petendi divortium, si stemus præcisè in jure naturali; verùm

rùm jus istud amittit, quia ita statutum est in Jure positivo, ut vir cum uxore adultera congrediens amittat jus petendi divortium, etiamsi animum habeat injuriam non remittendi, ita colligitur ex *c. Dixit Dominus. 32. q. 1.* ubi ratio celebrandi divortij ob adulterium afferitur esse divisio carnis uxoris adulteræ in aliam, quia igitur per novam copulam Mariti supervenientem divisa caro restituitur ad pristinam unionem, ideo dum conjux innocens cognoscit uxorem adulteram, censetur sibi illam reunire, ac condonata priore injuriâ eidem reconciliari, & Matrimonium denuò confirmare, ut docent AA. communiter apud Sanch. *L. 10. de Matr. disp. 14. n. 6.* idque adhuc clariùs habetur in Jure Civili L. Crimen. C. ad L. Jul. de adult. *crimen adulterij maritum, retentâ in Matrimonio Vxore, inferre non posse, nemini dubium est*, & L. Quæsitum. §. idem quæritur. ff. eod, *Paulus respondit, eum, qui post crimen adulterij intentatum eandem uxorem reduxit, desistisse videri, & ideo ex eadem lege postea ei jus accusandi non superesse*: redintegratur igitur vi Juris per copulam cum conjuge adultera habitam Matrimonium, ita ut neque accusationi locus supersit.

Nihil autem tale decernitur in Jure de Sponsis, unde ex paritate conjugum allata, atque etiam ex casu, & decisione Neapolitana Aloysij Riccij, quæ etiam ex eo videtur nimis rigorosa, quòd ita deciderit ob sola frequentata oscula, quæ ex natura sua, si alia adminicula non accedant, ex quibus hoc colligatur, vel probetur, planè non significant, quòd quis remittat jus à Sponsalibus resiliendi, cùm istud nec quidem copula indicet, ex istis, inquam, non probatur, quòd Sponsus in casu nostro resilire à factis Sponsalibus nequeat, eò quòd sciens hoc suum jus, sed tamen sine animo id remittendi Sponsam cognoverit, unde in foro conscientiæ ad hoc obligandus non est, quamquam in foro externo utique fidem inventurus non sit, nam in hoc foro semper judicabitur accessisse ad Sponsam cum animo renunciandi suo juri, ut supra dictum est.

Quæstio

QUÆSTIO ULTIMA.

De Sponsalibus conditionatis.

CASUS

Bis Sponsi.

Oblata est Arialdo in Sponsam Idaberga Virgo nobilis, sed opibus destituta, cum qua is etiam contraxit de futuro, non tamen nisi sub hac conditione, si sibi virginis istius consanguinei officium aliquod impetrarent à Principe, quod foret statui suo conveniens, & nobili conjugi cum reliqua familia alendæ sufficiens, sicque vicem dotis suppleret: acceptata est ista conditio, & liberaliter promissum, quod petebatur, sed ultra verba processum non est, nec, etsi constanter urgeret Arialdus, secuta est ulla promotio per dictos consanguineos, verùm spe omni ademptâ intentatæ sunt minæ, ut Virginem quamprimùm duceret, nisi velit modis severioribus ad id compelli. Arialdus conditione non impletâ mutat animum, novamque alio in loco dissito sibi Sponsam eligit Coletam, cum qua factis publicè denunciationibus, rebusque omnibus non sine magno impendio jam paratis, cùm esset proximè nuptias celebraturus, adest, qui istud impediret,

impediret, facta exceptione, quòd eſſet deſponſatus Idabergæ. Verùm re tota ad Ordinarium delatâ, & renuente coram hoc comparere Accuſatore, decernitur pro Arialdo, conceſſâ ipſi licentiâ etiam extra Parochiam propriam nuptias celebrandi: ſed iterum nova inijcitur remora; nimirum incutiuntur à foro ſæculari minæ graviſſimæ, ſi hoc auderet agere, ſimulque jubetur priori Sponſæ in ſatisfactionem ſolvere ingentem pecuniarum ſummam.

Q. 1. An Arialdus obligatus fuerit contrahere nuptias cum Idaberga, & imperatam pro ſatisfactione pecuniam ſolvere?

2. An hæc cauſa Sponſalitia pertinuerit ad forum ſæculare?

SYNOPSIS.

1. *Quid ſit conditio, & quotuplex?*
2. *Conditiones de præterito, & præſenti, atque etiam de futuro, quando eæ neceſſariò evenient, non ſunt Conditiones propriè dictæ.*
3. *Quæſtio de Sponſalibus conditionatis ſolùm procedit circa conditiones contingentes de futuro, quæ licitè apponuntur, ſi ſint honeſtæ, & poſſibiles, non verò ſi inhoneſtæ, vel impoſſibiles.*
4. *Inhoneſtas, & impoſſibiles, uti in Matrimonio, ita etiam in Sponſalibus pro non adjectis haberi, plurimorum Sententia eſt; ſed diſplicet argumentatio à Matrimonio ad Sponſalia.*
5. *Statuitur, conditiones de futuro honeſtas, & poſſibiles ſuſpendere conſenſum, donec conditio impleatur, quâ impletâ in abſoluta tranſeunt Sponſalia conditionata, etſi novus conſenſus non accedat.*
6. *Conditiones impoſſibiles, ſi apponantur, indicant, conſenſum eſſe nullum; turpes verò & inhoneſtæ, ſi Matrimonij ſubſtantiæ repugnent, irritant Sponſalia; ſi autem non repugnent, conſenſum ſolummodo ſuſpendunt, donec impleantur.*

7. *Deciditur in proposito Casu, nullam adfuisse obligationem ducendi Sponsam, quando conditio posita in Sponsalibus honesta, & possibilis non fuit adimpleta.*

8. *Neque tenetur hîc à Sponsalibus resiliens ad ullam satisfactionem.*

9. *Causæ Matrimoniales non pertinent ad forum sæculare, sed ad Ecclesiasticum privativè, quando agitur præcisè de valore Matrimonij, vel Sponsalium.*

1. On erat animus dicendi hîc aliquid de conditionibus, quæ solent apponi Sponsalibus, vel Matrimonio, hanc enim Materiam tractare constitueram in parte secunda hujus operis, quando agetur de consensu ad Matrimonium requisito, at quia fortè, quem hîc propono, casus ad me delatus est, mutavi mentem, ut de Sponsalibus quoque conditionatis agerem, quorum dissolvendorum complures hactenus causas exposuimus, quibus meritò accensetur conditio non impleta, ob quem defectum multi non rarò dissolvunt contracta priùs Sponsalia. Antequam verò ad casûs hujus decisionem progrediamur, operæ pretium erit, naturam conditionatæ promissionis, quantùm opus erit, exponere.

Igitur conditio propriè, & strictè sumpta, ut eam definit Rebellus *L. 2. p. 2. de Oblig. Iust. q. 10. Sect. 4.* & Sylvest. *V. Conditio*, est oratio dispositionem in tempus, & eventum futurum incertum suspendens, sive est qualitas quædam, & circumstantia, qua dispositio, seu actus, vel contractus suspenditur in futurum tempus, & eventum incertum. Desumitur ex §. Sub conditione. Instit. De V. O. *sub conditione stipulatio fit, cùm aliquem in casum differtur obligatio*, soletque conditio ordinariè exprimi per particulam *si*, v. g. ducam te, si Pater tuus consenserit.

Variæ autem Sponsalibus apponi possunt conditiones; nam aliæ sunt de præterito; aliæ de præsenti; aliæ de futuro. Item aliæ possibiles, aliæ impossibiles; aliæ necessariæ, aliæ contingentes; aliæ denique honestæ; aliæ inhonestæ, sive turpes.

2. Ex istis aliquæ in sensu quidem latiore, non tamen in propria, & stricta acceptione, quæ hujus loci est, conditiones dici possunt; siquidem

dem conditiones de præsenti, vel præterito juxta superiùs traditam definitionem conditiones non sunt, quia contractum non suspendunt in tempus futurum, & eventum incertum, nam si dicas v. g. *contraho tecum, si Pater tuus heri consensit*, aut *si nunc de præsenti consentit*, ita contrahens statim vel es, vel non es obligatus, ut patet; vel enim extitit heri, aut nunc de præsenti existit consensus ille Paternus, vel non? si prius: statim nunc, dum contrahis, datur absoluta obligatio; si posterius, statim nunc absolutè nulla obligatio adest; hinc deciditur in L. Institutio. ff. De condit. Instit. quòd *nulla sit conditio, quæ in præteritum confertur, vel quæ in præsens*, atque ita sub simili aliqua conditione contrahens, propriè, & rigorosè loquendo, non init contractum conditionatum, quia de natura istius est, ut detur suspensio, & dilatio obligationis. Pari modo neque omnes conditiones de futuro, nisi sint contingentes, participant propriè naturam conditionis; hinc si apponas conditionem possibilem necessariam, seu necessariò eventuram, v. g. *contraho tecum, si cras sol orietur*, conditio hæc statim obligat, quia perinde est, acsi nulla conditio apposita fuisset, cùm conditio necessariò futura ratione necessitatis naturalis, & quia jam determinata est in sua causa, habeatur pro jam præsente, & existente, quocirca obligationem non moratur juxta L. si Pupillos. §. 1. ff. De Novat. *Qui sub conditione stipulatur, quæ omni modo extitura est, purè videtur stipulari.* Fortassis tamen juxta Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 16. *n.* 2. sic contrahens non obligatur ea Sponsalia exequi, quousque conditio adveniat, quia, esto illa conditio non suspendat Sponsalium obligationem, suspendit tamen eorum executionem. Imò aliquando etiam conditio in se contingens quidem, sed tamen certò futura, non suspendit consensum, veluti hæc: *ducam te, si Antichristus nascetur*, æquivalet enim tali conditio conditioni necessariæ, quia non minùs certum est de fide, Antichristum nasciturum, quàm certum est, solem cras esse orituram, & in hac apposita conditione nec quidem executio suspenditur, ne fiat contractus omnino nugatorius. Quocirca assentiri nequeo Basilio Pontio *L.* 3. *c.* 1. *n.* 13. cum Covarr. & Henriq. dicenti, in hoc contractu suspendi consensum usque ad conditionis eventum, id est, usque ad nativitatem Antichristi, quæ certò erit, etsi non constet, quando futura sit, nam verba hæc conditionata, si quis prudenter velit ea exponere, non habent istum sensum: *ducam te, quando, sive eo tempore, quo nasciturus est Antichristus*, sed manet sensus verè conditionatus, *ducam te, si Antichristus nascetur*, ut rectè ait Tamb. *tract.* 4. *de Matr. c.* 5. §. 3. *n.* 5. quod quia fore

jam nunc certum est, jam nunc est obligatus ducere talem puellam, qui ita spopondit, nec enim quispiam prudenter potest præsumere de tali promissore, quòd ista dicens executionem differre intendat usque ad positæ conditionis eventum; nam ita contrahentem judicabunt omnes, nugari velle, & quamvis verba aliqua proferat, quæ solent indicare contractum, nolle tamen contrahere seriò.

3. Tota igitur quæstio versatur in hoc, quem effectum habeant in Sponsalibus appositæ conditiones contingentes de futuro tum possibiles, tum impossibiles, honestæ, & inhonestæ? Circa hoc inprimis certum est apud omnes, licitum esse, & permissum, apponere Sponsalibus quascunque conditiones possibiles, honestas, & non repugnantes bonis moribus; nefas autem, & illicitum, apponere conditiones impossibiles, aut turpes, ac bonis moribus repugnantes. Primum desumitur ex *c. super eo. De Condit. appos.* & *L. In traditionibus. ff. De pactis*, quia potest quisque rei suæ, & contractui, quem liberè init, modum ponere: de turpibus, & inhonestis conditionibus res clara est, quia nunquam licet intendere peccatum; de impossibilibus denique iterum patet, quia apponens conditionem impossibilem, v. g. *ducam te, si cras creveris uno palmo*, vel loquitur seriò? & tunc ineptit: vel agit hoc joco? & tunc non contrahit: apponi ergo nequeunt.

4. Quòd si tamen conditiones de futuro Physicè, & naturaliter impossibiles aliquando Sponsalibus apponantur, veluti: *ducam te, si manu cœlum tetigeris, si volabis, si centum milliones auri pro dote attuleris &c.* sive turpes, & inhonestæ, quæ sine scelere impleri nequeunt, quæ idcirco in Jure etiam impossibilibus accensentur, cùm tales sint civiliter, & moraliter, eò quòd impossibile judicari debeat, hominem honestum velle facere, quod turpe est, quales sunt: *ducam te, si Patrem occideris, si defeceris â fide Catholica, si mecum concubueris &c.* communis ferè Sententia est apud Sanch. *L. 5. de Matr. disp. 17. n. 2.* has similesque conditiones haberi pro non adjectis, atque ideo Sponsalia sub aliqua istarum contracta statim absolutè esse valida, acsi conditio apposita non fuisset; quæ opinio fundatur in c. fin. De Condit. appos. ubi Pontifex ita loquitur: *Si conditiones contra substantiam conjugij inserantur: puta, si alter dicat alteri: contraham tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, Matrimonialis contractus, quantumcunq; sit favorabilis, caret effectu; licèt aliæ conditiones appositæ in Matrimonio debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi*: in quo textu duo continentur. 1. Dicitur conditiones

tur-

turpes, quæ substantiæ Matrimonij repugnant, id vitiare, & annullare. Deinde verò alias turpes conditiones, quæ tamen substantiæ Matrimonij non adversantur, uti & impossibiles, haberi pro non adjectis, & reputari potiùs ex joco, quàm serio animo appositas, si contrahentes sciverunt turpes esse, & illicitas, aut impossibiles: etsi verò ibi sermo sit de Matrimonio, idem tamen intelligi debere etiam de Sponsalibus, quia sunt initium quoddam Matrimonij, unde quod de uno dispositum est, reputatur de altero quoque dispositum *L. Oratio. ff. de Sponsal.*

Verùm hanc argumentationem à Matrimonio ad Sponsalia meritò reijciunt Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 16. n. 4.* Rebellus *l. c. Sect. 5.* Basilius Pontius *L. 12. c. 7. n. 3.* & Engl *de Condition. n. 15.* nam alibi jam ostensum est, non semper intelligi etiam de Sponsalibus, quod in Jure statuitur de Matrimonio, quippe de facto nulla, & irrita habentur in Jure Matrimonia clandestina, at falsum est, id ipsum de Sponsalibus quoque esse constitutum: etsi igitur in favorem Matrimonij in dicto textu Jura statuant, in Matrimoniali contractu ejusmodi conditiones habendas esse pro non adjectis, non tamen id sequitur etiam in Sponsalibus, quia *cit. c. fin* est correctivum Juris communis; siquidem Jure naturali, & positivo *L. Non solùm. ff. De Obligat. & Actionibus* quando contractui apponimus conditionem impossibilem, volumus indicare, nos nullo modo velle contrahere; quando autem conditionem turpem addimus, volumus, ut consensus noster dependeat ab eventu talis conditionis, quæ per citatum textum corriguntur in Matrimonio, unde capitulum illud utpote correctivum, strictæ interpretationis est, idque extendere non debemus ab uno ad aliud, nisi hujus quoque expressa mentio fiat. *L. Præcipimus. in fin. C. De Appellat.*

5. Dicendum igitur, ut clarè procedamus, quando Sponsalibus apponitur conditio contingens de futuro possibilis, & honesta, v. g. *ducam te, si Pater tuus consenserit; si dignitatem, vel munus publicum mihi procuraveris &c.* quamdiu non impletur conditio, nulla quidem adest obligatio implendi factam promissionem, sive ducendi Sponsam, sed ea suspenditur in eventum positæ conditionis, saltem ordinariè, adest tamen obligatio expectandi conditionis eventum; quod si fiat, Sponsalia conditionata transeunt in absoluta, etiamsi non ponatur novus consensus. Ita Palao, Pontius, Coninck, Gobat, Engl, Perez *disp. 12. Sect. 1. n. 1.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 2.* Constat hoc ex *Arg. c. un. De Sponsal in 6* idque etiam manifestum est ex alijs contractibus, qui passim, quando sunt celebrati sub

sub conditione honesta in futurum, eâ impletâ purificantur, & perficiuntur, non minùs, quàm si ab initio initi fuissent, ut habetur in L. Potior. §. 1. ff. Qui potiores in pignore: *Cùm semel conditio extitit, perinde habetur, acsi illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset*; & L. Hæc venditio. ff. De contrahend. empt. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio*: idem ergo dicendum est de Sponsalibus, cùm hoc idem affirment etiam de ipso Matrimonio AA. supra citati contra complures alios, quos refutat Laym. *l. c.* qua de re videri possunt Canonistæ in Titulo de conditionibus appositis.

Dixi autem 1. suspendi obligationem *ordinariè*, donec conditio impleatur, quia in casu extraordinario, quo aliquis culpabiliter impediret, ne impleatur conditio, pars quidem innocens à Sponsalibus libera est, at verò pars nocens non deobligatur, sed tenetur impedimentum tollere, & stare conditioni, nisi pars altera obligationem liberè remittat. Tannerus *to. 4. disp. 8. q. 1. n. 66.* 2. Dixi iterum, impleta conditione Sponsalia conditionata transire in absoluta *ordinariè*, etsi novus consensus non accedat, quia hoc multi negant in Sponsalibus conditionatis, si contracta fuerint sub hac conditione: *si Papa dispensaverit*, requiritur enim juxta ipsos impleta conditione, & dispensatione obtenta à Sponsis novus consensus. Sed probabilius est, etiam hîc novo consensu opus non esse, si Pontifex in similibus casibus facilè dispensare solitus sit, & justa causa dispensandi adsit, ut probat Palao *l. c. n. 8.* cum multis alijs, quos citat, Gobat *tr. 10. n. 160*, & fusè ac dilucidè hanc quæstionem examinans P. Wex *p. 5. Ariadnes Carolino-Canonicæ tr. 2. controv. 3. per totum.*

6. Ut denique de conditionibus de futuro Physicè, vel moraliter impossibilibus, sive turpibus, ac inhonestis ultimatò aliquid statuamus; Certum est 1. quando adjecta conditio turpis, & inhonesta cadit supra ipsam substantiam futuri Matrimonij, v. g. *ducam te, si postea adulterandam te præbeas, si prolis conceptionem, vel generationem impediveris &c.* nulla esse Sponsalia, quia hujusmodi Sponsalia sunt promissio Matrimonij, quod impossibile, irritum, & nullum est, unde & hæc promissio nulla est.

Quod attinet ad conditiones naturaliter impossibiles, & turpes, quæ tamen substantiæ, & bono Matrimonij non repugnant, communior est Sententia, habendas esse pro non adjectis; negari tamen non potest, posse aliquando contrahentes ita intentionem suam alligare ejusmodi conditioni, ut velint nullo modo contrahere, nisi dependenter ab ea posita, de quo si constet, in utroque foro nulla est obligatio, priusquam

priuſquam conditio impleatur, ut docent Sanch. *L. 5. diſp. 15. n. 6.* Coninck *diſp. 29. dub. 3. n. 41.* & alij paſſim: quòd ſi verò de hoc non conſtet, ſed dubium ſit de contrahentium intentione, omnium maximè mihi placet regula, quam tradunt præſertim pro Germania AA. Germani Gobat *l. c. n. 154.* & Wex *p. 5. Ariad. tract. 2. § 6. de Sponſal. n. 25.* ut dignoſcatur, nullanè ſint Sponſalia, an verò valida, quibus appoſita eſt ſimilis conditio, id eſſe in caſu dubio præſumendum pro foro tam interno, quàm externo, quod plerunque fieri ſolet: ſolet autem, ſaltem in Germania, plerunque fieri, ut in contrahentibus Sponſalia adjectio conditionis impoſſibilis ſignificet, prorſus deeſſe conſenſum neceſſarium ad Sponſalia; quando verò adijcitur conditio turpis, ea ſignificet, adeſſe quidem conſenſum, ſed alligatum impletioni talis conditionis; v. g. ſi Cajus dicat Titiæ, *ducam te, ſi cœlum digito tangas*, in Germania omnes judicant, talem non habere animum ducendi Titiam: ſi verò, ut multi improbi faciunt, dicat: *ducam te, ſi feceris copiam tui corporis, ſi à Religione Papiſtica defeceris &c.* ordinariè ſignificat, ſe omnino ſeriò velle quidem ducere, ſed non niſi adimpletâ hac turpi conditione, cujus opinionis etiam eſt Palao *l. c. n. 4.*

7. His præmiſſis, facilis nunc eſt ſolutio dubij in caſu præſente, videlicet dicendum eſt, Arialdum nullam habuiſſe obligationem ducendi Idabergam, ſed, hac relictâ, aliam Sponſam pro libitu potuiſſe ſibi eligere, quia Sponſalia ab ipſo contracta fuerunt merè conditionata, quæ in rigore loquendo Sponſalia non ſunt, proinde effectum Sponſalium habere nequeunt, cùm vis illorum ſuſpenſa maneat, donec conditio impleta ſit, eaque hac ratione tranſeant in abſoluta juxta ſuperiùs dicta, quia conditio, ut habetur in Jure, nihil ponit in eſſe, & ideo actus conditionalis non valet, niſi exiſtente conditione. *L. ſi quis ſub conditione. ff. Si quis omiſſa cauſ. teſtam. L. Cedere diem. ff. de V. S. L. Si quis fundum. ff. de contrah. empt.* eſtque communis Theol. & Can. iterumque manifeſtum eſt ex *c. De illis,* & *c. ſuper eo. De Condit. appoſit.* item *c. Vnic. De Sponſal. in 6.* ubi deciditur, ex Sponſalibus conditionalibus ante impletam conditionem non oriri impedimentum publicæ honeſtatis, eò quòd nondum valida ſint: ſi ergo ex textu Juris valida non ſunt Sponſalia, ubi appoſita conditio impleta non eſt, obligationem inducere nequeunt, ac conſequenter, donec conditio adimpleretur, nulla fuit Arialdi obligatio ducendi Idabergam, cumque re ipſa conditio impleta non fuerit, omniſque ſpes penitus adempta, fore, ut aliquando impleretur, licitè potuit reſilire,

resilire, nec erat, quod impediret, ne aliam duceret, quam vellet, relictâ Sponsâ priore.

8. Ex hoc verò consequitur manifestè, nullo jure Idabergam petere ab ipso potuisse satisfactionem pecuniariam, nec ipsum ad aliquid solvendum fuisse obligatum: vel enim jus ipsa habuit exigendi aliquam satisfactionem ratione damni, quod passa est, vel ratione contractûs Sponsalitij? Non hoc posterius, quia ostensum est, Sponsalia hæc nulla fuisse, cùm non sit impleta conditio, sub qua contracta fuerunt; in eo autem, quod invalidum est, jus nullum fundari potest: quia igitur, quando Sponsus etiam à validis Sponsalibus ex justa causa resilit, Sponsa nequit ab eo quidquam exigere pro consensu in illum recessum, cùm justa esse nequeat pactio pecuniaria pro usu proprij Juris, ut ait Gobat *tr.* 10 *n.* 267. & Sporer *Theol. Sacramentalis p.* 4. *c.* 1. *n.* 236. juxta textum L. Suæ. 16. ff. De contrah. empt. ubi dicitur, *par non esse, ut quis rem suam emat.* Hinc multò magis, & à fortiore justa esse non potuit exactio pecuniæ, eò quòd Arialdus recesserit à Sponsalibus, quæ nulla fuerunt ob non impletam conditionem, à qua pendebant, ad quod agendum ipse plenissimum jus habuit; & consequenter non tenebatur quidquam solvere.

Sed neque ex alio capite, videlicet ratione damni, potuit Sponsa quidquam exigere; quia in primis damnum istud neque ostensum est, neque ostendi potest: deinde si quod damnum ipsa incurrit, justum non est, ut ille luat, qui causam damni non dedit, nullamque circa hoc culpam admisit, sed purè jus suum prosecutus est; verùm ijs hoc damnum debet imputari, qui conditionem non impleverunt, quam si purificâssent, Sponsalia conditionata transivissent in absoluta & nuptiæ secutæ fuissent. Multò justiorem causam habuit Arialdus exigendæ satisfactionis, & reparationis damnorum, quæ passus est ob neglectam interea alibi honorificam promotionem ex hac vana spe, & inani promissione; ob factas expensas in apparatum nuptiarum; ob ignominiosam denique confusionem, in quam immeritus conjectus est propter inhibitas nuptias cum Coleta, quarum inhibendarum ratio ostensa non est, nec ostendi potuit, secus enim non recusasset Mandatarius, qui inhibitionem à Parocho procuravit, comparere coram tribunali Ordinarij, ad quod, petente Arialdo, citatus fuit, ut causam suam diceret, & allegata probaret, à quo dum se subduxit, magnam sanè contra se, suamque causam, magnam verò pro innocentia

centia Arialdi concitavit præsumptionem juxta id, quod legimus c. 4. De Præsumpt. *Nullus dubitat, quòd ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum, ut absolvatur, qui est innocens, quærit: confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat.*

9. Minas autem à foro sæculari fuisse intentatas, si cum Coleta ausus fuisset contrahere nuptias, desertâ priore Sponsâ, æquè mirabile est, ac quòd petita sit satisfactio; scimus enim, causas Matrimoniales nullo modo spectare ad forum sæculare, idque ex ipso Tridentino Concilio discimus, quod Sess. 24. de Sacram. Matrim. Can. 12. ita ait: *si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Id quidem non negatur Judici sæculari, quòd possit cumulativè compellere injustè resilientem à Sponsalibus, etiam inflictione pœnæ, ubi culpa notoria est, ut tradunt Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 8. n. 6.* Sanch. *L. 1. disp. 29. n. 9.* Basilius Pontius, Guttierez, Gobat &c. At quando recessus à Sponsalibus nec manifestè injustus est, cùm culpa notoria non intercesserit, nec talis esse probatur; qualis culpa, & injustitia in casu nostro non intercessit, nec intercessisse unquam probatum est, ad forum sæculare non spectat, quia sic non agitur de facto, & executione Sponsalium, verùm de jure eorundem; hoc autem totum negotium privativè pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, excluso foro sæculari, causæ etenim Matrimoniales spiritualibus accensentur, unde in solo tribunali Ecclesiastico competens forum sortiuntur, ut constat ex *c. 10. caus. 35. q. 6. c. Tuæ 5. De Procurat.* quódque de alijs causis Ecclesiasticis quoad suam immunitatem dicitur, de ipsis quoque intelligendum est: constat verò alias causas Ecclesiasticas tractari non posse à Judice sæculari *c. 2. & 3. De Iudicijs*; hinc si ijsdem de facto se immiscuerit Judex sæcularis, docent Engl *de foro compet. n. 6.* & Martha *p. 2. de Iurisdict. c. 42. n. 2.* inhiberi eum posse à Judice Ecclesiastico etiam sub censuris, & pœna ex communicationis: ergo idem dicendum est de causis Matrimonialibus.

Ex istis verò omnibus concluditur, cùm priora Sponsalia sub conditione inita, eaque postmodum non impletâ, exspiraverint, & Arialdum nullo modo obligaverint, non potuisse ipsum impediri, quò minùs duceret Coletam: pari modo consequitur, non

 potuisse

potuisse ab illo peti ullam satisfactionem, quam Idabergæ præstaret, nec potuisse minis, vel duriore modo ad hoc adigi, cùm satisfactio injuriam, & pœna culpam supponat, quæ ubi commissa non est, similia exigi, & intentari sine injuria nequeunt.

PARS II.
DE
MATRIMONIO,
ET
IMPEDIMENTIS
EJUSDEM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARS SECUNDA.

De Matrimonio, & eiusdem impedimentis.

DISSERTATIO PROŒMIALIS.

De Natura, & Essentia Matrimonij.

POstquam ea tractavimus, quæ ad Sponsalia propriè accepta pertinent, per quæ veluti via sternitur ad Matrimonium, istius nunc explanationem aggredimur, circa quod notant communiter Doctores, in Jure quinque nominibus id appellari consuevisse; vocatur nempe *Sponsalia*, *connubium*, *nuptiæ*, *conjugium*, & *Matrimonium*. Et quidem Sponsalium nomine teste Covarr. *p.* 1. *de Matr. c.* 1. *n.* 6. & 7. non infrequenter à Jure appellatur Matrimonium, ut videre est *c. Conjuges. c. cùm desponsatam.* 27. *q.* 2 alijsque pluribus locis, eo quòd Matrimonium per Sponsionem, id est, per stipulationem, ut moris est, contrahatur per interrogationem, & responsionem *c. penult. De Sponsal.* eaque nuncupatione etiam sacræ literæ utuntur; in qua acceptione tamen intelliguntur Sponsalia de præsenti. *Connubium* dicitur quasi *à nubendo*, vel *velando*, nubere enim, vel obnubere, priscis velare, aut operire significabat, solitaque est mulier antiquissima consuetudine, quando

quando viro despondebatur, velo quopiam, quasi nube operiri conjugatorum more, ut se viro inferiorem, ac subditam meminisset, ut constat ex *c. Fœmina 30. q. 5. & seq.* ubi affertur exemplum Rebeccæ, quæ cùm Isaaco occurreret, inintelligens hunc esse, cui duceretur uxor, *caput suum obnubere cepit, docens, verecundiam nuptijs præire debere.* Simile quid adducit Basil. Pontius *L. 1. De Matr. c. 1. n. 3.* ex lib. Genesis c. 20., ubi cum Abimelech Saram, sororem Abrahæ esse existimans, sibi accepisset uxorem, & postea correptus à Domino, ejusdem uxorem esse agnovisset, eamque marito redderet, dixit: *ecce! mille argenteos dedi fratri tuo; hoc erit in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & quocunque perrexeris, memento te deprehensam*: incedebat quippe solutis crinibus more Virginum; quare ut non Virgo, sed uxor esse nosceretur, dedit ipsi ad emendum velamen, quo operiretur conjugatorum more, mille argenteos, ne alius sororem esse putans deciperetur. Quod connubium, id ipsum ex multorum expositione significant *nuptiæ*, nam apud Romanos olim mulier nupta, & obvoluta flammeo, id est, tecta velamine lutei coloris, ut est apud Plinium *L. 21. c. 8.* in domum mariti deducebatur; hinc (ait Zoësius *n. 1. ff. De Ritu nuptiarum*) nomen nuptiarum deductum est; ne verò hæreamus in sola antiquorum consuetudine, unamque vocem cum altera confundamus, cùm præsertim ista obvelatio nostris temporibus minùs jam usitata sit, præplacet dicere cum Perez disp. 13. de Matrim., *Nuptiæ* nomen Civile esse, & potiùs solemnitatem, celebritatemque contractûs conjugalis initi, in quocunque demum ea solemnitas sita sit, quàm ipsum conjugium, denotare.

Conjugium vocatur à conjunctione duorum, quòd duos sub eodem jugo Societatis conjungat. Denique omnium usitatissima appellatione dicitur *Matrimonium*, hac nuncupatione à Matre potiùs desumpta, quàm à Patre, quia cùm Matrimonium præcipuè spectet procreationem prolis, & generis humani propagationem, graviora onera in hoc subeunda sunt Matri, quàm Patri, cùm illa prolem in utero, & extra istum suâ substantiâ alat, estque ipsa prolis certa parens, tametsi vulgò conceperit. *L. 2. ff. De In Ius vocando*, cùm Pater non ita certus sit, unde etiam proles contrahit ex Matre conditionem servi, aut liberi secundùm regulam generalem: partus sequitur ventrem. *L. Partum. 7. C. De Rei vindicat.*

Matrimonium tot nominibus appellatum definiri solet communiter *Maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens*, quæ definitio desumitur ex utroque Jure, *c. Illud 11. §. verùm. De Præsumpt.* §.

Nuptiæ

Nuptiæ. Instit. De Patria potest. & *L. 1. ff. De Ritu nupt.* eamque passim omnes DD. admittunt.

Potest verò Matrimonium dupliciter accipi. 1. Sumitur pro ipso contractu, quo Sponsi sibi mutuò tradunt corporum dominium. 2. Pro vinculo proveniente ex tali contractu, & semper post ipsum contractum perseverante, atque huic posteriori acceptioni tradita definitio competit. Primo autem modo acceptum Matrimonium definitur à Coninck disp. 24. dub. 1. de Matrim. *Contractus, quo legitimæ personæ in sua corpora sibi mutuum dominium tradunt ad usum Matrimonij.* Ut verò conveniat Matrimonio non solùm, in quantum est contractus, sed etiam in quantum est Sacramentum, definiri potest cum Bonacina q. 2. pu. 1. n. 2. *Legitimus, & indissolubilis contractus inter virum, & fœminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas, & confertur gratia sanctificans.*

Porrò in quonam consistat vera essentia Matrimonij, magna apud AA. est disputatio, an ea sita sit potiùs in vinculo, an verò in contractu? Sanchez, Perez, Pirhing, & alij essentiam Matrimonij dicunt consistere non in contractu, qui est tantùm causa efficiens, & transit, postquam factus est, cùm tamen Matrimonium formaliter spectatum per modum statûs duret usque ad mortem alterius conjugis, sed consistere in ipso vinculo permanente, quo conjuges sunt inter se uniti, quod oritur ex mutuo consensu, & traditione.

Hæc disputatio fortè plùs est de nomine, quàm de re, cùm in Concilijs Florentino, & Tridentino nomen Matrimonij attribuatur & vinculo, & ipsi contractui, ut notat Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 1. n. 4.* & Perez *disp. 13. Sect. 1. n. 5.* Atque ipsum contractum dici Matrimonium, si Matrimonium accipiatur pro Sacramento, sive in quantum est Sacramentum, extra dubium est, quia nequit esse Sacramentum id, quod est permanens, nempe vinculum, sed id, quod transiens est, qualis est prædictus conjugum consensus per verba de præsenti, vel alia externa signa manifestatus, cùm omnes Theologi unicum agnoscant Eucharistiæ Sacramentum permanens, quare id, quod est formaliter, & essentialiter Matrimonium, non est Sacramentum, sed id, quod est causaliter Matrimonium; quo sensu loquitur Concil. Florentinum in Decreto Eugenij IV. *Causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Verùm cùm ista ad praxin parùm faciant, relinquamus ea Theologis speculativis.

In definitione superiùs data adhuc notanda sunt aliqua verba ibidem posita, ac 1. quidem dicitur

conjunctio

conjunctio viri, & fœminæ, ut exprimantur personæ conjungendæ, quæ debent esse legitimæ, hoc est, nullo impedimento adstrictæ. Additur *individuam vitæ societatem retinens*, ut exprimatur mutua cohabitatio, & indissolubilitas Matrimonij, in qua hoc ab alijs contractibus plurimum differt, qui mutuo consensu celebrati mutuo consensu dissolvuntur: non sic Matrimonium ex Divina institutione, tum in bonum prolium, tum ut conjunctio Christi cum Ecclesia significetur.

Expositâ hac ratione naturâ Matrimonij, aggredimur nunc ipsum opus, totamque hanc materiam methodo in prima parte observata dispertiemur iterum in sectiones, & quæstiones, in quibus examinabimus, quæ dispositio, & intentio in contrahentibus, qualisque consensus ad Matrimonium requiratur: deinde an aliquando dissolubile sit quoad vinculum: quæ ejus impedimenta tum impedientia, tum dirimentia. Addemus denique etiam tertiam partem, in qua agetur de divortio, seu dissolubilitate Matrimonij quoad thorum, ac de officijs, & obligationibus conjugum.

Sectio

SECTIO PRIMA.

De dispositione, intentione, & consensu requisito ad Matrimonium, & an dissolubile sit quoad vinculum?

§. I.

De dispositione ad Matrimonium,

QUÆSTIO PRIMA.

An ignorantes fidei rudimenta sint indispositi ad Matrimonium?

C A S U S

Rudium Sponsorum.

Rogatus à simplicio homine rusticano, ac subdito Maurilius Parochus, ut ex more Ecclesiæ publicæ denunciationes de se fierent, cùm constituerit celebrare nuptias cum Hilladia vicina sua, dum Sponsos hos experitur in rebus fidei, usque adeò

adeò rudes deprehendit, ut ipsam quoque orationem Dominicam, & salutationem Angelicam nesciverint; renuit proinde ipsos admittere ad Matrimonium.

Q. An possint arceri à Matrimonio, qui fidei rudimenta ignorant?

SYNOPSIS.

1. *Quænam oporteat Parochum quærere ex Sponsis ante nuptias?*
2. *Sciri necessariò debent alia necessitate medij, alia necessitate præcepti: quoad hæc ultima sæpiùs inveniuntur, qui rudes sint; rarò in prioribus.*
3. *Rudimenta fidei ignorantes absolutè à nuptijs arcendos esse, aliquorum assertio est.*
4. *Sed tenenda est Sententia opposita.*
5. *Arceri tamen possunt ad breve tempus, ut ista addiscant, & hoc consultum est.*

1. VAria sunt, quæ tum in diversis Ritualibus agenda præscribuntur Parochis, priusquam nuptias celebraturos in Ecclesia publicè denuncient, tum ab Authoribus ijsdem consuluntur, quorum aliqua non abs re erit huc adducere, quæ pro instructione Parochi annotavit P. Carolus Musart in suo Manuali Parochorum, recuso olim Monachij 1654. non addito Authoris nomine: Priusquam, inquit, Banna (ut vocant) sive ineunda inter certas personas Matrimonia, publicè denuncies, consultissimum est, ut vel ex ipsis, qui contrahere volunt, vel ex ijs, qui eorum causâ te adeunt, diligentiùs inquiras: 1. An voto castitatis non sint obstricti? contingit enim non rarò, ut adolescentes pueri, vel puellæ in prima ætate immatura, & imprudente, tamen sufficiente, ad castitatis votum profilierint,

lierint, unde à Matrimonio contrahendo impediantur; *nam in illis*, inquit Apostolus, *quæ voverunt castitatem, non solùm capessere nuptias, sed etiam nubere velle damnabile est*, vel quia non valet Matrimonium, si votum fuerit solemne; aut si simplex fuerit, saltem illicitum est contrahere, & conjugale debitum exigere ante dispensationem. 2. Interrogabis, an futuri Sponsi fidem alteri non dederint, qua adhuc teneantur? Alioquin perfidus est, qui fallit, & aliò amores suos transfert, atque nuptias, quas alteri jam est pollicitus. 3. Inquires, an Parentes consenserint? eorum enim est, prolibus consulere, præsertim in tam gravi negotio, ideoque licèt Matrimonium inscijs ipsis, vel invitis initum, valeat, nihilominus ijsdem rationabiliter repugnantibus illum vitæ statum eligere, magnæ irreverentiæ est, solentque inde oriri scandala &c. Hæc ille. Plura similia puncta enumerat Barbosa *p. 2. de Offic. & potest. Parochi c. 21.* & Rituale tum Romanum, tum Frisingense, quorum illud de Sacramento Matrimonij inter interroganda expressè addit: *utrùm sint in ætate legitima, ut vir saltem quatuordecim, mulier verò duodecim annos expleverit, & uterque sciat rudimenta fidei, cùm ea deinde filios suos docere debeant.* At Frisingense, postquam *c. 9. de Sacram. Matrim. §. 1.* enumeravit, quæ circa fidem specialiter interrogare debeat Parochus pro qualitate Personarum, nisi antecedenter ipsi constet, quòd Sponsi isthæc sciant, subjungit in fine: *Nullos autem Sponsos, antequam hæc discant, Matrimonio jungere præsumat, quos interea opportunè, & amanter sæpiùs instruat.*

2. Ex hoc enascitur modò dubium hujus casûs: An igitur à nuptijs arcendi sint, qui nesciunt fidei rudimenta? Circa quod suppono, ut aliunde notum, alia scitu esse necessaria necessitate medij, alia necessitate præcepti. Necessitate medij quisque adultus ratione utens tenetur explicitè scire, & credere, Deum esse, eumque esse renumeratorem, quipræmia justis, injustis verò pœnas redditurus sit, & ex probabili plurium Sententia, quamvis id alij non improbabiliter negent, eâdem necessitate scire debet, & credere, tres esse in Deitate personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Dei Filium esse incarnatum, seu hominem factum ad genus humanum passione sua, ac morte ab interitu redimendum. Necessitate autem præcepti tenetur quivis explicitè scire, ac credere substantiam eorum, quæ habentur in symbolo fidei; præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; orationem Dominicam, & Angelicam salutationem, item Sacramenta maximè necessaria, ut Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, reliqua autem tunc, quando ea vult suscipere, quæ omnia

nia Parochianos suos diligenter edocere debent Parochi, nam his præcipitur à Concilio Tridentino *Sess. 24. c. 4.* ut saltem Dominicis, & alijs festivis diebus pueros fidei rudimenta doceant, ad quod agendum cùm ab Episcopis compelli possint per censuras Ecclesiasticas, ut ibidem legitur, palam est, Parochos nimiùm negligentes in edocenda doctrina Christiana peccare mortaliter. Barbosa *p. 1. de off. & potest. Parochi*, Sà, *V. Parochus n. 5.*

Qui ea ignoret, quæ scitu necessaria sunt necessitate medij, ut nec quidem sciat, Deum existere, qui operum nostrorum remunerator futurus sit, censeo, vix aliquem reperiri in ijs, qui inter fideles nati, & educati sunt, cùm universim inter homines fieri vix possit, ut quis ignoret, Deum esse, unde S. Jo. Damascenus L. 7. de fide c. 1. ait: *notitia Dei omnibus à natura est insita, neque id aliquis ratione utens ignorare potest.* Qui verò cætera nesciant, quæ de præcepto sunt, quique in unitate Divinæ naturæ personarum Trinitatem, aut incarnationis mysterium minùs benè calleant, plures inveniuntur, atque de his procedit quæstio.

3. Igitur rerum istarum ignaros absolutè à contrahendis nuptijs arcendos esse, docent Barthol. à Ledesma *de Matrim. dub. 21.* Vega *L. 3. Summæ cas. 211.* apud Sanch *L. 3. disp. 15 n. 18.* cui Sententiæ etiam accedit Possevinus *c. 4. Praxis curæ pastoralis n. 12.* & Basil. Pontius *L. 5. c. 36. n. 8.*, ubi dicit, certum esse, ab Ordinarijs posse præcipi, ut repellantur ejusmodi Sponsi, donec similia discant, & pro hac opinione allegat Thomam Sanchez, qui tamen contrarium clarè docet. Moverunt Basilium verba Constitutionum Mediolanensium Tit. de Sponsal. c. 26. ubi hæc habentur: *Parochus, qui Sponsos experiundo viderit, doctrinæ Christianæ rudimenta planè ignorare, inconsulto Episcopo, ne Matrimonio illos antè conjungat, quàm ea ipsos cognoverit didicisse, quæ eo de genere illos planè scire oportet.*

4. At contra hos AA. dicendum cum memorato Sanchez *l. c.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 85.* Barbosa de *Offic. & potest. Episc. Alleg. 32. n. 173.* & *de Offic. & potest Parochi p. 2. c. 21. n. 3.* Jo. Sanch. *in selectis, disp. 28. n. 9.* Aloysio Riccio, & Jac. Pignatelli, absolutè, aut per longum tempus prohiberi non posse, nam prohibitio Matrimonij inducenda non est, nisi in casibus in jure expressis: at inter impedimenta Matrimonij, quæ notis illis versibus enumerantur *Error, conditio &c.* istud impedimentum non extat: ergo introduci non debet, cùm constituere impedimenta Matrimonij non solùm non ad Parochos, sed neque ad Episcopos spectet, nam causæ majores in signum privilegij specialis Apostolicæ Romanæ Sedi reservatæ sunt *c. Quod translationem. De Offic. Legati. c. Majores. De Baptismo.* Quænam autem sint ejusmodi

modi Majores causæ Sedi Apostolicæ reservatæ, indicat Laym. *to. 1. Iuris Can. in c. Cùm ex illo. 1. De translat. Episc.*, ubi ait, has esse: Fidei controversias authenticè definire; Episcopos transferre, deponere, renunciationes eorum admittere, Generale Concilium congregare, irregularitates, Matrimonij impedimenta statuere, in casibus reservatis dispensare, absolvere &c.

Quamvis autem istud, si ab Episcopis statueretur, non foret impedimentum dirimens, sed solùm impediens, ne hoc quidem ipsis licere in perpetuum, vel longum tempus, è diversis rescriptis ostendi potest; nam testis est Aloysius Riccius *in Praxi fori Ecclesiast. p. 1. resol. 586. n. 5.* Sacram Congregationem Cardinalium super negotia Episcoporum, & Regularium bis, atque iterum, videlicet Anno 1588. 6. Martij. 1589. 28. Augusti, & 1590. 26. Augusti inhibuisse Episcopis Gallipolensi, & Cavensi, ne prohiberent Matrimonia doctrinam Christianam ignorantibus, dum ea volunt contrahere: idemque rescripsit eadem Congregatio 4. Octob. 1588. Episcopo Aquinatensi apud Jacobum Pignatellum *to. 9. Consult. 133. n. 92.* Crediderim nihilominus, etiam sacram hanc Congregationem non admissuram fuisse ad Sacramentum Matrimonij, qui ea quoque ignorant, quæ scire nos oportet necessitate medij, sunt enim hoc modo ad Sacramentum indispositi, cùm fide careant, *sine qua impossibile est placere Deo Hebr. 11.* quia autem, ut diximus, vix reperire est hominem Christianum usu rationis præditum, qui nescius sit saltem eorum, quæ posterior Sententia pro necessarijs habet necessitate medij, & ignoret, Deum esse, eumque operum nostrorum esse remuneratorem; imò, qui nesciat, aut breviter edoceri nequeat, ut saltem quoad substantiam confusè cætera quoque sciat, credatque, nimirum quòd Deus sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus; hæ autem tres personæ non sint tres Dij, sed unus Deus, quodque Filius factus sit homo, humanumque genus per passionem, ac mortem suam redemerit ab æterna damnatione, hinc sermo potissimùm est de ijs rudibus, qui nesciunt alia mysteria in symbolo Apostolorum contenta, quique ignorant præcepta Decalogi & Ecclesiæ, orationem Dominicam, & Angelicam, ac similia, quæ pro suo statu ex necessitate præcepti quisque fidelium scire tenetur, quocirca à pluribus formatur quæstio hoc modo: an ignorantibus Pater noster, & Ave Maria, symbolum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, ac septem peccata capitalia &c Matrimonium interdici debeat? & à citatis AA. negatur, tales esse à nuptijs arcendos.

5. Nihilominus addunt communiter etiam isti AA. expedire, suaviter, absque vi, bono modo, & prudente ratione eosdem impedire ad

ad breve tempus, ut sic doctrinæ Christianæ addiscendæ curam habeant; & ubi majore quodam rigore opus esse Parochus judicaverit, uti denique poterit admonitionibus quibusdam comminatorijs, se non antè ad tertiam denunciationem progressurum, quàm illa ab ipsis rectè memoriâ teneri, & intelligi perspexerit, ut his ipsis verbis exprimit in Archi-Episcopali Bononiensi *p. 3. de Sacram. Matrim.* Cardinalis Palæottus; nec aliter intelligenda sunt verba Constitutionis Mediolanensis: penitus autem arcere, aut longo tempore differre neutiquam debet, si ipsi instent, & urgeant, etiamsi ex magna negligentia, atque ideo non sine peccato gravi hæc ignorent, & ex hoc capite ad Sacramentum malè sint dispositi, ut colligitur ex S. Thoma 2. 2. *q.* 65. *art.* 3. *ad* 3. ubi ait, licere privato detinere aliquem ad horam, ne malum aliquod perpetret, non tamen licere eum simpliciter detinere, & ex *c. Significasti. De eo, qui duxit in Matrim. &c.* docent Riccius *l. c. n.* 6. Covarr. *p.* 2. *de Matr. c.* 6. *n.* 3. Gonzal. *in cit. c. Significasti n.* 2. Gibalinus *de Censuris disquisit.* 7. *q.* 1. *consectario* 33. excommunicatum prohiberi non posse, ne Matrimonium contrahat: igitur multò minùs, qui rudimenta fidei ignorat.

De hac Sententia ita à nobis explicata Diana l. c. ita loquitur: *hæc opinio apud me certa est, & contrariam non puto probabilem, quod valde notandum est à Parochis, & eorum Capellanis, nam hic casus frequenter potest occurrere.* Sanchez quoque advertit, in ejusmodi rudibus non multùm curandum esse de peccatis capitalibus, ut sciant, quia quandoque nocet, ipsos ea doceri, putant enim, quamcunque superbiam, gulam &c. esse peccata lethalia, & sæpè ex conscientia hac erronea mortaliter delinquunt.

Quæstio

QUÆSTIO SECUNDA.

Quantùm noceat Matrimonium contrahentibus indispositio ex parte animæ, sive status peccati?

CASUS

Contrahentium in statu peccati mortalis.

Adalbertus, & Euphronia, præmissis solitis denunciationibus, Matrimonium publicè contraxerunt in facie Ecclesiæ, sed dum hoc actum est, uterque extitit in peccato mortali.

Q. Quot peccata commiserint sic contrahendo?

SYNOPSIS.

1. *Matrimonium est verè, ac propriè dictum Sacramentum ex communi Ecclesiæ sensu.*
2. *Definitur id etiam à Concilio Tridentino.*

3. *Negant*

3. *Negant tamen aliqui, Sacramentum esse, quando contrahitur per Procuratorem.*
4. *Sed affirmativa Sententia tenenda est.*
5. *Rijciuntur argumenta opposita.*
6. *Quæ sit materia, & forma Sacramenti Matrimonij?*
7. *Quis Minister?*
8. *Reijcitur opinio Melchioris Cani.*
9. *Peccant mortaliter conjuges in statu peccati mortalis contrahentes, quia indignè recipiunt Sacramentum; in procuratore tamen non requiritur status gratiæ.*
10. *An etiam peccent novo, ac speciali peccato, in quantum sunt ministri hujus Sacramenti, idq; indignè administrant, duplex est Sententia. Affirmant multi valde probabiliter.*
11. *Non minùs probabile est, sic contrahentes non duplex, sed unum peccatum committere.*
12. *Solvuntur fundamenta Adversæ Partis.*
13. *Qualis sufficiat intentio in conjugibus, in quantum & suscipiunt, & & conficiunt hoc Sacramentum?*

1. VT ordinatè progrediamur ad præsentis casûs decisionem, priùs examinandum est, an Matrimonium sit Sacramentum, & quis illius Minister? ita patebit, pluráne, an unum tantùm peccatum commiserint dicti conjuges?

Matrimonium Sacramentum esse cum plurimis antiquis, quos citat Bellarminus *L. 1. de Matr. c. 1.* negant etiam nostri temporis hæretici Lutherus, & Calvinus cum suis assecis, quorum frivolas rationes refellere ad Polemicos attinet. His ex Catholicis secundùm partem accedit Durandus in 4. dist. 26. q. 3. cum aliquot Canonistis, qui licèt dicat, hæresin manifestam esse, negare, quòd Matrimonium sit Sacramentum, affirmat tamen, esse solùm æquivocè Sacramentum in comparatione cum alijs sex, eò quòd gratiam non conferat suscipientibus, ut reliqua, atque ita non sit signum gratiæ suscipientes sanctificantis, quem-

quemadmodum definitur Sacramentum Ecclesiæ, sed esse Sacramentum, hoc est, symbolum alicujus rei sacræ, videlicet conjunctionis Christi cum Ecclesia, pro qua opinione fundamenta affert, quæ nullius roboris sunt, & fusè refutantur à Vasq. *disp. 2. de Matr. c. 9. & 10.*

Dicendum. Matrimonium contractum inter fideles, seu baptizatos est verè, ac propriè dictum Sacramentum novæ Legis à Christo institutum. Dico *inter fideles, seu baptizatos*, quamquam enim Matrimonium infidelium civilis quidam contractus sit, ijsdem licitus, cùm sit in officium, seu propagationem, & conservationem naturæ, & in remedium concupiscentiæ, nihilominus Sacramentum propriè dictum non est, quia cum baptismus sit janua, & necessaria dispositio ex institutione Divina ad reliqua Sacramenta suscipienda, nequit, qui baptizatus non est, Sacramentum Matrimonij suscipere, tametsi in Matrimonium copuletur. An verò Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatam Sacramentum sit, item an Matrimonium infidelium, quando postea baptizantur, fiat verum Sacramentum, minùs ad praxin, & hunc locum pertinet, de quibus quæstionibus videri possunt Coninck *disp. 24. dub. 2.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 2.* Palao, Laym.

Conclusionem nostram multi probant ex textu Divi Pauli ad Ephes. 5. ubi Apostolus, ut suadeat viris diligere uxores suas tanquam carnem propriam, adducit illa verba, quæ Adam Gen. 2. pronunciavit in Paradyso, dicens: *propter hoc relinquet homo patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, subjungit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesia*; quia autem textus iste varias interpretationes patitur, quòd Matrimonium verè ac propriè dictum Sacramentum sit, censeo cum Perez *disp. 19. de Matr. Sect. 1. n. 2.* efficaciùs probari ex communi consensu Universalis Ecclesiæ tam Græcæ, quàm Latinæ, quæ in Concilio Florentino sine contradictione definivit, Matrimonium esse verum Legis novæ Sacramentum; id enim definitum fuit ab Eugenio IV. in dicto Concilio, nam in Decreto fidei pro Græcis, & Armenis, quod est post ultimam Sessionem, inter Ecclesiæ Sacramenta, quæ dixit esse signa gratiæ, & illam continere, atque conferre, Matrimonium numeravit. Idem definivit Lucius III. in *c. Ad abolendam. De Hæreticis*, ubi præcipit, tanquam verè hæreticos puniri eos, qui de Sacramento corporis, & sanguinis Domini JESU Christi, vel de Baptismate, seu peccatorum confessione, *Matrimonio*, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentiunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia, connumerans enim Marrimonium inter reliqua Sacramenta, planè

planè indicavit, hunc esse sensum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac proinde eos, qui sentiunt, Matrimonium non esse Sacramentum, manifestè errare.

2. Hoc ipsum clarissimis verbis definivit Concilium Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum, aliosque hæreticos Sess. 7. Can. 1. de Sacram. in genere: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.* Quòd autem conferat gratiam, iterum definitur ead. Sess. Can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ea ritè suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* & can 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Denique Sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Utrumque igitur de fide est, & firmiter tenendum, Matrimonium verè, & propriè Sacramentum esse, & conferre gratiam ex opere operato.

3. Etsi verò nunc manifestè pateat, Matrimonium baptizatorum verum, ac propriè dictum Sacramentum esse, dubitatur tamen etiamnum, an Matrimonium fidelium per nuntium, vel epistolam, aut procuratorem celebratum sit verum Sacramentum? Sunt enim, qui dicunt, quamvis per procuratorem, vel epistolam inter absentes celebrari possit verum Matrimonium, consistens in contractu naturali, & civili, negant tamen, ejusmodi Matrimonium esse Sacramentum: ita post Cajetanum docent Canus *L. 8. de locis Theologicis c. 5.* & quidem ita fortiter, ut asserat, non intelligere, qui dicunt Cajetanum errâsse, eosque arguat stultitiæ. Victoria *in Summa n. 244. de Matrim.* Durandus, alijque plures apud Sanch. *L. 2. de Matr. disp. 11. n. 26.* Hanc ipsam Sententiam, etsi non sequantur, probabilem judicant Rebellus, *De oblig. Iust p. 2. L. 2. q. 5. conclus. 2.* Petrus Ledesma *q. 42 de Matr. art. 1. difficult. 7. conclus. 1.* Potissimæ rationes sunt istæ. 1. Quia Pœnitentia requirit præsentiam ad absolvendum, cùm in ejus forma dicatur: *ego te absolvo*: at in Matrimonio quoque dicitur: *ego te accipio in conjugem*: ergo etiam Matrimonium requirit præsentiam contrahentium. 2. Quia effectio Sacramenti est actus personalis, ut in alijs Sacramentis:

 patet

patet: ergo Matrimonium celebratum per alterum non est propriè Sacramentum. 3. Quia aliàs dormiens posset recipere gratiam, si ipso dormiente, & existente in gratia fieret Matrimonium à suo Procuratore, quod esset Sacramentum.

4. Verùm communior Sententia, eaque verissima, affirmat, Matrimonium per procuratorem, nuntium, vel epistolam celebratum à baptizatis verum Sacramentum esse. Ita docent Palao *disp. 2 de Sponsal. pu. 2. n. 8.* Sanch. *L. 2. disp. 11. n. 27.* Præpos. *q. 2 de Matr. dub. 9. & 10.* Hurtad. *disp 3. difficult. 17. n. 66.* Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 17.* Perez *disp 19. Sect. 13. n. 2.* Coninck *disp. 24. n. 23.* Tamb. *tract. 5. de Matr. c. 3.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 5. n. 3.* Pontius *l. 1 c 10.* Sporer *Theol. Sacramental p. 4. c. 1. Sect 4. n 349.* Navarr. Covarr. Pirhing Henriq. Valentia, Mendo, Gobat &c. Ratio est, quia Christus Dominus naturam contractûs in Matrimonio non immutavit, sed verum, & legitimum contractum ad esse Sacramenti elevavit: atqui per procuratorem habetur verus contractus Matrimonij: ergo verum Sacramentum constituit. Deinde Concilium Florentinum, & Tridentinum absolutè, & absque limitatione definiunt, Matrimonium baptizatorum esse Sacramentum: sed Matrimonium per procuratorem, vel per nuntium, aut epistolam celebratum est verum, & legitimum: ergo est Sacramentum. Rursum quando lis agitur de valore istius contractûs, hanc causam non Judex sæcularis, sed Ecclesiasticus cognoscit: at si hujusmodi Matrimonium non esset Sacramentum, sed solùm civilis quidam contractus, nulla esset ratio, ob quam ad judicem sæcularem ejus cognitio non pertineret: ergo signum est, Ecclesiam unanimi consensu sentire, tale Matrimonium esse verum Sacramentum. Denique probat experientia, quamplurimi enim absentes, præsertim magni Principes, contrahunt Matrimonium per procuratorem, quin illud iteretur, quando præsentes sunt, nam solùm adduntur benedictiones nuptiales, quæ ad essentiam Matrimonij non pertinent, sed ad solemnitatem: si autem vera esset opinio contraria, hi omnes conjugerentur sibi per Matrimonium, quin susciperent Sacramentum, quod fieri Ecclesia profectò non permitteret: conjunguntur igitur per Matrimonium, quod verè Sacramentum est. Interim tamen consultum est juxta Sanch. & Perez, ut contrahentes per Procuratorem postmodum ipsimet in præsentia Matrimonium iterum ineant, sive contractum istum ratificent, ad tollendos scrupulos, cùm alij quoque contractus sæpiùs iterari, & renovari possint.

5. Rationes in contrarium Palao appellat levissimas, & Dicastillo nullius momenti. Ad primam conceditur

ceditur Antecedens, & negatur consequentia, & paritas inter verba absolutionis, & inter verba contractûs Matrimonialis, nam verba Absolutionis ex institutione Christi determinatè necessaria sunt, & ad eorum veritatem requiritur præsentia, ut patet ex definitione Clementis VIII. in Constitutione edita die 20. Julij 1602. ubi damnavit hanc propositionem: *licet per literas, seu per internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, quam Sententiam publicè, vel privatim docere, aut defendere ut probabilem prohibuit sub excommunicatione latæ Sententiæ Pontifici reservata. At verò in Sacramento Matrimonij, quod fundatur in contractu valido, verba illa: *ego te accipio in conjugem*, non sunt determinatè requisita, sed sufficiunt quæcunque alia, non solùm verba, sed & signa, quibus confici potest validus, & legitimus contractus; quia igitur validus, & legitimus contractus haberi potest per nuntium, vel procuratorem, per hunc quoque haberi potest Matrimonij Sacramentum.

Ad alteram pariter respondetur, habere quidem cætera Sacramenta ex institutione Christi, quòd sint actiones personales; non verò actionem, qua fit Matrimonium, quia hoc Sacramentum instituit in solo contractu, cujus actiones non ita sunt personales, ut non possint fieri per procuratorem, aut per literas.

Ad tertiam respondeo, non esse inconveniens, quòd dormiens, si nullus obex adest, recipiat gratiam, quia id ipsum contingit, dum quis in infirmitate dormiens, aut in phrenesi positus extremùm inungitur.

6. Postquam stabilivimus, Matrimonium verè, ac propriè esse Sacramentum, simul verò aliunde nobis constat ex Decreto fidei Eugenij IV. omnia Sacramenta tribus perfici, nempe materiâ, formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, hæc tria modò investiganda sunt in Matrimonij Sacramento; & quidem quod ad materiam, formamque attinet, in primæ Partis procemiali dissertatione dictum est, materiam remotam esse ipsa corpora contrahentium, proximam verò mutuam corporum traditionem, verbis, vel alijs signis expressam, formam denique mutuam acceptationem, iterum verbis, vel alijs signis expressam. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 1. *n.* 10. *& seqq.* Bonac. *Q.* 2. *pu.* 4. *n.* 4. Sanch, Pirh. Henriq. &c. Ratio est, quia id dicitur materia in aliquo contractu, quod habet rationem indeterminati, & imperfecti, illud verò est tanquam forma, quod habet rationem determinantis, & perficientis, formæ etenim proprium est determinare ma-

materiam, eamque perficere: atqui traditio corporum, verbis vel alijs signis expressa, est etiamnum aliquid imperfectum, & indeterminatum, donec adveniat acceptatio, quæ est forma, nam potest traditio ista fieri ob multos fines, v. g. ob servitutem, ob aliquam societatem &c. per acceptationem autem determinatur ad usum Matrimonij: ergo traditio habet rationem matetiæ, ipsa autem acceptatio rationem formæ, cujus est materiam indifferentem determinare, atque ita traditio vocari potest res, acceptatio autem verba vel absolutè, vel æquivalenter, ita ut etiam Matrimonium, sicut reliqua Sacramenta, constet rebus, & verbis.

7. De Ministro, quamvis aliter olim aliqui senserint, certa nunc, & communis omnium Sententia est, ipsos contrahentes, seu conjuges esse Ministros hujus Sacramenti, non verò Parochum. Ratio est, quia ille propriè est Minister Sacramenti, qui materiam & formam Sacramenti apponit: at soli contrahentes apponunt materiam, & formam Sacramenti Matrimonij, quia exprimunt mutuum consensum de suorum corporum traditione, & acceptatione, in quibus dictum est, materiam, & formam Matrimonij consistere: ergo &c.

8. Hinc audiendus non est Canus, qui loco supra citato contendit, Ministrum Matrimonij, quatenus hoc est Sacramentum, esse Sacerdotem, sive Parochum, formam verò esse verba ab eodem prolata: *ego vos conjungo &c.* quæ dicere jubetur Parochus à Concilio Trident. *Sess. 24. c. 1. de reform. Matr.* quæ falsa forent, nisi ipse tanquam Minister eos conjungeret, consequenter proinde affirmat hic Author, ante Tridentinum clandestinè, & sine præsentia Parochi celebratum Matrimonium fuisse quidem legitimum, non tamen fuisse Sacramentum, quia Sacramenti necessarius Minister deerat, qui debet esse Sacer, eùm actio Sacramentalis sacra sit: ergo Ministrum sacrum, & formam sacram petit, ne contractus purè civilis, & profanus sit.

Sed certè, Matrimonia clandestina, seu absque Parocho celebrata, non solùm contractum aliquem civilem, sed verè Sacramentum fuisse, ex ipso Tridentino ostendi potest *citato c.* 1. id enim Matrimonia, quæ ante Tridentinum fuerunt sine Parocho celebrata, definit, vera Matrimonia, & rata esse, damnatque anathemate, si quis ausus fuisset hoc negare: ergo definit etiam, ea verum fuisse Sacramentum, quia quoties Tridentinum loquitur de Matrimonio, non aliud intelligit Matrimonium, quàm quod est Sacramentum: dum igitur ait, hoc verum, & ratum esse Matrimonium, vult dicere, esse Sacramentum. Quod ex eo confirmatur, quia etiam ante Concilium Tridentinum de

de Matrimonijs clandestinis cognoscebat Ecclesia: ergo erant Sacramentum, si enim fuissent civiles solummodo, & profani contractus, Judex sæcularis de ijsdem cognoscere potuisset.

Ad illud, quod ait, actionem Sacramentalem debere esse sacram, Respondeo, hoc non probare, ministrum quoque debere esse sacrum; nam sacra vocatur actio Sacramentalis, quia per eam conficitur Sacramentum, & causatur gratia sanctificans, non verò quia procedit à Ministro consecrato, aliàs baptismus collatus à laico non esset Sacramentum, cùm laicus ad baptizandum consecratus non sit. Denique verba à Parocho prolata nec præscribuntur determinatè à Tridentino, neque sunt forma Sacramenti, nec eum probant esse Ministrum, quia subsisteret Sacramentum, tametsi Parochus assistens verba nulla proferret, vel etiam positivè contradiceret. Barbosa *p. 2. de Offic. & potest Parochi c. 21. n. 46. & seqq.* Tamb. *tr. 6. de Matr. c. 2. §. 3.* Gobat. *tr. 9. cas. 18. n. 506. & tr. 10. n. 396.* nec aliud significant ea verba, quàm *ego declaro vos conjunctos*, vel *approbo conjunctionem vestram*, ut manifestum est ex alijs ritualibus, nam Frinsingense nostrum dicenda à Parocho ita proponit: Matrimonium in facie Ecclesiæ inter vos contractum Deus confirmet, & authoritate Ecclesiæ Dei ego illud approbo, perficio, atque sollennizo in nomine Patris &c.

9. His ita declaratis, facilis nunc est solutio nostri casûs; ac primò quidem certum est, dictos conjuges in statu peccati mortalis Matrimonium contrahentes peccasse mortaliter. Ratio est, quia Matrimonium est verè ac propriè Sacramentum novæ Legis, conferens gratiam, ex ijs, quæ dicimus Sacramenta vivorum: atqui suscipere aliquod Sacramentum vivorum in lethali peccato est grave peccatum Sacrilegij ob grandem irreverentiam Sacramento illatam, sic enim ponitur obex gratiæ, & Sacramenta vivorum requirunt, ac supponunt, suscipientem jam esse in statu gratiæ, ut illam augeant: ergo Matrimonium contrahentes in peccato lethali, peccant lethaliter: est hæc conclusio communis. Hinc est, quòd tam solicitè conjuges hortetur Concilium Tridentinum *Sess. 24. de reform. Matr. c. 1.* ut, antequam contrahant, peccata sua diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant, quo tamen loco Confessio Sacramentalis non ex præcepto præscribitur, sed quia Concilium utitur verbo *hortatur*, duntaxat est consilium, ut contrahentes sic tutiùs necessariam dispositionem ad gratiam consequantur, prout rectè advertunt Rebellus *p. 2. L. 2. q. 7. n. 1.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 172.*

n. 172. & Perez disp. 19. Sect. 8. n. 1. tenentur nihilominus sub mortali se per contritionem ad hoc Sacramentum dignè, & fructuosè recipiendum præparare.

Quòd si contractus fiat per procuratorem, non peccat procurator, si, quando contrahit, peccato lethali affectus sit, quia non ipse recipit Sacramentum, dum alieno nomine agit, sed ille, à quo missus est, unde mittens procuratorem tenetur eo tempore esse in statu gratiæ, quo verisimile est, fore, ut procurator ipsius nomine contrahat, ne Sacramentum vivorum in peccato mortali suscipiat. Sanch. L. 2. disp. 11. n. 29. & seqq. Tamb. l. c. c. 3. n. 3. Coninck, Dicastillo &c.

10. Cæterùm an, sicuti peccant mortaliter conjuges, dum in peccato mortali contrahunt Matrimonium, atque ita indignè Sacramentum suscipiunt ponendo obicem gratiæ, ita similiter novum, ac diversum, adeoque duplex peccatum committant, dum idem Sacramentum in statu peccati mortalis administrant, magna controversia est. Peccare mortaliter etiam ex eo, quòd indignè ministrent, adeoque duplicis peccati reos fieri, in quantum suscipientes sunt huius Sacramenti, & in quantum Ministri, docent Card. de Lugo disp. 8. de Sacramentis in communi n. 150. Navarr. in c. 1. §. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. n. 10. Palao tr. 18. disp. unic. de Sacram. in communi pu. 5. n. 11. Vasq. in 3. p. disp. 136. c. 3. n. 38. Basilius Pontius L. 1. c. 8. n. 11. Dicastillo de Sacram. in communi disp. 3. n. 221. Arriaga de Sacram. in genere disp. 20. n. 4. Hurtad. disp. 3. de Matr. difficult. 22. n. 84. Perez disp. 19. Sect. 8. n. 3. & novissimè Gormaz disp. 3. de Sacram. Sect. 3 n. 144. alijque, tum quia Christo gravis injuria fit, si hujus inimicus merita illius sibi sumit dispensanda, tum quia Sancta, qualia in primis sunt Sacramenta, sanctè sunt tractanda: ergo irreverentiam gravem contra illa committit, qui eadem peccato mortali fœdatus administrat, adeoque duplex peccatum admittit non minùs, ac Sacerdos dupliciter peccat, quando in statu peccati sacrificat, & quia indignè suscipit, & quia indignè conficit Sacramentum.

11. Contrariam Sententiam ut probabilem defendunt, nec nisi unicum peccatum mortale committere conjuges in peccato lethali contrahentes, quatenus scilicet Sacramentum Matrimonij in statu peccati suscipiunt, non verò quatenus illud in eodem administrant, docent Authores non pauciores, nec minùs classici Sanch. L. 2. de Matr. disp. 6. n. 4. Laym. L. 5. tr. 1. c. 5. n. 9. Suarez in 3. p. q. 65. disp. 16. Sect. 4. Coninck q. 64. de Sacram. art. 6. dub. 1. n. 38. Bonac. disp. 1. de Sacramentis q. 3. pu. 2. §. 1. n. 9. Præpos. de Sacram. in genere q. 64. n. 36.

Tannerus

Tannerus *to. 4. disp. 8. de Matr. q. 3. dub. 1. n. 9.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 172.* Filliuc *tr. 1. c. 6. n. 87.* Sporer *Theol. Sacrament. p. 4. c. 1. n. 355.* Burghaber *Cent. 2. Select. Casuum cas. 95.* Illsung *disp. 1. de Sacram. in genere n. 42.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 199.* Tamb. Rebellus, Henriq. &c. Non tamen negaverim, Sententiam priorem valde probabilem esse, quam etiam Suar. Sanch. & Tambur. talem esse fatentur.

Ratio verò istius conclusionis est, quia conjuges non agunt tanquam Ministri specialiter ad hunc actum consecrati: ergo æquè parùm peccant, quàm Sacerdos, qui in casu necessitatis, quo id etiam à laico fieri potest, sine solemnitate baptizat, quem passim docent, nullum in hoc peccatum committere, cùm hîc non operetur ex officio, & tanquam specialiter ad hoc consecratus.

12. Verùm istam responsionem contrariæ Sententiæ Patroni non admittunt, nam dicunt, non ideo peccare graviter, quòd consecratione abutantur, aliàs peccaret graviter etiam Episcopus in consecratione chrismatis, vel aræ, in benedictione corporalium &c. Diaconus, dum ministrat ad aram, vel canit Evangelium, quia ad hæc sunt consecrati ministri, & abutuntur consecratione, quos tamen passim asserunt Authores, non peccare mortaliter, sed ideo peccant graviter conjuges, quia in statu peccati mortalis Sacramentum ministrant, adeoque actionem sacratissimam, & collativam gratiæ, quæ multò majorem reverentiam exigit, quàm supra recensitæ, indignè exercent, & neque Deo authori Sanctitatis, cujus tunc ut ministri vicet agunt, nec Sacramento, quod est causa gratiæ, conformes sunt, in cujus collatione sunt Dei quodam modo instrumentum; inter instrumentum verò, & causam principalem debet esse conformitas. Præterea licèt ad ministrandum hoc Sacramentum specialiter consecrati non sint, sunt tamen ad hoc ex Christi peculiari institutione deputati, qui eo ipso, quòd voluit ministros contractûs simul esse ministros ordinarios Sacramenti, censetur illos ad hoc ministrandum specialiter deputâsse.

Contra est. Licèt obligatio sanctè tractandi, & ministrandi Sacramenta oriatur ex ipsa dignitate ministerij, & sanctitate Sacramenti, non tamen idem reverentiæ modus erga Sacramentum ab omnibus exigitur, qui illud administrant, sed ab unoquoque juxta capacitatem, & statum suum, nec est ad hoc æqualis obligatio respectu cujuscunque, sed tantùm respectu illius, qui ad hoc munus consecratus est, vel saltem specialiter, ac principaliter deputatus: conjuges autem non solùm non sunt consecrati, sed nec primariò, ac principaliter deputati Ministri

hujus

hujus Sacramenti, sed quasi ex consequenti, ac ex necessitate quadam, & per accidens; quia nempe ex voluntate Christi oportet materiam, & formam Sacramenti in ipsomet contractu constitui; contractus autem fieri nequit, nisi per consensus expressos ipsorum contrahentium, consequenter, qui contrahunt, simul sunt Ministri: dum igitur in statu peccati volunt contrahere, primariò, ac principaliter intendunt suscipere Sacramentum, administrationem autem solùm consequenter, & per accidens, proinde peccant quidem ponendo obicem gratiæ, dum Sacramentum indignè recipiunt, non tamen propriè, in quantum illud ministrant, & sic probabiliter non nisi unum peccatum committunt.

Quæ dicta sunt, dubium non admittunt in procuratore, nam hic, dum loco alterius contrahit, Sacramentum neque suscipit, neque conficit: ergo non peccat, dum istud agit in statu peccati. Sed neque peccat lethaliter Parochus, dum Matrimonio assistit in peccato lethali, quia non est Minister, nec conficit ipse Sacramentum; quòd verò in statu peccati mortalis solemnem nuptiarum benedictionem celebret, mortale non est, quia ea benedictio non est Sacramentum, sed Sacramentale, nisi tamen prædictæ benedictiones fierent in sacrificio Missæ, tunc enim peccaret mortaliter in statu peccati sacrificando.

13. Pro coronide adhuc respondendum est ad aliquod dubium, quod circa conjuges oriri potest; nam si illi, dum contrahunt, simul recipiunt, & tanquam Ministri conficiunt Sacramentum, debebunt ij talem habere intentionem, quæ ad utrumque se extendat, qua nempe velint & recipere, & conficere Sacramentum; at sanè paucissimi sunt, qui istas intentiones habeant, cùm plurimi nec quidem sciant, se esse Ministros Sacramenti, vel certè de eo non cogitent.

℟. Sufficere ad utrumque, quòd generatim intendant contrahere Matrimonium eo modo, quo in Ecclesia Dei contrahitur, & facere id, quod alij fideles faciunt, hoc ipso enim censentur implicitè intendere hoc Sacramentum non solùm suscipere, sed etiam conficere. Sporer, Platelius p. 5. c. 7. §. 4. n. 1101.

§. II.

§. II.

De Intentione, & fine, quem contrahentes habere debent in Matrimonio.

QUÆSTIO PRIMA.

An per intentionem contrahentium ratio Sacramenti separari possit à contractu Matrimonij?

CASUS

Negantium, Matrimonium esse Sacramentum.

Augerius Vir Catholicus Pandulfo, & Hortensiæ in hæresi Lutherana natis, & educatis, nuptias cras celebraturis fortunatum precatur Matrimonium, & copiosam hujus Sacramenti gratiam, & benedictionem. Hi grates quidem pro isthac adprecatione agunt, malè tamen eos habet, quòd Matrimonium appellaverit Sacramentum, cùm istud doctrinæ Lutheri adversetur, atque ideo apertè protestantur, nihil se velle habere negotij cum Papistico Sacramento in meditato suo Matrimonio.

Q. An hi, vel alij quicunque contrahere possint verum Matrimonium, quòd non sit Sacramentum?

SYNOPSIS.

1. *Habens intentionem conficiendi, & recipiendi Sacramentum, sed non celebrandi contractum, nihil efficit.*
2. *Catholici Matrimonium contrahentes, ordinariè volunt efficere, & recipere Sacramentum; imò etiam Acatholici, etsi contrarium protestentur.*
3. *Separantes rationem Sacramenti à contractu, seu intendentes contrahere Matrimonium, quin velint efficere, & suscipere, Sacramentum, illicitè agunt, & mortaliter peccant.*
4. *An verò tale Matrimonium validum sit in ratione contractûs, duplex est Sententia. Proponitur negativa.*
5. *Affirmativa est probabilior.*
6. *Respondetur ad argumenta contrariæ opinionis.*

1. Onnectitur hic casus cum præcedente; cùm enim in illo ostensum sit, Ministros Sacramenti Matrimonij esse ipsosmet contrahentes, ad omnia verò Sacramenta conficienda, ut habetur ex definitione Eugenij IV. necessariò requiri intentionem Ministri, dubium hujus nostri casûs in eo versatur, an, si contrahentes non habeant intentionem conficiendi, aut recipiendi Sacramentum, velint tamen, atque intendant contrahere Matrimonium, hoc saltem valeat in ratione contractûs, licèt ex defectu intentionis non sit Sacramentum, adeoque an separari possit ratio Sacramenti à contractu Matrimonij?

Ad controversiam hanc decidendam præmitto tanquam certum. 1. Confici, aut recipi non posse Sacramentum Matrimonij absque eo, quòd fiat etiam verus, ac legitimus contractus, consequenter si quis intenderet quidem conficere Sacramentum, sed nollet facere contractum, is nihil prorsus efficeret, nullumque foret

foret hoc Matrimonium, sive contractum spectes, sive Sacramentum. Ratio manifesta est, quia intentio illa non faciendi contractum, destruit materiam, & formam Sacramenti, quæ in ipso contractu consistunt, ut vidimus in casu præcedente: at sine materia, & forma Sacramentum dari nequit, nec potest existere Matrimonium, quod contractus non sit: ergo habens intentionem conficiendi quidem Sacramentum, sed nolens celebrare contractum, omnino nihil efficit, & non solùm non contrahit Matrimonium, sed neque conficit, aut recipit Sacramentum propter defectum materiæ, & formæ, quæ in contractu consistunt.

2. Certum est 1. Catholicos, dum Matrimonium contrahunt, ordinariè non velle præcisè celebrare contractum, sed velle simul suscipere Sacramentum, adeoque unum ab altero non separare; nam optimè norunt ex Catechismo, quòd Matrimonium sit Sacramentum, monenturque etiam à Parochis, ut ad dignè, & fructuosè recipiendum hoc Sacramentum, præmissa peccatorum confessione se præparent, ac disponant: imò ipsos quoque Acatholicos plerunque ferè, dum Matrimonium contrahunt, velle recipere Sacramentum, idque re ipsa percipere, si aliud impedimentum non interveniat, optimè docent Laym. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Gobat *tr.* 9. *n.* 234. & Sporer. *c.* 1. *de Matr. Sect.* 4. §. 3. *n* 356. conformiter ad ea, quæ tradit Perez *disp.* 19 *Sect.* 10. *n.* 3. quia error privatus, quo quis existimat, Matrimonium non esse Sacramentum, atque ideo intendit non conficere Sacramentum, non obstat Sacramento, dummodo is habeat intentionem generalem faciendi eo modo, quo Christus instituit, vel quo modo voluit, ut sui fideles contraherent, aut ordinariè contrahere solent veri fideles, idque in vera Ecclesia fieri consuevit: atqui certum est, plerosque hæreticos, Lutheranos, Calvinistas, & Zwinglianos hanc generalem intentionem habere, quemadmodum id nos experientia docet, quando illos interrogamus, qui ex ejusmodi Sectis ad fidem nostram Catholicam convertuntur: ergo re ipsa generali hac intentione, quæ privatæ eorum erroneæ intentioni prævalet, non separant rationem Sacramenti, sed verum Sacramentum conficiunt, & suscipiunt, altera verò particularis intentio, quæ propriè non ex affectu, & voluntate non faciendi Sacramentum procedit, sed potiùs ex errore, quia decepti à suis præconibus, & falsæ sectæ buccinatoribus putarunt, Matrimonium reipsa nullum esse Sacramentum, nihil officit: interim non ibo inficias, reperiri quandoque inter Sectarios, & fortè etiam inter Catholicos tantæ malitiæ homines, qui, etsi agnoscant, Matrimonium

trimonium esse Sacramentum, velint nihilominus ita contrahere, ut Sacramentum nolint percipere, sed unum ab altero, quantum in se est, separare, quo casu non efficient, neque recipient Sacramentum, ut docent Perez *l. c.* Suarez *to. 3. in 3. p. disp. 13. Sect. 2.* quia deest intentio necessaria: Sacramenti autem effectio ab intentione Ministri dependet; atque in hoc sita est controversia præsentis casûs, videlicet, an, siqui fideles ita contrahant, ut nolint efficere, vel recipere Sacramentum, faciant saltem Matrimonium validum in ratione contractûs? de quo paulò post. Interea

3. Certum est *3.* Illicitam esse ejusmodi separationem Sacramenti à ratione conrractûs Matrimonialis, & peccaturos mortaliter baptizatos, si velint contrahere Matrimonium cum intentione celebrandi contractum, nolint verò efficere Sacramentum, aut facere id, quod facit Ecclesia. Perez *l. c. n. 18.* Dicastillo *disp. 2 de Matr. dub. 19. n.* 191. Hurtad. *disp. 3 de Matr. difficult. 19. n. 70.* Gobat, Sporer. &c. Ratio est 1. quia ejusmodi separatio opponitur in re gravi communi usui, & consuetudini Ecclesiæ, quæ videtur habere rationem legis oppositum prohibentis, quæ cùm ad hunc contractum in suis fidelibus requirat statum gratiæ, hoc utique non alia de causa exigit, quàm quia non vult eos aliter contrahere, nisi cum effectione, & perceptione Sacramenti. 2. Opponitur institutioni Christi, qui elevando contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti sine dubio sic voluit à suis fidelibus contrahi Matrimonium, ut conjugati sibi specialiter consecrarentur per gratiam, & Sacramenti susceptionem. 3. Est Sacrilegium contra reverentiam Sacramento debitam, velle contractum celebrare sine ratione Sacramenti, quia sic irritatur, & falsificatur actio Sacramentalis à Christo instituta, sicut si quis infantem abluens cum seria prolatione formæ baptismalis vellet baptizare, sed non conficere Sacramentum, juxta omnes talis peccaret mortaliter, quia irritaret actionem Sacramentalem, ex voluntate Christi ordinatam ad Sacramentum. Denique quis non videt, quàm sit enormis inordinatio, velle contrahere Matrimonium, & nolle recipere Sacramentum, ejusque gratiam ad meliùs ferenda onera Matrimonij? ergo illicita est, & graviter peccaminosa ejusmodi separatio.

4. Modò circa punctum primarium difficultatis, an nempe possint fideles, saltem validè, inire Matrimonium, præcisè ut contractum, non verò ut Sacramentum, atque ita rationem Sacramenti à contractu Matrimonij separare, duplex est Sententia. Prima negat, hoc posse fieri, unde juxta Authores istius Sententiæ Matrimonium inter fideles hac

hac ratione celebratum simpliciter nullum est, nec valet etiam in ratione contractûs. Hujus opinionis sunt Sanch. *L. 2. disp. 6.* Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 2. n. 5.* Coninck *disp. 24. dub. 6. n. 22.* Tannerus *to. 4. disp. 8 de Matr. q. 2. dub. 3. n. 42.* Laym. *L. 5. tract. 10. p. 2. c. 2. n. 2.* Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit disp. 14. Sect 4. n. 42.* Illsung *tract. 6. disp. 9. n. 37.* Petrus Ledesma, & alij: pro qua Sententia etiam citantur Bonacina, & Suarez *disp. 13. de Sacramentis supra cit. Sect. 2.* sed uterque falsò, nam prior apertè docet oppositum, Suarez verò dicto loco plus non affirmat, quàm separantem rationem Sacramenti à ratione contractûs non confecturum Sacramentum, quia deest necessaria intentio; & tum sine ulla decisione addit: *an verò validum esset tale Matrimonium in ratione contractûs, alterius est considerationis*: neutra igitur pars eum jactare potest tanquam Patronum.

Fundamenta primæ hujus Sententiæ sunt. 1. Quia Christus contractum Matrimonij inter baptizatos elevavit ad esse Sacramenti: ergo voluit, ut omnis legitimus contractus Matrimonialis inter baptizatos esset Sacramentum, atque ita connexuit rationem Sacramenti cum contractu, ut ratio contractûs à ratione Sacramenti separari nequeat. 2. Concilia Florentinum, & Tridentinum absolutè, & absque ulla limitatione Matrimonium baptizatorum dixerunt esse Sacramentum, quod verum non esset, si aliqua id non haberent: ergo dari nequit Matrimonium, quod non sit Sacramentum. 3. Si duo hæc possunt separari, sequitur, Matrimonia olim clandestinè contracta non fuisse Sacramentum, quia sic contrahentes ordinariè non intendebant suscipere Sacramentum, imò de Sacramento sæpè nec quidem cogitabant, sed solùm intendebant inire contractum civilem: hoc verò est contra Concilium Tridentinum, quod talia Matrimonia vocat *rata*. Sess. 24 c. 1. de reform. Matr., quo nomine sola Matrimonia dignatur, quæ Sacramentum sunt. 4. In Sacramento Pœnitentiæ, si Sacerdos vellet ut Judex facere judicium de peccatis, non verò Sacramentum remissivum ipsorum, non solùm non faceret Sacramentum, sed neque verum, & validum judicium: ergo pari modo in Matrimonio nolens facere Sacramentum, non solùm istud non efficit, sed neque validum contractum.

5. Prædicta Sententia etsi probabilitatem magnam habeat, cùm præsertim pro ea stent tot, tamque graves Doctores, non tamen ita convincit, ut altera non sit censenda probabilior, videlicet, posse inter baptizatos validè celebrari contractum Matrimonij, quin fiat Sacramentum. Ita Valq. *to. 2. in 3. p. disp. 138.*

138. c. 5. n. 63. Rebellus *L. 2. q. 5. n. 4.* Basil. Pontius *L. 1. de Matr. c. 9.* Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 19. n. 191.* Hurtad *disp. 3. difficult. 19.* Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. n. 356.* Perez *disp. 19. Sect. 10.* Gobat *Tract. 9. cas. 11. n. 229.* Tambur. *tr. 5. de Matr. n. 6.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 255.* Bonac. *q. 2. pu. 5. n. 4.* Quando igitur aliquis contrahit sine formali, vel virtuali intentione faciendi Sacramentum, aut faciendi, quod facit Ecclesia, licèt hoc Matrimonium Sacramentum non sit, quia in Ministro non adfuit intentio necessaria, sine qua stare nequit Sacramentum, manet nihilominus validum in ratione contractûs, ita ut contrahens non possit deinde aliam ducere.

Ratio hujus est, quia ad validitatem Matrimonij in ratione contractûs civilis aliud nihil requiritur, quàm ut personæ contrahentes sint ad contrahendum habiles, liberè in ipsum consentiant, & consensum hunc suum clarè exprimant coram Parocho, & testibus, quæ est solemnitas à Jure requisita, & necessaria post Tridentinum: hæc verò omnia habere possunt contrahentes baptizati, etiamsi Matrimonium ut Sacramentum expressè nolint ministrare, nec suscipere: ergo in eo casu celebrabunt validum Matrimonij contractum, non minùs, quàm validus est inter non baptizatos, inter quos Sacramentum non est.

Quòd autem ad validitatem, & substantiam contractûs Matrimonialis etiam in ratione contractûs necessariò debeat adesse intentio eundem celebrandi ut Sacramentum, eò quòd Christus eum elevaverit ad esse Sacramenti, ac consequenter voluerit, ut unum sine altero stare non posset, isque, qui Sacramentum nollet, etiam contractum non efficeret ob inseparabilitatem unius ab altero, id equidem non sufficienter probatur, neque ostenditur istius assertionis solidum aliquod fundamentum, tum quia hanc institutionem, ac voluntatem Christi nec exprimunt, vel insinuant Concilia, nec SS. Patres, nec asseverat unanimis DD. Sententia, ut manifestum est ex nostra conclusione, & adductis Authoribus: ergo asseri non debet veluti res indubitata, contractum Matrimonij ita elevatum esse à Christo ad rationem Sacramenti, ut, si Sacramentum non sit, etiam contractus esse nequeat, isque invalidus, ac nullus sit, cùm neque ex ullo jure invaliditas ista ostendi queat, ubi autem Jus non exprimit, contractum Matrimonij esse invalidum, censendum est, esse validum in utroque foro, ut colligere licet ex Joanne XXII. *in Extravag. Antiquæ concertationi. De voto, & voti redempt.*

Confirmatur, quia solæ conditiones contra substantiam Matrimonij irritant hunc contractum, quales

les tantummodo sunt de prole impedienda, adulterando, dissolvendo postea Matrimonio, reliquæ verò, quantumvis turpes, non vitiant juxta *c. fin. De condit. appos.* cùm ergo conditio non contrahendi Sacramentaliter, sive defectus conditionis faciendi Sacramentum, licèt turpis sit, non fit de numero illarum trium, fit, ut non sit contra Substantiam Contractûs, atque adeò non irritet Matrimonium.

Si iterum dicas, irritari Matrimonium ob defectum voluntatis conficiendi Sacramentum per hoc ipsum, quòd Christus in lege nova voluerit id esse Sacramentum. Contra est commune proverbium: *gratia non destruit, sed perficit naturam*: Christus igitur non destruxit, vel immutavit contractum Matrimonij, sed eum perfecit, & in natura sua invariatum elevavit ad dignitatem Sacramenti, hocque, scilicet ut esset signum collativum gratiæ, contractui naturali contingenter advenit: si ergo in lege veteri potuit validè celebrari hic contractus, quin esset Sacramentum, fieri id quoque poterit in lege nova; aliàs in natura sua mutatus esset contractus Matrimonialis, qualis mutatio quòd evenerit, præsumi, vel asseri non debet, sed probari: manet proinde, quòd sicut ablutio, quæ fit per aquam, licèt sit elevata à Christo ad statum Sacramenti Baptismatis, non desinit esse ablutio naturalis, & humana ex eo, quòd lavans non intendat facere Sacramentum, ita contractus quoque Matrimonij non desinat esse contractus naturalis, & civilis ex eo, quòd contrahentes non intendant facere Sacramentum.

6. Nunc ad opposita fundamenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum, concesso antecedente, negatur consequentia, quia ex illo antecedente solùm sequitur, omnem contractum Matrimonij ex voluntate Christi esse Sacramentum inter baptizatos, si adsint omnia requisita ad Sacramentum, inter quæ est intentio, sicut ex voluntate Christi omnis ablutio, & prolatio verborum Baptismi est Sacramentum, si adsint omnia requisita; si autem hîc, vel ibi desit intentio, existet quidem naturalis ablutio, & contractus, non tamen dabitur vel Sacramentum Baptismi, vel Matrimonij.

Ad secundum eodem modo respondeo, Concilium Florentinum, & Tridentinum absolutè, & absque ulla limitatione Matrimonia fidelium vocare Sacramentum, quoties adsunt omnia, quæ requiruntur ad Sacramentum, hoc tamen non probat, quòd non possit aliquando non fieri Sacramentum, si desit requisita intentio, ut in priore responsione dictum est de Baptismo, ubi dari potest ablutio, quæ ex defectu intentionis non sit Sacramentum.

Ad 3tium. negatur sequela, quia clandestinè contrahentes habebant saltem intentionem virtualem faciendi

di Sacramentum, quia volebant saltem facere, quod solent facere Christiani, vel Ecclesia, quod satis erat ad hoc, ut Sacramentum conficerent, neque enim credibile est, eos malitiosè voluisse privari fructibus, & gratiâ Sacramenti, aut voluisse agere aliquid illicitum, quale hoc esset, cùm ex jure nemo præsumatur malus, nisi id constet. Quòd si tamen aliqui clandestinè contrahentes etiam intentione virtuali caruissent, tunc sanè Matrimonium eorum non fuisset Sacramentum.

Ad 4tum. concesso antecedente, negatur consequentia, & paritas, quia judicium illud prout excludens rationem Sacramenti remittentis peccata omnino nullius fructûs est, nec prodest ad ullum effectum: igitur à Christo in tantum solummodo est institutum, in quantum est remissivum peccati, & collativum gratiæ, adeoque in quantum est Sacramentum; unde mirum non est, quòd ratio Sacramenti ab eo separari nequeat, cùm totus finis hujus judicij sit, esse Sacramentum, ratioque judicij, & Sacramenti una simul institutione instituta sint ad eundem effectum: in Matrimonio non ita se res habet, nam in hoc ratio contractûs à ratione Sacramenti non dependet, neque hæc duo simul unâ institutione sunt instituta ad eundem effectum, siquidem per unum habetur contractus naturalis Matrimonij, per alterum signum collativum gratiæ: unde separabiles esse possunt in Matrimonio hæ duæ rationes, non item in Sacramento Pœnitentiæ.

Atque ita manet probabilius, posse conjuges absolutè contrahere Matrimonium, quod Sacramentum non sit, idque, licèt rarò apud hæreticos quoque eveniat, simpliciter non implicare; unde in casu dubio investigandum est, qualem conjuges, dum contraxerunt, revera intentionem habuerint, cùm ab hac tota ratio Sacramenti dependeat.

Quæstio

QUÆSTIO SECUNDA.

Quem finem præfigere oporteat Matrimonio, ut debitè fiat?

CASUS

Contrahentium ob finem Matrimonio extrinsecum cum pacto abstinendi à copula.

Nobiles duæ familiæ odio se invicem usque adeò fatali pluribus annis prosecutæ sunt, ut sine multorum sanguine illud haud restinguendum, imò neutra è partibus quietura videretur sine totali alterius excidio. Dubritius è primoribus civitatis Vir ab insigni prudentia æstimatus, & utrique familiæ peracceptus, pluribus diù necquidquam adhibitis, in eam denique venit opinionem, medium fore omnium efficacissimum ad pacem redintegrandam, si inter liberos utriusque familiæ connubium contraheretur, ut isthoc vinculo non modò duo conjuges, sed cæterorum quoque dissidentium animi denuo conjungerentur, remque hortationibus suis tandem eò deduxit feliciter, ut Parentibus, ac utriusque consanguineis jam non invitis Almericus,

& Niviana, cæteroquin à nuptijs adhorrentes, amore pacis inter familias restituendæ in Matrimonium consenserint; ne tamen in hoc quoque statu à concepto Virginitatis proposito recederent, nuptias contracturi, inter se pacti sunt, ut in futuro Matrimonio neuter ab altero debitum peteret, neuter reddere teneretur.

Q. An pactum istud stare possit cum valore Matrimonij, & quo fine hoc contrahi debeat, ut licitè fiat?

SYNOPSIS.

1. *Finis Matrimonij, in quantum est Sacramentum, est conferre gratiam in quantum verò consideratur ut contractus, duplicem finem intrinsecum habet, sed extrinseci plures esse possunt.*
2. *Qui principaliter, ac primariò contrahit Matrimonium in remedium concupiscentiæ, juxta aliquos venialiter peccat.*
3. *Sed tenendum est contrarium.*
4. *Non tamen caret peccato veniali, qui contrahit Matrimonium ob voluptatem, quæ inest actui conjugali, licèt aliqui contrarium doceant.*
5. *Inire Matrimonium ob finem aliquem extraneum, sed in se non peccaminosum, nullum est peccatum.*
6. *Matrimonium initum ad componendam pacem, non solùm non est illicitum, sed specialiter honestum, at contractum ex fine peccaminoso peccatum est, vel veniale, vel mortale pro qualitate finis.*
7. *Pactum servandi perpetuam castitatem præmissum contractui conjugali juxta multos invalidat Matrimonium.*
8. *Probabilior est Sententia opposita, ad cujus probationem aliqua præmittuntur.*
9. *Afferuntur fundamenta hujus Sententiæ.*
10. *Argumenta contraria dissolvuntur.*

I. Ordiamur

1. ORdiamur hunc casum ab altero quæsito, quo fine contrahi Matrimonium debeat, ut licitè fiat? ad cujus solutionem necesse est præmittere, quos, & quotuplicis generis fines habeat Matrimonium? non agimus autem hîc de fine Matrimonij, in quantum illud est Sacramentum, nam sic considerati finis non est generatio prolis, sed sanctificatio contrahentium, & gratia illa specialis, quæ conjugibus confertur, ut faciliùs perpetuum illud vinculum ferant, difficultatesque illius omnes superent, & se mutuò diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, utpote qui illius cum hac conjunctionem sua conjunctione repræsentant, ut exponit Apostolus *c. 5. ad Ephes.* Hunc finem qui positivè nollet, absque dubio peccaret mortaliter juxta ea, quæ diximus in casu præcedente, *n. 3.* quod tamen rarò evenit, cùm ordinariè futuri conjuges, saltem ij, qui bene instituti sunt, ad gratiam hanc recipiendam se per confessionem disponant. Quatenus verò Matrimonium consideratur ut contractus, diversi illius fines esse possunt, tum intrinseci, tum extrinseci. Fines intrinseci proprij Matrimonij sunt duo, nempe in quantum illud est institutum in officium naturæ, & honestam multiplicationem generis humani, primarius illius, ac principalis finis est generatio prolis, qui finis etiam locum habuit in statu innocentiæ, ut patet ex c. 1. Genes. *Masculum, & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: crescite & multiplicamini* Alter finis intrinsecus est secundarius, ex suppositione peccati Adami, per quod in nobis exorta est rebellio carnis, ut sit in remedium concupiscentiæ, & ad vitandam fornicationem juxta illud Pauli 1. Cor. 7. *propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum*, & paulò post: *nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Præter hos duos fines intrinsecos, ab ipso authore naturæ conjugio inditos, à contrahentibus per Matrimonium intendi queunt diversi alij fines extrinseci, quales sunt pulchritudo, divitiæ, honor, nobilitas, voluptas, pax inter consanguineos, & plura similia. De istis igitur finibus quæstio nunc est, quemnam intendere debeant contrahentes, quemvé eorum declinare, ut licitè, & sine culpa contrahant?

2. Quòd licitè agat, qui in contractu Matrimonij primariò, ac principaliter intendit generationem prolis, extra dubium est, cùm iste sit finis primarius, ac principalis, ad

quem à Deo, & à natura Matrimonium ordinatur: pariter certum est, licitè agere, qui secundariò, & minùs principaliter intendit remedium concupiscentiæ, si simul pro fine primario habeat generationem prolis, quia in remedium libidinis secundariò institutum est Matrimonium: an verò licitum sit contrahere Matrimonium solùm, & unicè ex isto fine, ita ut aliud non intendatur, quàm ut habeatur remedium concupiscentiæ, vel certò si contrahatur ex principali, ac primaria intentione hujus remedij, & ad vitandam fornicationem, inter Authores controversum est, in eo tamen consentiunt, quòd sic contrahere non sit peccatum mortale; an verò committatur peccatum veniale, non una omnium sententia est.

Peccare venialiter sic contrahentem, docent Cardenas *Dissert. 7. in propos. 9. ab Innocentio XI. probib. c. 2. n. 1. n. 50.* Petrus Soto *Lect. 16. de Matr.* Magister Sententiarum, Scotus, Maironius apud Basil. Pontium *L. 1. c. 21. n. 1.* eò quòd sit aliqua inordinatio, etsi levis, vel solùm, vel saltem primariò, ac principaliter ordinare Matrimonium in id, in quod ipsum naturâ suâ ordinatur tantùm secundariò. Hanc ipsam sententiam tenent Sanch. *L. 2. de Matr. disp. 19. n. 26*, & Reginaldus *L. 31. c. 10. conclus. 4.* cum hac tamen limitatione, ut locum ea duntaxat habeat, quando contrahentes juxta communem spem possunt generare prolem, quia tunc, si contrahant primariò, vel solùm ad fornicationem vitandam, agent contra rationem, præponendo finem secundarium primario; si verò non possint juxta communem spem generare prolem, ajunt, nullum peccatum admittere, si solùm, aut principaliter intendant remedium concupiscentiæ, quia quando finis primarius est impossibilis, licitum est, eligere finem secundarium, cùm impossibile intendi non possit: præterea, quia si istud tunc non liceret, senes inhabiles ad generandum, aut juvenes steriles semper peccarent contrahendo: atqui dici non debet, tales non posse licitè contrahere Matrimonium in isto casu principaliter ad evitandam fornicationem: ergo tunc solùm licitè intenditur iste finis, quando alius principalior, scilicet generatio, haberi nequit.

3. Sed asserendum est, nec veniale quidem peccatum esse, contrahere Matrimonium primariò, ac principaliter in remedium concupiscentiæ ad fornicationem vitandam. Ita Perez *disp. 18. de Matr. Sect. 7. n. 6.* Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 25. n. 303.* Hurtad *disp. 4. difficult. 3. n. 9.* Covarr. 2. *p. de Matr. c. 1. §. unic. n. 7.* Coninck *disp. 25. n. 17.* Pontius *l. c. n. 4.* cum pluribus alijs, quos ibi allegat.

Probatur 1. textu supra citat. 1. Cor.

Cor. 7. *propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat &c.* ubi Apostolus absque appositione alterius finis, aut factâ mentione generationis consulit habere uxorem propter vitandam fornicationem, neque distinguit inter contrahentes, an potentes sint, an non potentes ad generandum ob sterilitatem, vel senium: suadere autem hoc utique non potuisset Apostolus, si tale Matrimonium culpam contineret.

Probatur 2. quia finis iste licitus est, & honestus, ac proprius hujus contractûs, quamvis in eum naturâ suâ secundariò tantùm ordinetur: ergo licitè potest vel is solus intendi, vel primariò, ac principaliter à contrahente, quia nulla lex obligat, ut opus aliquod assumatur ob finem principalem, sed sufficit, ut assumatur propter finem honestum: est verò utique honestum, fugere periculum peccati: ergo sufficit, finem istum intendere, nec opus est, ut contrahatur ob alium finem magis principalem, & primarium, ut patet in pluribus exemplis; nam vox articulata concessa nobis est ad nostros conceptus alijs explicandos, ac manifestandos, qui finis præcipuus est, non tamen ea propter malè agit, aut peccat, qui eâ utitur ad cantandum, uti neque culpandus est, qui utitur oculis, ut alteri aliquid innuat, quando hoc postulat honesta utilitas, licèt primariò nobis dati sint oculi ad videndum.

Ex hoc verò, quòd sufficiat, adesse finem alium honestum, etsi primarius non sit, consequitur, virum provectæ ætatis, ita ut neque aptus sit generationi, nec ampliùs sentiat graves carnis stimulos, ut idcirco conjugium eligat in remedium concupiscentiæ, adhuc tamen licitè inire posse Matrimonium ob vitam socialem, ut habeat, quæ in senecta ipsius curam majore solicitudine, & fidelitate gerat, nam præter dictum finem primarium, qui est generatio prolis, & præter hunc secundarium, ut sit remedium concupiscentiæ, assignari potest adhuc alius quidam finis secundarius, & quidem intrinsecus ab ipso Deo præstitutus, videlicet mutuum conjugum auxilium, & solatium, mutuaque officia, ut eruitur ex verbis Gen. c. 2. *dixit quoque Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, hæcque fortassis causa est, quòd leges Julia, & Papia, quæ olim viros sexagenarios, & fæminas quinquagenarias à conjugijs arcebant, non solùm usu Ecclesiæ, sed etiam Imperiali judicio sublatæ sint. *L. Sancimus* 27 C. *De nuptijs*, ubi senibus quacunque ætate permittitur Matrimonium, nisi fortè ad actus conjugales perpetuò inhabiles essent, de quo agetur in impedimentis dirimentibus.

4. Major

4. Major est difficultas, an licitè, & sine peccato contrahi possit Matrimonium ob capiendam delectationem carnalem, quæ inest actui conjugali? Posse hoc fieri sine omni culpa, tuentur Perez *l. c. n. 9. & 10.* Hurtad. *disp.* 10. *difficult.* 2 *prope finem*, & Basilius Pontius *L.* 1. *c.* 21. *n.* 7. quod tamen ita limitant, nisi fiat ob capiendam nimiam delectationem, seu ex desiderio nimiæ delectationis, tunc enim, ajunt, ejusmodi intentionem non carituram culpâ veniali, ob inordinatum excessum. Ratio ipsorum est, quia delectari cum uxore, ex se malum non est, aliàs quilibet cognoscens suam uxorem, peccaret: ergo intendere eam delectationem non est intendere aliquid malum, seu prohibitum, consequenter ista volitio simpliciter culpâ vacat.

Dicendum nihilominus, peccare venialiter, qui ob hunc finem contrahunt Matrimonium. Ita Coninck *l. c. n.* 16. ubi rationem assignat: quia velle inire conjugium principaliter propter ejusmodi delectationem, est aliqua inordinatio, cùm illud sit res gravissima, hæc autem admodum vilis, ut neque mereatur, nec possit rationabiliter pro fine statui: ergo fieri nequit sine peccato: ut etiam ex verbis D. Augustini colligitur, qui lib. de bono conjugali c. 6. contra Jovinianum ita loquitur: *conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam; concupiscentia verò satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori, venialem habet culpam.*

Confirmatur; quia Sententia contraria hoc tempore videtur vix posse tutò defendi, postquam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem, quæ est inter prohibitas nona: *Opus conjugij ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpâ, ac defectu veniali.* Igitur exercere actum conjugalem ex sola voluptate juxta decisionem Pontificiam est culpa venialis; atqui actus, qui sine peccato veniali exerceri nequit, nec appeti, aut desiderari potest sine peccato, nam esset tendentia in objectum peccaminosum: ergo qui vel ideo solùm, vel principaliter contrahit Matrimonium eapropter, ut queat frui voluptate carnali, culpâ non caret; quod ex eo quoque clarum est, quia apposuit natura voluptatem in opere conjugali non ut finem, sed ut medium, ut homines ab oneribus Matrimonij valdè gravibus non absterrerentur, sed potiùs allicerentur, & sic per actum conjugalem consulerent conservationi speciei: malè igitur agunt, & contra naturæ ordinem, atque ideo culpâ non carent, qui voluptatem carnalem sibi ut finem præfigunt, cùm à natura ordinetur ut medium ad procreationem prolis. Accedit, quod Aristoteles 10. *Ethic.* 7. docet, voluptatem operationis comitem esse solùm eo modo appetibilem, sicut est appeti-

appetibilis operatio: atqui usus conjugij non est appetibilis gratiâ sui, sed propter alium finem à natura vel primariò, vel secundariò intentum, aut aliàs honestum, & rationabilem, quique sit proprius hominis, in quantum homo est: ergo in voluptate velut in fine sistere homo nequit, præsertim cùm hæc voluptas nimiùm quantùm soleat animum à Divinis revocare, quò dirigi debet humana mens, nosque assimilare brutis animantibus, proinde sine peccato finaliter intendi non potest; qua de re legi possunt, quæ scribit Dominicus Viva *in thesibus damnatis in cit. propos. prohib.*

5. Modò quod attinet ad alios fines Matrimonio extraneos, licitos tamen, & honestos, veluti si contrahas ob nobilitatem generis, illustris familiæ conservationem, divitias, pulchritudinem Sponsæ, pacem inter consanguineos &c. certum est, nec venialiter quidem peccari, quando in hæc tenditur tanquam in finem secundarium, & minùs principalem, primariò autem intenditur vel generatio prolis, vel probabiliùs etiam, juxta dicta, vitatio fornicationis, quia sic nulla adest inordinatio, estque contractus Matrimonij verè utilis ad istos fines, qui ex se non sunt illiciti; at quando ejusmodi aliquis finis vel solùm, vel primariò intenditur, peccari saltem venialiter, docent Sanch. *L. 2 disp.* 29. *n.* 26, Navarr. *in Manuali c.* 22. *n.* 79. Sylvest. *V. Matrimonium* 4. *q.* 4. eò quòd inordinatum sit, finem secundarium, & Matrimonio extraneum primò, & per se intendere, cùm secundariò tantùm, & per accidens appetendus esset.

Nihilominus etiam hîc probabiliùs omnino nullum peccatum committitur. Ratio est, quia intendere talem finem extraneum, dummodo finis Matrimonij, ut Sacramentum est, non excludatur, neque est malum per se, & ratione objecti, cùm sit finis honestus, vel certè ex natura sua indifferens, proinde non illicitus; neque est malum ex medio, per quod intenditur, scilicet per contractum Matrimonij; quis enim dicet, malum esse, honesto medio, quale est Matrimonium, velle acquirere aliquid temporale, quod ipsum quoque honestum est, & non illicitum? ergo in tali contractu culpa nulla est, cùm finem Matrimonij magis proprium, & principalem expressè intendere non obligemur, ut supra probatum est, quemadmodum qui preces fundit, aut peragit missæ sacrificium, ut castitatem obtineat, etsi hunc finem primariò, & principaliter intendat, nullius culpæ reus est, licèt finis istorum operum intrinsecus, & magis primarius sit Religio, cùm castitas sit virtus minùs principalis, & finis istius actionis extrinsecus; similiter culpam non committit, qui sacrum celebrat, non celebraturus

turus hodie, nisi obtineret stipendium, dummodo habeat intentionem verè celebrandi. Ita Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 10. n. 2. & 3.* Tambur. *tr. 4. de Matr. c. 2. §. 3. n. 13.* Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 25. n. 309.* Basil. Pontius, Hurtad. Coninck. Ex hoc principio dicti AA. deducunt, licitum quoque esse contrahere Matrimonium ob motivum, & causam tuendæ, aut restaurandæ sanitatis: addunt præterea cum Præpos. *q. 6 de Matr. n. 10.* quidquid dicatur de istis finibus, acsi intenderentur principaliter, communiter evenire, ut contrahentes in suo contractu principaliter spectent, saltem confusè, finem intrinsecum Matrimonij, reliqua verò, quæ dicunt finem suum esse, plerunque solùm habere rationem causæ impulsivæ, in quam expressè feruntur, cùm im licitè tendant in ipsum finem Matrimonij proprium, ac principalem, quod verum esse deprehendet, qui rem bene consideraverit.

6. Ex dictis facilè nunc est concludere, in casu præsente licitè egisse contrahentes ineundo Matrimonium ad pacem inter familias restituendam, & tollenda dissidia. Imò affirmat Coninck *disp. 25. n 18.* eum, qui contrahit Matrimonium, quod necessarium est ad pacem aliquam magni momenti conficiendam, non solùm licitè primò, ac principaliter illam pacem intendere, sed hoc esse opus honestius, & majoris virtutis, quàm si principaliter intenderet generationem, vel concupiscentiæ remedium, quia ille finis honestior est, & magis obligat, quàm hi, nam ille publicum bonum magni momenti spectat, hi verò exiguum bonum privatum.

Pari modo ex dictis colligere licet, peccare mortaliter, qui contrahit Matrimonium ob finem mortaliter malum, puta ad liberiùs adulterandum, occidendum &c. venialiter autem, qui contrahit ob finem solùm venialiter malum, v. g. ob vanam gloriam, quia talis est actus, qualis est ejus finis. Sanch. *l. c. n. 27.* Navarr. Dicastillo.

7. Progredimur modò ad alterum casûs nostri quæsitum; an pactum mutuum abstinendi à copula conjugali obfuerit valori Matrimonij, eumque contractum reddiderit irritum, ac nullum? Stant pro Sententia affirmativa Sanch. *L. 5. disp. 10. n. 2. & 3.* Laym. *L. 5. tr. 10. c. 7. n. 9.* Filliuc. *tr. 10 c. 4. n. 150.* Henriq. *L 11. c. 4.* Bassæus *V. Matrimonium 6. n. 4.* Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. Sect. 3. n. 344.* Tannerus *to. 4. disp. 8. q. 3. dub. 4. n. 74.* Navarr. *consil. 11. de Voto n. 2.* Covarr. *2. p. de Matr. c. 3. §. 1.* Barbosa *in c. fin. de Condit. appos. n. 4 &* ex RR. Canonistis Pirhing, Engl, Wiestner *de Condit appos.* docentes, Matrimonium non valere, quando adijcitur conditio, sive pactum servandi perpetuam

petuam castitatem, v. g. *accipio te ea lege, ut in perpetua continentia vivamus, vel ut nunquam à me debitum petas, vel exigenti tibi reddere non tenear.*

Ratio pro hac Sententia est. 1. quia conditio *si prolem evites* est contra substantiam Matrimonij, illudque irritat, ut definitur *in c. fin. De Condit. appos.* sed conditio nunquam se copulandi, sive servandi castitatem perpetuam, est conditio evitandi prolem, quia se non copulando, seu servando castitatem impeditur generatio prolis: ergo hæc conditio est contra substantiam Matrimonij, consequenter illud irritat. 2. Quia substantia Matrimonij consistit in mutuo jure petendi, & mutua obligatione reddendi debitum conjugale: sed dicta conditio servandi perpetuam castitatem nequit consistere cum jure petendi, & obligatione reddendi: ergo est contra substantiam Matrimonij. Min. probatur. Quia ex conditione deducta in pactum oritur deobligatio reddendi, & privatio juris ad petendum, imò oritur obligatio non petendi, & non reddendi: ergo ea conditio nequit consistere cum mutuo jure petendi, & mutua obligatione reddendi. Plura alia argumenta adducuntur apud Perez, sed quæ vel levioris momenti sunt, vel in istis duobus continentur.

8. Contrariam Sententiam, quæ probabilior est, non pauciores, nec notæ inferioris AA. defendunt; videlicet Vasq *to. 2. in 3. disp. 125. c. 6. n. 63.* Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 11. §. 4. n. 5.* Rebellus *L. 2. q. 10. Sect. 3 n. 19 & q. 13 Sect. 4.* Basil. Pontius *L. 3. c. 11. n. 5. & seqq.* Præpos. *q. 3. de Matr. dub. 1. n. 7.* Coninck *l. c. n. 43.* Perez *disp. 13. Sect. 6. n. 7.* & *disp. 16. Sect. 7. n. 4. & seqq.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 10. n. 13. & seq.* Gobat *tract. 10. n. 397. & 466.* Wagnereck *in c. fin. De condit. appos.* Hurtadus, Dicastillo, Tamb. Taberna, & plures ab his citatj.

Ad probationem istius Sententiæ prænotandum est 1. Tria communiter bona Matrimonij ab AA. constituí. Primum est bonum Sacramenti, scilicet vinculi insolubilitas, & perpetuitas. Secundum bonum fidei, seu fidelitatis, quod consistit in obligatione non adulterandi. Tertium est bonum prolis, ut non impediatur illius generatio, & educatio: contra hæc tria bona quoties in contractu conjugij aliqua conditio, aut pactum constituitur, agitur contra illius substantiam, atque ideo nullum est juxta *c. fin. De condit. appos.* Sic agitur contra bonum Sacramenti, si v. g. dicas: *contraho tecum, donec inveniam aliam pulchriorem, vel ditiorem.* Contra bonum fidei: *contraho tecum, si pro quæstu adulterandam te tradideris, si alijs, quos ego voluero, copiam tui feceris.* Denique contra bonum prolis: *duco te, si generationem prolis evites, abortum procures,*

procures, natam prolem eneces &c. Ex istis conditionibus tertia pertinet ad præsentem casum, in qua tota istius quæstionis versatur controversia, & fundamentum adversæ Sententiæ.

Notandum itaque est 2. Prolem posse dupliciter evitari ab ineuntibus Matrimonium. Primò positivè modis jam recensitis, seu contrariè, faciendo aliquid, quod sit directè contrarium generationi prolis, & omnino illicitum, procurando sterilitatem sumpta potione, non immittendo semen intra vas fæmineum, illudvé eijciendo, procurando abortum &c. Secundo modo vitari potest proles negativè, abstinendo à copula ex pacto, vel voto.

9. Hoc prænotato, probatur nunc conclusio nostra negativa, quòd nempe per mutuum pactum nunquam se cognoscendi, sed servandi perpetuam castitatem nullo modo invalidetur contractus Matrimonij; ad quod stabiliendum assumitur argumentum priori prorsus oppositum: talis conditio, & obligatio, sive pactum non est contra essentiam, & substantiam Marrimonij: ergo non irritat Matrimonium. Ant. prob. Essentia, & substantia Matrimonij non consistit in copula. L. Nuptias. 30. ff. De R. J. *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*, nec in potentia, aut obligatione actuali, formali, & proxima ad copulam conjugalem, ut iterum manifestum est, quia si duo vovissent castitatem, ita ut votum unius alteri notum esset, ac nihilominus contraherent, Matrimonium hoc esset validum, fieretque vera corporum translatio, sed impedito tamen usu, & potentiâ proximâ ad copulam conjugalem: ergo in potentia proxima ratio Matrimonij non consistit, verùm in mutua translatione dominij, & subjectione corporum ad usum Matrimonij radicali, & remota: atqui cum hoc non est incompossibile ejusmodi pactum, & conditio: ergo adjectione talis pacti non irritatur substantia Matrimonij. Prob. subsumpt. quia potest manere mutuum dominium, quantumvis aliquid adsit, quod impediat illius usum, ne possit exire in actum, ut in dato exemplo, alijsque pluribus patet, nam potest dominus omnem operam sui mancipij locare alteri, retinendo sibi dominium mancipij, & jus radicale in ordine ad operas illius, & ex altera parte potest in ipso mancipio perseverare obligatio radicalis respectu sui domini, quo casu datur in domino dominium mancipij, non quidem proximum, sed impeditum, & in mancipio datur obligatio respectu Domini, non proxima, & actualis, sed remota, & radicalis: potest igitur dari verum Dominium, quin habeatur potentia proxima, & expedita ad usum; ut rursum patet in Religiosis nostræ

ſtræ Societatis, qui poſt biennium Novitiatûs tantùm emiſerunt tria vota ſimplicia ſubſtantialia, nam penes hos manet dominium ſuorum bonorum, ſed impeditur tamen illius uſus ob votum paupertatis, vi cujus dicti Religioſi nequeunt aliqua re uti ſine licentia Superioris, peccarentque, ſi uterentur, non quidem contra juſtitiam, nam veri domini ſunt, unde etiam contractus ſine licentia Superioris ab ipſis celebrati de ſuis rebus, validi ſunt, ſed contra votum paupertatis peccato ſacrilegij: ergo in Matrimonio quoque poteſt adeſſe dominium in corpus alterius, ſed impeditum quoad uſum, atque propterea ſi tales inter ſe commiſcerentur, non committerent peccatum fornicationis, vel adulterij, quia non daretur acceſſus ad alienum, vel alienam, ſed peccarent vel contra votum, vel pactum mutuum abſtinendi à copula.

Confirmatur. 1. poſſunt conjuges in actuali Matrimonio conſtituti inter ſeſe paciſci de non petendo, & non reddendo debito conjugali, ut conſtat ex praxi plurimorum conjugum ab Eccleſia approbata, & tamen manet in ijs verum vinculum Matrimonij, atque ideo verum dominium, ſeu jus radicale, & mutua radicalis obligatio abſque jure proximo ad petendum, & obligatione proxima ad reddendum: ergo talis conditio, vel pactio non repugnat ſubſtantiæ Matrimonij, quod conſiſtit in dominio radicali, ſed ſolùm repugnat juri proximo ad petendum, & obligationi proximæ ad reddendum, eaque impedit ab uſu.

Dicunt Adverſarij, tale pactum non repugnare Matrimonio jam contracto, ſed contrahendo, quia Matrimonium jam contractum, præſertim quando eſt conſummatum, nullo modo diſſolvi poteſt, contrahendum autem multis modis poteſt irritari, nam quævis res faciliùs impeditur, ne fiat, quàm deſtruatur facta, hinc etiam impedimenta dirimentia, quando præcedunt Matrimonium, illud irritant, non verò quando ſuperveniunt jam contracto.

Contra eſt. Eadem eſt ſubſtantia, & eſſentia rei, quando fit, & quando eſt in facto eſſe: ergo ſi tale pactum repugnat Matrimonio in fieri, etiam repugnabit in facto eſſe: atqui ejuſmodi pactum non repugnare eſſentiæ Matrimonij jam contracti, aſſerunt Adverſarij, & experientia teſtatum facit: ergo neque repugnat eſſentiæ conjugij, quando contrahitur, ſive dum eſt in fieri. Paritas allata de impedimento dirimente nihil probat; quia, licèt, quando eſt aliquis defectus in cauſa efficiente, impediat, ne fiat effectus, non tamen etiam deſtruit effectum jam poſitum, cùm is non ſemper pendeat à cauſa efficiente etiam in conſervari, quemadmodum ab ea dependet in fieri; quapropter impedimentum diri-

mens, quia est defectus in causa efficiente, nempe in contrahentibus, eos inhabilitans ad Matrimonium, irritat Matrimonium, ne fiat, non tamen dissolvit jam factum, quando ipsi supervenit, quia Matrimonium non dependet à contrahentibus in conservari, licèt ab ijs dependeat in fieri. Econtra quando est defectus non solùm residens in causa efficiente, sed repugnans ipsi essentiæ Matrimonij, semper eidem repugnat, quia nihil potest consistere cum eo, quod suæ essentiæ contrariatur, consequenter quod cum Matrimonio stare potest, veluti votum, aut pactum servandi castitatem, absolutè & simpliciter non repugnat substantiæ Matrimonij.

Confirmatur 2. Quia de facto omne Matrimonium inter baptizatos cum hac conditione contrahitur, ut neuter teneatur reddere debitum, si velit ante consummationem Religionem ingredi, proinde neuter è conjugibus præcisè per ipsum contractum Matrimonij obligatur ad redditionem debiti, nisi sub conditione, si nolit Religionem ingredi: ergo obligatio reddendi debitum non est de essentia Matrimonij etiam contrahendi.

Dicunt quidem Adversarij, hoc esse privilegium conjugibus à Jure specialiter concessum, ut intra bimestre non teneantur reddere debitum, qui deliberant de intranda Religione vi *c. Ex publico. De converſ. conjug.* non verò legitur, ajunt ejusmodi concessio data etiam ijs, qui non intendunt Religionem ingredi. Sed istud nihil probat, quod enim Jus conjugibus dederit hoc privilegium, cavere per hoc voluit, ne pars deliberans invita adigeretur ad copulam, hoc verò necdum probat, non posse ex mutuo consensu conjuges invicem cedere juri proximo petendi debitum, cùm hoc substantiæ Matrimonij non repugnare ostensum sit.

Denique pro confirmatione à multis adducitur conjugium B. Virginis cum S. Josepho, inter quos verum fuisse Matrimonium, si non omnino de fide est, ut tradit Suarez *to. 1. in 3. p. disp. 7. Sect.* 1. saltem juxta plerosque alios ita certum est, ut sine nota temeritatis contrarium asseri non possit: hoc verò Matrimonium præcessit votum virginitatis; & quamquam alij negent, in contractu conjugali fuisse à virgine appositam ejusmodi conditionem, cum aliàs contrahere potuerit salvo suo voto, eò quòd ex Divina revelatione certa fuerit de conjugali debito nunquam exigendo, tamen probabilissimè docent Perez *disp.* 13. *Sect.* 8. *n.* 6. Pontius *L.* 3. *c* 11. *n.* 6. Vasq. *to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 125. *c.* 6. *n.* 56. cum Abulensi, Almaino, & pluribus è SS. PP., Beatam Virginem cum Josepho contraxisse Matrimonium cum expressa conditione, & pacto servandæ Virginitatis.

10. Funda-

10. Fundamenta Adversæ partis sufficienter sunt enervata per nostras probationes, nihilominus claritatis gratiâ breviter respondeo ad. 1. Conditionem illam, *si prolem evites*, esse contra substantiam Matrimonij, quando te obligas ad generationem positivè, & contrariè impediendam, & evitandam prolem per media illicita; non verò quando ea evitatur negativè, licitoque modo, vovendo castitatem, aut ineundo pactum abstinendi à copula, nam bonum prolis non obligat conjuges, ut operam dent generationi, vel ut se invicem non obligent ad non dandam ei operam, sed solùm ut ejus generationem non impediant per media illicita, eamque, si fortè libuerit operam dare liberis, sobolemque genuerint, amanter suscipiant, & benè, ac Christianè educent.

Ad 2. negatur, ex ea conditione oriri aliquid incompossibile cum mutuo dominio radicali ad petendum, & radicali obligatione ad reddendum, in quibus consistit essentia Matrimonij, nam ex ea conditione solùm resultat privatio juris proximi ad petendum, & privatio obligationis proximæ ad reddendum, ac denique positiva obligatio ad non petendum, & ad non reddendum, quæ omnia stare possunt cum dominio, quod est jus remotum, & radicale ad petendum, cum obligatione radicali ad reddendum, ut explicatum est, & in exemplis ostensum.

Dices. 1. Tale dominium erit prorsus inutile, cùm nullum habeat usum: ergo in eo non est constituenda ratio Matrimonij.

Resp. 1. trans. anteced. n. cons. quia cum dominium distinguatur ab usu, nihil repugnat, aliquem habere dominium inutile, seu quod usu careat.

Resp. 2. neg. ant. quia tale dominium efficit, ut conjuges nequeant aliud Matrimonium contrahere, & cum alijs per adulterium commisceri, tum etiam ut, si mutuò se cognoscant, non fornicentur, unde proles quoque inde orta legitima est; imò si votum non fecerint, sed mutuo tantùm pacto in hoc convenerint, quòd velint abstinere à copula, omnino non peccant se cognoscendo, si mutuè sibi remiserint istud pactum.

Dices 2. Tale pactum repugnat fidei Matrimonij, quæ inducit obligationem reddendi debitum: ergo irritat Matrimonium.

Resp. *neg. ant.* quia fides Matrimonij non exigit, ut conjugi quacunque ratione debitum petenti, reddatur, sed ut reddatur, quando legitimè petit: at verò posito tali pacto indebitè exigit copulam, quia spontè consentiendo huic pacto cessit suo juri: ergo alter non tenetur ipsi obsequi, cùm revera non petat debitum, sed indebitum, quocirca pars altera non tenetur quidquam reddere.

§. III.

§. III.

De consensu ad Matrimonium requisito.

QUÆSTIO PRIMA.

Qualis consensus in Matrimonio sit necessarius, & quomodo exprimendus?

CASUS

Contrahentium per sola signa sine prolatione verborum.

Quintianus, & Alreda, servatis ritè omnibus, quæ observanda sunt Matrimonium inituris, dum contracturi in facie Ecclesiæ recepto more à Parocho assistente interrogantur de mutuo consensu, dextris sibi invicem porrectis, & inflexo capite, modestè annuunt, alio verbo non prolato.

Q. An hic consensus ad Matrimonium sufficiat?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Consensus contrahentium est necessarius: qualis hic esse debeat?*

2. *Oportet eum esse absolutum, & independentem à conditione de futuro. Turpes & impossibiles conditiones in Matrimonio habentur pro non adjectis ex præsumptione Juris.*

3. *Non sufficit consensus internus, sed debet necessariò etiam exteriùs manifestari.*

4. *An ad hoc opus sit verbis, an verò sufficiant alia signa, triplex est Sententia. Prima requirit verba ad valorem Matrimonij, ut Sacramentum est; sed reijcitur.*

5. *Alij absolutè dicunt, contractum Matrimonij esse nullum, nisi verbis fiat à valentibus loqui; sed hæc quoque oppinio non admittitur.*

6. *Tertia Sententia asserit, adhibenda esse verba sub peccato, cùm necessaria sint ex præcepto Ecclesiæ. Sed & istud displicet.*

7. *Statuitur pro decisione casûs quarta Sententia, verba non solùm necessaria non esse necessitate Sacramenti, aut contractûs, sed neque ex necessitate præcepti per se loquendo, sed sufficere alia signa.*

8. *Non tamen sufficiunt signa, quæ solis contrahentibus nota sint, sed debent ea à Parocho quoque, & testibus intelligi.*

1. AD Matrimonium ante omnia necessarium esse consensum, nemo est, qui neget, hic enim solus ubi deficit, quidquid aliud actum fuerit, nullum est Matrimonium, ut expressè deciditur in c. sufficiat. 27. q. 2. c. cùm locum, & c. Tua nos. De Sponsal. ubi dicitur quòd *sine consensu cætera nequeant perficere fœdus conjugale*: qualis verò esse debeat iste consensus, constare potest ex ijs, quæ disputata sunt in Parte prima, ubi egimus

egimus de Sponsalibus, quæ propterea, ne alibi dicta iterum repetamus, hîc breviter tantùm perstringimus, videlicet debet consensus iste 1. esse verus, ac serius, seclusa fictione. 2. Debet concurrere acceptatio. 3. Debet esse mutuus, quo vir, & fæmina consentiant sibi invicem tradere, & acceptare jus in suum corpus in ordine ad generationem prolis. 4. Voluntarius, ac plenè deliberatus, & liber ea libertate, quæ potest sufficere ad peccatum mortale, hoc enim planè exigit status Matrimonij, per quem transfertur dominium proprij corporis, & gravis obligatio subitur. 5. Debet esse liber ab omni errore, metu, & coactione, de quibus fusiùs agetur in impedimentis.

2. Ulteriùs requiritur ad Matrimonium, ut consensus sit absolutus, & independens à conditione in futurum, quia consensus conditionatus non efficit Matrimonium, quamdiu enim consensus conditionatus, qui de præsenti habetur, adhuc dependet à conditione futura, nondum est Matrimonium, nec traditur dominium corporis, sed habet potiùs rationem Sponsalium, & suo tempore tradetur hoc dominium, quando scilicet conditio impleta fuerit; hac etenim positâ, & purificatâ, consensus priùs conditionatus transit in absolutum, & tunc existit Matrimonium; igitur si rigorosè loqui velimus, Matrimonium nunquam vocandum est *conditionatum*, utimur tamen hac voce passim, neque per eam aliud intelligimus, quàm Matrimonium nondum perfectum.

De conditionibus, sub quibus aliquando contrahitur Matrimonium, recolenda sunt, quæ diximus in p. 1. cas. ult. de Sponsal. conditionat. nam pleraque ex ijs etiam hîc servire possunt, in eo tamen aliter loquimur hîc in præsenti de Matrimonio, quàm eo loco locuti sumus de Sponsalibus, dum diximus, conditiones turpes, vel impossibiles in Sponsalibus non haberi pro non adjectis, cùm non omnia, quæ statuuntur de Matrimonio, censenda sint etiam statuta esse de Sponsalibus, ut ibi *n. 4.* ostendimus; hîc verò simpliciter dicendum est, per conditiones impossibiles de futuro, aut turpes Matrimonium non vitiari, si modò substantiæ, & bonis conjugij non repugnent, sed haberi pro non adjectis, unde si contrahas cum Caia ea conditione, si tibi in furto auxilio fuerit, vel si in concubitu Virginem inveneris, statim valet contractus, rejecta conditione: ita statuitur in *c. fin. De Condit. appos.* nam Jus præsumit, hæc non fuisse seriò apposita, quilibet enim præsumitur, dum Matrimonium contrahit, seriò agere quoad negotium principale, & obligationem suam purè facere propter reverentiam Sacramenti, conditionem

tionem verò impossibilem, aut turpem, (quæ impossibilibus accensetur, quia id solùm dicimur posse, quod jure licitè possumus, joci duntaxat causâ adjecisse) unde ex ista præsumptione rejiciuntur tales conditiones. Notandum nihilominus, præsumptionem hanc esse *Iuris tantùm*, non verò *Iuris, & de Iure*, ita ut nulla probatio in contrarium admittatur, nam potest etiamnum elidi hæc præsumptio contrarijs probationibus, atque etiam præsumptionibus, si fortiores dentur in contrarium, v. g. Si vir Illustris dicat puellæ rusticæ, *contraho tecum, si montem aureum in dotem attuleris*, fortior adest præsumptio ex circumstantijs, & qualitate personæ, nullo modo hunc obligari voluisse; vel si hoc aliter probari possit, cedet Juris præsumptio veritati. Engl *De Condit. n.* 13.

3. Ultima denique conditio ad consensum in contractu conjugali requisita, quæ ad præsentem casum facit, est, ut sit consensus non merè internus, sed externus, id est, exteriùs sufficienter manifestatus, tum quia contractus Matrimonij est contractus quidam humanus, qui sola mente celebrari non potest; non enim potest esse ultrò, citroque obligatio, nisi consensus contrahentium sibi invicem manifestentur, nec potest tradi, & acceptari, quod ignoratur, ut dictum est de Sponsalibus, tum maximè, quia constituit Sacramentum, quòd necessariò est signum sensibile gratiæ sanctificantis. Nunc igitur quæstio oritur, quanta debeat esse expressio, & exterior manifestatio consensûs, an ille necessariò exprimendus sit verbis, an verò ad hoc alia signa sufficiant?

4. Quatuor circa hoc dubium diversæ sunt AA. Sententiæ. Prima docet, in ijs, qui loqui possunt, ita necessaria esse verba, ut, si contractus fiat solo nutu, alijsvé signis, Matrimonium validum quidem sit in ratione contractûs, non tamen in ratione Sacramenti. Ita docet Canus L. 8 de locis Theologicis c. 5. ubi ita loquitur: *Si quodlibet fidelium conjugium Theologis necessariò Sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui conjugia, quæ solis nutibus contrahuntur, negat esse Sacramenta? ac, nisi me fallit animus, rectè negat*: judicat ergo hic Author, Matrimonium contractum alijs signis esse quidem verum conjugium, non tamen Sacramentum, quod etiam tenuisse videri potest D. Th. *4. dist. 1. q. 1. a. 3. in solut. argumenti quinti.* Fundamenta hujus opinionis sunt, tum quia concilium Florentinum in Decreto de Sacramentis docet, omnia Sacramenta constare rebus, & verbis; tum quia aliàs absolutio quoque, & baptismus solis signis celebrari possent.

Sed frivolæ sunt hæ rationes; nam Christus Dominus, quando contractum Matrimonij in lege nova elevavit ad esse Sacramenti, non mutavit

tavit naturam contractûs humani : ergò quod sufficit ad alios contractus, ad Matrimonium quoque sufficit, non solùm ut contractus est, sed etiam ut est Sacramentum : possunt verò alij contractus fieri vel verbis, vel alijs signis : ergò & Matrimonium, præsertim quia signum exterius, quo consensus interior exprimitur inter contrahentes, tam est per se sensibile, quàm verbum ore prolatum : ergò æquè potest esse signum sensibile gratiæ sanctificantis.

Concilium Florentinum, cui innititur Canus, plus non dicit in allegato Decreto §. septimum est, quàm : *causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, per quod ostendit, posse aliquando etiam sine verbis contrahi, quia particula *regulariter* satis indicat, non necessariò faciendum esse semper per verba, sed communiter, & ordinariè. Neque est verosimile, si verba tam rigorosè essent necessaria in Matrimonio, ad hoc, ut sit Sacramentum, quòd hoc Eugenius tacuisset in dicto Decreto, ubi in specie egit de Sacramento Matrimonij, & exactissimè in unoquoque Sacramento materiam, & formam explicuit. Paritas quoque allata de alijs Sacramentis nihil probat, quia Matrimonium est contractus, de cujus natura est, ut possit etiam nutibus, alijsvé signis, aut per literas celebrari, quod in alijs Sacramentis non ita procedit.

5. Altera opinio est, quòd in valentibus loqui verba ita necessaria sint, ut Matrimonium solis signis celebratum, etiam in ratione contractûs omnino nullum sit, quam Sententiam plures defendunt tam Jurisperiti, quàm Theologi, quos citat Sanch. *L* 2. *disp.* 31. *n* 2. idque ajunt, decerni in Jure positivo Ecclesiastico, ut, licèt stando in jure naturali validum sit conjugium à mutis celebratum per signa, quod circa istos Ecclesia quoque permittit, irritum tamen sit jure Ecclesiastico in ijs, qui loqui possunt, exceptis nonnullis casibus in Jure expressis, v. g. dum absentes per literas, nuntium, vel procutatorem contrahunt, extra hos casus, inquiunt, eos, qui loqui possunt, Ecclesia reddit inhabiles ad contrahendum per sola signa, sicuti omnes reddit inhabiles ad contrahendum clandestinè. Probant suam opinionem ex c. Tuæ. De Sponsal. ubi legitur : *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia, nam surdi, & muti possunt contrahere sine verbis &c.* ergo quoad Ecclesiam, id est, Jure Ecclesiastico, verba sunt necessaria, & non præcisè utilia, vox enim *necessaria* accipienda est in sensu proprio ; & quia hic textus constituit discrimen inter mutos, & valentes loqui, quòd in illis signa sufficiant, in his autem verba desiderentur, clarum est, in mutis validum esse Matri-

trimonium per signa contractum, in his autem irritum, & invalidum; nam si in his, & illis signa sufficerent, nullum inter ipsos esset discrimen. Pro hac Sententia adducuntur adhuc plures alij textus Juris, veluti *c. Si inter virum. De Desponf. impub. c. Licet. De sponsa duorum &c.*

Verùm hæ quoque rationes nihil probant, quia in *c. Tuæ* solùm dicitur, verba esse necessaria quoad Ecclesiam, quia nempe Ecclesiæ usus obtinuit, ut loqui valentes verbis contrahant, cùm aptiora sint ad consensum exprimendum, magisque ad hoc conducant, ut tam Ecclesiæ, quàm contrahentibus meliùs constet de mutuo utriùsque consensu, serviunt enim magis ad faciliorem, clarioremque probationem in foro externo Ecclesiæ; ita verba citati c. exponunt Wagnereck, Barbosa, alijque Juris interpretes: malè igitur dicitur, ad contractûs Matrimonialis valorem absolutè, & simpliciter verba esse necessaria, quod enim requiritur non ad substantiam actûs, sed ad ejus probationem, etiamsi dicatur, ipsum esse necessarium, potest per æquipollens expediri. Nec aliter alij quoque textus verba exigunt, quàm quòd internus consensus plerumque soleat verbis exprimi, & inter signa principatum verba teneant, quamquam is per alia quoque signa indicari possit, quod sufficere manifestum est tum ex concilio Florentino supra allegato, tum exc. fin. De conjugio serv. ubi irritum decernitur illius Matrimonium, *qui nec facto, nec verbo consensit*: ergo judicat Pontifex, satis esse, consentire facto, id est, per signum aliquod, & hoc non solùm in mutis, quia de his in dicto canone sermo non est.

sed neque dici debet, ab Ecclesia reddi inhabiles ad contrahendum per signa, qui loqui possunt, quia Jus novum non censetur antiquum corrigere, nisi id omnino clarè exprimatur, ut patet ex *L. Præcipimus. 32. §. ult. C. De Appellation.* cùm ergò Matrimonia, spectato solo jure naturæ, & divino, signis, aut nutibus contracta valida sint, dici non debet, ejusmodi contractus jure novo positivo Ecclesiastico nunc esse inutiles, nisi claris textibus id ostendatur, quales profectò allati non sunt. Negatur denique, Pontificem voluisse discrimen statuere in textu citato inter mutos, & loqui valentes, sed solùm voluit decidere, verba non esse necessaria, idque probat, quòd surdi, ac muti absque verbis contrahere possint.

6. Tertia sententia paulò mitior verba quidem non exigit tanquam necessaria necessitate Sacramenti, aut ad valorem contractûs, sed tamen asserit, esse necessaria necessitate præcepti, adeò ut quoties loqui valentes aliter contrahunt, quàm prolatis verbis, peccent contra præceptum Ecclesiæ. Et quidem peccare mortaliter, docet Sylvius *in supplem.*

ad 3. p. D. Th. q. 45. a. 2. cui accedit Wagnereck *in exegesi c. Tuæ De sponsal. not. 3.* si sine justa causa fiat, pro qua sententia ab aliquibus etiam citantur Petrus Ledesma, & Rodriq. sed uterque falsò, cùm hic posterior *to. 1. summæ c. 115. n. 5.* aliud non dicat, quàm verba esse necessaria per præceptum Ecclesiæ, ubi non addit, an aliter contrahens, cùm loqui posset, mortaliter peccet, an venialiter; prior verò *q. 45. de Matr. a. 2. conclus. 3.* expressè dicit, quòd, qui commodè loqui possunt, non peccent mortaliter, si non utantur verbis, sed ut plurimùm venialiter. Cum hoc idem de peccato veniali sentiunt Henriq. *L. 11. c. 2. n. 6.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 1. n. 5.* Filliuc. *tract. 10. c. 3. n. 82.* & ipse Sanch. *L. 2. disp. 31. n. 10* quibus favent etiam Dicastillo & Coninck *disp. 24. dub. 8. n. 66.* quia, dum ait, probabiliter non esse peccatum mortale, satis indicat, quòd sibi videatur peccatum veniale. Fundant plerique suam doctrinam in supra citatis textibus Juris, & in concilio Tridentino, quod sess. 24. de reform. Matr. c. 1. dicit, Parochum posse procedere *Viro, & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto.*

Verùm abundè à nobis ostensum est, in dictis textibus Juris nullum contineri præceptum, neque excludi alia signa sensibilia expressiva consensûs; sed neque Concilium Tridentinum pro ipsis stat; id enim neque asserit, quòd interrogatio fieri debeat per verba, cùm surdi Parochi verba percipere nequeant; & quando Parochus interrogat eos, qui loqui possunt, & audire, non præcipit Concilium, ut responsio verbis fiat, sed solùm ut Parochus intelligat contrahentium consensum, quem profectò sufficienter, & clarè potest intelligere ex æquivalentibus signis.

7. Quarta denique sententia, & vera, quam tenemus, est, in valentibus loqui non exigi necessariò verba vel necessitate Sacramenti, vel ad valorem contractûs, imò neque necessitate præcepti, atque ideo nullum esse peccatum perse loquendo, uti alijs signis externis ad celebrandum contractum Matrimonij, ita Palao *disp. 2. de sponsal. pu. 7. n. 3. & seqq.* Basil. Pontius *L. 2. c. 7.* Perez *disp. 15. sect. 1.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 248.* Hurtad. *disp. 3. difficult. 13.* Tamb. *tr. 3. de sponsal. c. 3. n. 3. & 4.* Præpos. &c. Prior pars constat ex refutatione primæ, & secundæ sententiæ; quia Christus instituens Sacramentum Matrimonij non mutavit naturam contractûs naturalis, ut dictum est: ergò sicuti Matrimonium ex natura rei validum esse potest sine verbis in ratione contractûs, ita validum potest esse etiam in ratione Sacramenti, ad quod contractus iste elevatus est. Quòd verò Ecclesia induxerit inhabilitatem ad aliter contrahendum, aut irritaverit Matrimonium sine verbis contractum, in nullo Ju-

re

re ostendi potest; nec est credibile, ipsam in re tanti momenti, si verba necessaria esse sentiret, istud non explicaturam fuisse, maximè cùm celebratio Matrimonij sit ex rebus, quæ frequentissimè occurrunt, ne fideles frustrarentur fructu Sacramenti, & ne passim turpissimi concubinatus, & fornicariones pro conjugijs haberentur.

Altera quoque pars probatur, quia non potest ostendi præceptum aliquod Ecclesiasticum, ubi istud præcipiatur: at ubi nullum præceptum est, ibi nulla potest esse prævaricatio, consequenter nullum est peccatum. Quod verò Sanchez, & alij quidam affirmant, talem agere contra legem naturæ, quia est à ratione alienum, aliquam deordinationem continens, in hoc gravissimo contractu non exprimere consensum commodiore modo, quo fieri potest, scilicet verbis. Contra est, quia lex naturæ, & recta ratio non præcipit, ut in humanis actionibus utamur modo perfectissimo, & certissimo, sed sufficit, ut modo perfecto, & certo agatur: ergo qui signis utitur in contrahendo, nec venialis culpæ damnandus est, dummodo externa ista signa sufficienter exprimant consensum mutuum.

Dixi autem *per se loquendo*, nam fateor, decens esse quàm maximè, ut contrahentes suum consensum verbis exprimant, ut tanto meliùs tam partibus, quàm Ecclesiæ de eo constet, quod in re tanti momenti omnino fieri convenit; nec debent permittere Parochi, ut aliter fiat: quòd si verò, dum contrahentes verbis non utuntur, ex adhibitione aliorum signorum redderetur dubius contractus, vel grave scandalum inde, aut lites exoriri possent, non tantùm sub veniali, sed sub mortali tunc necessarium foret, uti verbis, ut tradunt Palao, Pontius, Tamb. & alij; quod ut semper fiat, conari debent Parochi, nec aliud permittere: ipsos verò contrahentes monent AA, ut consuetudinem Ecclesiæ observent, quæ jam passim invaluit, ut certâ verborum formulâ in Diœcesium Ritualibus præscriptâ de consensu interrogentur contrahentes à Parocho assistente, & ad interrogata respondeant: atque ita ex hactenus dictis sufficienter quilibet intelliget, quæ sit decisio præsentis casûs.

8. Unum nunc superest dubium, cùm verba nec ad valorem Matrimonij, nec ex præcepto Ecclesiæ regulariter sint necessaria, sed alia signa adhiberi possint, an sufficiant ea signa, quæ nota sint solis contrahentibus, quæ satis esse diximus ad contrahenda sponsalia *p. 1. sect. 1. q. 5. n. 3.* v. g. si inter se conveniant, quòd tunc velint contractum concludi, cùm alter alteri manum ostenderit, an verò opus sit, ut ea signa ab alijs quoque intelligantur?

℟. Etsi hujusmodi signa sufficere potuerint ante Concilium Tridentinum,

num, cùm valida essent Matrimonia clandestina, atque etiam nunc sufficiant ad contrahenda sponsalia de futuro, minimè tamen sufficiunt post Tridentinum ad contrahendum Matrimonium, nam per istud sunt annullata conjugia clandestina, debentque celebrari in facie Ecclesiæ assistente Parocho, & testibus, quos non satis est audire verba, aut videre externa signa; verùm oportet, ut intelligant, quid illis significetur, quia non debent testari, talia verba prolata esse, sed Matrimonium esse contractum: hoc verò testari nequeunt, si non intelligant, quid geratur. Coninck *disp. 27. dub. 4. n. 44.* Barbosa *in c. Tuæ, De sponsal. n. 2.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An fides in utroque foro habenda sit conjugi, dicenti, se fictè contraxisse?

CASUS

Matrimonium contrahentis sine consensu interno.

Polydorus tertio à nuptijs die domò, & patriâ profugus, post diuturnas vagationes sedem denique fixit in regione remota, ubi ignotus iterum Matrimonio sibi junxit Wenefridam, quæ tres ipsi liberos genuit. Post aliquot annos comperit hæc uxor, ejusque consanguinei, Polydorum jam alibi duxisse conjugem, eam-

camque etiamnum effe fuperftitem ; quod ipfe non diffitetur, negat tamen, iftud obeffe fuo Matrimonio, cùm prius illud conjugium nullum fit, in quod ipfe nunquam verè confenferit, fed omnia fecerit fimulatò.

Q. Quodnam ex his duobus Matrimonijs fit validum ?

SYNOPSIS.

1. *Fictè contrahens duplex peccatum mortale committit, & irritum eft tale Matrimonium.*
2. *Non poteft petere debitum : pars verò innocens non tenetur credere afferenti, fe fictè contraxiffe.*
3. *Neque in foro externo hoc dicenti fides habetur.*
4. *In foro autem interno id affirmanti creditur.*
5. *Proponuntur, & folvuntur aliqua dubia circa hanc materiam.*

1. NEceffarium effe confenfum in contractu Matrimonij, eumque verum, ac minimè fictum, ex præcedentibus fuffici enter conftat, idque ulteriùs colligitur ex fpeciali hujus contractûs natura, qui inducit vinculum quoddam mutui, atque perpetui amoris, & animorum, corporùmque conjunctionem : implicat autem, mutuum amorem effe fine vero affectu, & confenfu juxta id, quod dicit Nicolaus l. c. Præfens. 20. q. 3. *quod quis non eligit, neque optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit.* Unde in primis certum eft apud A A. eum, qui fimulato animo contrahit Matrimonium abfque vero interno confenfu, per fe loquendo peccare mortaliter, nifi forfitan gravis metus injuftè incuffus eum poffit excufare, tum quia alteri parti, quæ bona fide contrahit, in re graviffima injuriam infert, unde obligatus manet ad compenfanda damna, quæ inde conjugi putatitiæ accidunt, quæ compenfatio plerumque alia ratione fecundùm æqualitatem

tem fieri non potest, quàm ut deposita simulatione verum animum habeat, veroque elicito consensu matrimonium priùs fictè contractum ratificet, quod fiet accedente hoc novo consensu, dummodo pars altera consensum antè habitum vel actu, vel virtute retineat, quæ magis exponuntur inferiùs in casu de revalidatone Matrimonij. Peccat præterea fictè contrahens peccato sacrilegij contra reverentiam Sacramenti, sunt enim contrahentes Ministri hujus Sacramenti; omnis autem Minister falsò, & absque intentione adhibens signa Sacramentorum committit sacrilegium: ergo &c. Laym *L. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 1.* Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 2. n. 431.* Insuper præter hoc, quòd defectus veri consensûs gravissimè vulneret animam fictè contrahentis, alterum inde malum resultat, quòd reddat Matrimonium irritum. *c. Tua nos.* et *c. cùm locum. De sponsal. c. sufficiat. 27. q. 2.* in quibus locis clarè deciditur, sine vero consensu Matrimonium non subsistere: atqui ubi fictio, & simulatio intercedit, non habetur verus consensus: ergo irritum est, & omni Jure nullum ejusmodi Matrimonium. Hic verò opus est indagare, an eodem modo loqui oporteat de foro externo, & interno, eodemque modo de parte rea, & innocente?

2. Quod ad hoc ultimum attinet, certum est, eum, qui animo simulato contraxit Matrimonium, sciens, id esse invalidum, peccare mortaliter illud consummando, vel exercendo actus carnales, sunt enim revera actus fornicarij, nisi depositâ fictione Matrimonium ratificet vero consensu, vel expresso, vel tacito, exercendo copulam affectu maritali, & non præcisè ex mera libidine, volens nihilo minùs persistere in sua fictione, sic enim copula nequaquam ratificat, seu efficit Matrimonium ex irrito ratum, quod tamen facit copula habita affectu maritali. *c. Ad id., quod. De sponsal.* Econtra parti alteri innocenti, quæ bona fide Matrimonium contraxit, hæc fictio non obest, quò minùs ipsa possit petere debitum, cùm petat id, ad quod ex mutuo contractu *do, ut des* jus habet quodque alter licitè potest, & per se loquendo reddere debet, verè consentiendo, deposita simulatione; neque tenetur ipsa credere etiam juratò asserenti, se contraxisse consensu simulato, ut colligitur ex. c. Per tuas. De Probat. *Nimis indignum est juxta legitimas Sanctiones, ut, quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eundem casum valeat proprio testimonio infirmare*; unde meritò præsumere potest, mentiri nunc eum, qui tunc se fatetur esse mentitum, imò verosimiliùs sibi imaginari potest, quòd modo mentiatur, quàm quod hoc fecerit in contractu principali. ita Sanch. *L. 2. disp. 45. n. 3.* Navarr. *in Manuali c. 23. n. 82.* Sylvest. *V. Matrimonium 4. q. 1. & 2.* Eman. Rodriq.

p. 1.

p. 1. *Summæ. c.* 242. *n.* 6. Petrus Ledesma *q.* 45. *de Matr. a* 1. *dub.* 2. Sporer *Theol. Sacramental. p.* 4. *c.* 1. *Sect.* 1. *n.* 24. *& c.* 2. *Sect.* 2. *n.* 432.

3. In foro quoque externo fides ipsi non adhibetur ex eadem ratione. Ita AA. citati cum Lessio *in Auctario V. Matrimonium cas.* 4 & Petro Marchantio *in resol. var. casuum cas.* 1. *de Matr.* est enim tam vehemens, & Juridica præsumptio, abfuisse fictionem ab illo actu solemni, ut debeat id Matrimonium indubitanter haberi pro sincerè celebrato, donec, ut ait Laym. *L.* 5. *tr.* 10 *p.* 2. *c.* 6. *n.* 3. deceptor suæ deceptionis *clarissima indicia edat.* Sanchez quidem *cit. disp.* 45. *n.* 4. *& seqq.* plura enumerat argumenta, indicia, & conjecturas, è quibus probari possit, aliquem solùm fictè consensisse; sed neque ipse omnibus acquiescit, neque Layman, qui petit *indicia clarissima.* Palao quoque *disp.* 3. *pu.* 2. §. 6. *n.* 3. vult tales conjecturas, quæ, fictionem adfuisse, certò moraliter persuadeant, quo loco plerasque conjecturas ordinariè afferri solitas ipse reijcit. Neque Lessius eas probat, qui *in Auctario V. Præscriptio cas.* 7. negat, in foro externo contra solemnem contractum Matrimonij, secundùm formam Juris initum, ullas valere præsumptiones, quantumvis multæ, & magnæ sint. Id verò admittit Gobat *tr.* 10. *cas.* 11. *n.* 443. quando alteruter è conjugibus ante contractum Matrimonialem protestatus est, nolle per se per quæcunque verba à se dicenda contrahere, atque hanc protestationem probare potest duobus testibus, credendum esse postea asserenti, se simulatè egisse in ipso contractu Matrimoniali, quia tunc habetur moralis certitudo de fictione. Atque ita patet in casu nostro, quid in foro externo judicandum sit de secundo conjugio Polydori cum Wenefrida; habebitur id nempe pro nullo.

4. At verò in foro conscientiæ interno, si fortè se accusaret, quòd simulatò contraxerit, nec ullo modo hoc Matrimonium ratificaverit, credendum est asserenti etiam contra præsumptionem Juris, cùm nemo præsumatur ita salutis suæ immemor, ut quærens reconciliari Deo, in interno foro falsum deponat. Sanch. *l. c. n.* 2. Menoch. *De præsumpt. L.* 1. *præsumpt.* 77. *n.* 16. & *L.* 3. *præsumpt.* 1. *n.* 29. quapropter si in præsente casu prius conjugium revera fuit fictitium, alterum verò, quod ponitur insuper esse consummatum, sincero animo celebratum in facie Ecclesiæ, cùm certus sit ex una parte de nullitate contractûs prioris, ex altera autem parte de valore secundi, nec debet, nec potest admittere priorem conjugem putatitiam ad consortium conjugale. Gobat *n.* 438.

5. Ex hoc verò oriuntur aliqua dubia. Primum est, an certus de fictione habita, ac consequenter de nullitate

nullitate Matrimonij, possit authoritate propria illud dissolvere, & transire ad alias nuptias?

Resp. cum Sanch. *n. 14.* negativè, quia cùm Matrimonium celebratum fuerit coram Parocho, & testibus, præsumitur esse ratum, & ex secundis nuptijs consequitur necessariò publicum scandalum, nisi prius conjugium publica Ecclesiæ authoritate irritum declaretur, quocirca etiam evenire solet, quòd ejusmodi homines, qui priore deserta conjuge aliam ducunt, nullâ fictionem asserentibus habita fide, temeritatem suam luant vel pænâ capitis, vel alio gravi supplicio.

Secundum dubium est, quid agendum hujusmodi deceptori, qui relictâ uxore putatitiâ, non expectatâ Ecclesiæ sententiâ, aliam validè ducit, si postea fictionem primi Matrimonij asserenti Judex Ecclesiasticus fidem non habeat, eumque censuris compellat redire ad priorem conjugem?

Resp. cum Laym. *l. c. n. 3.* & Gobat *n. 439.* si nulla ratione effugere potest, quò minùs, deserta posteriore legitima uxore, adhæreat priori putatitiæ, potest quidem ipsi aliquamdiu cohabitare, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciat, potiùs tamen excommunicationis Sententiam secundùm externum forum humiliter sustinere debet, (nam in foro conscientiæ coram Deo eam non incurrit) quàm ut in copulam consentiat, cùm id verum adulterium esset, per se, atque intrinsecè malum, quod proinde Ecclesiæ Prælatus neque jubet, neque jubere potest, quæ est doctrina S. Thomæ *in Supplem. q. 45. a. 4. ad 3.*

Tertium denique dubium est; si revera prius Matrimonium validum, secundum verò bona fide uxoris contractum, ac consummatum, irritum, ac nullum foret, an liberi ex eo geniti censendi erunt legitimi?

Resp. Affirmativè. Ita deciditur *in c. Ex tenore. 14. Qui filij sint legitimi*, prolem, quæ suscepta est ex Matrimonio viri, qui, uxore sua vivente, in facie Ecclesiæ duxit secundam hujus ignaram, habendam esse pro legitima, eo quòd in favorem prolis major ratio habeatur bonæ fidei conjugis ignorantis, quàm malæ fidei alterius. Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 1.* Gobat *tr. 10. cas. 19. n. 712. in appendice completiva Lit. e.* Barbosa *in cit. c. Ex tenore n. 2.* Engl, Wiestner, Pirhing &c.

§. IV.

§. IV.

De Indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum.

QUÆSTIO PRIMA.

An Heterodoxorum Matrimonia dissolubilia sint?

CASUS

Inter Acatholicos in nostris partibus non infrequens.

Amulius in urbe Imperiali Acatholica uxorem duxit Terentiam, in dogmate Lutherano, quod ipse quoque sectabatur, natam, & educatam: convenerunt autem in hoc expressis verbis, ut, si ipsorum alteruter torum violaret, Matrimonium dissolveretur. Post aliquot annos hæc deprehensa est in adulterio, reque delata ad consistorium Prædicantium, solutum est Matrimonium, facta Amulio libertate ducendi aliam, tum propter pactum in nuptijs appositum, tum quòd recepta apud ipsos doctrina esset, ob superveniens adulterium licitum esse repudiare conjugem ream, & ad alia vota transire.

Q. Quid sentiendum de hoc Matrimonio?

SYNOPSIS.

1. *Matrimonium dupliciter dissolvi potest, vel quoad vinculum, vel quoad torum: illa dissolutio in sensu proprio, ac rigoroso repudium dicitur; ista divortium.*

2. *Hæretici nostri temporis docent, dissolvi posse Matrimonium ob adulterium, aliasque causas.*

3. *Ad clariorem controversiæ hujus intelligentiam notanda est triplex divisio Matrimonij in legitimum, ratum, & consummatum.*

4. *Ex prima sua institutione Matrimonium quodlibet tam fidelium, quàm infidelium, etiam non consummatum, habet aliquam indissolubilitatem.*

5. *In lege tamen veteri ex speciali concessione dissolvi poterat libello repudij, non solùm impunè, sed etiam licitè.*

6. *In nova quoque lege Matrimonium infidelium, etiam consummatum, dissolvi potest, si unus convertatur ad fidem, altero renuente converti: non tamen similiter dissolvitur Matrimonium, si unus conjugum fidelium fiat infidelis.*

7. *Matrimonium fidelium ratum non est omnino indissolubile, at consummatum nullo casu solvi potest quoad vinculum, ut ex Concilijs, & S. Scriptura ostenditur.*

8. *Afferuntur argumenta Sectariorum in contrarium.*

9. *Eadem refutantur.*

10. *Quid judicandum de præsente casu, & universim de Matrimonijs hæreticorum? Duplex affertur opinio: prima durior est, quàm ut sine limitatione admitti queat.*

11. *Altera docet, Matrimonia Heterodoxorum esse contractus merè civiles, atque ideo dissolubiles. Sed reijcitur.*

12. *Sta-*

12. *Statuitur, conjugia Sectariorum ordinariè vera, ac valida esse Matrimonia, proinde non nisi morte alterius conjugis dissolubilia, & ut talia reipsa contrahi, non obstante privato contrahentium errore de eorundem solubilitate.*

1. DUplex est modus dissolvendi Matrimonium, quoad vinculum, & quoad torum. Dissolutio quoad torum vocatur illa, quando, manente vero conjugio quoad vinculum, conjux solummodo liberatur ab obligatione reddendi debitum conjugale, cohabitandi, & reliqua officia conjugalia præstandi, de qua solutione hîc nobis sermo non est, sed alio loco fusiùs tractabitur. Altera dissolutio Matrimonij quoad vinculum, de qua in casu præsente agitur, habetur tunc, quando nexus, & obligatio inter conjuges simpliciter tollitur, ut verè desinant esse conjuges, & evadant utrinque liberi, acsi nunquam fuissent conjugati, restituunturque in eum statum, quem ante nuptias habuerunt, ita ut uterque pro libitu possit, si nihil aliud obstet, validè transire ad aliud Matrimonium, quamvis consors tori adhuc in vivis existat. Priorem dissolutionem Matrimonij quoad torum duntaxat, & cohabitationem Theologi propriè appellant *divortium*; alteram, qua solvitur etiam vinculum, *repudium* vocant; Juris consulti aliter accipiunt istas voces, apud quos repudium significat dimissionem tùm Sponsæ, tum etiam uxoris; Divortium autem dimissionem solius uxoris post Matrimonium, sive quoad torum, sive quoad vinculum, ut patet ex *L. Inter stuprum §. 1. ff. De V. S* & *L. Inter divortium ff. eod.* unde tam in Jure Canonico, quàm Civili in titulo de divortijs agitur de solutione Matrimonij tam quoad torum duntaxat, quàm etiam quoad vinculum.

2. Fuerunt non modò è Gentilibus, sed etiam ex Hæreticis, qui censuerunt, Matrimonium pro arbitrio dissolvi posse, & transiti ad alias nuptias, nulla prorsus aliâ causâ requisitâ, prout sensisse Montanum testatur Eusebius *L. 5 Histor c.* 18. cujus erroris illa potest esse apparens ratio, quod (ut habetur c. 1. de Reg. Jur.) *omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur:*

dissolvitur : sed Matrimonium solo conjugum consensu fit, & nascitur; ergo solo illorum consensu, sicut alij contractus, dissolvitur. Hodie quoque id fieri posse arbitrantur Sectarij nostri temporis, saltem in causa adulterij, ut Calvinistæ docent, quod Lutherani ad alias insuper causas extendunt, v. g. si uxor debitum conjugale sæpius neget, si in longinquam regionem abeat, aut longo tempore domo absit, ad peccatum incitet, ante Matrimonium fornicata fuerit, aut aliàs molesta sit cohabitatio, frequentes rixæ &c. in his, & similibus casibus faciles sunt Præcones Lutherani ad dissolvenda Matrimonia, & impertiendam licentiam ducendi aliam uxorem, lutosis nempe vestigijs Magistri sui insistentes, qui libro de vita conjugali tom. 8. Wittenberg. Germ. pag. 177. facie 1. de contumace uxore ita loquitur; *Si non velit, dimitte illam, & aliquam Estherem adjunge, repudiatâ Vasthi, sicut Rex Assuerus fecit.* qua æquitate autem hæc fiant, ex dicendis patebit.

3. Ut clarè procedamus in hac controversia, observandum est, aliud judicium esse debere de conjugio fidelium, aliud de conjugio infidelium, & rursus aliud de conjugio fidelium rato, & non consummato, & aliud de conjugio fidelium consummato: pro quo notandum, triplicem fieri solere divisionem Matrimonij, in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum quamquam dici possit quodcunque Matrimonium, quod à Jure improbatum non est, propriè tamen hoc nomine solùm nuncupatur, quod secundùm leges humanas inter infideles, paganos, Turcas, Judæos, contrahitur, & in solo legitimo, ac naturali eorum consensu consistit, Ecclesiæ tamen ratificationem non habet, nec Sacramentum est. Ratum illud propriè dicitur, quod per verba de præsenti juxta Novæ Legis Divinas, & Ecclesiasticas sanctiones contractum est à fidelibus, seu baptizatis, & Ecclesiæ ratificatione approbatum, habetque rationem Sacramenti, quod tamen necdum secuta est carnalis copula, sufficiens ad generationem. Consummatum denique vocatur id, quod post legitimum consensum de præsenti habitum, per hujusmodi copulam completum, & consummatum est, de quo legi possunt Palao *disp. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 1.* & Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 34.* Notanter verò dicitur: *per copulam post legitimum consensum secutam*; ad hoc enim, ut Matrimonium consummetur, necessariò debet consensus legitimus, seu Matrimonium ratum præcedere, nam si copula habeatur ante contractum Matrimonialem, ex ea non inducitur Matrimonij consummatio, quia quod non est, consummari non potest: sed ante contractum Matrimonialem non est Matrimonium;

monium: ergo &c. erit proinde talis copula merè fornicaria, nec indissolubilitatem, aliosque effectus Matrimonij consummati operabitur. Engl in *Manuali Paroch. p. 3. c. 5. §. 1. n. 6.*

4. His prænotatis certum est, Matrimonium quodcunque tam fidelium, quàm infidelium, etiam nondum consummatum, habere aliquam indissolubilitatem, ita ut libero contrahentium consensu dissolvi nequeat, in quo DD. conveniunt, idque, ut certum supponit Tridentinum, dum Sess. 24. in principio De Sacram. Matr. doctrinam suam ita orditur de omni conjugio loquens: *Matrimonij perpetuum, indissolubilemq; nexum primus humani generis parens Divini Spiritûs instinctu pronunciavit, cùm dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quæ verba, testante S. Concilio ab Adamo prolata ex inspiratione Divina, & quidem priùsquàm Evam uxorem suam cognosceret, cùm sint desumpta ex *Genes. c. 2.* habemus eo ipso testimonium sufficiens è sacris Paginis, in ipso statim Paradyso sic esse à Deo institutum Matrimonium, ut esset indissolubile, etiamsi adhuc consummatum non esset. Idem habetur Matth. 19: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* & ad Rom. 7. *Mulier vivente viro alligata est legi.* In quibus textibus iterum nulla distinctio fit inter Matrimonium ratum, & consummatum. Ex ipsa deinde Matrimonij definitione passim recepta id ipsum constat, nam definiri solet: *Maris, & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens*; & convincitur etiam ratione, quia Matrimonium ex natura sua ordinatur non tantùm ad generandam, sed etiam ad bene educandam prolem: sed huic utrique bono maximè repugnat dissolubilitas Matrimonij: ergo &c. Præterea si Matrimonium libero contrahentium consensu contrahi, & solvi posset, sicut alij contractus, possent homines exercere pro libitu vagam libidinem, quin committerent aliquando fornicationem, nam possent sibi invicem vir, & fœmina dare potestatem, & dominium corporis pro illo duntaxat brevissimo tempore, atque ita accessus fieret ad propriam, quod dici nullo modo debet, cùm ex se absurdissimum sit, & prolis certitudini, ac educationi summopere repugnet; unde axioma illud: *per quas causas res aliqua nascitur, per easdem etiam dissolvitur*, locum habere nequit in contractu Matrimonij ob ejus peculiarem naturam, sed firmum, certumque manet, quodcunque Matrimonium esse indissolubile.

5. Dixi autem, quodcunque Matrimonium habere aliquam indissolubilitatem, nam quòd non penitus indissolubile sit, patet in primis ex eo,

eo, quòd in lege veteri ex concessione Divina Matrimonium etiam consummatum dissolvi potuerit, dato ex justis causis uxori libello repudij. *Deuteron.* 24. Quamquam verò multi doceant apud Tannerum *to* 4. *disp.* 8. *q.* 5. *dub.* 2. *n.* 25. repudium fuisse solummodo toleratum in foro externo, & Judæis permissum, ut hoc impunè facerent, ad evitanda majora mala, præsertim uxoricidio ad quæ erant propensi, non autem peculiari aliquo privilegio concessum, ut esset etiam in conscientia licitum, nec vinculum Matrimonij solutum, neque contractum cum nova uxore fuisse verum conjugium, sed adulterium, quamvis illud peccatum à Lege manserit impunitum, quæ omnia putant colligi posse ex Verbis Christi *Matth.* 19, ubi dicit, libellum repudij fuisse Judæis permissum ad duritiam cordis eorum, & hanc permissionem revocat tanquam abusum. Nihilominus opposita Sententia est multò probabilior, nam ex eo, quòd Christus hanc permissionem revocaverit, non sequitur, eam fuisse meram tolerantiam, & abusum, quia vera quoque permissio revocari potest, præsertim quando originem suam habuit ex mala causa, sicut hîc accidit, ubi occasio hujus permissionis fuit duritia cordis Judæorum: fuisse autem veram permissionem, ut possent Judæi non solùm impunè, sed etiam licitè dimittere uxores, dato libello repudij, patet ex *cit. loc. Deuteron.* 24. quia lex Mosaica non puniebat nuptias repudiatarum cum alijs viris: ergo tales nuptiæ non erant adulteria, sed vera Matrimonia, Lex enim Mosaica jubebat lapidari mulierem semel in adulterio deprehensam. Plura argumenta pro hac Sententia afferunt Tannerus *loc. cit.* Præpos. *q.* 5. *de Matr. dub.* 3. & Becanus *to.* 1. *c.* 47. *de Sacram. in specie q.* 2. qui videri possunt.

6. In novo quoque testamento, seu Lege Evangelica favore Religionis, ac fidei Christianæ Matrimonium infidelium non baptizatorum, quantumvis consummatum, dissolvi potest, si uno conjugum ad fidem converso, alter converti nolit, & baptizato cohabitare, vel saltem non sine injuria Creatoris, aut pertractione ad peccatum, hoc enim casu potest fidelis, relicto infideli, aliud Matrimonium inire cum fideli, in quo DD. conveniunt, & fusè hanc materiam tractant Palao *disp.* 3. *de Sponsal. pu.* 2. §. 3. Sanch. *L.* 7. *disp.* 47. Hurtad. *disp.* 8. *de Matr difficult.* 10 *& seqq.* Dicastillo *disp.* 2. *de Matr dub.* 35. *& seqq.* Tannerus, Tamb. &c. Statuitur hoc expressè in *c. Quanto. De Divortijs*, atque idipsum asserit D. Paulus 1. Cor. 7. *quòd si infidelis discedit, discedat, neque enim servituti* (id est conjugij vinculo, quod servitutem vocat) *subjectus est frater, aut soror hujusmodi*, scilicet, quin possit ad alia

vota

vota transire : cujus ulterior ratio est, quia cùm fidelis in eo casu, si infidelis discedat physicè, nolens jam ampliùs habitare cum fideli ob factam ejus conversionem, debeat carere illius consortio; aut si discedat moraliter. hoc est, si nolit cohabitare pacificè, sed cum injuria Creatoris, nomen Christi despiciendo, ejusdem laudes prohibendo, aut impediendo conversionem domesticorum, vel denique conversum conjugem ad aliquod grave peccatum incitando, omnino justam causam habeat vitandi consortium ejusmodi infidelis, vel etiam vitare teneatur, ex altera verò parte recèns ad fidem conversos Christus obligare nolit ad castitatem perpetuam, quod verbum non omnes capiunt, congruum omnino fuit, ut in favorem fidei ex ejusdem Christi privilegio posset fidelis Matrimonium dissolvere cum priore conjuge, & cum alio de novo contrahere. Licitum autem hoc esse non ex indulto Pontificio, ut aliqui volunt, ex eo patet, quòd in Ecclesia potestas non sit, dissolvendi Matrimonium consummatum: ergo istud conceditur ex solo privilegio, & dispensatione ipsius Christi, quo sensu teste Sanch. *l.c.n. 4.* Ecclesia intelligit, & interpretatur verba Apostoli superiùs adducta.

Quòd si ex occasione dictorum quæras, si è conjugibus baptizatis, & fidelibus alteruter eorum fidem deserat, & vel in hæresin, vel paganismum labatur, poteritné, qui est Catholicus, hoc infideli relicto, transire ad alias nuptias, soluto priori Matrimonio? plus enim peccat fidelis apostatando à fide, vel labendo in hæresin, quàm si infidelis in infidelitate maneat, quod tamen si fiat, dissolvi potest Matrimonium: ergo jure vel æquali, vel etiam fortiore dissolvi poterit etiam in altero casu.

Resp. negativè, quia hæresin non esse causam dissolvendi Matrimonij, statuitur à Concilio Tridentino Sess. 24. Can 5. De Sacram. Matr. *Si quis dixerit, propter hæresin dissolvi posse vinculum Matrimonij, anathema sit.* Sed neque lapsum in paganismum ad hoc sufficere, definitur in *c. Quanto. De Divortijs*, propterea, ne sub hujusmodi pratextu, & malitiosa simulatione conjugia, quæ minùs placent, dissolvi attententur. Tamb. *tr. 5. de Matr c. 5.* §. *3 n.* 7. Pirhing *n.* 36. *De Divortijs.* Wagnereck *in cit c not. 2.*

7. Hactenus egimus de conjugijs infidelium, dicendum nunc est de Matrimonio fidelium baptizatorum, cujus insolubilitatem probavimus supra *n 4.* quod tamen si ratum solummodo est, & nondum consummatum, ipsum quoque omnimodam insolubilitatem non habet; dissolvi enim potest 1. ingressu in Religionem. 2. ex multorum sententia per dispensationem summi Pontificis, quod

quod tamen alij non pauci negant: utrumque hunc modum dissolvendi vinculum Matrimonij rati in duobus sequentibus casibus exponemus: at verò Matrimonium validè inter Christianos contractum, & consummatum ita indissolubile est quoad vinculum, ut extra mortem naturalem alterius conjugum, nulla ex causa solvi possit, etiam Pontificia authoritate, cùm nuspiam reperiatur, hanc facultatem concessam esse Pontifici. Hujus porrò diversitatis inter Matrimonium ratum, & consummatum AA. hanc assignant rationem, quòd illud solùm significet conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam, quæ & magis intendi potest, & per peccatum tolli; vel, ut alij dicunt, conjunctionem Christi cum Ecclesia per Charitatem, quæ unio, etsi respectu totius Ecclesiæ inseparabilis sit, subinde tamen dissolvitur per peccatum mortale saltem in membris Ecclesiæ particularibus, ideoque etiam Matrimonium ratum, quod illius figura est, quandoque dissolvi potest; econtra Matrimonium consummatum repræsentat unionem hypostaticam Verbi Divini cum natura humana, vel conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptam Humanitatem, quæ unio prorsus indissolubilis est, ideoque etiam Matrimonium illam perfectè significans est omnino indissolubile. Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 2.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 11. n. 4.* Pirch. *n. 140. de sponsal.*

Veritas istius indissolubilitatis definita est ab œcumenicis Concilijs, ita enim loquitur Florentinum in Decreto Unionis §. Septimum: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cùm Matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Et Trid. Sess. 24. De Sacram Matr. can. 5. *si quis dixerit, propter hæresin; aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonij vinculum, anathema sit.* Atque iterum can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium conjugum Matrimonij vinculum non posse dissolvi, & utrumq; vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœchariq; eam, quæ dimisso adultero, alij nupserit, anathema sit.* Quæ sanè evertunt doctrinam hæreticorum nostri temporis, asserentium, ob dictas causas dissolvi posse vinculum Matrimonij consummati.

Videamus nunc etiam, qua veritate doctrina nostra vocetur *Evangelica*, & *Apostolica* à S. Concilio. Unum, alterumvè textum, omissis pluribus, adduco. 1. Cor. 7. dicit Apostolus: *ijs autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, NB. uxorem à viro non discedere:*

quòd

quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, quo loco Apostolus explicans Christi doctrinam, tradit, etiam in casu, quo potest uxor à viro discedere ex justa causa, v. g. ob viri fornicationem, non posse tamen eam alteri nubere, sed debere vel remanere innuptam, vel viro reconciliari, atque ita ad ipsum reverti, & Rom. 7. *Mulier vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri; igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

8. Non obstantibus istis textibus, Sectarij nostri temporis arbitrantur, favere suæ opinioni Sacram Paginam, & ex ea clarè ostendi posse, licitum esse ob adulterium repudiare uxorem, aliamque ducere, quod deinde, ut dictum est, extendunt ad alias quoque æquivalentes causas. Textus, quem pro se adducunt, desumitur ex Matth. c. 19. ubi Christus ait: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ergo si uxor commisit adulterium, dimitti potest, & alia duci. Id ipsum volunt decisum esse etiam in Jure Canonico authoritate Zachariæ Papæ c. concubuisti 32. q. 7. *concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas; & si illa, quæ uxor tua fuerat, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit*; ubi clarum est, vi hujus canonis relicto viro adultero, posse uxorem alteri nubere; quibus similia habentur in *can. Vxor. caus. & quæst. cit.* qui textus ex S. Ambrosio desumptus est.

9. Verùm his omnibus errorem suum satis tueri nequeunt, nam verba Christi non sunt accipienda eo sensu, quasi diceret, mœchari eum, qui aliam ducit, nisi suam uxorem dimiserit ob fornicationem, quasi verò tunc licitè aliam ducere posset, vox enim *mœchatur* non debet sic conjunctim referri ad utramque propositionis partem, sed divisim hoc sensu: quicunque dimiserit uxorem suam, videlicet quoad torum, nisi ob fornicationem, mœchatur, nempe adulterio alieno, in quantùm dat uxori occasionem mœchandi ob injustam dimissionem, atque ita de ejus adulterio participat; & qui aliam duxerit ob quamcunque causam, etiam ob fornicationem, mœchatur. Debere autem hoc sensu accipi, ita ut aliam ducere nequeat is quoque, qui suam uxorem ob fornicationem dimisit, manifestum est ex SS. Marco, & Luca, qui eandem Christi Sententiam referunt generaliter absque ulla exceptione: & Marcus quidem c. 10. eandem tradit his verbis: *Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* & Lucas c. 16. *omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Quod non fieret, si major esset separatio-

paratio, quàm quoad torum, & cohabitationem, ipsumque etiam vinculum fuisset sublatum. Præterea cit. textu Matth. 19 Christus non solùm omnes illas causas, ob quas Hebræi uxores dimittebant, ad causam unicam fornicationis reduxit, sed etiam libellum repudij, illis ob cordis duritiam olim concessum, omnino sustulit, ut ex contextu patet: at dare libellum repudij aliud nihil erat in lege veteri, quàm, hac uxore repudiatâ, liberum esse viro aliam ducere: ergo vir divertens ab uxore fornicante non potest aliud Matrimonium, eâ vivente, inire, aliàs libellus repudij non omnino sublatus esset. Sanch. *L 10. de Matr. disp. 2. n. 2.* ex quo patet, post legem Evangelicam neque Judæis, nec alijs infidelibus ampliùs permissum esse repudium, neque per illud dissolvi Matrimonium, quia Christus illud reprobavit, & dispensationem Judæis à Deo concessam revocavit, ac Matrimonium ad statum legis naturalis reduxit, in qua id erat indissolubile, ut patet ex illis verbis Matth. 19. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Sanch. *L 10 disp. 1. n. 9* Pirh. *n. 49. De Divortijs*

Nec textus Juris firmius ipsis fundamentum præbent, namque Decretum illud Zachariæ, quo sensu accipiendum sit, intelligent, si legerint subjunctam Glossam, nempe ut nubat post mortem viri, vel etiam eo vivente, si fuit solùm Sponsa de futuro Alterum testimonium ex *c. Vxor.* desumptum, negant multi, esse Divi Ambrosij, sed ipsi, inquiunt, ab hæreticis esse impositum, vel ab alijs falsarijs insertum, ut ipsa Glossa ait: Sed, esto, sit D. Ambrosij, plus inde non probatur, quàm licitum esse marito dimittenti uxorem adulteram post mortem hujus aliud Matrimonium contrahere, additurque istud ad differentiam indicandam inter virum, & uxorem adulteram, quia hæc loco pœnitentiæ aliquando jubebatur etiam mortuo marito à nuptijs abstinere, quod viro, quamvis reo, non legitur fuisse impositum. Cæterùm, si tamen Adversarijs ita arridet Jus Pontificium, dictis capitulis repono alia duo, videlicet *1.* & *2. ead caus.* & *quæst.* quæ apertè dicunt, facto divortio ob adulterium, non tolli vinculum conjugale; posterius ita incipit: *Licitè dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* Prius ita habet: *Interveniente Divortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis, ita ut sibi conjuges sint etiam separati &c.* Denique quis non videt, si causâ fornicationis vinculum Matrimonij dissolveretur, viam aperiendam esse innumeris repudijs, nec enim defuturi essent perversi homines, qui medium istud turpissimum arriperent, &

& adulterium committerent, ut sic soluto Matrimonio ad alias nuptias aditus pateret, atque ita ex suo delicto commodum reportarent: manet ergo inconcussa veritas, nec adulterio, nec alia simili causa dissolvi posse vinculum Matrimonij, contrà quàm cum carnali Doctore Lutherani, & liliato Magistro suo Calvinistæ docent, & reipsa in praxi observant.

10. Quæres; quid igitur judicandum in præsenti casu, atque universim de Matrimonijs Heterodoxorum nostri temporis, dum ea passim dissolvunt ob commissum adulterium, præsertim quando expressè apposita fuit ista conditio, ut ex hac, similivé causa conjugium sit dissolubile?

Resp. Duplex occurrit circa hoc dubium Sententia. Prima deduci potest ex hactenus disputatis, dicique, Amulium potuisse transire ad secunda vota, non quòd prius conjugium per Consistoriales Heterodoxos dissolvi potuerit, aut justè, ac legitimè dissolutum fuerit, sed quia priùs Matrimonium nullum, & irritum fuit; est enim Matrimonium ex natura sua perpetuum, & indissolubile, ac consequenter quotiescunque apponitur conditio dissolubilitatis, irritum, ac nullum est, cùm illud vitient, ac irritent conditiones appositæ, quæ Matrimonij substantiæ repugnant. *c. fin. De Condit. apposit.* unde universim, ac generaliter conjugia Heterodoxorum eo modo contracta, ut vinculum dissolvi valeat ob superveniens adulterium, aliamvé causam æquivalentem irrita, ac nulla erunt.

Verùm hoc dicere, nisi limitetur, nimis durum est, videmus enim passim ita contrahi ab Heterodoxis, & tamen ipsorum Matrimonia habentur pro veris, & legitimis, eorumque liberi ad fidem Orthodoxam conversi, non modò ad Sacros Ordines, sed etiam ad primas Ecclesiæ dignitates admittuntur sine ulla prævia dispensatione, quod fieri non posset, nisi censerentur ex legitimo toro geniti. *c. 1. De Filijs Presbyt.*

11. Altera opinio est Neoterici cujusdam apud Gobat *tr. 9. cas. 11. n. 236. & tr. 10. n. 703.*, qui liberaliter concedit, posse Amulium, & quosvis Heterodoxos admitti ad secundas nuptias, priore conjugio quoad vinculum dissoluto ob adulterium, eo quòd Heterodoxorum conjugia, etsi valida, rescissioni tamen obnoxia sint. Ratio ipsius est, quam vocat irrefragabilem, quòd radix indissolubilitatis sit ratio Sacramenti, ratio autem Sacramenti deficiat in Matrimonio Hæreticorum, cùm Sacramentum in Matrimonio neque credant, neque intendant, proinde non sit nisi merè contractus civilis, & politicus, atque ideo, ut alij contractus, dissolubilis. Cum hoc consentit Petrus Marchantius *tom. 3. Tribunal. Sacramental. tr. 1 Tit. 6. conclus.*

6. conclus. 4. ubi Matrimonia hæreticorum, quæ juxta leges naturæ, & Divinas positivas, ac civiles contrahuntur, docet, vera esse, & legitima Matrimonia, non tamen Sacramenta, atque idcirco adjungit, si conjugum alteruter ad veram fidem convertatur, posse Catholicum, existente aliquo periculo perversionis, relinquere conjugem hæreticam, & ad alias nuptias transire, non minùs, quàm id fieri posse ostendimus in Matrimonijs infidelium.

Sed hæc Sententia sustineri non potest, nam suprà ostensum est ex Concilio Tridentino, nec propter adulterium, nec aliam similem causam dissolvi posse vinculum Matrimonij. Pariter ostensum est, opinionem erroneam hæreticorum non obesse, quò minùs ipsorum Matrimonium sit Sacramentum: si igitur Matrimonium, quod Sacramentum est, quoad vinculum dissolvi nequit, etiam Matrimonium Heterodoxorum indissolubile est. Præterea negatur, radicem hujus indissolubilitatis consistere in ratione Sacramenti, nam fuit Matrimonium indissolubile etiam priùs, quàm elevaretur à Christo ad statum Sacramenti; Matrimonium quoque ratum fidelium est verè Sacramentum, quod nemo Catholicorum negat, nec tamen ideo est insolubile, nam solvitur Professione Religiosa, ut in proximo casu docebitur: ergo ipsius insolubilitas aliunde provenit, quàm inde, quòd sit Sacramentum, ut ex hactenus dictis nimis quàm manifestum est, sive deinde ista indissolubilitas dicatur provenire ex ipso jure naturali, ut multi docent apud Sanch. *L. 2. disp. 13. n. 4.* sive ex præcepto Dei positivo, ut alij apud eundem *n. 5.* sive dicere malimus cum ipso Sanchez, Perez, Coninck, Sporer, Gobat, alijsque, indissolubilitatem Matrimonij fundari inchoativè in Jure naturali, ipsaque natura Matrimonij, spectata in ordine ad debitam prolis generationem & educationem, quæ sanè excludit concubitus vagos, & exigit aliquam indissolubilitatem, ut saltem pro libitu, ac propria authoritate contrahentium, & absque urgente causa dissolvi non possit; omnimodam autem indissolubilitatem Matrimonij, præsertim consummati, pro omni casu, & completè esse à Deo, sive à Jure Divino, vel quatenus ipse voluit, ut per Matrimonium consummatum significaretur unio Divinæ personæ cum natura humana, & Ecclesia, vel quatenus Deus tanquam proprius Dominus nostrorum corporum dedit homini potestatem copulandi se alteri, non tamen aliter ipsi concessit potestatem transferendi dominium usûs corporis, nisi per indissolubile vinculum: sicut igitur contra jus naturæ peccat, qui re aliena utitur aliter, quàm ipsi à vero Domino permissum est, ita etiam is invalidè, & contra jus naturæ

turæ agit, qui potestatem sui corporis alteri concedit aliter, quàm quatenus, & qua ratione id illi Deus permisit, ut ratiocinatur Perez *disp.* 20. *de Matr. Sect.* 2. *n.* 5. *& 6.* Voluisse autem Deum, ut hoc indissolubiliter fieret, patet ex testimonijs scripturæ supra allatis: sunt igitur Matrimonia Heterodoxorum indissolubilia, sive habeant rationem Sacramenti, sive non, quam absolutè separari validè posse, etsi non licitè, à ratione contractûs, ostensum est superiùs §. 2. *q.* 1. si contrahentes intentionem habeant non conficiendi Sacramentum; hoc tamen ipsum Matrimonium, si consummatum sit, omnimodam insolubilitatem habet.

12. Itaque contra principia utriusque hujus opinionis dicendum est simpliciter, Matrimonia Heterodoxorum nostri temporis non esse meros contractus Civiles, & politicos ad normam aliorum contractuum solubiles, sed vera, ac valida Matrimonia, atque indissolubilia, quæ proinde, si consummata sint, non patiantur transitum ad secundas nuptias rescisso priore vinculo. Ratio est, quia sicut Hæretici revera conficiunt Sacramentum, non obstante, quòd non credant, Matrimonium Sacramentum esse, vel etiam protestentur, se nolle conficere Sacramentum more Papistico, ut loqui solent, dummodo velint contrahere conformiter ad institutionem Christi, ita communiter non obest valori, & insolubilitati conjugij error, existimantium, Matrimonij vinculum in certis casibus solvi posse, modò habeant generalem intentionem contrahendi Matrimonium validum, juxta ipsius institutionem Divinam, & ritum veræ Ecclesiæ, sic enim re ipsa volunt contrahere insolubiliter, atque ideo ipsorum conjugia à Romana Ecclesia pro validis agnoscuntur, & liberi ex ijs procreati legitimi sunt. Ita Card. de Lugo *Disp.* 8. *De Sacramentis n.* 131. *& seqq.* Basil. Pontius *in Append. de Matr. Catholici cum hæret. c.* 9. *n.* 11. Wiestner *n.* 16. *De Divort.* Suarez *tom.* 2. *De Relig. tr.* 6. *de voto L.* 1. *c.* 3. *n.* 9. ubi dicit, eum, qui vult contrahere Matrimonium, ignorans, illud vinculum esse perpetuum, adhuc contrahere validè, quia habet intentionem generalem faciendi illum contractum eo modo, quo tenetur illum facere, ubi jam implicitè vult obligationem, & vinculum perpetuum. Quòd si verò aliqui essent ita constituti (cujus perversæ voluntatis communiter non sunt) ut vellent expressè non aliter contrahere, quàm solubiliter, ita ut solubilitas habeat rationem *sine qua non*, quandoquidem talis intentio repugnat substantiæ Matrimonij, contractus non subsisteret, ac talia connubia reipsa aliud non forent, quàm meri concubinatus, ut rursum cum cit. AA. docent Gobat *tr.* 10. *cas.* 19. *n.* 701. *&* 707.

&

& Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. n. 391. ad finem*, atque hoc sensu, non alio, prima opinio *n. 10.* indicata, vera est, quam pessimam voluntatem si non expressè habuit in casu nostro Amulius, prius conjugium ipsius fuit indissolubile, & ad secundas nuptias, vivente prima conjuge, transire non potuit.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Matrimonium ratum dissolvatur per Professionem Religiosam?

C A S U S

Transeuntis ad Ordinem Militarem post celebratum Matrimonium.

Amaranthus Illustri prosapiâ natus, contracto Matrimonio cum Virgine æqualis Nobilitatis, priusquam istud consummaret, adscribi petijt Ordini Militari Teutonicorum Equitum, ac inter eos professus est.

Q. An hæc professio suffecerit ad Matrimonij vinculum dissolvendum?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Matrimonium ratum inter fideles solvitur solemni Professione Religiosa.*

2. *Habet verò hanc vim Religiosa Professio, ut Matrimonium ratum dissolvat, probabiliùs non ex jure naturæ, vel Divino, sed Ecclesiastico.*

3. *Deducuntur aliqua notanda tum circa votum solemne castitatis, contentum in Sacris Ordinibus, tum circa vota Religionis simplicia in Societate IESV, tum denique circa particulares aliquos effectus solemnis in Religione Professionis.*

4. *Conjugibus conceditur tempus bimestre ad deliberandum de ingressu Religionis.*

5. *Etiam hoc elapso, post plures annos adhuc conceditur ingressus in Religionem, quamdiu Matrimonium consummatum non est: imò ingredi etiam potest uxor vi cognita à Marito intra bimestre, quod tempus à Iure concessum est non ad Professionem, sed ad solum ingressum Novitiatûs.*

6. *Emitti debet Professio in Religione approbata, nec sufficiunt vota Tertiariorum, vel Eremitarum.*

7. *De Militaribus Ordinibus, etsi aliqui universaliter negent, ipsorum vota dissolvere Matrimonium, cum distinctione loquendum est.*

8. *Votis Equitum Calatravæ, Alcantaræ, & similium Matrimonium ratum non dissolvitur, dirimitur tamen Professione Melitensium, Teutonicorum, & aliorum Equitum, qui vovent castitatem absolutam, & integram.*

9. *Exceptis Melitensibus alij Equites Militares non subjacent Decreto Concilij Tridentini quoad tempus Professionis.*

1. DUas partes complectitur præsens casus, videlicet, an per Professionem in Religione Matrimonium ratum, & nondum consummatum dissolvi possit; tum quænam debeat esse Religio, ut hunc effectum inducat? Quod ad primum attinet, communis est DD. Sententia, Matrimonium ratum inter Christianos quoad vinculum dissolvi, factâ solemni professione in Religione approbata, ut habetur *c. Desponsatam. 27, q. 2.* idque clarissimè definivit Alexander III. c. Verùm. 2. De Convers. conjugat. *post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium* (id est, in Religionem intrare) *sicut Sancti quidam de nuptijs vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est, ad secunda vota transire, quia, cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere.* Nec aliud statuit Innocentius III. c. Ex parte. Eod. ubi ait: *Antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari.* Quamvis autem prædicta decreta loquantur præcisè de transitu, vel ingressu in Religionem, intelligenda tamen sunt de ingressu Religionis cum effectu, hoc est, professione secuta, ut clarè decisum habetur in Tridentino Sess. 24. de Sacr. Matr. can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit:* est igitur de fide certum, solemni Professione Religionis simpliciter tolli vinculum Matrimonij rati, nondum consummati, inter fideles, quod etiam ex praxi perpetua constat, & traditione Ecclesiæ, in qua cum laude semper celebrati sunt illi, quid uxore suâ ante consummatum Matrimonium relictâ, Religionem professi sunt, quorum exempla ab Authoribus plura afferuntur.

2. Cæterùm quo Jure Matrimonium ratum per Professionem Religiosam dissolvatur, variant DD. Durandus, Richardus, Covarr. & alij apud Sanch. *L. 2. disp. 19. n. 1.* affirmant, Professionem hoc ex natura rei habere, ut Matrimonium ratum dissolvat, adeoque hoc dirimi ex Jure naturæ, quia, ajunt, Professio est mors quædam Spiritualis, & Civilis: ergo quemadmodum mors naturalis solvit vinculum carnale Matrimonij consummati, quod est ortum ex copula, ita Professio solvit vinculum spirituale, quale est Matrimonij rati, utpote ex solo consensu ortum. 2. Jure naturæ cuique liberum est, ab imperfectiore transire ad statum perfectiorem, quando per

per hoc nulla injuria infertur tertio; sed conjux solenniter profitendo in Religione transit ad statum perfectiorem, neque infertur tertio per hoc ulla injuria: nec enim ista infertur proli, quæ nondum concepta est: nec uxori, quia hæc potest aliud inire Matrimonium, & quidem æquè commodum, cùm per hunc viri discessum non vilescat: ergo &c.

Sed hæc Sententia non nititur solido fundamento; nam si Professio Religiosa hoc habet, ut solvat Matrimonium ratum, quia est mors spiritualis, & transfert ad statum perfectiorem, dirimere poterit etiam vinculum Matrimonij consummati, saltem quando non adest proles, & pars relicta consentit, quia etiam sic est mors spiritualis, & transitus ad statum perfectiorem, idemque præstabit status quoque Clericalis, & Episcopalis, qui utique sunt status perfectiores, quàm Matrimonium: his verò omnibus vinculum Matrimonij non dissolvitur, atque hi status cum ipso ex natura sua non sunt incompossibiles, utpote quod etiamnum perdurat: ergo professio Religiosa vinculum Matrimonij ex natura sua non dissolvit.

Alij attribuunt professioni Religiosæ hanc vim ex Jure Divino positivo, quòd nempe Christus professioni Religiosæ concesserit hoc privilegium, ut Matrimonium ratum dissolvat; idque probant, quia ex Jure naturali Religiosa professio Matrimonium ratum non dissolvit, ut paulò ante dictum est, sed neque habet hanc efficaciam ex Jure Pontificio, cùm textus ullus ostendi nequeat, quo concedatur ipsi hoc privilegium, ut Matrimonium ratum dissolvat, cùm interim in exemplis ostendi queat, ab ipso statim Ecclesiæ principio conjugia fuisse sæpiùs dissoluta, dum Sancti complures, Matrimonio nondum consummato, se Deo consecrarunt, veluti B. Thecla, Macarius, Alexius &c. ergo dicendum est, hanc facultatem professioni Religiosæ specialiter datam esse à Christo Domino, ut Matrimonia rata dissolvat. Ita sentiunt Sanch. *l. c.* Basil Pontius, Filliuc. Tannerus, Tamb Bonac & alij.

Verùm hæc quoque Sententia mihi non probatur; Esto enim, in Jure non habeatur expressum, quando inceperit ista facultas dissolvendi Matrimonium ratum per professionem Religionis, non sequitur inde, hoc ab Ecclesia institutum non fuisse, nam plurima sunt, quæ Apostoli, vel Pontifices primis temporibus constituére, quorum institutio in Jure scripto non invenitur, de facto tamen fiunt, & ex traditione habetur, à tempore illo antiquissimo ad nos usque continuari hunc usum. Exempla Sanctorum, quæ afferri solent, quàm parùm vel penitus nihil probent, legi potest apud Castropalao *disp. 3. de Sponsal. pu. 2. §. 4. n. 4.*

n. 4. Certè de veritate unius, vel alterius dubitatur, in plerisque autem non est solutum Matrimonij vinculum, sed hoc illæso facta est duntaxat separatio cum consensu alterius conjugis, ut castitatem servarent, quin ederent vota solemnia Religionis.

Unde probabilior videtur tertia Sententia, Promissionem Religiosam vim dissolvendi Matrimonium habere ex solo jure Ecclesiastico, sive authoritate Pontificis, quam ipsi à Christo Domino datam esse ex traditione Ecclesiæ à tempore Apostolorum colligimus. Ita docent Palao *l. c.* Less. *L. 2. de Iust. c. 41. dub. 8. n. 69.*, Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 3.* Coninck, Hurtad. Præpos. Perez, Pirh. Wiestner, & plurimi alij. Consequitur necessariò hæc Sententia ex eo, quòd Religiosa professio hanc vim non habeat jure naturæ, nec jure Divino, ut ostensum est: ergo eandem habet Jure Ecclesiastico. Patet, quia si Matrimonium jure naturali, aut Divino dissolveretur per professionem Religionis, id ipsum fieret etiam per vota simplicia, cùm votorum solennitas, & eorundem à votis simplicibus diversitas non habeatur à natura, sed à solo Jure Ecclesiastico introducta sit *c. Vnic. De Voto. in 6.* atqui per vota simplicia hodie non solvitur Matrimonium ratum, sed solùm per vota Religionis solemnia, ut deciditur à Concilio Trident. loc. suprà citato, ubi cùm tribuat istum effectum soli professioni solemni, eo ipso tacitè excludit professionem non solemnem: ergo professio Religiosa vim dissolvendi Matrimonium ratum habet à solo Jure Pontificio, & authoritate Ecclesiæ.

3. Ex hactenus dictis, & præsertim ex Decreto Concilij Tridentini colliges 1. non solùm votum castitatis perpetuæ, etiamsi emissum fuerit in manibus Episcopi, aut coram alia persona publica, sed neque votum, quod includitur in sacris Ordinibus, ipsoque Ordine Episcopali, dissolvere Matrimonium ratum. Non illud, quia nec votum Religionis est, nec solemne. Non hoc, quia etsi solemne sit, votum tamen Religionis non est, cui soli competit hoc privilegium, prout statuitur in Extrav. Antiq. Joann. XXII. De Voto: *præsenti declaramus edicto, quòd licèt votum solemnizatum per Sacri Ordinis susceptionem, quantùm ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundùm statuta canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen priùs contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, invalidum est censendum.*

Colliges 2. etsi vota simplicia in Societate JESU, post absolutum Tirocinij biennium emitti solita, sint vota substantialia Religionis, & ea voventes evadant veri Religiosi,

giosi, adeò, ut qui hoc ausi fuerint impugnare, aut contrarium asserere, ipso facto in excommunicationem incidant, Pontifici reservatam, ut habetur in constitutione Gregorij XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino*: quamvis item vi dictæ Bullæ hæc vota, etsi simplicia, Matrimonium contrahendum, sive consequens, dirimant, nihilominus tamen Matrimonium ratum præcedens non dissolvere, quia de Matrimonio priùs contracto Pontifex nullam fecit mentionem, nec circa hoc aliquid immutavit: requiritur ergo ad hunc effectum etiamnum ea solemnitas, quam exigit Tridentinum; adeoque hæc vota, quia simplicia sunt, Matrimonium ratum non dissolvunt, ati nec illa, quæ emittuntur post plures annos à Coadjutoribus formatis, sive Spiritualibus, sive temporalibus in eadem Societate, nam & hæc, quamvis sint publica, simplicia tamen sunt, adeoque Matrimonium ratum in Societate solùm dissolvitur per Professionem solemnem sive trium, sive quatuor votorum. Ita contra Basil. Pontium Suarez *to. 4. de Relig. tr. 10. L. 4. de vot. simpl. c. 2. n. 3. & seqq.* Sanch. *L. 2. disp. 18. n 6.* Pirh. *n. 47. de convers conjugat.* Wiestner, Vasq. Dicastillo, Perez, Pellizarius, Henriq. Hurtad. Tamb. & communiter DD. nostræ Societatis.

Colliges 3. Professione solemni Religionis ita dissolvi Matrimonium, ut non modò pars in sæculo remanens possit liberè ad alia vota transire, verùm etiam, si talis professus postmodum ex dispensatione Pontificia à Religione discedens iterum reverteretur ad sæculum, posset cum qualibet contrahere novum Matrimonium, cùm ruptum fuerit prius vinculum. Item si talis Religiosus peccaret contra castitatem, ageret quidem sacrilegè contra votum, non tamen committeret adulterium, nam, vinculo soluto, jam nullum adest Matrimonium. Denique si commisceretur carnaliter cum ea ipsa, quæ priùs erat illius uxor in Matrimonio rato, committeret veram fornicationem sacrilegam contra votum, & proles inde genita maneret spuria, utpote nata ex damnato coitu, quia soluto vinculo accessit non solùm ad jam non suam, sed insuper ad talem, cum qua non potuit stare Matrimonium, hinc proles inde genita non simpliciter illegitima, sed spuria est, qualis tamen non est proles nata è Patre facto Monacho cum consensu conjugis post consummatum Matrimonium, si cum ista rursus congrediatur, nam etsi illicitè se conjunxerint, tamen, cùm soboles ex vero Matrimonio nata sit, censetur esse legitima, saltem civiliter quoad successionem hæreditariam, aliaque similia jura. *c. Literas. De filijs Presbyt.* Laym. *in cit. c. n. 1 & 2.*

Wiestner

Wiestner *n. 23. & seq. Qui filij sint legit.* Pellizarius *tom. 2. tr. 7. c. 5. n. 74.*

4. Porrò cùm, uti ex textibus supra *n. 1.* allatis constat, possit conjux, etiam invito altero, ad Religionem transire, Matrimonio necdum consummato, concedunt eapropter SS. Canones sive mari, sive fœminæ tempus bimestre, computandum à die, & hora contracti Matrimonij, omnino integrum, quo possit deliberare, velitné Religionem ingredi, nec ne? quo tempore cogitans de assumenda Religione licitè negat debitum alteri parti, quantumvis enixè petenti. Imò non desunt AA., qui docent, posse conjugem primis duobus mensibus negare debitum conjugi, etiamsi Religionem ingredi nolit, eo quòd possit intra illud tempus propositum suum in melius commutare, quamvis de facto de Religione adhuc nihil cogitet, ideoque licere ipsi id tempus expectare. Ita Sanch. *L. 2. disp. 24. n. 25.* Tamb. *tr. 5. de Matr. c. 6. §. 5. n. 4.* Dicastillo *disp. 2. de Matrim. dub. 33. n. 410.* Basil. Pontius *L. 9. c. 9. n. 7.* Sylvest. & alij. Contrarium tamen probabilius est, quia per contractum Matrimonium uterque conjux statim tradit potestatem sui corporis, nisi jus aliquem casum excipiat, vel aliter inter partes expressè fuerit conventum; atqui jus excipit solum illum casum, quo alteruter conjux Religionem ingredi cogitat, ut patet ex *c. Publico. De convers. conjugat*: ergo &c. Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 2. §. 5. n. 7.* Coninck *disp. 26. dub. 4. n. 46.* Laym. *L. 5. tr. 10. c. 11. n. 3. not. 1.* Hurtad. *disp. 8. difficult. 8. n. 29.* Pirh. *n. 53. de convers. conjug.* & alij.

5. Illud certum est, tempore duorum mensium non ita arctari libertatem conjugum, ut ijs elapsis non ampliùs ipsis liceat Religionem ingredi, hoc enim semper ijs permissum est, quamdiu Matrimonium consummatum non fuit, etiamsi plures anni transierint: Imò tametsi injustè conjux ille negâsset debitum, qui vult Religionem ingredi. Coninck *l. c. n. 49.* Laym. Dicastillo, quia in *c. Ex publico*, & *c. Ex parte tua. De convers. conjugat.* absolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem ante Matrimonij consummationem, tempus autem bimestre solùm assignatur, ut intra illud tempus non possint cogi ad consummandum; quod tamen si fieret, & re ipsa intra hoc tempus à jure concessum Maritus conjugem de Religionis ingressu deliberantem per vim opprimeret (per quod peccaret mortaliter teste Sanch. *L. 2. disp. 22. n. 15.*) juxta citatos AA. contra Dianam *p. 3. tr. 4. resol. 242.* & Basil. Pontium *L. 9. c. 10. n. 3.* licèt sic Matrimonium indissolubile factum sit quoad vinculum, utpote per veram copulam consummatum, ut eapropter, ista vivente, vir

vir aliam ducere nequeat, probabilius est, uxorem ad debitum conjugale coactam adhuc posse Religionem ingredi invito marito, & inter viduas, vel conjugatas profiteri, quia nemo sine sua culpa, nedum per injuriam alterius, jure suo privari debet, dummodo tamen exinde damnum proli non timeatur, eò quòd sine Matre commodè educari nequeat. Sanch. *disp.* 22. *n.* 6. Dicastillo, Perez *disp.* 20. *Sect.* 6. *n.* 9.

Denique audiendi non sunt, qui docent, tempus bimestre in Jure concedi conjugibus ad faciendam professionem, ita ut intra hos duos menses debeant novitiatum agere, ijsque expletis vel professionem emittere, vel redire ad conjugem, ut aliqui opinantur cum Navarro *in Manuali c.* 16. *n.* 27. nam hi duo menses conceduntur ad ingressum Novitiatûs, quo facto, per annum deinde integrum relicto conjugi expectandum est, donec peracta probatione per professionem ingressus consummetur, & Matrimonij vinculum dissolvatur. Ratio hujus est, quia Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Regular. c.* 15. præscribit annum integrum probationis post susceptum habitum, professionemque citiùs factam pro irrita, ac nulla declarat. Imò quandoque diutiùs expectandum est, quando nempe v. g. uxor ea ætate ingressa est, ut citiùs absolvat annum tyrocinij, quàm possit profiteri, cùm vi ejusdem Tridentini *l. c.* invalida, & sine ullo effectu sit professio, edita ante annum decimum sextum ætatis completum. Palao *disp.* 3. *de Sponsal. pu.* 2. §. 5. *n.* 2. Pontius *L.* 9. *c.* 9. *n.* 2. & 3. Engl *n.* 5. *De convers. conjugat.* Pirh. Wiestner, Sanch. & alij.

6. Postquam igitur sufficienter ostensum est, professione Religiosa Matrimonium ratum dissolvi, atque ea etiam enucleata sunt, quæ circa Religiosam professionem observanda veniunt, nunc indagandum est, an hic effectus in qualibet Religione obtineatur? Circa hoc extra controversiam est, effectum hunc non consequi vota, quæ nec solemnia sunt, nec verum Religiosum constituunt; qualia sunt emitti solita in Congregationibus devotarum quarundam virginum, quæ ut inter Religiosos ordines accenseantur, approbationem à Sede Apostolica non habent; uti & illa vota, quæ communiter fiunt à quibusdam tertij Ordinis SS. Francisci, & Dominici, quæ nec solemnia sunt, nec Religiosum propriè efficiunt, quocirca vinculum Matrimonij nequaquam dissolvunt: excipio tamen eas Tertiarias, quæ collegialiter vivunt sub regimine alicujus Prælati, & professionem solemnem emittunt in regula approbata S. Francisci, vel S. Dominici, nam illas veras esse Religiosas declaravit Sixtus V.: de istis verò hoc ipsum testatur Sotus apud Dicastillo *disp.* 2. *de Matr. dub.* 32. *n.* 403. Idem dicendum

dicendum de votis eorum, qui vitam Eremiticam degunt, nam quamvis olim dirimeretur per ea Matrimonium, quia profitebantur solenniter, non tamen hodie, quia vel nulla nunc habent, vel tantùm simplicia vota. Sanch. Filliuc. Potior difficultas, & quæ ad casum nostrum faciat, est de Ordinibus militaribus, an vota Equitum quoque, qui ad bellandum sunt destinati, vim habeant, ut Matrimonium ratum dissolvant, quod omnes quidem concedunt professioni Clericorum, & Monialium in ejusmodi Ordinibus in claustro viventium, quia vota solemnia, & absoluta emittunt; de ipsis verò Equitibus hîc quæstio est.

7. Negant hoc privilegium Equitibus quorumcunque Ordinum Militarium, etiam S. Joannis, Sotus, & Sarmiento apud Basilium Pontium *L. 9. c. 7. n. 2.* Sed procedendum est cum distinctione; permagna enim inter Equites diversorum Militarium Ordinum differentia est, nam alij sunt Ordines Militares purè sæculares, quorum Equites sub nulla regula vivunt, neque Religiosi sunt, sed laici, quales sunt Ordo Equitum aurei velleris in Hispania, S. Spiritûs, & S. Michaëlis in Francia, S. Ludovici ibidem institutus à Ludovico XIV. Anno 1693. potissimùm ad remuneranda merita bellicorum Officialium; Ordo Garterij sub protectione S. Georgij in Anglia, S. Huberti erectus olim Leodij Anno 1444. à Gerardo Juliæ, & Montium Duce, & non ita pridem instauratus, à Serenissimo Electore Palatino Joanne Wilhelmo. Hi, alijque similes Equitum Militarium Ordines in controversiam non veniunt, cùm professionem Religiosam non habeant: Alij verò sunt, de quibus disceptatur, utrùm Religiosis adnumerandi veniant, veluti Equites S. Jacobi in Hispania, Calatravæ, Alcantaræ, S. Stephani, & alij similes, quos, cùm non voveant castitatem absolutam, sed solùm conjugalem, ac rei uxoriæ operam dent, verè ac propriè Religiosos esse, negant Arragon De Just. & Jure *q. 88. art. 11.* Laym. *L. 4. tr. 5. c. 1. n. 5.* Marta *de Iurisdict. p. 2. c. 32. n. 15.* & *p. 4. centur. 2. cas. 113. n. 33.* quibus locis testatur, sic esse conclusum à Rota Romana Anno 1579. Barbosa *Iuris Eccles. Vniversi p. 2. L. 3. c. 107. n. 27.* Garzia *p. 1. de Beneficijs c. 4. n. 15. & seqq.* qui præter jam allegatam adducit & ipse Rotam Romanam de Anno 1570, & 1582. Julius Caponus *Discept. Forens. p. 2. Discept. 121. n. 21. & seqq.* pro qua Sententia apud hos integri Catalogi Authorum referuntur, qui negant, propriè Religiosos esse; pro personis tamen Ecclesiasticis plerique eos agnoscunt. Alij denique sunt, qui tria substantialia vota edunt, & castitatem quidem simpliciter profitentur, fiuntque incapaces Matrimonij, videlicet

cet Equites S. Joannis Hierosolymitani, sive Melitenses, Teutonici, eorumque similes, quos veros esse Religiosos contra paucos aliquos docent plerique omnes, atque inter hos etiam Sotus *L. 7. de Iust. & Iure q. 4. a. 3.* mutatâ, ut rectè notat Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. Regular. q. 10. a. 4.*, priore opinione, qua olim *in 4. dist. 27. q. 1. a. 1.* contrarium docuit, eosque ab hoc privilegio exclusit; tam verò certum hoc esse, asserit Diana *p. 11. tr. 4 resol. 32.* ut stante communi opinione Doctorum, tot Bullis Pontificijs apertè hoc asserentibus, uti & Sacrarum Congregationum Responsionibus, ac infinitis S. Rotæ Decisionibus, temerarium judicet, hodiè aliter sentire, ac docere. Imò citato loco, & *p. 2. tr. 16. resol. 38.* & *p. 3. tr. 4. resol. 243.* affirmat cum Azor *p. 1. L. 13. q. 4.* si quis vovisset Religionem, satisfacturum suo voto ingrediendo Ordinem Melitensium, quod Pontius *L. 9. c. 7. n. 6.* extendit etiam ad Ordinem Militarem S. Jacobi, si quis in illo juxta confirmationem Alexandri III. profiteatur. Sed neque hoc, neque illud probatur mihi cum Sanch. *tom. 1. in Decal. L. 4. c. 16. n. 11. & 12.*, quia communiter Religionem seriò promittentes intendunt statum viventium in communi, & alienum à tumultu, fastu, conversatione mulierum, periculis castitatis, curis sæcularibus, ac divitiarum, quibus Equites isti undique immersi sunt: ergo non satisfaciunt suo voto, ingrediendo Religionem militarem, & inter Equites profitendo.

8. His prænotatis, si sermo sit de Equitibus Alcantaræ, Calatravæ, alijsque similibus, qui castitatem duntaxat conjugalem vovent, sive reipsa Religiosi sint, ut probabilius censeo cum Sanch. & Pontio modò citatis, quibus accedunt Suar. *tom. 4. De Religione tr. 9. L. 1. c. 4. n. 8. & sequentibus.* Lezana *in Summa Quæstion. Regular. tom. 1. c. 2. n. 2.* Jo. Sancius *disp. 49. n. 11. in selectis.* Navarr. *consil. 10. & 11. de Regular.* cùm in Bullis Pontificijs, in quibus istæ Militiæ à Sede Pontificia approbatæ sunt, hoc nomine appellentur, ut Ordines Regulares, ac Religiones dicantur: emittunt præterea tria vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis sub approbata regula; nec obest, quòd solùm voveant castitatem conjugalem, nam & hæc vera castitas est; nec opus est, ut quælibet Religio ad hæc tria vota se obliget in omni rigore, ut ex praxi constat, cùm aliæ alijs etiam paupertatem vel laxiorem, vel strictiorem servent: sive igitur dicti Equites veri Religiosi sint, ut isti tuentur, sive non sint, ut docent AA. superiùs adducti, de quo in utramque partem eruditè disputat P. Jacobus Wex *p. 5. Ariadnes Carolino-Canonicæ tr. 3. controv. 3. per totum.*

Dicendum est absolutè, per vota istorum

istorum Equitum Matrimonium ratum non dissolvi, namque Matrimonium stare potest cum votis eorum, qui solùm vovent castitatem conjugalem: ergo non est ratio, cur per professionem ejusmodi Ordinis dissolvatur. Econtra loquendo de Equitibus Melitensibus, Teutonicis, alijsque similibus, nam de his omnibus eadem ratio est, qui castitatem non solùm conjugalem, sed integram, & absolutam vovent, dicendum est, eorundem professione Matrimonium ratum non consummatum dissolvi quoad vinculum. Ratio est, quia hi Equites extra controversiam sunt veri, ac propriè dicti Religiosi, emittunt solemnem professionem in utroque Ordine sub regula S. Augustini, & votum castitatis ipsorum non potest consistere cum usu Matrimonij, quemadmodum apud eos Equites, qui castitatem solummodo limitatam, vovent. Ita quoad utramque partem Suar. Pontius, Sanch. *ll. cc.* Dicastillo *disp.* 2. *dub.* 32. *n.* 402. Hurtad. *disp* 8. *de Matr. difficult.* 6. *n* 26. Eman. Rodriq. *qq Regular. tom* 3. *q* 2. *a.* 7. Arragon *de Iust. & Iure q* 88. *art.* 11 *not.* 3. *coroll.* 1. Barbosa *in c. Ex publico. n.* 3 *De converf conjugat.* Wagnereck *ibid. not.* 4. Pellizar. *tom.* 1. *Manual. Regular. tr* 3. *c.* 4. *n.* 47. Tamb. Navarr. Lezana &c. sicque sufficienter ostensum est, Amaranthum in casu nostro potuisse, invitâ etiam conjuge, transire ad Ordinem Militarem Teutonicorum Equitum, & facta in eo professione, Matrimonij nondum consummati vinculum fuisse dissolutum.

9. Denique pro coronide dubium moveri potest, an uxor relicta in hoc quoque casu expectare debeat per annum integrum, donec in Ordine Teutonicorum Equitum Maritus, exacto ad momentum usque tyrocinio, professionem emiserit? Ratio dubitandi est, quia etsi Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *De Regular. c.* 15. requirat annum integrum novitiatûs, ætatis verò decimum sextum expletum, ad emissionem professionis *in quacunque Religione tam virorum, quàm fœminarum*; etsi item isthoc decreto Ordines quoque Militares Alcantaræ, Calatravæ, D. Jacobi, & quoscunque alios comprehendi, expressè doceant Hieron. Venero & Leyva *in Examine Episcoporum L.* 6. *c.* 15. *n.* 7. & Eman. Rodriq. *in Summa tom.* 2. *c.* 8, *n.* 2. *conclus.* 1. tamen ex una parte Ordines Militares ab eo eximunt juxta declarationem S. Rotæ, & Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum Gallemart *in dictum textum Tridentini.* Sanch. *L.* 7 *de Matr. disp.* 44 *n.* 8. & in Decal. *L.* 5. *c.* 4. *n.* 17. Ascan. Tamb. *de Iure Abbatum L.* 3. *disp.* 6. *q.* 11. *n.* 6. Barbosa *I. E. V. L.* 3. *c.* 7. *n.* 33. & *de offic. & potest. Episc. Allegat.* 101. *n.* 6. cum pluribus alijs, ajuntque, posse, atque etiam solitos esse in Ordinibus D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ profiteri statim, ac decimum tertium

tertium annum excedunt, & ante annum Novitiatûs: ex altera autem parte omnes memorati AA. iterum ab hoc privilegio excipiunt Equites Melitenses, sive Hierosolymitanos D. Joannis, voluntque, illos sub Tridentini statuto strictè comprehendi: jure igitur dubitatur, quid de Teutonicis Equitibus statuendum sit? an ergo poterunt isti citiùs profiteri cum prioribus, & sic relicta uxor ante finitum novitiatûs annum transire ad alias nuptias, an verò debebunt complere annum integrum cum Melitensibus, cum quibus communicant in privilegijs ex concessione Gregorij XV. Urbani VIII. & Clementis IX. ut videre est apud Emerix *in Decisionibus Rotæ Romanæ, tom. 2. decis.* 811. *n.* 2. ipsisque etiam æquales sunt in rigore votorum, cùm præsertim Barbosa *cit. loco I. E. V. n.* 29. doceat obsolutè, Equites Melitenses, cæterosque omnes, qui omnimodam castitatem vovent, nomine Religiosorum venire non solùm in favorabilibus, sed etiam in odiosis. Sed

Respondeo. Non eo ipso, quòd aliqui Ordines communicent cum alijs in privilegijs, cum ijsdem etiam communicant in oneribus: ergo, etsi demus, Equites Melitenses etiam quoad odiosa, & non solùm quoad favores venire nomine Religiosorum, non eo ipso idem asserendum est de alijs quoque Ordinibus Militaribus, cùm præsertim ipse Barbosa, qui *loco cit.* de quibuscunque Equitibus omnimodam castitatem voventibus istud asseruit, alibi in pluribus locis loquatur de solis Melitensibus, nullà aliorum ampliùs facta mentione: ego certè multùm dubito, an ipsi in hoc puncto magna fides habenda sit, siquidem Barbosæ oppono Sylvestrum *V. Religio* 1. *q* 1. & Arragonium *de Iust. & Iur. q.* 88. *a.* 11. expressè docentes, Equites D. Joannis, etsi veri Religiosi sint, sub hoc tamen nomine non contineri, quantùm ad odia, & rigores; ac denique Azor *p.* 1. *L.* 13. *c.* 4. *q.* 4. ubi hæc habet: *Insuper omnes militares Religiosi, sive castitatem simpliciter, sive tantummodo conjugalem profiteantur, item sive omnino proprio se abdicent, & paupertatem simpliciter promittant, sive proprium aliqua ratione habere possint, videntur nomine Religiosorum intelligi in ijs, quæ ad favorem spectant, non in ijs, quæ ad odia, & pœnas attinent.* Si igitur Equites Melitenses quoad novitiatum, & tempus professionis subjecti sunt decreto Concilij Tridentini, à quo tamen alij Militares Ordines excipiuntur, id provenit juxta Tamb. Sanch. Pellizar. Suar. & Aloysium Riccium *p.* 4. *Praxis fori Ecclesiast. resol.* 173. ex novo, & peculiari eorum statuto, quo se ad hoc Decretum obligarunt; quod nisi foret, nec Melitenses quidem sub hoc statuto continerentur. ad alios verò Militares Ordines istud extendi non debet, atque ideo dicendum est, nisi

etiam in Ordine Teutonico simile aliquod peculiare statutum habeatur, æquè parùm, ac alios Militares Ordines hoc Tridentino decreto obligari ad præscriptam ætatem, vel annum integrum Novitiatûs, nec enim tantus est rigor Militarium Ordinum, ut ipsis observantia hujus decreti Tridentini necessaria, vel tam exacta per annum integrum probatione opus sit.

QUÆSTIO TERTIA.

An Matrimonium ratum dissolvi possit auctoritate Pontificis?

CASUS

Turbati Matrimonij.

Ormildus per verba de præsenti contraxit cum Angelina contra voluntatem Parentum, quòd ista & genere, & opibus Sponso esset multò inferior, unde nec ipsi, nec Consanguineorum aliquis dignati sunt nuptijs interesse, extrema omnia minitati novis conjugibus, quæ res usque adeò turbavit animum Ormildi, ut ipsa nuptiarum die, verso in odium amore, quam priùs deperierat, jam velut pestem, suamque perniciem execrare-

tur,

tur, ne thalamo quidem dignatus. Ignem hunc, ne remittente æstu periret, strenuè sufflârunt Consanguinei, omnia, quæ Angelina ageret, in pessimam partem interpretantes; ita protracta est, & solidata aversio, secuta convitia, calumniæ, verbera, & invisæ uxoris non rarò è domo exturbatio, quò si quando redijt infelix, ipsius vitæ adivit periculum: tandem cùm ultra annum tolerâsset istam miseriam, neque spes esset ullius remedij, nec vita vel à Marito, vel ejus Consanguineis satis tuta, petijt ipsa denique à Sede Apostolica, ut Matrimonium, hactenus non consummatum, dissolveretur.

Q. An ex hac, similivé causa Matrimonium ratum dissolvi possit ex dispensatione Pontificis?

SYNOPSIS.

1. *Matrimonia consummata fidelium, & quælibet infidelium Pontifex nequit dissolvere.*
2. *Etiam rata fidelium solvi non posse dispensatione Pontificia, multorum opinio est.*
3. *Contraria tamen affirmativa est probabilior, & omnino tenenda.*
4. *Afferuntur fundamenta hujus Sententiæ.*
5. *Basilius Pontius, potissimus contrariæ opinionis patronus, non multùm favet Adversarijs.*
6. *Quando sermo est de dissolutione Matrimonij rati, vox* dispensatio *non sumitur in sensu proprio, sed ampliore, & minùs rigoroso.*
7. *Respondetur ad Adversariorum fundamenta ex Iure petita.*
8. *Aliæ ipsorum rationes evertuntur.*

9. *Ad*

9. *Ad dissolutionem Matrimonij debet adesse justa causa, sive deinde bonum privatum hæc concernat, sive publicum.*

10. *Sine hac facta dissolutio probabiliùs non solùm est illicita, sed etiam invalida.*

11. *Nullo casu, etiam in urgente necessitate, Matrimonium ratum dissolvi potest per Episcopum.*

1. SErmo est in præsente casu de Matrimonio fidelium rato, non consummato, hoc enim ob nullam causam solvi posse authoritate Pontificia, constans est omnium Catholicorum doctrina, nec invenitur uspiam ista facultas concessa esse Pontifici, nec eam concedi expediebat, ut sic aliquo Matrimonio aptiùs significaretur, & perfectiùs unio Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, quam nunquam dimisit. De infidelibus autem communis iterum Sententia est, eorum Matrimonia, sive consummata sint, sive non, à Papa dissolvi non posse, nec enim sunt ejus subditi, nec Pontifex extra Ecclesiam ullam potestatem habet juxta illud Apostòli 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, judicare?* Ut ergo sistamus in Matrimonio baptizatorum rato non consummato, duo nobis discutienda sunt: primum est, an Pontifex dissolvere possit prædictum Matrimonium? Secundum, an aliqua, & quænam justa causa desideretur, ut Pontifex illud dissolvere queat?

2. In hac controversia negant hanc facultatem Pontifici Palao *disp.* 3. *de Sponsal. pu.* 2. §. 2. *n.* 3. Petrus Ledesma *q.* 67. *de Matr. a.* 2. *dub.* 1. Victoria *in Summa de Matrim. n.* 281. Covarr. 4. *Decretal. pu.* 2. *c.* 7. §. 4. *n.* 21. Sotus *L.* 7. *de Iust. q.* 2. *a.* 5. *Versu: Et licèt peregrè.* Arragon. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. §. *Propter hæc argumenta.* Corduba *L.* 1. *quæstionari] q.* 25. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q* 1. *pu.* 7. Anacletus Reiffenstuel *n.* 3. *De Divortijs*, qui tamen in sua Theologia Morali *tr.* 14. *dist.* 13. *q.* 5. *n.* 60. alterius opinionis est, quàm in suo jure Canonico. Basilius Pontius *L.* 9. *c.* 3. *n.* 3. &, si istis Authoribus in hoc puncto credendum est, idem sentiunt ferè omnes Theologi.

Probant hanc suam opinionem, authoritate, & ratione, atque in primis

mis quidem ex Jure Canonico *c. Hi qui. 32. q. 7.* ubi Nicolaus Papa negat, conjugia eorum, qui sani contraxerunt, solvi posse, si unus ipsorum in amentiam, furorem, vel aliam infirmitatem incidat. c. Ex parte. 14. De Converſ conjugat. ubi Innocentius III. consultus ab Archiepiscopo Lugdunensi respondit: *quòd, ex quo Matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, nisi fortè secus fieret ex revelatione Divina.* c. Licèt. De sponsa duorum, ubi Alexander III. reprobat judicium Prædecessorum, pronuntiantium pro secundo Matrimonio, quod post primum cum una ratum, initum fuit cum altera, & per carnalem copulam consummatum.

Idem probant ratione. 1. quia Matrimonium etiam ratum jure Divino indissolubile est, ut patet ex textu Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet*, eademque indissolubilitas etiam exprimitur in definitione Matrimonij communiter recepta, quæ petit hoc vinculum esse indissolubile: atqui Pontifex nequit auferre id, quod est de alicuius definitione, cùm sit de ejus essentia; nec potest Papa dispensare in jure Divino. *c. Sunt quidam, & c. Statutum. 25. q. 1.* ergò per Pontificem Matrimonium ratum dissolvi nequit. 2. Pontifex nequit in Sacramentis dispensare, nec eorum materias, & formas immutare; sed Matrimonium ratum est verum Sacramentum: ergo in eo à Pontifice dispensari non potest. 3. Nequit Pontifex Matrimonium consummatum baptizatorum dissolvere: ergò nec ratum, sunt enim ejusdem naturæ, & essentiæ, solumque accidentaliter differunt, sicut res operans, & non operans. 4. Sequeretur, etiam Principem sæcularem, aut gentilem posse dissolvere Matrimonium ratum suorum subditorum, quia non habet minorem auctoritatem circa contractus civiles, & profanos suorum civium, qualis est contractus Matrimonij ipsorum, quàm Pontifex circa contractum Matrimonij sacrum baptizatorum; habet enim etiam ipse supremam in suos auctoritatem.

3. Contraria sententia affirmans, Matrimonium ratum dissolvi posse per dispensationem Pontificis, ita ut soluto ejus vinculo conjuges liberè possint inire aliud Matrimonium, probabilior est, & tanquam vera tenenda; estque communis inter Canonistas, quam præter antiquiores plerosque defendunt ex Recentioribus Pirh. *De sponsal. n. 142.* Wiestner *De divortijs n. 39.* Zoësius *de divortijs n. 19.* Vallensis *ibid.* §. 2. *n.* 2 Gonzalez *in c. 2. De converſ. conjugat. n. 6.* Marcus Paulus Leo *in Praxi ad literas Majoris Pœnitentiarij p. 2. c. 21. n. 1.* Pirrhus Corradus *in Praxi dispens. Apostolic. L. 7. c. 5. n. 53.* & *L. 8. c. 7. n. 26.* Jacobus Pignatelli *in Consult. Canon. tom. 1. consult. 148.* ubi ait, ita censuisse

Rotam

Rotam Romanam, & hanc opinionem tenendam, etiam declarâsse die 16. Julij 1599. Congregationem particularem à Clemente VIII. deputatam, idemque judicâsse sæpissimè Congregationem S. Concilij. Id ipsum è Theologis docent Sanch. *L. 2. disp.* 14. *n.* 2. *Laym L.* 5. *tr.* 10 *p.* 3. *c.* 6. *n.* 4. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8, *q.* 5. *dub.* 4. *n.* 62. Perez *disp.* 20. *de Matr. sect.* 7. *n.* 2. Dicastillo *disp.* 2. *de Matr. dub.* 29. *n.* 366. Coninck *disp.* 26. *dub.* 3. *n.* 33. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 2. *n.* 55. Rebellus *p.* 2. *L.* 2. *de Obligat. just. q.* 15. *n.* 4. Bonac *q.* 2. *de Matr. pu.* 11. *n.* 4. Illsung *tr.* 6. *disp.* 9. *n.* 155. Præpos. *q.* 5. *dub.* 8. *n.* 59. Hurtadus *disp.* 8. *de Matr. difficult.* 3. *n.* 11. Tamb. *tr.* 5. *de Matr. c.* 6. §. 1. *n.* 2. & 4. Gobat *tr.* 10. *cas.* 19. *n.* 691. Bassæus *V. Matrim.* 2. *n.* 3. Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 62, & *tr.* 3. *resol.* 97. Azor *p.* 2. *L.* 5. *c.* 2. *q.* 3. Suar. Henriq. Sporer, Comptonus, Less. Taberna Reginald. Steph. à S. Paulo, Platelius, & innumeri alij, quibus Pignatellus *l. c.* adjungit Brancatum de Laurea *Tom.* 3. *de sacram. disp.* 16. *a.* 12. §. 2. *n.* 245. cum hoc elogio, quòd sit Author theologis summis comparandus acumine, diligentiâ, judicio, in quo pleraque, quæ nusquam alibi; ut adeò mirum sit, patronos oppositæ opinionis dicere ausos, sententiam negativam esse communem Theologorum.

4. Probatur nunc sententia nostra 1. Non est credibile, à Christo negatam esse suo Vicario potestatem, quæ necessaria est ad bonam, & decentem Ecclesiæ gubernationem: atqui bona, & conveniens Ecclesiæ gubernatio exigit, ut Pontifex habeat potestatem solvendi Matrimonia rata, nam eorundem dissolutio sæpè expedit bono fidelium, cessantque per eam multa scandala &c. ergo credendum non est, hanc potestatem à Christo, qui in necessarijs deesse non solet, tam necessariam ad utilitatem Ecclesiæ collatam non fuisse suo Vicario, sed omnino dicendum, posse hoc facere Pontificem ex speciali, & extraordinaria potestate sibi à Christo concessa.

Probatur 2. Pontifex secundùm probabilissimam sententiam potest dispensare in voto solemni Religionis, ut fusè probat Lessius *L.* 2. *De Just. c.* 40. *dub.* 19. *n.* 141. ergo dispensare potest etiam in Matrimonio rato. *Prob. cons.* quia votum solenne est fortius vinculum, cùm Matrimonium ratum dissolvat, & utrobiquè fit traditio; minor quidem in Matrimonio, cùm fiat soli homini; in voto autem Deo, & homini: si ergo potest Papa disrumpere majus vinculum, quod ipsum Matrimonium ratum dissolvit, à fortiore poterit dissolvere Matrimonium juxta illud vulgatum: *si possum vincere vincentem te, possum etiam vincere te.* L. De Accessionibus ff. De diverf. temporal. præscript. Præterea Matrimonium ratum solemni Professione alterius conjugis

jugis dirimitur: atqui ista diremptio non provenit ex natura rei propter perfectionem statûs Religiosi, quam is habet supra Matrimonium, aliàs idem deberet concedi statui Clericali, & maximè Episcopali; imò votis quoque Religionis simplicibus; nec provenit ex Jure positivo Divino, quemadmodum in præcedentibus ostensum est: ergò vis dissolvendi Matrimonium, quod habet solemnis professio Religiosa, provenit ex Jure Pontificio: ergo Pontifex habet potestatem dissolvendi Matrimonium ratum, si enim hoc ipsi conceditur in uno casu, immeritò negatur in altero.

Probatur 3. manifestâ experientâ, & facto plurium Pontificum; nam de facto sæpissimè dispensarunt in ejusmodi Matrimonijs: ergò authoritate Pontificis potest Matrimonium ratum dissolvi. De antecedente dubium esse nequit, quippe hoc fecit Martinus V, Eugenius IV, quorum Bullas se vidisse affirmat D. Antoninus apud Sanch. *l. c.* Paulus III. & Pius IV, à quibus duobus se plures dispensationes obtinuisse, asserit Navarrus *in Manuali c. 22. n. 21.* Gregorius XIII., qui una die cum undecim dispensavit, ut testatur Henriq. *L. 11. de Matr. c. 8. n. 11. in Commentario lit. f.* Idem fecisse Adrianum IV. refert Bonacina; idem fecit Innocentius X. apud Gobat; idem Julius III. idem sæpiùs Pius V. vir sanctissimus, & eximius Theologus apud Dianam, & Tamburin: at verò errâsse tot Pontifices in re tam gravi, ac permisisse Christum Dominum, toties suum in terris Vicarium falli in tanto negotio, ubi non solùm tractatur, an hoc liceat, sed etiam, an factum teneat, credibile non est: ergo dicendum, quod tot fecerunt Pontifices (utique non temerè, & cæcomodo) posse Pontificem facere. His verò omnibus perpensis iterum non video, quo animo Dominicus Sotus *in 4 dist. 27 q. 1. a. 4. V. His tamen nihil obstantibus* dicere potuerit, hanc opinionem nullam probabilitatis effigiem repræsentare, eamque etiam Petrus Ledesma vocare ausus fuerit improbabilem *loco supra cit.* cùm multò magis dicendum sit cum Pignatello, & Gobat, sententiam affirmativam Canonistarum omnium, & plurimorum Theologorum calculo ita firmatam esse, ut temerarium sit contrarium asserere, nec posse eam jam absque contumelia sedis Apostolicæ defendi.

Neque etiam id multùm obest, quòd aliqui Pontifices, veluti Innocentius VIII., & Hadrianus VI. noluerint dispensare in dissolutione Matrimonij, quòd crederent, se non posse, nam ita senserunt ut Doctorem privati, quibus in hac parte prævalet dispensatio ab alijs facta tanquam ab Ecclesiæ Pastoribus; vel dum negarunt, posse à se dispensari, non sunt inficiati, competere hanc potestatem Pontifici, sed quia justa causa,

 atque

atque sufficiens tunc, quando rogabantur, ipsis non videbatur adesse: negarunt igitur, se posse dispensare, quod non evertit practicam potestatem Pontificum in Matrimonio dissolvendo.

5. Meliùs sensit ipse Basilius Pontius, quo velut potissimo suo Patrono adversarij gloriantur; nam hic *cit. L. 9. c. 3. n. 1.* uti & Valentia, etsi doceat, speculativè sibi videri probabilius, Pontificem dispensare non posse in Matrimonio rato, tamen in ordine ad praxin prorsùs aliter loquitur, nempe *gravis*, inquit, *hæc disputatio est, in qua quid quid affirmes, innumeros patronos habet; illud tamen statuamus primum, quod ad praxin attinet, securam esse partem, quæ affirmat, & ideo tutâ conscientiâ Pontifices dispensare potuisse &c. Vt enim tutâ conscientiâ faciant, sufficit probabilis Doctorum opinio, quam hactenus non damnavit Ecclesia, quæ asserit, dissolvi posse: esset autem valde temerarium, asserere, illos summos Pontifices in eo evidenter errâsse, ut docet Gregorius de Valentia 4. tom. disp. 10 q 1. puncto 7.*

6. Notandum etiam, quod advertit Perez *disp. 20. sect. 7. n. 4.* & Coninck *disp. 26. dub. 3. n. 33.* cùm toties dicatur, posse Matrimonium ratum dissolvi dispensatione Pontificis, non dici istud in sensu proprio, nam proprièe, ac rigorosè loquendo Pontifex non dispensat, quia dispensatio tunc habetur, quando, manente aliquo modo lege, tollitur ejus obligatio; sic dispensatur à Papa in jejunio cum homine ligato tali lege, auferendo ab illo ejus obligationem: at in casu dissolutionis Matrimonij rati non tollitur immediatè obligatio vinculi Matrimonij, sed ipsum vinculum, sive dominium, quod conjuges sibi mutuò dederunt in sua corpora, quod Pontifex auctoritate Dei tanquam supremi Domini utrique restituit, remittendo eis mutuas obligationes, sicut nomine Dei remittit obligationem voti, quod facit omninò eodem modo, quo Prorex, potestate accepta, nomine Regis alteri remittit obligationem promissionis Regi factæ, quo casu in nullo jure propriè dispensat, quamvis largo modo illæ remissiones communi usu dicantur dispensationes.

7. Respondeamus nunc ad argumenta pro prima sententia ab adversarijs allata. Ad primum. Textus allegati sententiæ negativæ veritatem non evincunt, nam *Can. Hi qui.* Nicolaus Papa aliud non dicit, quàm furorem, amentiam, aliamvè gravem infirmitatem, aut impotentiam supervenientem contractui conjugali non ita esse impedimentum dirimens, quemadmodum foret, si præcessisset, neque propterea dirimi debere Matrimonium, etsi duntaxat ratum sit, nullâ eò usque secutâ copulâ, quod neque nos inficiamur: sed per hoc nondum probatur, non posse in casu

extra-

extraordinario, quando id judicatum fuerit conducibilius esse, ejusmodi Matrimonium ratum ex dispensatione Pontificis omnino dissolvi, cujusmodi justam causam esse impotentiam supervenientem, ait Sanch. *L. 7. disp. 102. n. 3.* cum Abbate *in c. Ex literis. De frig. & malef. n. 3.* Alexandro de Nævo &c. ut etiam in similibus casibus Pontifex in Matrimonio rato dispenset, si multùm timeretur de incontinentia alterius conjugis potentis.

Alterum *c. Ex parte.* non fideliter refertur ab Adversarijs, nec enim assertivè dicit Innocentius Papa, quòd Matrimonium ratum viventibus conjugibus nullo casu dissolvi possit, nisi hoc fiat ex Divina revelatione, hoc, inquam, Innocentius non dicit assertivè, sed solùm ait, quòd istud alicui non ineptè videri possit; ipse interea per hoc, quod alijs videri potest, nihil motus expressè asserit, Matrimonium ratum dissolvi posse ingressu Religionis, Parte altera non consultâ; cùm verò hoc fiat ex Jure solùm Ecclesiastico, dissolvi poterit etiam ex alia causa à Christi in terris Vicario.

Ultimum denique, quod adducunt, *c. Licèt. De Sponsa duorum* ipsis penitus non favet, quia Alexander III. non definivit, Matrimonium ratum nunquam posse dissolvi authoritate Pontificia, sed solùm à facto, & judicio aliquorum suorum Prædecessorum recessit, qui pro valore secundi Matrimonij consummati pronunciarunt, dum istud initum fuit motu proprio, nulla vel petitâ, vel obtentâ Apostolicâ benedictione, aut dissolutione conjugij prioris. Ne verò quis hinc notam affricet Romanis Pontificibus in ijs, quæ definiunt, adverto ex Barbosa *in cit. c. n. 5.* Pirh. §. 2. n. 4 *de Sponsa duor.* & Azor *p. 2. L. 5. c. 4 q. 3. V. Tertiò obijcitur*, hos Alexandri Prædecessores non definivisse pro universa Ecclesia, quòd per secundum Matrimonium consummatum prius solummodo ratum dissolvatur, verùm in facto particulari in istam partem inclinâsse, suamque opinionem protulisse, quæ tamen vim legis universalis non obtinebat, nam dicitur in canone: *quamvis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Judicare autem non est definire, sed est idem, ac sentire, opinari, existimare &c. nullus ergo hîc nævus accessit Pontificibus, quasi unus alteri contradicat in definitionibus. & in condendis pro Ecclesia universali legibus falli possint, dum Alexander III. decrevit, Sponsalia de præsenti, sive Matrimonium priùs contractum, sed non consummatum, non dissolvi per subsequens Matrimonium, etiamsi hoc per carnalem copulam consummatum sit; id quod post Alexandrum iterum statuit Innocentius III. *in c. fin. De Sponsa duor.* quamvis

quamvis prædecessores aliqui Pontifices habuerint privatam opinionem contrariam.

8. Alia quoque ipsorum argumenta debilia sunt; namque ad 1. Resp. Matrimonium etiam ratum ex natura sua, & primæva Dei institutione indissolubile esse, ita ut ex mutuo ipsorum contrahentium consensu dissolvi nunquam possit ad modum aliorum contractuum, quamvis possit dissolvi à Superiore potestate Ecclesiæ, seu summi Pontificis ob bonum publicum communitatis, vel aliam justam causam. Omnimodam autem indissolubilitatem tunc obtinet, postquam per ejus consummationem vir, & fœmina veluti una caro facti sunt, ut ex *cit. textu Matth.* 19. ostenditur, qui ita nudè, ac sine præcedentibus acceptus probat quidem aliquam insolubilitatem cujusque Matrimonij, omnimodam tamen non nisi conjugij consummati, pro cujus probatione potissimùm assumi solet; tunc enim primùm dixit Christus vers. 6. *quod Deus conjunxit, homo non separet*, cùm priùs dixisset: *erunt duo in carne una.* Quòd si verò Pontifex aliquando dissolvit Matrimonium ratum, per hoc propriè, immediatè, ac directè non dispensat in ipso jure Divino, vel legem Divinam laxat, aut dissolvit, sed in contractu humano, cujus vinculum tollendo, velut destructo fundamento obligationis Juris Divini, & naturalis, indirectè tantùm, & per accidens tollitur etiam lex Divina, vel naturalis, quippe quæ tali casu per se jam obligare desinit, ut evenit in voto, & juramento, ubi proximè, & directè, non dispensatur in jure Divino, vel naturali, quo votum, vel juramentum obligat, sed tollitur ipsum votum, vel juramentum, quod est fundamentum illius obligationis, quam homo spontè sibi imposuit; hoc verò desinente, eo ipso desinit lex Divina de voto observando. Præterquam quòd Pontifex, quæ facit in illis dispensationibus, sive solutionibus Matrimonij, non facit ut homo, sed ut Vicarius Christi potestate extraordinariâ sibi ad hoc specialiter communicatâ. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 5. Tannerus, Sanch. Pirh. *De Sponsal. n.* 143.

Ad 2. Resp. 1. negari potest, quòd istud vinculum, quod solvitur, sive Matrimonium sumptum in ratione vinculi, sit propriè Sacramentum, est enim effectus Sacramenti, quod formaliter consistit in ipso contractu, vinculum istud effectivè causante, ut dictum est in procemio secundæ partis: effectus autem Sacramenti perdi potest, ut patet in amittente gratiam.

Resp. 2. cum Sanch. *L.* 2. *disp.* 14. *n.* 5. *ad sum.* Laym. Sporer, Pirh. *l. c.* Pontificia authoritate non mutari essentiam, & institutionem Sacramenti, sed fieri, ut per authoritatem Ecclesiæ dissoluto contractu, in quo ratio Sacramenti fundatur, vir & mulier desinant esse symbolum sacrum.

Ad

Ad 3. Resp. 1. c. a. n. conseq. quippe si natura Matrimonij secundùm se præcisè sumatur, non est illud omnino insolubile, sed hoc potissimùm habetur ex institutione Divina; ut dictum est in *q.* 1. *hujus §. n.* 11. *V. Sed hæc Sententia*, quia nempe Deus non aliter concessit hominibus facultatem transferendi dominij usûs corporis, nisi per indissolubile vinculum: ergo indissolubilitas, quæ est in Matrimonio, præcipuè habetur in Jure Divino positivo. Hanc verò indissolubilitatem utique Deus velle potuit diversam esse pro diversis casibus, ac consequenter potuit concedere potestatem suo Vicario, ut Matrimonium posset dissolvere in certis casibus, non item in alijs; ut posset dissolvere conjugium ratum, non item consummatum.

Resp. 2. iterum cum Sanch. Laym. Diana, & alijs, c. a. n. cons. & ejus probationem, nam etsi Matrimonium consummatum non differat essentialiter à Matrimonio rato, falsum tamen est, à rato distingui tantùm accidentaliter, sed distinguitur modo quodam medio, sicut totum integrale perfectum ab eo, quod caret parte aliqua, siquidem consummatio, quæ Matrimonium complet in perfecta significatione unionis Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, non est perfectio merè accidentalis, sed integralis, per quam Matrimonium consummatum à rato differt, ut integraliter perfectum ab imperfecto: cùm ergo in hac completa significatione fundetur Matrimonij omnimoda insolubilitas, & hanc integralem perfectionem Matrimonium ratum non habeat, utpote quod solùm significat Christi cum anima fideli conjunctionem per gratiam, & charitatem, mirum non est, quòd consummatum minùs solubile sit, quàm ratum, quod vinculum significat non omnino solubile.

Imò si aliquid probaret hoc argumentum, probaret, etiam Matrimonium ratum solvi non posse professione Religiosa, quod est contra expressos textus *c. Verum.* 2. & *c. Ex publico.* 7. *De Convers. conjugat.*

Ad ultimum denique Resp. cum Perez, Dicastillo, & Diana, Principem Gentilem, vel merè sæcularem non posse dissolvere Matrimonium adhuc non consummatum suorum subditorum, quia non habet potestatem peculiarem ad hoc à Deo, sed habet in suos subditos duntaxat potestatem ordinariam Superioris humani, qua neque Pontifex dissolvere posset: quando igitur Papa Matrimonia rata fidelium dissolvit, id facit potestate non ordinaria, mereque humanâ, sed extraordinariâ; & tanquam vices Christi agens, authoritate Divina.

9. Cæterùm ad hoc, ut Pontifex Matrimonium quoddam dissolvat, justam

justam causam desiderari, nec posse ipsum hoc facere pro solo suo arbitrio, concors DD. Sententia est; vera autem non sunt, quæ aliqui asserunt apud Pignatellum *l. c. n. 9.* talem requiri causam, quæ bonum, & utilitatem publicam concernat, neque sufficere, ut fiat propter utilitatem privatam; & quod affirmat Pontius *L. 9. c. 3. n. 14.* dato, quòd possit Pontifex Matrimonium ratum dissolvere, id faciendum non esse, nisi cum magno Principe, & ubi alicujus regni jactura immineret; experientiâ enim constat, ob bonum privatum etiam cum personis multò inferioribus non rarò dispensatum esse. Certè Innocentius X, cæteroquin, ut ait Gobat *tr. 10. cas. 18. n. 678.* non facillimus in concedendis tanti momenti dispensationibus, hanc gratiam extraordinariam fecit duobus infimæ plebis capitibus.

Causæ autem, quæ de Stylo Curiæ admittuntur ad dispensandum in hujusmodi Matrimonio, juxta Pyrrhum Corradum *l. c.* ad quatuor reducuntur. Prima est notablis disparitas in qualitate, videlicet quando contrahentes sunt notabiliter conditione impares, & cæca affectione, ac levitate ducti Matrimonium contraxerunt. Ratio est, quia Matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam, quæ inter beatitudines refertur Eccl. 25: *in tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus; concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene consentientes*: sed nihil magis adversatur mutuæ amicitiæ, ac concordiæ, quàm notabilis conjugum disparitas, nam experientiâ teste, imparia connubia ut plurimum infelices exitus habent: sufficit ergo, si ista causa adsit. Secunda est gravis timor magni scandali futuri, quia id cedit in magnum damnum commune; ex rixis præterea, dissensionibus, discordia, & gravi odio conjugum absque spe remedij resultat præsens periculum fornicationis, & adulterij, atque inde insidiæ conjugum, necesque timendæ sunt tum inter ipsos, tum eorundem cognatos, & consanguineos; idcirco ob odium, quod inter conjuges emerserat, dispensasse fertur Eugenius IV. apud Sanch. *L. 2. disp. 16. n. 6.* Tertia est lepra alteri superveniens, quia cùm Matrimonium ordinetur ad mutuum corporum usum ratione sobolis procreandæ, & ad libidinis ardorem extinguendum, lepra autem hunc usum impediat, ob magnum contagionis periculum, Matrimonij finis non obtinetur. Ob hanc causam dispensasse fertur apud eundem Sanch. Martinus V. Quarta est, quando alter conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi, nec potest ullo modo induci, ut præstet verum consensum; sic enim ex isto Matrimonio coacto rursus timendæ sunt priores inimicitiæ.

inimicitiæ. Addit denique Diana *p. 8. tr. 1. resol. 63.* sufficere quamlibet causam gravem, quæ judicio prudentum censeri possit proportionata dissolutioni Matrimonij.

Cùm igitur in casu nostro hæc mala omnia timenda fuerint in Maritmonio contra Parentum voluntatem inito, nec sine eorum gravi indignatione ob conjugum disparitatem, quamquam aliàs Parentum dissensus valorem Matrimoniorum non impediat, ut definitur in Conc. Trid. *sess. 24. de reform. Matr. c. 1.* quia tamen & horum, & consanguineorum, ac ipsius quoque Mariti fatale odium, anno integro uxoris tolerantiâ non mitigatum, nulla etiam secuturo tempore videbatur admissurum remedia, sed potiùs eruptutum in mala graviora, ipsamque innocentis conjugis necem, jure dissolvi potuit à sede Pontificia.

10. Si quæras, an dissolutio Matrimonij rati facta à sede Apostolica sine justa, & gravi causa licita sit, & valida?

Resp. Quòd sit illicita, conveniunt omnes; nemo enim negat, etiam Principem, ipsumque Legislatorem peccare, si sine causa justa, & rationabili in sua quoque propria lege pro libitu dispenset; validam tamen esse hanc dispensationem, patet, quia lex voluntate Legislatoris constituitur, & ex ea integrè pendet ejus obligatio: si ergo velit aliquem ab hac obligatione legis eximere, exemptus erit; atque hac ratione, etsi illicitam, validam tamen esse dispensationem, seu dissolutionem Matrimonij rati sine ulla causa factam à Pontifice, admittunt ij, qui docent, Matrimonij rati insolubilitatem haberi solùmmodo ex jure humano Pontificio, cujus sententiæ est Glossa *in c. Ex publico. De Converf. conjugat. V. Consummatum.* cum pluribus AA. quos citat Sanch. *L 2. disp. 15. n. 1.* Sed multò probabilius est, magisque consentaneum veritati, causam justam adeò necessariam esse, ut sine hac facta dissolutio Matrimonij invalida sit. ita Sanch. cit. *n. 6.* Diana *p. 8. tr. 1. resol. 63.* Tannerus, Tamb. Dicastillo, Præpos. Coninck, Pirh. Wiestner &c. & communiùs tam Theologi, quàm Canonistæ. Ratio est, quia multò est probabilius, insolubilitatem, quam habet Matrimonium ratum, provenire ex jure Divino: ergo non potest in ea dispensare Pontifex pro suo libitu, & propria authoritate, sed solùm potestate vicariâ specialiter sibi concessa: at verosimile non est, dedisse Christum suo Vicario hanc potestatem, ut posset Matrimonia rata pro suo libitu dissolvere, nulla exigente, aut suadente causâ justâ nam hæc potestas non cederet in bonum Ecclesiæ, & ædificationem animarum, sed potiùs in detrimentum: ergò dissolvere Matrimonia rata nequit Pontifex, nisi ex justa causa, & cum

cum ratione, quemadmodum dispensare nequit in voto etiam simplici, & juramentis sine justa causa, & hac deficiente facta dispensatio irrita est. Quod verò Henriq. asserit *L. 11. c. 8. n. 11.* Christum suo in terris Vicario dedisse plenissimam authoritatem, ut validæ sint dispensationes ab ipso factæ etiam sine justa causa ad tollendam conscientiarum perplexitatem, & scrupulos, in quem finem valde expediens, imò & necessaria fuerat tam ampla concessio, censeo, tunc unicè locum habere, quando conceditur dispensatio bona fide ex causa, quæ credebatur esse justa, cùm tamen revera non fuerit sufficiens; tunc enim videtur credibile, superiorem, qui dispensandi facultatem concessit inferiori, non voluisse ejusmodi dispensationem irritam esse, & invalidam, quia sic magis obviatur scrupulis, & conscientiæ securæ redduntur, gestaque à Prælatis firma permanent, quæ omnia conducunt ad rectam gubernationem Ecclesiæ. ita colligitur ex Laym. *L. 1. tr. 4. c. 22. n. 12.* Rebello *p. 2. L. 3. q. 55. n. 22.* Jo. Sanch. *in select. Disp. 54. n. 39.* Azor *p. 1. L. 7. c. 18.* aliàs *c. 29. q. 6.*

11. Denique dubium moveri potest, an etiam Episcopus dissolvere possit Matrimonium ratum in casu necessitatis, quando vel nullus est accessus ad summum Pontificem, vel non nisi tardus, & difficilis, atque interim est periculum in mora vel animarum, vel corporum, nisi hoc fiat?

Resp. Affirmativam tenent Baunius, & Zanardus apud Mendo *in Statera dissert. 12. q. 51. n. 16. & seqq.* quia quidquid Pontifex potest in toto orbe, potest Episcopus ex vi sui muneris in sua Diœcesi, nisi aliquid specialiter reservetur, & exceptis ijs, quæ ad universæ Ecclesiæ statum pertinent: cùm ergo Pontifex pro toto orbe Matrimonium ratum dissolvere possit, id ipsum in sua Diœcesi permissum erit Episcopo. Pro eadem Sententia citatur etiam Sanch. *L. 1. disp. 6. n. 3.* sed immeritò, nam eo ipso loco negativam apertè tenet, & adhuc clariùs *L. 2. disp. 14. n. 5. ad 8.* cum hoc igitur.

Dicendum, non posse in hoc casu unquam dispensare Episcopos, sive dissolvere Matrimonium ratum sine expressa Papæ delegatione, quantacunque necessitas excogitetur. ita præter Sanchez sentiunt Perez *disp. 20. Sect. 8.* Diana *p. 8. tr. 1. resol. 64.* Dicastillo, & Gobat, ac præcedentem opinionem arbitrantur carere omni probabilitate. Probatur ex ipso usu, vel potiùs non usu; neque enim scitur, unquam usurpasse sibi aliquem Episcopum hanc potestatem, usus verò optimus legum, & facultatum interpres est: imò neque legimus, Papam aliquando hanc potestatem alicui inferiori concessisse, cùm ipsi Pontifices non nisi rarò illâ utantur: ergo non licet per epichiam inter

interpretari, in aliquo casu hoc esse permissum Episcopo. 2. Videmus in voto simplici castitatis, & similibus reservatis dispensare quandoque Episcopos in casu urgentis necessitatis, qualis evenire frequenter potest: ergo ex usu, & antiqua hac consuetudine colligimus, vel non fuisse mensem Pontificis hæc vota in istis casibus tunc sibi reservare, vel saltem postea ad dispensandum in eis tacitam facultatem concessisse, cùm igitur similem usum, vel consuetudinem dispensandi in Matrimonio rato non videamus, à contrario judicandum est, hanc facultatem Episcopis non competere, & quia casus tantæ necessitatis est prorsus extraordinarius, nec nisi rarissimè, & vix aliquando occurrens, præsumi non potest, voluisse Pontificem etiam hîc facere aliquam exceptionem, quemadmodum in votis, vel delegationem potestatis, sine qua inferiores Episcopi dispensare nequeunt. 3. Denique cùm ista sit una ex causis gravissimis, causas autem gravissimas, & maximè arduas deceat reservatas esse Pontifici, decens est, ut ista quoque eidem reservetur. Et verò in Jure reservari Pontifici hanc dissolutionem, patet ex *c. fin. De Transact. c. Ex literis. 7. & 10. De Sponsal.* ubi Alexander III. præcipit Episcopis, ut compellant ad servanda Sponsalia, nedum ad Matrimonium ratum; denique *c. Licet. De Sponsa duorum*, ubi idem Pontifex præcipit Archi-Episcopo Salernitano, ut compellat virum, qui primò contraxerat Matrimonium ratum cum una, & postea duxerat aliam, secutâ copulâ, ut ad primum Matrimonium ratum redeat, cùm posterius irritum sit: hæ autem leges cùm sint Superioris, nequit in ijs inferior dispensare, atque ita per se ruit argumentum adversæ partis, cùm præsertim illud axioma non universaliter verum sit: *quidquid Papa potest in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter prohibeatur*, nam intelligitur solùm de ijs, quæ ad ordinariam, & communem animarum gubernationem pertinent, ac moraliter necessaria sunt, quò non spectat dispensatio in Matrimonio rato, vel immutatio, ac dispensatio legum, quæ à Superioribus latæ sunt; patetque inductione, non ubique procedere hoc axioma, nam Episcopus non potest cum suis subditis dispensare in quibuscunque gradibus prohibitis, in quibus dispensare Pontifex potest, etsi id illi specialiter prohibitum non sit; potuit Papa irritare clandestina Matrimonia, quod sine dubio non potuisset Episcopus in sua Diœcesi, & similia exempla plura adducit Suarez *disp. 7. de Censuris Sect. 4. n. 5.* qui videri potest.

SECTIO SECUNDA.

De impedimentis Matrimonii.

IMpedimentum Matrimonij dicitur omnè id, quod obstat, ne Matrimonium inter aliquas personas contrahi possit, aut validè, aut saltem licitè; unde duplicis generis impedimenta sunt. Aliqua sunt solùm impedientia, quæ efficiunt, ut Matrimonium illicitè, non tamen invalidè contrahatur. Alia vocantur dirimentia, non quòd Matrimonium semel validè contractum dirimant, sed quia efficiunt, ut validè contrahi non possit, &, si contractum fuerit, dirimunt, atque dissolvunt illud vinculum, quo duo putatitij conjuges apparenter erant colligati. Ejusmodi impedimenta, etiam dirimentia, ex justa causa introducendi, atque constituendi potestatem esse in Ecclesia Dei, non solùm ex usu, & praxi habetur, sed etiam de fide est, ac definitum in Concilio Tridentino Sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 3. & 4. ubi dicitur: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errâsse, anathema sit.* An verò hæc potestas non solùm competat legitimo Concilio generali, quod universalem Ecclesiam repræsentat, & Summo Pontifici, qui caput visibile est totius Ecclesiæ militantis, sed etiam conveniat Episcopis in suis

Diœce-

Diœcesibus respectu suorum subditorum ex vi sui muneris, controversia est inter AA. quam hîc examinare non vacat. Certum est ex praxi Ecclesiæ, de facto potestatem statuendi impedimenta dirimentia inter fideles, si non ex lege, saltem ex generali Ecclesiæ consuetudine ita reservatam esse, ut aliter ejusmodi impedimenta statui nequeant, præterquam à solo Papa, vel universali Concilio. Hæc de impedimentis præmittenda visa sunt.

Ut modò ordinatè progrediamur, & ipsa mole, ac numero impedimentorum non obruamur, aut ijs, qui lecturi sunt, pariamus fastidium, placuit præsentem Sectionem ob materiæ, quam complectitur, vastitatem, in duas partes dividere. Alteri reservabimus ea, quæ Matrimonium dirimunt; in priore tractabimus impedimenta, quæ conjugium solùm impediunt, non autem reddunt invalidum.

PARS PRIMA.

De Impedimentis Impedientibus.

Ex ijs, quæ Matrimonium reddunt illicitum, plura impedimenta numerantur, quæ isthoc tempore non ampliùs in usu sunt; pauciora perdurant etiamnum in suo vigore, & observantur. Et hæc, & illa scire expedit; quia tamen potior pars de

facto caret isto effectu, ut Matrimonium impediat, omissâ paulisper usitata hactenus scribendi ratione, in proxima quæstione, quæ erit quasi ingressus, vel procemium ad alias secuturas, sine proposito casu singula impedimenta exponemus, quæ antiquata sunt; in reliquis deinceps consuetam nobis methodum reassumemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quot sint impedimenta impedientia, præsertim Jure antiquo, & quem effectum ista olim habuerint?

SYNOPSIS.

1. *Enumerantur impedimenta impedientia.*
2. *Quid sit Catechismus? Qui huic assistunt, diligenter annotari debent à Parocho.*
3. *Reliqua sunt ex crimine: ac primò quid sit impedimentum incestûs?*
4. *Quid impedimentum raptûs? hoc probabiliùs non contrahitur in raptu Sponsæ de futuro.*
5. *Impedit Matrimonium uxoridicium, etiamsi conjunx occisa fuerit in adulterio.*

6. *Quid*

6. *Quid sit susceptus propriæ Sobolis?*
7. *Exponuntur reliqua tria impedimenta.*
8. *Impedimenta orta ex crimine hodie in usu non sunt, sed consuetudine contrariâ abrogata.*

1. DUplicis generis sunt impedimenta impedientia. Aliqua procedunt ex crimine, alia non ex crimine. Universim statuta sunt, saltem olim, ejusmodi impedimenta duodecim, quæ juvandæ memoriæ causâ in hos versus redacta sunt; ac primò quidem enumerantur ea septem, quæ oriuntur ex crimine.

Incestus, raptus Sponsatæ, mors muliebris
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis.
Vel si pœniteat solenniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

Alia quinque, quæ non procedunt ex crimine, sequentibus versibus includuntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri,

Hæc cùm moderno tempore, excepto Catechismo, adhuc in usu sint, eorum explicatio in sequentem quæstionem, & casuum, qui in ea proponentur, decisiones differtur: cætera hoc loco exponentur.

2. Ex istis primo loco venit *Catechismus*, quo nomine intelligitur cognatio, quam olim contrahebat is, qui loco baptizati ad quæstiones fidei respondebat, quæ regulariter ante collationem baptismi solemnis, vel per accidens postea per ceremoniarum suppletionem proponi solent; is enim illicitè contraxit Matrimonium cum omnibus ijs ob impedimentum impediens, cum quibus Patrinus, aut baptizans invalidè contraheret ob impedimentum dirimens cognationis spiritualis. Statuitur istud impedimentum in *c. Contracto. De cognat. spirituali*, & *c. Per Catechismum, eod. in 6.* Verùm modò, quando

quando respondens ad quæstiones fidei non simul est Patrinus, secundùm communiorem Sententiam censetur hoc impedimentum à Concilio Tridentino sublatum, quia secundùm hoc cognatio spiritualis tantùm contrahitur inter baptizatum, ejusque Patrem & Matrem ex una parte, & baptizantem, ac susceptores, sive Patrinos ex alia parte. *Sess. 24. de reform. Matr. c. 2.* ita contra Perez, Rebellum, & alios nonnullos, quos citat, Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 9.* Coninck *disp. 30. dub. 3. n. 24.* Sanchez *L. 7. disp. 10. n. 12.* Illsung, Tannerus &c. quod etiam à S. Congregatione Cardinalium fuisse declaratum testatur Basil. Pontius *L. 6. c. 11. n. 3.* quæ declaratio habetur apud Farinacium *in c. 2. Sess. 24 Concil. Trident. de reform. Matrimon.*

Illud verò circa hoc sapienter monent Palao, Pontius, & Tannerus, debere Parochum diligenter annotare in libro, si fortè fuerunt alij diversi Patrini, qui adstiterunt soli catechismo, ab ijs, qui baptizandum levarunt è sacro fonte, quia posteriores isti contrahunt impedimentum dirimens; priores autem vel solùm impediens, vel juxta communiorem omnino nullum, quod proinde diligenter est exprimendum.

3. Ex impedimentis, quæ ex crimine oriuntur, primum est *incestus*, id est, carnalis copula habita scienter à viro cum consanguineis suæ uxoris, vel ab uxore cum consanguineis viri, olim quidem intra quartum gradum, ut habetur *c. Non debetur. De consang. & affinit*: post Tridentinum verò usque ad secundum gradum inclusivè. Quicunque igitur impedimentum hoc contrahunt, non possunt licitè, mortuo conjuge, cum alio, vel alia quacunque inire Matrimonium *c. 1. & c. Transmissa. De eo, qui consang. sororis suæ*; si tamen secus faciant, Matrimonium tenet: perinde autem est, an hic incestus committatur cum consanguineis conjugis viventis, an defunctæ, quia utrobique committitur verus incestus; probabiliùs tamen istud impedimentum non incurritur per incestum cum propria consanguinea commissum, ut contra Navarrum, Palao & Canonistas docent plerique Theologi, teste Tannero *tom. 4. disp. 8 q. 4. dub. 2. n. 26.* quia etsi re ipsa gravior sit incestus cum consanguinea propriâ, quàm cum affine, tamen colligitur *ex rubrica tit. De eo, qui cognovit Consang. soror. suæ* specialiter illis solùm inflictam esse hanc pœnam, qui cum consanguineis conjugis incestum committunt; ad alios proinde hæc odiosa extendenda non sunt, maximè cùm istud minimè infrequens sit, ut jura in decernendis pœnis non tam ad gravitatem delicti, quàm ad coërcendam frequentiam, & periculum respiciant juxta *Argum. L. 1. ff. De Abigeis*: solet autem semper majus esse periculum, ne peccatum in

in consanguineos conjugis, quàm proprios committatur. Engl. *Manual. Paroch. p. 3. c. 5. §. 4. n. 8.* Alia de incestu commodiùs dicentur in impedimentis dirimentibus, quando agetur de affinitate. Hoc addo ex Perez. *disp. 23. de Matr. Sect. 5. n. 8.* istud impedimentum incestûs, ut prohibeat Matrimonium cum quacunque alia contrahendum, jam non esse in usu, ita ut neque peti ampliùs soleat de hoc impedimento dispensatio, cùm sit per dissuetudinem præscriptam jam abolitum, ac proinde de ipso in praxi non curandum.

4. Alterum est impedimentum *raptus sponsatæ*, quando nimirum aliquis sponsam alterius de præsenti causâ libidinis explendæ, sponso renitente, abducit. Quòd si sponsa consentiat, in idem impedimentum incidit, unde non solùm non potest raptor cum rapta (nam cum hac adest impedimentum dirimens, de quo inferiùs dicetur) sed neque cum quavis alia, nec potest Sponsa raptui assensum præbens sive cum raptore, sive cum quovis alio contrahere Matrimonium. ita statuitur *Can. Statutum. 27. q. 2.* ubi raptor alienæ Sponsæ jubetur æternùm carere omni Matrimonio. Impedimentum istud impediens Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 9. n. 286.* extendit etiam ad raptum, quo rapitur sponsa alterius de futuro, sed probabiliùs hoc negant Sanch. *L. 7. disp. 12. n. 45.* & Palao *disp. 4. de sponsal. pu. 2. §. 2. n. 9.* quia sponsa de futuro in rebus odiosis non venit nomine sponsæ.

5. Tertium est *mors muliebris*. Per hoc intelligitur interfectio propriæ uxoris, non quidem facta animo cum alia contrahendi, sic enim daretur impedimentum dirimens, sed facta ex ira, vel odio. *c. Quicunque. c. Interfectores*, & *c. Admonere. 33. q. 2.* Imò etiam ex vindicta ob patratum adulterium, ut contra Bonac. *q. 3. De imped. Matr. pu. 14. n. 16.* Eman. Sà *V. Matrimonium. De imped. non dirimen. n. 6.* & alios quosdam docent Palao *l. c. n. 17.* Sanch. *L. 7. disp. 16. n. 2.* Perez &c. idque satis constat ex *c. Inter hæc*, & *c. Si quod verius. caus. & quæst. cit.* licèt enim juxta Leges Civiles, qui uxorem in adulterio deprehensam propria auctoritate interficit, nullâ pœnâ plectatur *L. Si adulterium. §. 8. ff. Ad L. Iul. De Adult.* quia tamen mortaliter peccat, & per hoc nimia licentia induceretur, ream non auditam, & non examinatâ causâ interficiendi in statu, in quo de salute æterna maximè periclitatur, à Jure Canonico hæ Leges Civiles correctæ sunt, & tali homicidæ imponitur pœna, ut ad nuptias cum alia quacunque transire non possit.

6. Quartum est *susceptus propriæ sobolis*, dum quis proprium filium, aut filiam extra necessitatem baptizat, vel ex sacro fonte levat ut Patrinus, quod Bonacina *l. c. n. 17.* extendit etiam

etiam ad Confirmationem, animo malo insidiandi Matrimonio, id est, cum intentione negandi deinceps debitum uxori propter contractam cum ea cognationem spiritualem, quo casu imponitur ipsi pœna, ut, si uxori supervixerit, cum alia Matrimonium contrahere nequeat, & omni spe conjugij perpetuò careat, cujus impedimentum tam malitiosè ponere voluit. *Can. De eo. 30. q. 1.*

7. Quintum est *mors Presbyteralis*, sive occisio Presbyteri privata authoritate, & injustè facta. Ejusmodi interfectori *c. 2. De Pœnit. & Remiss.* prohibetur conjugium per omnem vitam, quando de crimine convictus est in judicio; & meritò, dignus enim est occisor Presbyteri privari Sacerdote, qui ex officio assistit Matrimonio. Palao, Filliuc.

Sextum est, *si pœniteat solenniter*, nequit contrahere Matrimonium, quamdiu durat publica pœnitentia, *c. De his, & c. fin. 33. q. 2.* Hac peractâ conjugium ipsi permittitur. *c. Si quis cum duabus. ibid.* Ponitur autem solemnis pœnitentia inter impedimenta ex crimine orta, non quòd ipsa crimen sit, sed quia ex crimine procedit, & propter ipsum imponitur, qua durante non decebat, ut nuptiæ, quæ secum lætitiam afferunt, permitterentur ei, qui luctui, & pœnitentiæ adstrictus est. Modò, quia non ampliùs in usu est publica, & solennis pœnitentia, clarum est, etiam hoc impedimentum cessâsse.

Septimum denique est: *Si Monialem accipiat*, hoc est, si Matrimonium ineat cum Moniali professâ, quam talem esse non ignorat, tunc enim non solùm invalidè contrahit cum ipsa, sed cum quacunque illicitè, dum vivit, non tamen invalidè. *c. Hi ergo. 27. q. 1.* Ratio est, quia injuriam irrogavit Christo ejus Sponso: meretur ergo conjugio in perpetuum privari.

8. Impedimenta criminibus hactenus enarratis à Jure annexa per diuturnam consuetudinem hodie penitus sublata sunt, proinde nullum peccatum est hoc tempore cum illis contrahere Matrimonium, etiam absque ulla prævia dispensatione. Ita Navarrus, qui potest esse instar omnium, utpote in quæstionibus conscientiæ, quæ ferè ex universo orbe ad ipsum delatæ sunt, experientissimus, & Styli Curiæ non ignarus, cùm Romæ pluribus annis moratus sit, sub Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. & ab omnibus tribus in gravioribus Pœnitentium negotijs pertractandis adhibitus. Is igitur in Manuali (quem librum post exactam in literis ætatem Gregorio XIII. nonagenarius senex dedicavit) *c. 22. n. 75. & 87* testatur, se in tanta ætate nec vidisse, nec audivisse, in istis impedimentis dispensationem peti, nec in incestu quidem, nisi ad contrahendum cum ea,

ea, cum qua incestus commissus est. Idem docent Laym. *L. 5. tract. 10. p. 4. c. 15. n. 2.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 2. n. 23.* Coninck *disp. 30. n. 25.* Sanch. *L. 7. disp. 17. n. 8.* Perez *disp. 23. de Matr. Sect. 8. n. 2.* Wiestner *de Matr. contract. contra interdict. Eccles. n. 52.* Hurtad. Pontius, Engl, Henriq. &c. Idem denique testatur Bern. Van Espen *in Iure Eccles. Univers. p. 2. tit. 13. c. 2.* in Gallia, Belgio, & in plerisque orbis Christiani provincijs impedimenta impedientia ex crimine provenientia penè nota non esse, nec ullum illorum usum nosci: manifestum igitur est, ex omnibus impedimentis, quæ Matrimonium solùm impediunt, non autem reddunt invalidum, hoc tempore quatuor duntaxat superesse, quæ Tamb. *L. 8. tr. 1. de Matr. c. 16.* hoc versu exprimit.

Sacratum tempus, vetitum, Sponsalia, votum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Impedimentis impedientibus Jure novo, seu moderno.

§. I.

De primo Impedimento, quod est Tempus Sacratum.

CASUS

Mora impatiens.

Trasilla mater effecta est ex fornicario concubitu patre Themistio milite, qui ut tum proli, tum famæ istius fœminæ

consuleret, pollicitus est eam ducere uxorem; dum autem hoc parat exequi post Octavam Paschatis, jubetur interea sub medium Quadragesimæ proficisci ad expeditionem bellicam, fortè nunquam rediturus, neque permittitur à suo Ductore secum ducere Trasillam, nisi hæc actu conjux foret; proinde urget nuptias apud Parochum ante suum abitum.

Q. An possit ob has circumstantias tempore prohibito contrahere Matrimonium, & huic Parochus assistere?

SYNOPSIS.

1. *Diversis temporibus olim ab Ecclesia prohibita fuit celebratio nuptiarum, & cur?*
2. *Concilium Tridentinum rigorem veterum Canonum mitigavit, & hoc impedimentum ad brevius tempus restrinxit.*
3. *Probabiliùs prohibitio nuptiarum tam in Adventu, quàm Quadragesima non incipit à Vesperis diei præcedentis, sed à media nocte.*
4. *Hac prohibitione vetatur solùm solemnitas Matrimoniorum. In quo ista consistat?*
5. *Non verò prohibentur Sponsalia de futuro, neque denunciationes, nec Matrimonij consummatio.*
6. *Ipsum etiam Matrimonium ex vi Iuris communis contrahi potest tempore feriato, sed sine solemnitatibus, & benedictione.*
7. *In hoc tamen attendendæ sunt consuetudines Diœcesium, & in Germaniæ plerisque locis hoc non permittitur.*
8. *Deciditur præsens casus.*

I. Etsi

1. ETsi Jus naturale, vel Divinum contractum Matrimonialem non adstringat ad certum tempus, aut dies aliquos definiverit, quibus nuptiæ celebrari nequeant, tamen Romana Ecclesia, tum ut festa aliqua per annum solemniora à fidelibus majore devotione celebrarentur, tum ut populus aliquando intensiùs orationi, jejunio, alijsque pœnitentiæ operibus vacaret, prohibuit illis temporibus nuptiales solemnitates, utpote quæ animum ab his Spiritualibus exercitijs maximè avertunt, & vanâ lætitiâ occupant: tempus verò istud, quo nuptiæ vetantur, communiter vocari solet *tempus clausum*, sive *feriatum*..

Antiquis temporibus satis ampla erat hæc prohibitio, ad diversa tempora se extendens, nempe ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam; à Septuagesima ad Octavam Paschatis; à diebus Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, & tribus Septimanis ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ut constat ex *Can. Non oportet. 8. & 10. caus. 33. q. 4.* & *c. Capellanus. De Ferijs.* His igitur temporibus contra Ecclesiæ prohibitionem contrahebatur Matrimonium quidem *illicitè*, non tamen *invalidè*, quamvis aliqui ex antiquis contrarium censuerint, ut monet Glossa in *Can 7. caus. 33. q. 4.* atque etiam Christianus Lupus *tom. 4. Scholiorum in Canones p. 43.* affirmet ex S. Petro Damiani, quòd extra tempora contractum conjugium fuerit olim *substantialiter nullum*. Sed prævalet opinio aliorum, quòd ista prohibitio constituerit *impedimentum* solùm *impediens*, non autem dirimens; vel si aliquando antiquis temporibus Matrimonia tempore feriarum inita pro nullis habebantur, impedimentum istud per consuetudinem mutatum est ex dirimente in impediens, quale hodiedum est.

2. Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. Matr. c. 10. rigorem hunc veterum Canonum quoad prolixitatem temporis clausi mitigavit, & intra terminos arctiores constrinxit, his verbis: *Ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut eâ, quæ decet, modestiâ, & honestate fiant, curabunt; sancta enim res est Matrimonium, & sanctè tractandum.* Cùm verò hanc Ecclesiæ prohibitionem hæretici nostri temporis tanquam superstitiosam rejiciant, dicta Synodus eâdem sess. can. 11. istum hæreticorum errorem ex instituto proscripsit in hunc modum: *Si quis dixerit*

dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

3. Circa hoc Tridentini decretum duo nobis examinanda sunt. 1. Quando incipiat hæc prohibitio? 2. Quænam propriè sit prohibitionis istius materia, sive quidnam in isto decreto prohibeatur? Primum quod attinet, vetantur nuptiæ à tempore Adventûs, & quidem juxta Sanch. cum alijs quibusdam *L. 7. disp. 7. n. 2.* probabiliter à primis vesperis Sabbathi præcedentis Dominicam primam Adventûs, ubi aliud consuetudo non approbaverit, quia ab eo tempore unà cum Officio incipit Adventus. Verùm dicendum potiùs videtur cum Basilio Pontio *L. 6. c. 8. n. 5.* hanc prohibitionem incipere à media nocte, proinde sabbatho integro ante Dominicam primam Adventûs nuptiarum solemnitatem vetitam non esse, quia licèt Concilium Tridentinum præcisè dicat, nuptias prohiberi ab Adventu Domini, Concilium tamen Ravennatense secundum sub Clemente V. habitum expressè asserit, hanc prohibitionem initium sumere à Dominica prima Adventûs, quam, certum est, incipere à media nocte, in quo tempore Concilium Tridentinum nihil voluit immutare: durat verò dicta prohibitio usque ad festum Epiphaniæ inclusivè, in quo AA. conveniunt. Rursus nuptiæ prohibentur à feria quarta cinerum usque in diem Octavæ Paschatis inclusivè, ubi omnes communiter iterum conveniunt, initium prohibitionis incipere non pridie, sed à media nocte feriæ quartæ, unde absque omni peccato totâ feriâ tertiâ ante cineres nuptiæ celebrari possunt, idque passim consuetum esse videmus in nostris partibus; putatque Gobat *tr. 9. cas. 3. n. 74.* idem facturos esse nostros Germanos (quia id possent salvo jure) etiam in sabbatho ante primam Dominicam Adventûs, si abstinentia à carnibus non obstaret. Imò in aliquibus locis, veluti Mediolani, ut testis est Bonacina *q. 3. de imped. Matr. pu. 15. n. 4.* ex consuetudine legitimè præscripta prohibitio nuptiarum primùm incipit die sabbathi ante Dominicam primam Quadragesimæ, ideoque licitè celebrantur ibi nuptiæ adhuc feriâ quartâ cinerum, & sequente biduo.

4. Materia prohibitionis est nuptiarum solemnitas, ut rursus clarè colligitur ex textu Tridentini. Tria autem veniunt sub nomine *solemnium nuptiarum.* 1. Designat *solemnitas* secundùm omnium Sententiam nuptialem benedictionem, quam adhibere eo tempore sub gravi culpa prohibetur, unde mortaliter peccant tùm sacerdos nuptias benedicens, tum ipsi sponsi præceptum istud transgredientes, ut desumitur tum ex Tridentino,

tino, quod præcipit *diligenter servari eam prohibitionem*, ex quo Authores colligunt gravitatem præcepti, tum ex gravitate pœnæ, namque Sacerdos benedicens nuptias tempore vetito plectendus est pœna gravi, arbitrariâ tamen; sponsi verò in pœnam delicti ad tempus separandi sunt juxta *can. Non oportet. 33. q. 4.* videlicet quamdiu durat tempus feriarum, quo interdictæ sunt nuptiarum solemnitates, ut exponit Sanch. *L. 7. disp. 7. n. 5.* nisi in alterutro conjugum periculum incontinentiæ sit, tunc enim alia pœna injungi debet. Perez *disp. 22. sect. 2. n. 3. & seq.* Basil Pontius *L. 6. c. 8. n. 10.* qui *n. 13. ibid.* cum Palao *disp. 4. de sponsal. pu. 2. §. 1. n. 4.* hoc etiam extendit ad illas benedictiones, quæ adhibentur in secundis nuptijs: esto enim, in rigore benedictiones nuptiales non sint, faciunt tamen ipsæ quoque ad solemnitatem nuptiarum, istis temporibus prohibitam, quod negari non potest. Alterum est, quod per solemnitatem intelligitur, solemnis traductio sponsæ in domum sponsi cum celebri pompa, & festo musicorum instrumentorum sono; quibus accedit tertium, splendida convivia, choreæ, & alia ejusmodi mundana gaudia, quæ nuptias ordinariè comitari solent, quæque non parùm dedecent illorum temporum sanctitatem, & venerationem, ac convenientem Christianis hominibus illis diebus modestiam, mentemque nimiùm avocant à Divinis. Per hæc quoque committi peccatum mortale, docent Cajet. *in summula V. Nuptiarum peccata.* Armilla *V. Nuptiæ.* Petrus Ledesma *q. 50. de Matr. art. Vnic. col. penult.* Sed mitigandum puto hunc rigorem cum Sanch. *L. c. n. 19.* & Perez. *n. 5.* & dicendum, si ista fiant cum nimio excessu, ita ut sanctitati temporis notabiliter detrahatur cum offensione, & scandalo fidelium, esse peccatum mortale; si tamen fiant cum aliquo quidem, non tamen nimio excessu, venialem culpam non excedere, ac aliquando omnino nullum esse peccatum propter consuetudinem toleratam, ubi ista moderatè fieri solent, Episcopis conniventibus.

5. Ex istis porrò deduco 1. non prohiberi *tempore clauso*, seu *feriato* sponsalia de futuro, quia nullus textus Juris est, qui ea interdicat. Sanch. *cit. n. 7.* Petrus de Ledesma *l. c.* Pontius &c. Nec prohibentur eo tempore fieri denunciationes, quæ Matrimonio præmittuntur, ut declaravit Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 12. Dec. 1589. apud Jacobum Pignatellum *Consult. Canonicar. tom. 9. consult. 133. n. 87.* Sanch. Pontius &c. Nec interdicitur Matrimonij consummatio tempore feriarum, si ante illud contractum est, quidquid aliqui contradicant, cùm nullo jure ostendi possit hæc prohibitio, & eo tempore vacare copulæ conjugali culpâ

vacet.

vacet. Sanch. *l. c. n.* 23. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 271. Aloys. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. tom.* 4 *resol.* 565. Bonac. quod verum est, etiamsi contra Ecclesiæ prohibitionem, & cum peccato mortali nuptias celebrâssent solemniter, quia licet hoc tempore contractum Matrimonium sit illicitum, validum tamen est, nec adest aliquid, quod debiti redditionem, petitionemvé impediat, ut fit in voto, ipsaque Ecclesia aliud non prohibuit, quàm solemnitatem, à qua illatio fieri non debet ad consummationem, quæ diversa est à solemnitate, nam à diversis non fit illatio. *L. Papinianus. ff. De Minoribus.* Neque ex *can. Non oportet.* 33. *q.* 4. probari potest, quòd sic contractum Matrimonium non liceat consummare, nec enim asserit dictus canon, ejusmodi conjugibus ipso Jure interdictum esse, ne Matrimonium consumment, sed separandos esse in pœnam.

6. Quin imò, spectando Jus commune, non est illicitum etiam hoc tempore contrahere Matrimonium, si istud non solemniter, & cum benedictione fiat, ac periculum scandali absit, nam Canones superiùs citati ex causa 33. q. 4. dum ajunt, non licere eo tempore *nuptias celebrare, uxorem ducere* &c. solam prohibent nuptiarum solemnitatem, ut eos communiter DD. interpretantur. Bonac. *q.* 3. *de impedim. pu.* 14. *n.* 4. Sanch. *l. c. n.* 12. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 9. *q.* 2. Coninck. *disp.* 30. *dub.* 3. *n.* 36. Jacobus Marchantius *in Resol. Pastoral. tr.* 8. *c.* 3. *q.* 3. Vallensis *n.* 2. *de Matr. contracto contra interd. Eccl. ad finem.* Petrus Ledesma, Palao &c. idque colligitur etiam ex *c. Capellanus. De Ferijs*, ubi dicitur, licitum esse, ut quocunque tempore Matrimonium contrahatur, dummodo solemnitas non adhibeatur, ut exponit Glossa V. *Quocunque*, atque ipsum Concilium Tridentinum *loc. supra cit.* id non obscurè insinuat, quia dum dictis temporibus jubet *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter observari* & alijs temporibus *nuptias solemniter celebrari permittit*, quid aliud dicit, quàm *tempore clauso solas solemnes* nuptias prohiberi, idque à S. Congregatione Cardinalium declaratum esse testatur Engl *p.* 3. *Man Paroch. c.* 5. §. 4. *n.* 4.: ergo solemnitatibus prætermissis contractus Matrimonij prohibitus non est, uti neque illius consummatio, quia verum Matrimonium est, contractum in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus, sed absque benedictione nuptiali, & alijs solemnitatibus: consummare autem Matrimonium ante benedictionem nuptialem, nullo Jure prohibetur. Sanch. *n.* 23. Coninck. *n.* 37. idque iterum desumi potest ex Concil. Trident. quod dum *sess* 24. *c.* 1. hortatur sponsos, non autem præcipit, ne simul cohabitent ante acceptam benedictionem, clarè insinuat, pec-

peccatum non esse, si Matrimonium ante eam consumment, præsertim si adesset periculum incontinentiæ.

7. Dixi num. præcedente etiam, *tempore clauso* contrahi posse Matrimonia, si modò absint solemnitates, *spectando Ius commune*, quia in diversis provincijs, & Diœcesibus aliud usus habet, quarum proinde consuetudo servanda est, quæ vim Legis habet. Ita Marchantius *cit. loco n.* 3. testatur de Diœcesibus Leodiensi, & Mechlinienſi. eo tempore Matrimonia ibi etiam sine solemnitate prohibita esse per statuta Synodalia: posterioris prohibitionis verba habentur apud Bernard. Van Espen Jur. Eccles. Univers. p. 2. tit. 13. de Imped. Matr. c. 2. n. 17. ubi Synodus Provincialis Mechlinienſis II. ita statuit: *Tempus clausum diligenter observetur, & si quando ex legitima causa aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per Ordinarium admittantur, abstinendum tamen erit à solemnitatibus nuptialium conviviorum, choreis, Sponsarum publicis traductionibus, & similibus, quæ temporis Sanctitati repugnant &c.* Idem præscribit Rituale Frisingense, quod, postquam asseruit, Matrimonium omni tempore contrahi posse, monet Parochos, tempore feriato ex Tridentina constitutione solemnitates nuptiarum esse prohibitas, veluti nuptias benedicere, Sponsam traducere, nuptialia convivia celebrare; & tunc subjungit: *Si qui tamen etiam sine his solemnitatibus tempore vetito Matrimonium contrahere velint, Parochus non assistat, nisi priùs habitâ nostrâ licentiâ, exceptis tamen casibus in Iure expressis, qui dilationem non patiuntur.* Idem de Diœcesi Constantiensi testatur Gobat *tr. 9. cas. 2. n. 71.* & universim de Germania Authores Germani. Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 2. n. 24.* Illsung *tr. 6. disp. 9. n. 60.* Wiestner *de Matrim. contracto contra interd. Eccl. n. 34.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 1.*

8. Ex istis omnibus tandem decido pro casu præsente, potuisse Themistium tempore feriato conjungi Trasillæ, & huic Matrimonio assistere Parochum, petito priùs consensu Ordinarij, si fieri hoc poterat; aliàs etiam hoc non petito, omissis tamen solemnitatibus, & benedictione nuptiarum in aliud tempus dilata, quam etiam omittere ex negligentia, secluso contemptu, & vilipensione, teste Sanch. *L. 7. disp. 82. n. 6.* peccatum veniale non excedit. Ratio sic decidendi est, quia periculum erat in mora, nec enim expectare potuit, donec elaberetur tempus feriatum, & nisi modò contraheretur Matrimonium, fortassis nunquam futura erat occasio deinceps contrahendi cum gravi damno matris, & sobolis, cùm per contractum conjugium illius abstergeretur contracta priùs macula, & hujus acquireretur natalium restitutio juxta c. 6. Qui filij sint legit. ubi dicitur:

tur: *tanta est vis Matrimonij, ut, qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur.* Quæ omnia desumuntur tum ex supra allatis Diœcesanis Constitutionibus, tum ex cit. ibidem AA. præsertim Laymanno, qui ibi adducit id ipsum, de quo loquimur, vel certè casui nostro simillimum exemplum: attendenda est, inquit, Ecclesiarum consuetudo, quæ apud nos est, ut Parochus his temporibus Matrimonio, intermissa, vel in aliud tempus dilata benedictione, non assistat, nisi necessitas urgeat; ut si miles in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus, concubinam ducere velit, eique ad spiritualem salutem Matrimonium expedire videatur; quamvis etiam hoc casu mos est, ut, si fieri possit, ab Ordinario licentia petatur. Hæc Layman-

§. II.

De secundo Impedimento, quod est

VETITUM.

CASUS PRIMUS.

De interdicto propriè sumpto, in quantum significat prohibitionem Ecclesiæ.

Laura intelligens Symphorosam jam factis denunciationibus nupturam proximè Stiliconi, cui ipsa jam pridem desponsata fuerat de futuro, accusat hunc apud Ordinarium, rogans, ut

ut perfidum Sponsum compellat ad servandam sibi fidem. Stilico factam negat, quam ipsa asserebat, promissionem, & si quid spopondisset, ait, id fore irritum ob consanguinitatem, qua jungebatur Lauræ. Et hanc, & objecta Sponsalia examinaturus Episcopus, districtè interim vetat Sponso, ne progrediatur ad nuptias cum secunda, donec de re tota meliùs patesceret; at ipse, prohibitione insuper habita, priusquam ea veniret in notitiam Parochi, coram eo solemniter contraxit cum Symphorosa.

Q. Quid judicandum de hoc Matrimonio, & quam Stilico culpam contraxerit ista transgressione ?

SYNOPSIS.

1. *Quotuplex sit Ecclesiæ vetitum, & quid significet in sensu proprio ?*
2. *Interdicere ad certum tempus Matrimonium non solùm ad Pontificem, vel Episcopos, sed etiam ad Parochum pertinet.*
3. *Nequit verò Magistratus sæcularis subditis suis Matrimonium prohibere; & quando in certis casibus id licitè facit, non inducit hæc prohibitio impedimentum, de quo hîc loquimur.*
4. *Prohibitione factâ à potestate Ecclesiastica non solùm impediri, sed etiam dirimi Matrimonia, aliqui opinantur, ex textibus Iuris Canonici posse erui.*
5. *Contrarium tamen dicendum est, nisi sit prohibitio Pontificia, quæ habeat adjectam clausulam irritantem.*
6. *In casu præsente contrahens contra interdictum Ecclesiæ validè quidem contraxit, sed illicitè, peccavitque mortaliter, quod plerunque fit; aliquando tamen talis transgressio solùm venialis est.*

1 ECclesiæ *vetitum* dupliciter intelligi potest, nam vel accipitur in sensu proprio, ac stricto hujus loci, vel ampliore, & minùs proprio. Propriè sumptum est *interdictum speciale, & particulare*, quo certis personis Matrimonium ad tempus interdicitur ex justa causa, quia v. g. vel suspicio est latentis alicujus impedimenti, vel alterius inhabilitatis inter contrahentes, usque dum rei veritas magis patefiat. Alio sensu per *vetitum Ecclesiæ* significatur interdictum *generale, vel locale, vel personale*, quod propriè spectat ad censuras; quia tamen connexionem habet cum præsente impedimento, & circa hoc quoque interdictum moveri dubium potest, an, stante eo, licitum sit contrahere Matrimonia, utrumque exponetur in hac quæstione, ita ut interdictum, quatenus censura est, sequenti casui reservetur, at in præsente accipiatur in sensu proprio, & stricto.

2. Interdicere ad tempus, ne contrahatur Matrimonium, potest in primis Pontifex, qui est fidelium omnium totius Christiani orbis supremus Judex, & pastor, nec est, qui circa istud difficultatem moveat. Id ipsum potest Episcopus in sua Diœcesi, & sede vacante Capitulum, ut iterum explorati Juris est, nec enim constat ex ullo Canone, Pontificem *privativè* ad Episcopos hanc sibi potestatem particularibus personis interdicendi Matrimonium reservàsse. Et verò prohiberi particularium personarum conjugia, sæpissimè conducit, ac aliquando omnino necessarium est ad animarum salutem, & Ecclesiæ tranquillitatem procurandam: competere ergo debet ista potestas Episcopis, quando hujusmodi prohibitionem justa causa exigit, ut Matrimonium interdicatur ad tempus, vel quia alter è Sponsis cum alia persona prius contraxit Sponsalia, quæ sine gravi causa violari non debent, vel quia putatur, inter contrahentes subesse impedimentum consanguinitatis, ut veritas indagetur; vel quia timentur orituræ magnæ rixæ, si Matrimonium permittatur statim celebrari, & quæ similia sunt. An autem Parochis quoque competat in sua Parochia hujusmodi potestas, dubium videri potest ob textum c. 1. De Consang. & affinit. ubi dicitur: *causas Matrimoniales non debere tractari per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Canonum non ignorent*: talis autem non est Parochus, cùm nequeat aliquid agere in foro externo, ipsumque Tridentinum Sess. 24. c. 20. de reform. V. Adhæc, à fortiori hoc prohibet Parochis, cùm neget etiam Decanis, & Archi-Diaconis, nam ait: *Ad hæc causæ Matrimoniales, & criminales non Decani, Archi Diaconi, aut alio-*

rum

rum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini, & jurisdictioni relinquantur.

Sed dicendum, etiam Parochos posse Matrimonium ex dictis causis, ad sedandum scandalum, indagandam veritatem &c. ad tempus interdicere, ut docent Sanch. *L. 7. disp. 6. n. 6. Perez, disp. 23. sect* 1. Hurtad. & communiter alij, non quidem ut causam aliquam Matrimonialem per indaginem judicialem Parochus cognoscat, ac definiat, nam hoc ad superiorem potestatem Judicis Ecclesiastici pertinet, verùm ut extra-judicaliter contractum Matrimonij tantispet impediat, donec causa ad ordinarium judicem delata discutiatur, & per sententiam terminetur; atque ad hoc agendum Parochus etiam obligatur ex officio, ut manifestum est ex c. fin. De clandest. desponf. ubi monentur Parochi, ut diligenter investigent, num Matrimonio contrahendo aliquod impedimentum obstet, & si de eo probabilis conjectura apparuerit, *contractus interdicatur expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis*, atque iterum §. ult. ibid: *sanè si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, per triennium ab officio suspendatur, graviùs puniendus, si culpæ qualitas postulaverit*: potest ergo Parochus ad tempus Matrimonia impedire, donec de ijs, quid agendum sit, judex Ecclesiasticus cognoscat; atque hoc agere debet ex officio, nec enim redderetur tam gravi pœnæ obnoxius, nisi hoc omittendo obligationi muneris sui contraveniret; ad Ordinarium verò deinde spectat, qui gaudet judiciali potestate, ut causas Matrimoniales pertractet, ac circa similes casus judicialiter cognoscat, testes audiat, probationes examinet, & quid agendum sit, pronuntiet, atque hoc unicè, & nihil aliud intendit *c. 1. De Consang. & affinit* supra in contrarium allatum, ut consideranti patebit.

3 Ut verò Principes, vel Magistratus sæculares subditos suos à contrahendo Matrimonio impediant, nullo modo concessum est, nam Matrimonia *hodie reguntur jure poli, non jure fori*, ut loquitur Gratianus ad c. Euphemium, 2. q. 3. nec possunt statuere quidquam laici, quod Matrimonij libertatem offendat, cùm causæ Matrimoniales ad judicem Ecclesiasticum privativè spectent, adeò ut, qui oppositum velit esse probabile, periculum subeat (ne quid amplius dicam) incurrendi suspicionem minoris obedientiæ, & reverentiæ erga Ecclesiam, ejusque potestatem. Quin imò non desunt, qui putent, tales incidere in excommunicationem latæ sententiæ, à Synodo Tridentina statutam *sess. 24. de reform. Matr. c. 9.* in Dominos temporales, & Magistratus, qui quovis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quescunque alios cogunt, quò minùs liberè Matrimonia contrahant; ita enim

enim exponit Marta p. 4. de Jurisdict. cent. 1. caſ. 71. n. 23 : *unde præcipitur sub anathematis pœna, ne quovis modo directè, vel indirectè cogant, quò minùs Matrimonium contrahant.* At meo judicio cenſuram hanc à S. Synodo decretam iſti non incurrunt, quia aliud eſt, quod dicit Marta, prohiberi ſub anathemate, ne cogant quoscunque, quò minùs Matrimonium contrahant, atque aliud, quod ait Tridentinum, ne cogant, quò minùs *liberè* Matrimonium contrahant: per hoc plus non intendit Concilium, quàm ut libertas in contrahendo Matrimonio non eripiatur, & ad contrahendum aliquis compellatur contra ſuam voluntatem, cùm Matrimonia oporteat eſſe libera; non autem dicit, ne cogant quempiam abſtinere à Matrimoniali contractu, quem tamen ſenſum verba Doctoris Martæ important; hinc S. Synodum non loqui de prohibentibus, ne contrahatur Matrimonium, verùm de ijs, qui ad id ineundum compellunt, docent expreſſè Bonac. *q. 3. de Matr. pu. 8. n 34.* Henriq. *L. 11. c. 6. n. 5. in comment. Lit. G.* Gobat *tr. 9. caſ. 1. n. 21.* quia lex illa Tridentina eo ipſo, quòd pœnalis eſt, extendi non debet ultra proprietatem verborum: prohibitio autem non continetur ſub proprietate coactionis: ergo non idem eſt judicium de ijs, qui contractum prohibent, & qui ad contrahendum cogunt. Præterea, ut bene advertit Tannerus *tom. 4. diſp. 8. q. 4. dub. 1. n. 14.* docemur experientiâ, Principes ſæculares, Magiſtratus, aliosque Dominos Matrimonium ſubinde aliquibus interdicere certo quodam modo, quo nemo aſſerit, eos illicitè agere, nedum obnoxios fieri anathemati (quæ quidem prohibitio, propriè loquendo, impedimentum non inducit, de quo hîc loci ſermo eſt) ſic enim videmus, non aſſumi vel ſervos, vel ancillas, vel alios ad certa quædam officia, niſi cœlibes, & ſub conditione, quamdiu cœlibes manſerint; dimittendos, ſi Matrimonium contraxerint, ſic etiam copiarum Ductores, & Præfecti bellici ſub ſignis ſuis militantibus nuptias prohibent ex juſta cauſa, ne nimiâ mulierum, proliumque multitudine oneretur exercitus, ipſique milites voluptatibus emolliti jam minùs apti ſint ad Martios rigores, & ſubeunda pericula; per hoc tamen non impeditur Parochus, per ſe loquendo, ne tali Matrimonio aſſiſtat, nec ipſi bellici officiales intendunt ullo modo involare in jurisdictionem Eccleſiaſticam, cujus eſt impedimenta Matrimonij ponere, eamvè ſibi arrogare, ſed ejuſmodi militem poſtea ut minùs jam idoneum vel exauthorant, vel puniunt ob inobedientiam, quòd contra prohibitionem, non petitâ licentiâ, uxorem duxerit, quam ſi petijſſet, fortè non difficulter ſuperiores ipſi perſuaſiſſent, ne vellet ſibi loco, & tempore importuno novum

vum onus imponere, quod etiam castris futurum esset impedimento.

4. Cæterùm etsi communis Sententia sit, *Ecclesiæ vetitum*, seu prohibitionem conjugij à potestate Ecclesiastica emanantem impedire duntaxat Matrimonium, unde inter impedimenta solùm impedientia numeratur, non inter dirimentia, quia non eo ipso, quòd aliquid prohibetur, nullum esse colligitur, quod secus factum fuerit, nam, ut habetur in c. Ad Apostolicam. De Regular. *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem*; nihilominus fuere, qui dicerent, irrita esse conjugia contra Ecclesiæ prohibitionem contracta, ubi tamen plerunque distinctionem faciunt, an prohibitio facta sit per Constitutionem generalem, an per præceptum personale, & an causa prohibitionis temporalis fuerit, an perpetua? idque in inhibitionibus, quæ facta sunt à Papa, conantur ostendere ex Can. Videtur. 35. q. 6. *Videtur nobis, quòd secunda, quam contra prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit uxor, etiamsi primam non haberet desponsatam, nam quod contra interdictum, & ordinem Ecclesiæ factum est, tanquam inordinatum, ratum non haberi, tam Divinæ, quàm humanæ legis proclamat authoritas.* Quando autem prohibitio facta est ab Ordinario Papâ inferiore, id ipsum volunt eruere ex c. Tua fraternitas. De Sponsa duorum, ubi Alexander III. Episcopo Januensi ita rescribit: *Et si contra interdictum Ecclesiæ ita publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.*

5. Sed dicendum, conjugium contra interdictum Ecclesiæ contractum invalidum non esse, si aliud non obsit, quàm simplex prohibitio. Et quidem de interdicto à Parocho, vel Episcopo emanante res manifesta est, namque potestas constituendi impedimentum dirimens ad contrahendum Matrimonium neque Episcopis concessa est. De Papa quoad hoc punctum docent Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 2, §. 1. n. 2.* Basil. Pontius *L. 6. c. 7. n. 4. & seq.* Sanch. *L. 7. disp. 2. n. 10.* & Gonzal. *in c. fin. De Matr. contra interdict.* ipsius quoque prohibitionem, quoties simplex fuerit, hoc est, conjugium simpliciter prohibens, sine addito decreto, seu clausula irritante, impedire quidem Matrimonium, sed non dirimere, sive hæc prohibitio facta sit per constitutionem generalem, sive per præceptum particulare; sive causa temporalis sit, sive perpetua, nisi tamen per causam perpetuam idem intelligatur, ac causa dirimens, nam sæpe in Jure pro eodem sumuntur, ut patet ex Glossa *in c. Tua fraternitas. De Sponsa duorum. V. poteris*, alijsque pluribus locis apud Wiestner *De Matrim. contract. contra interd. Eccl. n. 17.* sic enim per se manifestum est, tale conjugium esse irritum. At verò

si Pontifex

si Pontifex clausulam irritantem addat, quam addere potest ex causa rationabili, cùm potestatem habeat, causâ justâ intercedente, inhabilem reddendi etiam personam singularem ad Matrimonium aliquod contrahendum, sicuti hoc potest generali sua constitutione, tunc enimverò fatentur dicti AA. nullum esse Matrimonium contra ejusmodi prohibitionem contractum: exemplum habemus talis interdicti clausulâ irritante muniti in c. Ad dissolvendum. De Desponſ. impub. ubi ad finem dicitur: *Quòd si contra interdictum nostrum in præjudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.*

Allata superiùs in contrarium cc. Juris Canonici conjugij irritationem non evincunt. Quippe in *can. Videtur.* 35. *q* 6. dum dicitur, ob interdictum non haberi ratum Matrimonium contra illud contractum, intelligitur interdictum, seu prohibitio irritans, ut exponit Gonzalez *in c.* 3. *Qui Matrim. accus. n.* 2. quod non est contra nos. Neque *c. Tua fraternitas.* plùs roboris habet, namque in eo agitur de casu, quo aliqua petit coram suo Judice aliquem in maritum, dicens, contraxisse secum de præsente, iste verò appellat ad Sedem Apostolicam, sed appellatione pendente, & Sententiâ necdum secutâ, aliam duxit in uxorem, in quo casu rescribit Pontifex, ut Judex ei, qui sic voluerit appellare, publicè interdicat, ne ante decisionem causæ cum alia contrahat, quod si tamen fecerit, tum Matrimonium tam præsumptuosè contractum irritet, hoc est, ut exponit Glossa, eos ab invicem separet usque ad causæ decisionem, donec nempe cognoscatur de valore prioris conjugij: *quo probato, separantur ex toto, latâ divortij Sententiâ inter eos; illius autem valore non probato, remanebunt simul*, quæ sunt verba Glossæ. Ex hoc autem non probatur, ob solam prohibitionem Ecclesiæ, de qua hic Sermo est, Matrimonium dirimi, unde meritò subijcit Glossa: *Interdictum Ecclesiæ non est tantæ efficaciæ, ut separetur Matrimonium contra illud contractum, nisi subsit causa perpetua*, hoc est, impedimentum dirimens, de quali in eo capitulo agitur, nempe de impedimento ligaminis: manet igitur inconcussum, interdictum Ecclesiæ impedire quidem, non autem irritare Matrimonium; id quod clarissimè constat ex argumento c. 1. De Matr. contract. contra interdict. Eccl. *Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, vel Iudicis factum, seu contractum, propter hoc solùm non dirimitur.* Et c. 2. Eod. ad finem: *Licèt enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugij dissolvatur; alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.*

6. Ex

6. Ex duobus hisce cc. ultimo loco adductis docent Authores communiter, Matrimonium contrahentes contra interdictum, vel prohibitionem Ecclesiæ peccare mortaliter, nisi ea manifestè injusta videatur, quod tamen præsumendum non est. Ita Bonac *q 3. De Imped. Matr. pu. 14. n. 3.* Cajetanus *V. Matrimonium c. 2. §. Et scito peccatum esse* Armilla *V. Matrimonium n. 54.* Coninck *disp 30. dub. 3. n. 23.* Petrus Ledesma *de Matr. q. 50. art. unic. conclus. 4.* Toletus *L. 7. Summæ c. 14. n. 2. & c. 18. n. 4.* Hurtadus, Reginaldus &c. & meritò, quia est transgressio præcepti in materia gravi, idcirco dicitur, debere ipsis imponi pœnitentiam, & separandos in pœnam ad tempus, quæ pœna cùm gravis sit, non nisi ob culpam gravem imponi debet. Imò *c. fin. De Matrim. contract. contra interd. Eccl.* præcipitur, ut tales insuper excommunicentur, quæ censura gravissima non fertur, nisi propter peccatum mortale.

Hæc omnia procedunt in casu nostro, quia contraxit Stilico nondum ostensâ consanguinitate, quam dixerat inter se, & Lauram intercedere cum impedimento dirimente, nè satis examinatâ, atque probata libertate ab impedimento ligaminis, cùm diceretur contraxisse cum Laura de futuro: nihilominus si re ipsa aliud impedimentum non adfuit, quàm facta ipsi prohibitio, tenuit Matrimonium cum Symphorosa contractum, at contrahendo mortaliter peccavit, ut in præsente casu negari non potest.

Cæterùm, etsi Sententia prædictorum AA, quòd interdicti violatio peccatum mortale contineat, in his, & similibus circumstantijs verissima sit, nec dubitari possit, plerunque ita evenire, non tamen dixero, eam omnino universalem esse, semperque committi culpam gravem interdicti transgressione, namque an prohibitio sub culpa lethali, an verò aliquando solum sub veniali obliget, ex ipsa causa prohibitionis, & circumstantijs desumendum est, ut docent Basil. Pontius *L. 6. c. 7. n. 8.* Sanch. *L. 7. disp. 17. n. 1.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu 2. §. 1. n. 2.* & Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 2 n. 23.* nam fieri quandoque potest, ut hoc præceptum solum sub veniali obstringat, si v. g. in venerationem alicujus Sancti, aut propter festi alicujus celebritatem prohibitio Matrimonij eo die fiat, non enim videtur graviter offendi festi veneratio, tametsi Matrimonium celebretur, unde quamvis ex genere suo hujusmodi transgressio sit peccatum mortale, in casu tamen particulari potest esse veniale.

CASUS

CASUS SECUNDUS.

De interdicto, quod est censura Ecclesiastica, an impediat Matrimonium?

Parata jam erant omnia, ut nuptias publicè celebraret Getulius cum Alcina, diesque designata, qua istud fieret; hanc dum expectant Sponsi, interea oppidum, cujus ipsi cives erant, unà cùm incolis generali interdicto affectum est.

Q. An stante hoc interdicto Matrimonium nihilominus contrahere potuerint?

SYNOPSIS.

1. *Quid propriè sit, & quotuplex, interdictum, in quantum est censura Ecclesiastica, & quos effectus habeat?*
2. *Tempore interdicti validè, ac licitè contrahuntur Sponsalia de futuro; fiuntque denunciationes.*
3. *Imò etiam Matrimonium in interdicto contractum validum est.*
4. *Juxta multos tamen contrahitur illicitè.*

5. *Sed*

5. *Sed verius est oppositum.*
6. *Benedictiones nuptiales conferri non possunt in interdicto.*
7. *Admittuntur tamen aliquæ limitationes ex Jure moderno in interdicto locali generali.*
8. *Etiam quoad censuratos interdicto personali magna est diversitas.*

1. INterdictum, in quantum est censura Ecclesiastica, inter impedimenta Matrimonij, de quibus hic agimus, uti in casu superiore dictum est, propriè non pertinet, cùm ijs tamen affinitatem aliquam habet ob effectus, quos inducit, si quidem per hanc censuram omnium Divinorum Officiorum, quorundam Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ participatio prohibetur. *c. Non est vobis. De Sponsal. & c. Quod in te. De Pœnit. & remiss.* unde meritò dubitatur, an inter hæc Sacramenta, quorum participatio per interdictum tollitur, Matrimonium quoque comprehendatur, ita ut tempore interdicti contrahi non possit ?

Ut clariùs patescat hæc controversia, notanda est divisio interdicti in *locale*, & *personale*. Illud directè & immediatè locum afficit, ne in eo Divina celebrentur, vel audiantur, mediatè autem personas quascunque, scilicet tam indigenas, quàm alienigenas, hæ enim omnes in tali loco assistere Divinis, ac participare in sacris illis functionibus prohibentur. Hoc, sive *personale*, directè, & immediatè afficit personas, quæ à Divinis absolutè, & in quocunque loco celebrandis, vel participandis prohibentur. Nonnunquam conjunguntur hæc duo interdicta, ut & locus, v. g. oppidum, aut civitas, & ipsa etiam communitas, sive incolæ talis oppidi interdicantur, qui consequenter non solùm in hoc loco, sed etiam in quovis alio interdicti manent, & à Divinorum participatione arcentur: dici solet interdictum hoc *mixtum*, quale proponitur in præsente casu.

Rursus utrumque interdictum tam locale, quàm personale dividitur in *generale*, & *particulare*. Generale locale est, quod plura loca particularia sub se continet. Speciale, quod specialem locum spectat: in exemplo. Interdictum locale generale est, quod fertur in regnum, provinciam, Diœcesin, civitatem, oppidum &c. imò quod fertur in

Parochiam, quando ea plures sub se Ecclesias continet, ut advertit Palao *disp. 5. de censur. pu. 1. n. 4.* Particulare locale est, quod in locum determinatum fertur, unum, vel plures, ut si una, vel plures Ecclesiæ alicujus civitatis supponantur interdicto, tunc enim peragi Divina possunt in alijs Ecclesijs, & Oratorijs privatis. Similiter interdictum personale generale est, quod fertur in communitatem, prout constituit unum corpus politicum, v. g. dum interdicitur populus unius provinciæ, civitatis, oppidi &c. Particulare est, quando fertur in personam particularem, unam, vel plures, in quantum considerantur ut personæ particulares. In casu nostro interdictum utrumque, tam locale, quàm personale generale est. His prænotatis.

2. Certum est 1. licitè, valideque tempore interdicti Sponsalia de futuro contrahi, sive locus interdictus sit, sive personæ. Suarez *disp. 33. De censur. Sect. 1. n 46.* Pontius *L. 6. c. 9. n. 1.* Ugolinus *De Censur. Eccles. tab. 5. c. 7. §. 3. n. 2.* Ratio est, quia Sponsalia neque sunt Sacramentum, neque aliquid Sacrum, nec Divinum Officium, sed sunt præcisè contractus quidam humanus, atque ideo non continentur in his, quæ per interdictum prohibentur. Idem dicendum est de denunciationibus futuri Matrimonij. Quòd si tamen aliqui antiqui Scriptores negarunt, tempore interdicti denunciationes fieri posse in Ecclesia, hoc ideo dixerunt, quia denunciationes olim fiebant sub Sacrificio Missæ; quia igitur interdicti tempore Missæ non dicebantur, denunciationes fieri non poterant, nunquam tamen illicitum erat, denunciationes facere tempore concionis, namque per interdictum non prohibetur concio, nec enim comprehenditur ea sub Divinis Officijs, quia non tam ordinatur ad colendum Deum, quàm ad populum in lege Christiana, & viâ virtutis ritè instituendum. Palao *disp. cit. §. 2. n. 2.* Hodie minor circa hoc difficultas est, postquam ampla illa Divinorum Officiorum prohibitio limitata fuit in c. Alma Mater. De Sententia Excomm. in 6. ut tempore interdicti *singulis diebus in Ecclesijs, ac Monasterijs Missæ celebrentur, & alia Officia Divina, sicut priùs, submissâ tamen voce, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis*, quæ quidem limitatio intelligi debet tantùm de interdicto locali generali; si autem Ecclesia specialiter interdicta sit, non est concessum Clericis sacra Officia dicto modo celebrare, ut cum communi exponit Laym. *L. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. n. 3. V. Porrò hæc.* Imò etsi hæc limitatio nunquam facta fuisset, vel etiam nunc Ecclesia specialiter esset interdicta, & in eadem celebraretur sacrum, atque denunciationes fierent, committeretur quidem

dem peccatum ibidem celebrando sacrum, non tamen peccaretur faciendo denunciationes. Sanchez *L. 7 disp 8. n. 7.* quia, cùm hæ non sint Officium Divinum, non opponuntur interdicto.

3. Certum est 2. Matrimonium tempore interdicti initum, sive id factum sit in loco generaliter tantùm, sive specialiter interdicto, sive illud contractum fuerit à personis etiam specialiter interdictis, si aliud impedimentum Canonicum non adsit, validum esse, ita cum Suar. & Pontio *ll. cc.* docent Perez *disp.* 23. *sect.* 1. *n.* 3. Covarr. in *c. Alma Mater. p.* 2. §. 2. *n.* 7. *V. Matrimonij autem.* Bonac. & communis aliorum. Ratio est, quia non potest ostendi ullus Canon, quo irritetur tale Matrimonium; econtra in *c. Capellanus. De Ferijs.* apertè habetur, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, ut quocunque tempore contrahatur Matrimonium, interveniente legitimo consensu de præsenti, præterquam diebus ibidem enumeratis, in quibus nihil dicitur de interdicto: quem textum de validitate Matrimonij intelligendum esse, exponit Barbosa *in cit. c. n.* 3. & admittunt eundem pro Matrimonij valore ij quoque omnes, qui docent, in interdicto conjugium illicitè contrahi. Confirmatur, quia Matrimonium etiam inter excommunicatos contractum validum est; ergo validum quoque erit ab interdictis contractum, etiamsi ob excessus proprios interdicti sint, quia isti ad summum comparantur excommunicatis in usu Sacramentorum: consequenter à fortiore validum erit Matrimonium in loco interdicto initum, quia minùs potest circumstantia loci, quàm personæ, Matrimonium invalidum reddere.

Aliqui, ut pondus addant huic confirmationi, adducunt verba Glossæ in c. Alma Mater. sup. cit. V. Sacramentis, ubi ait: *tenet etiam Matrimonium contractum tempore interdicti, cùm teneat etiam contractum ab excommunicato majore.* Nolui ego allegare hunc textum, quia ratio, quam pro hac sua assertione Glossa adstruit, mihi displicuit, ita enim mox subjungit: *licèt enim illud* (nempe Matrimonium) *sit Sacramentum, non tamen sic confertur gratia per illud, sicut per alia*, quasi diceret, ideo tenere contractum in interdicto Matrimonium, quia Matrimonium, etsi sit Sacramentum, non tamen est Sacramentum, quod gratiam conferat, qua ratione superiùs diximus, Authores quospiam Matrimonium appellâsse duntaxat analogicè Sacramentum. Sed hanc doctrinam Glossæ falsam esse, & sine labe hæresis defendi non posse, meritò docent Barbosa *De offic. & potest. Epis. Allegat.* 32. *n.* 198. Covarr. & Suar. *ll. cc.* quia omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ut definitur in Concilijs Florentino, & Tridentino. *Sess.* 7. *de Sacram. in genere can.* 1. & 6.

ubi inter Sacramenta novæ legis ponitur Matrimonium, & de ijsdem dicitur universim, quod collativa sint gratiæ, idemque in specie rursum asseritur de Matrimonio ab eodem Concil. Trid. *Sess. 24. Can.* 1. Ad hæc nulla prorsus dicendi ratio est, ideo valere Matrimonium, quia gratiam non confert, nam & Ordo tempore interdicti datus, vel personæ interdictæ, validus est, ut nemo negat, & tamen est Sacramentum conferens gratiam, ut iterum nemo negabit: ergo etiam Matrimonium, etsi sit Sacramentum collativum gratiæ non minùs, ac cætera Sacramenta, in interdicto vel locali, vel personali contractum, validum est.

4. Major difficultas est, an etiam licitè Matrimonium contrahatur tempore interdicti, vel à personis interdictis? Negativam defendunt multi, ijque graves Authores. Suar. *disp. 33. de Censur. S ct.* 1. *n.* 51. Ugolinus *tab. 5 c. 7. §. 3. n.* 1. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. Alleg.* 32. *n.* 200. Sayrus *L.* 5. *thesauri c.* 7. *n.* 45. Bonac *disp. 5 de censur. pu.* 3. §. 3 *n.* 8. Filliuc. *tr.* 18 *c.* 2. *n.* 51. *& seqq.* Prapos *in* 3 *p. q* 4 *de interdict. dub.* 3. *n.* 23 & *q.* 7. *de impedim. impedient dub* 24. *n.* 211. Basil Pontius *L.* 6. *de Matr. c.* 9. *n.* 3. Reginald. *L.* 32. *tr.* 3. *n.* 28. Dicastillo *tr.* 10 *de Censur. disp.* 5. *dub.* 4. *c.* 3. *n.* 134. Engl. *de sent. Excommun. n.* 94. saltem quando sponsi ex sua culpa specialiter interdicti sunt; hoc enim modo limitat ipse istam opinionem, alijque plures. Ratio ipsorum est, quia quotiescunque aliquid generaliter est prohibitum, si non inveniatur exceptum, non potest dici, licitè fieri, ut colligitur ex verbis Clement. 1. De Verb. signif §. porrò *ubi aliquid alicui generaliter prohibitur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum*: atqui receptio, & administratio Sacramentorum tempore interdicti generaliter est prohibita. c. Si sententia. De Sent. excommun. in 6. ubi de interdictis per generale, ac personale interdictum dicitur: *non debent alicubi (casibus expressis à Iure duntaxat exceptis) audire Divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta*: excipiuntur verò in Jure solummodo Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per modum viatici: cùm ergo Matrimonium nuspiam excipiatur, ex ipsa horum exceptione colligitur, illud sub generali prohibitione comprehendi, ac proinde tempore interdicti contrahi licitè non posse.

Confirmat suam opinionem ulteriùs ex eo, quòd excommunicatis, etiam minore excommunicatione, cujuslibet Sacramenti, etiam Matrimonij, receptio prohibita sit: ergo etiam interdictis prohibita censeri debet, cùm interdictum gravior censura sit, quàm excommunicatio minor.

5. His

5. His tamen non obstantibus, præferenda est est sententia contraria, & vera, pro qua stant Laym. *L.* 1. *tract.* 5. *p.* 4 *c.* 2. *n.* 1. Covarr. *l. c.* Sylvester *V Interdictum* 5. *n.* 9. *§. Quinta exceptio est.* Navarr. *in Manuali c.* 27. *n.* 179. Coninck. *de censur. disp.* 17. *dub.* 2. *n.* 48. Sanch. *de Matr. L.* 7. *disp.* 8. *n.* 2. Gibalinus *De sacra Iurisdict. in ferendis censur. disquis.* 7. *q.* 14. *consectario* 13. *n.* 40. Illsung *tract.* 7. *disp. unic. de censur. n.* 68. Less *in prælect. posthum. c.* 2. *de interdicto n.* 8. Hurtad. *tract. de interdicto difficult.* 8 *n.* 27. Mathias à Corona *de potest. Episc. tr.* 2. *c.* 15. *§.* 3. *n.* 2. Sylvius *in addit. ad* 3. *p. q.* 50. *de imped. Matr.* Avila *p.* 5. *de censur. disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 6. Pirrh. *de sent. excomm. n.* 236. Palao *disp.* 5. *de Censur. pu.* 4. §. 1. *n.* 25. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 81. Perez, Henriq. Tannerus &c. Ratio præcipua est, ut alias minùs firmas omittam, quia per interdictum eorum dutaxat participatio ab Ecclesia prohibetur, quæ ipsi à Christo dispensanda commissa sunt, qualia sunt omnia Divina officia, & ea Sacramenta, quæ per suos Ministros dispensat: sed tale non est Sacramentum Matrimonij, nam hujus dispensatio, seu ministratio non est commissa Ecclesiæ, sed ipsis contrahentibus, qui hujus Sacramenti Ministri sunt: ergo per interdictum non prohibetur Matrimonium. Atque hæc vera sunt juxta allegatos AA. in omni interdicto locali, imò etiam speciali personarum; rectè tamen monet Palao *l. c. n.* 27. specialiter interdictos aliunde aliquando à contrahendo Matrimonio removeri, si contumaces existant, quia sic ponunt obicem gratiæ per Sacramentum Matrimonij recipiendæ, atque ideo illicitè agunt recipiendo Sacramentum in statu peccati: at si contriti sint, & pœnitentes, nullatenus à recipiendo Matrimonio excluduntur, quia ex vi censuræ Interdicti non est prohibita Matrimonij receptio.

Fundamentum contrariæ opinionis si quid probaret, æquè probaret pro interdicto quovis generali, atque etiam personali speciali, cùm enim Canones absolutè, & indistinctè pronuncient, in interdicto illicitam esse perceptionem Sacramentorum, si hac prohibitione etiam Matrimonium comprehenderetur, consequens foret, quòd interdicto tam generali, quàm speciali Matrimonium prohibitum esset, quod tamen plures Adversariorum negant, voluntque, hanc prohibitionem se extendere ad solos specialiter interdictos: igitur absolutè iterum Respondeo, per SS. Canones tempore interdicti prohiberi non omnia Sacramenta, sed ea tantùm, quæ dispensationi Ecclesiæ commissa sunt, inter quæ cùm non sit Matrimonium, non prohibetur illud sive localiter, sive personaliter, atque

etiam

etiam specialiter interdictis. Ad confirmationem negatur conseq. quia excommunicatis apertè prohibetur participatio cujuscunque Sacramenti, non autem interdictis: ergo paritas inter eos non est.

6. Ex istis verò oritur dubium, an tempore interdicti licitum quoque sit, adhibere solemnes nuptiarum benedictiones, cùm validè, liciteque in interdicto contrahi Matrimonium possit?

Resp. Qui affirmativam teneat, vix reperire est aliquem, præter Angelum, qui in sua *summa Angelica V. Interdictum 6. n.* 30. docet, securiùs quidem esse ab ijs abstinere, licitas tamen esse arbitratur benedictiones nuptiales eo ipso, quòd licitum sit contrahere Matrimonium, ad quod benedictiones nuptiales sunt aliquid accessorium: ergo, concesso illo, hæ quoque censendæ sunt concedi juxta Reg. 42. de R. J. in 6. *accessorium naturam sequi congruit principalis.* Sic in baptismo, quia istius administratio conceditur, etiam ejusdem solemnitas permissa est, & quia Sacramentum Confirmationis in interdicto conferri potest, etiam chrismatis confectio conceditur. *c. Quoniam. De Sent. Excommun. in 6.*

Cæterùm cum communi tenendum est, tempore interdicti, vel loco interdicto has Benedictiones conferri non posse, ut præter innumeros alios docent Sanch. Palao, Gibalinus, Bonac. &c. Ratio est, quia hæ benedictiones à Sacerdote, cujus solius hoc Officium est, & quidem tempore Missæ fiunt, adhibitis quibusdam orationibus ad hoc peculiariter ab Ecclesia institutis, ac proinde sub Officio Divino continentur: at Officium Divinum nullatenus licet tempore interdicti à Clericis peragi præsentibus laicis: ergo hæ benedictiones conjugatis, utpote laicis, nequeunt in interdicto conferri. Neque urgent oppositæ rationes; nam accessorium naturam principalis sequitur, quando est eadem ratio in accessorio, ac in principali, eademque dispositio, quod in præsenti non est, nam nuptialis benedictio pertinet ad Divina Officia, Matrimonium eò non pertinet; nuptialis item benedictio tempore interdicti specialiter prohibetur, cùm tamen Matrimonij nulla existat prohibitio. Præterea in baptismo solemnitas, quæ adhibetur, est tale accessorium, quod solet immediatè associari principali, nam hic extra casum necessitatis nunquam administratur sine solemnitate: dum ergo concedit Ecclesia, ut tempore interdicti publicè administretur baptismus, eo ipso potest, & debet fieri cum solita solemnitate. Chrisma etiam est de necessitate Sacramenti Confirmationis, utpote illius materia, nec potest confici, nisi in feria quinta Majoris hebdomadæ, & quotannis renovari debet: si igitur tunc

tunc ratione interdicti non conficeretur, administrari non posset Sacramentum Confirmationis: unde sapienter concessit Ecclesia. ut, non obstante interdicto, conficeretur S. Chrisma, adhibendum in Sacramento Confirmationis, & Baptismi.

7. Rigor iste antiqui Juris, si agamus de interdicto locali, per Bonifacium VIII. quoad multa mitigatus est, nam hodie in *c. Alma Mater. De Sent. Excomm. in 6.* ut jam supra insinuatum est n. 2. permittuntur in loco interdicto omnia Divina Officia, cum hac tamen moderatione, ut ista fiant januis clausis, voce submissa, excommunicatis, & interdictis exclusis: ergo etiam benedictio nuptialis adhiberi potest in loco interdicto, dummodo observetur eadem moderatio. Avila *p. 5. disp. 4. De Censur. Sect. 1. dub. 6. conclus. 4.* Gibalinus *De Censur. disquis. 7. q. 14. consectar. 14. n. 41.* Ubi tamen iterum notandum est, favorem istum non extendi ad Ecclesiam speciali interdicto affectam, sed concedi solùm Ecclesijs generaliter interdictis, siquidem in illa minimè licet Divina Officia peragere, & benedicere nuptias, etiam adhibitâ prædictâ moderatione, ut observat Sanch. *l. c. n.* 11. & clarè id asserit Glossa in cit. c. Alma Mater. V. Ecclesijs, ubi ait, *non intelligas de Ecclesijs interdictis, sed sitis in loco interdicto*: ergo in interdictis solùm generaliter interdicto locali.

Præterea tempore interdicti possunt fieri hæ benedictiones in ejusmodi templis generali interdicto locali affectis, etiam publicè, & apertis januis, ac alta voce in illis festivitatibus, in quibus ex privilegio licet ibidem celebrare Officia Divina solemniter, dummodo non sit tempus, in quo benedictiones nuptiales aliàs specialiter interdictæ sunt; proinde fieri hæ benedictiones licitè possunt in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis, Pentecostes, & Corporis Christi cum ejus Octava, quod cæteris festivitatibus in c. Alma Mater. jam antecedenter expressis addidére Martinus V. & Eugenius IV. nam his diebus interdicti obligatio quoad Divinorum celebrationem suspensa est, retentâ prohibitione quoad Sacramenta: juxta Palao tamen *disp. 2. De Censur. pu 6. §. 1. n. 13.* valde probabiliter tunc possunt etiam laici, quibus licitum est assistere Sacrificio, sub eo accipere sacram Communionem: at nuptiarum benedictio non sub Sacramentis, sed sub Officijs Divinis continetur: ergo istis diebus licitè potest fieri etiam solemniter. Non tamen in festo Nativitatis Domini, Paschatis, aut Immaculatæ Conceptionis B. V. cum Octava, quod reliquis adjunxit Leo X. nam in istis festivitatibus, licèt æquè, ut in prioribus,

Officia

Officia Divina ſolemniter fiant, à quibus ſoli excluduntur excommunicati, admiſſis interdictis, ſi modò ſpecialiter interdicti non ſint, vel interdicto generali, aut locali cauſam dederint, quia tamen ſpecialiter in his poſterioribus feſtis vetita eſt nuptiarum ſolemnitas, cùm poſt Concilium Tridentinum ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſivè ſolemnes nuptiæ interdicantur, iſtis feſtivitatibus benedictio nuptialis impertiri nequit, peccatque, qui his diebus nuptias benedixerit, quia agit contra prohibitionem Eccleſiæ, & non obſervat ſacratum tempus; interdictum tamen, quatenus cenſura eſt, non violat, atque ideo neque pœnas incurrit illius violationi annexas, v. g irregularitatem, quia revera interdictum ſuſpenditur illis diebus quoad Divinorum Officiorum celebrationem, ad quam hæ benedictiones pertinent. Gibalin. *l. c. conſectar 14. §. Hinc porrò ſit.* Avila *l. c. concluſ. 4.* Palao &c.

Denique circa interdictum locale notandum, ſi incolæ, ſive cives non pariter etiam ipſi interdicti ſint, ſive ſpeciali, ſive etiam generali interdicto perſonali, aut culpam dederint interdicto, poſſe ipſos interdictum locale ſui oppidi fugere, & alibi rei Divinæ adeſſe, ac extra illud benedictionem nuptialem accipere. Ratio eſt, quia interdictum *locale* hoc ipſo, quod locale ſit, extra eum locum, quem afficit, non ligat, neque per hoc, quòd locus interdictus ſit, etiam incolæ eodem interdicto ligantur, *aliud enim eſt*, ait Gloſſa in c. Si Sententia. De Sent. Excomm. in *6. interdicere ſolùm civitatem; aliud civitatem, & cives*: quando igitur ſolùm locale interdictum eſt, poſſunt cives, qui interdicto perſonaliter affecti non ſunt, agere extrà, quod intra locum ſuæ patriæ ipſis non liceret, ut expreſſis verbis in cit. c. ipſis conceditur: *cæterùm cùm propter delictum Domini, vel Rectoris eſt civitas interdicta, cives ejuſdem [qui culpabiles non exiſtunt, & dummodo & ipſi propter Dominum, vel Rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti] poſſunt extra ipſam licitè intereſſe Divinis*: ergo & benedici.

8. Si verò nunc agamus de interdicto perſonali, iterum diſtinguendum eſt, an interdictum hoc ſpeciale ſit, quia ſcilicet conjux eſt nominatim interdictus, aut cauſam culpabilem interdicto ferendo dedit, in quo eventu cenſetur ſpecialiter interdictus. *c. Alma Mater. cit. V. Illis.* an verò ſit generale, quia nimirum univerſitas aliqua eſt interdicta, v. g cives alicujus urbis, cujus pars eſt conjux. Hoc annotato, dicendum, ſi vel uterque conjux, vel alter tantum ſit innodatus *ſpeciali* interdicto directè, vel indirectè, quia nempe, ut dictum eſt, interdicto generali, aut locali cauſam dedit, nullibi poſ-

ſunt

sunt benedici solemniter, illud enim interdictum personæ adhæret ubilibet, & à Divinis removet ubique: Si autem interdictum personale sit tantùm *generale*, non possunt quidem in loco etiam generaliter tantùm interdicto benedici, quia in illo non fiunt Divina Officia, nisi cum conditionibus quibusdam, inter quas una est, ut excludantur interdicti, ut supra relatum est ex *c. Alma Mater*, nisi tamen publicè fiant ea Officia solemnioribus festivitatibus, & soli excommunicati excludantur, non autem interdicti, præterquam qui causam interdicto dederunt, nam tunc & ipsi benedictionem nuptialem accipere poterunt. Dixi *in loco interdicto*, nam si loquamur, quid fieri possit extra locum interdictum, rursus considerandum est, an uterque conjux, an unus tantùm eorum subjaceat interdicto *generali personali*? Si uterque; benedici nequeunt, quamdiu partes sunt communitatis interdictæ, quia non minùs ipsi, quàm reliqua communitas, ubique premuntur eodem interdicto, nec possunt ipsi magis, quàm cæteri interesse Divinis, aut alia prohibita percipere: quòd si tamen domicilium mutent, alioque commigrent, ibidem habitaturi, sicque desinant esse pars illius communitatis, tunc enimverò possunt percipere solemnem benedictionem, cæterisque Divinis interesse. Denique si unus tantùm è conjugibus generaliter interdictus est, rursus attendi debet, an vir sit? an uxor? Si vir est interdictus, manetque pars communitatis interdictæ, nec aliò transfert domicilium, non possunt uspiam, etiam extra locum interdictum, accipere nuptialem benedictionem, quia vir manet etiamnum pars illius communitatis personali interdicto suppositæ, manet proinde ligatus instar aliorum civium. *c. Si Sententia. De Sent. Excomm. in 6.* vir autem non sequitur forum uxoris; at ex opposito si sola uxor interdicta est, benedici poterunt in loco non interdicto, quia uxor sequitur forum, munera, honores, ac domicilium Mariti. *L. Fœminæ. ff. De Senatoribus*, & *L. fin. C. De Incolis*: cùm ergo iste interdictus non sit, nec pars communitatis interdictæ, neque fœmina censetur esse interdicta, sed gaudet immunitate viri non interdicti, quàm primùm ipsi conjungitur, atque ita contracto Matrimonio deinceps benedici solemniter potest. Ita Gibal. *l. c.* Sanch. *n.* 19. Pontius &c. Hæc omnia procedunt in interdicto personali generali, quia si quis è conjugibus interdicto personali speciali adstrictus sit, nullibi fas est illis benedictiones nuptiales recipere, donec conjux ille interdicto ligatus absolvatur, quia id interdictum speciale personæ ipsam quocunque se transferentem comitatur instar aliarum censurarum. donec absolutio accedat. Sanch. *ibid.* quæ bene notanda sunt, nam aliqui malè hæc duo inter-

interdicta confundunt, & inter ea discrimen non faciunt.

Ex istis verò facilè quivis perspiciet, quid sit dicendum in dubio præsentis casûs, non solùm circa contractum Matrimonij, qui utique licitè fieri potuit, sed etiam circa benedictionem nuptialem, si modò attendat, duplex hîc adfuisse interdictum, nempe locale oppidi, cujus pars utraque civis erat, & personale incolarum, hoc tamen non nisi generale; unde opus non est, ut dictis plura addamus.

§. III.

De tertio Impedimento, quod sunt

SPONSALIA.

PEr hoc impedimentum intelligitur promissio futurarum nuptiarum alicui facta, nam qui cum aliqua validè contraxit Sponsalia, non potest sine peccato mortali cum alia inire Matrimonium, quia, ut dicit textus *c. Qualiter. De Pactis*, studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur: cùm ergo promissio onerosa facta sit in materia gravi, qui eam transgreditur, non potest hac violatione non graviter peccare, nisi prior Sponsa istud permittat, vel aliàs ex justa causa promissio priori facta legitimè dissolvatur, nam secùs agit contra fidelitatem, & justitiam,

justitiam, rem uni promissam alteri tradendo, illo invito, quod juri naturæ repugnat. Nihilominus si Matrimonium contractum est cum posteriore, Sponsalibus legitimè nondum solutis, illud validum erit, quia impedimentum hoc non dirimit contractum, sed tantùm impedit Matrimonium contrahendum; nec aliter hîc evenit, quàm in alijs contractibus, v. g. in venditione, namque mercator pollicitus uni mercem vendere, infideliter agit, eam vendendo alteri, sed tamen constat venditio, quia actualis traditio fortior est, quàm nuda promissio tradendi. Verùm de hoc sufficienter actum est in prima parte, ubi ex instituto materiam istam tractavimus, proinde supervacaneum est, quæ ibi dicta sunt, hîc iterum repetere.

§. IV.

De quartò Impedimento, quod est

VOTUM.

CASUS PRIMUS.

Volentis transire ad Matrimonium cum voto simplici castitatis.

Gunthramnus adhuc Adolescens votum nuncupavit perpetuæ castitatis; crescente ætate, cùm stimulis carnis vehementissimis

tissimis urgeretur, easque experiretur difficultates in hujus sui voti observantia, ut tentationibus passim succumbens, in peccatum prolaberetur, nec crederet, vires sibi diutiùs ad resistendum sufficere, cùm plurima media hucusque frustra adhibuisset, ratus, gratius Deo fore, si Matrimonium contraheret, constituit inire conjugium: ne tamen hac in re temerè procederet, consulit Confessarium, an sibi per votum ante plures annos conceptum istud licitum sit, quod sibi licere ipse omnino persuasum habet, eò quòd, si tantas difficultates tunc prævidisset, certò nunquam vovisset?

Q. An in his circumstantijs votum aliquando conceptum adhuc obliget, & quid eidem à Confessario respondendum sit?

SYNOPSIS.

1. *Votum simplex castitatis est impedimentum tantùm impediens, excepto voto simplici castitatis in Societate JESV, quod Matrimonium dirimit ex speciali Ecclesiæ constitutione.*

2. *Istud impedimentum est quadruplex, nempe votum castitatis integræ, cœlibatûs, assumendi SS. Ordines, & ingrediendi Religionem; nec solùm peccat mortaliter, qui aliquo ex his votis ligatus contrahit, sed etiam ille, qui contrahit Matrimonium scienter cum talibus votis adstricto.*

3. *Vt hæc Vota impediant Matrimonium, debent habere conditiones voti perfecti.*

4. *Etiam vota conditionata conjugium impediunt, sed cum aliqua limitatione.*

5. *An hisce votis adstricto liceat inire Matrimonium cum animo transeundi*

di ad Religionem ante illius consummationem? Refertur Sententia negativa.

6. *Sed videtur cum distinctione loquendum esse de istis votis.*

7. *An, qui post edita ejusmodi vota gravissimas carnis tentationes patitur, ijsque passim succumbit, possit propterea transire ad Matrimonium, an verò votum etiam in his circumstantijs conjugium impediat?*

8. *Potissimum argumentum, ex quo aliqui putant, in his circumstantijs cessare impedimentum, licitumque esse conjugium, examinatur.*

9. *Pro decisione præsentis casûs expenditur, quid respondendum sit à Confessario illi, qui cum hujusmodi voto transire vult ad nuptias?*

1. PEr votum castitatis, de quo hîc agitur, intelligitur votum simplex, non solenne, nam hoc ad impedimenta dirimentia pertinet. Circa illud plura hîc nobis examinanda veniunt, è quibus aliqua minùs difficilia sunt; ac primò quidem certum est, Votum simplex castitatis impedire quidem Matrimonium contrahendum, sed initum nullo modo dirimere, ut liquidò constat ex Jure c. Meminimus c. Veniens, c. Consuluit. Qui Clerici, vel voventes. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd sicut simplex votum Matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum, ita &c.* c. Rursus. eod. *Quòd si, postquam præstitit hujusmodi juramentum, ad nuptias motu proprio convolásset, cùm Votum simplex impediat Matrimonium contrahendum, non tamen dirimat jam contractum, nihil ambiguitatis habet quæstio Fraternitatis tuæ.* Denique c. Unic. De Voto. in 6. Bonifacius VIII. definit, solùm vota solemnia castitatis, Sacris Ordinibus, & Professioni Religiosæ annexa dirimere Matrimonium. Ratio communiter ista affertur, quia emittens votum simplex castitatis perpetuæ ineundo Matrimonium peccat quidem contra virtutem Religionis, violando promissionem Deo factam, proinde votum impedit Matrimonium, reddítque

ditque hoc ipsi illicitum, quia tamen votum simplex non importat corporis traditionem, sed solam promissionem, hinc verum dominium adhuc manet penes voventem, & res uni promissa adhuc validè tradi alteri potest; tum etiam, quia, qui votum simplex emittit, per hoc propriè non mutat statum, quod tamen fit in voto solemni, quo vovens se stabiliter Deo tradit, hinc ejusmodi votum, etsi impediat, non etiam invalidat Matrimonium, utpote in quo non solùm promissio, sed etiam traditio fit, dum homo se tradit homini in facie Ecclesiæ, quæ ratio desumitur ex S. Thoma *q. 53 in Supplem. art. 1. in C.* Alij paucioribus ferè id ipsum dicunt: non dirimi, sed solùm impediri Matrimonium per vota simplicia, quæ fiunt extra Religionem, negant verò, id esse intelligendum de votis simplicibus, quæ emittuntur in aliqua Religione, qualia sunt, quæ eduntur in Societate JESU post Novitiatûs biennium, ibi enim non solùm promissio, sed vera traditio fit, unde vota illa non solùm impediunt, sed etiam dirimunt conjugium.

Verùm hæ rationes in sola traditione, ac mutatione statûs fundatæ non satisfaciunt, nam teste Basilio Pontio *L. 6 c. 12. n. 1. & L. 7. c. 12. 14. & 22.* primis Ecclesiæ sæculis Religiosi per nuncupata vota verè constituebantur in certo statu seque tradebant Deo in perpetuum, quantùm erat ex parte ipsorum, vota tamen eorum simplicia erant, ut ibidem fusè ostendit, unde dimitti poterant à suis Prælatis, neq ipsorum vota, etsi in Religione edita, contractum Matrimonium dirimebant, sed illud duntaxat impediebant: ergo quòd de facto votum castitatis in Religione emissum non solùm impediat, sed etiam dirimat Matrimonium, quod non faciunt vota Sæcularium, non provenit ex traditione, vel certo statu, sed quia vota extra Religionem simplicia sunt, vota autem Religiosa hoc tempore sunt solemnia, non ideò præcisè, quia, in Religione eduntur, sed quòd ex speciali Ecclesiæ constitutione ita acceptentur, ut, seclusa authoritate, seu dispensatione ejusdem Ecclesiæ, perpetua sint, & irrevocabilia, atque voventem ad actus oppositos prorsus inhabilem reddant, in quo propriè consistit votorum solennitas; adeoque quòd dirimant Matrimonium, non habent solùm ex hoc, quòd sint emissa in Religione, & per ea traditio fiat, sed ex peculiari Ecclesiæ constitutione, quibus in hac parte æqualia sunt vota in Societate Jesu post tyrocinij biennium emitti solita, etsi, ritu ab alijs Religionibus diverso, duntaxat simplicia sint, namque ex speciali constitutione Gregorij XIII. quæ incipit *Ascendente Domino* per ea vovens non tantùm ponitur in certum statum, sitque,

fitque vera traditio, sed etiam Matrimonium ijsdem superveniens non solùm impeditur, sed dirimitur, ut fit per vota solemnia. Verba citatæ Bullæ Gregorianæ hæc sunt: *statuimus, atque decernimus, tria vota eiusmodi, etsi simplicia, ex huius Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione esse verè Substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate, tanquam in Religione approbata per Sedem eandem admissa fuisse, & esse, & per nos admitti &c.* & paulo pòst: *Excommunicationis majoris latæ Sententiæ, & alijs apostatarum poenis, si qui à Societate deficiant, subjacere, & tanquam veros Apostatas puniri posse, nec à quoquam, nisi per nos, & Sedem prædictam, aut Generalem Præpositum ab ejsdem pœnis absolvi, nec ante huiusmodi absolutionem, & à Societate dimissionem Matrimonium contrahere, quin imò* NB. *eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus*: habet ergo votum simplex castitatis in Societate Iesu hoc singulare ab alijs votis simplicibus, quòd Matrimonium, stante eo contractum dirimat, cùm alia vota simplicia id solùm inpediant.

2. Ejusmodi votum simplex, quod Matrimonium impedit, quadruplex est, videlicet votum perpetuæ castitatis, seu continentiæ integræ, votum ingrediendi Religionem, suscipiendi Sacros Ordines, & votum cœlibatûs, sive non ducendi uxorem, vel non nubendi: hæc omnia reddunt conjugium mortalier illicitum Jure Divino, & naturali, cùm scriptum sit: *vovete, & reddite. Psalm. 75.* Et quidem de voto castitatis absoluto clarum est, quia per illud corpus voventis Deo consecratur: nequit ergo licitè alteri tradi. De voto non ineundi Matrimonium pariter dubium esse non potest, quòd Matrimonium tali voto impediatur, quia istud directè opponitur Matrimonio. Idem est de Ordine Sacro assumendo, vel intrandi Religionem, quia sunt status à Matrimonio diversi, quibus assumendis impedimentum præstat Matrimonium, ut tradunt communiter DD. adeoque qui aliquo ex hisce votis tenetur, sine illius dispensatione illicitè contrahit Matrimonium, peccatque mortaliter; & absolutè loquendo, is quoque lethaliter peccat, qui scienter contrahit cum ligato his votis, quia petit ab eo actum, quem licitè exercere non potest, cùm, qui adstrictus est voto, non possit sine peccato inire connubium. Perez *disp. 23. Sect. 4. de Matr. n. 4.* Pontius *L. 6. c. 12. n. 2.* idemque habetur in *c. Nos novimus, 12. q. 2. junctâ Glossâ V. Sciens.*

Nec obest, si dicatur, inire Matrimonium cum excommunicato non denunciato, jam aliàs parato contrahere, nullam esse culpam, neque

neque cooperationem, quamvis ipse excommunicatus peccet, cùm excommunicatus non inducatur ab altero, possitque contrahere Matrimonium, petitâ priùs absolutione: ergo similiter hîc quoque nullam culpam committi, si quis cum habente votum castitatis, parato contrahere, Matrimonium ineat, nam & hic obtenta voti dispensatione id licitè facere potest.

Nam respondetur, disparem esse rationem, quippe excommunicatio non est impedimentum speciale Matrimonij, sed sicut peccatum mortale impedit omnium Sacramentorum receptionem ratione indignitatis in recipiente, ita excommunicatio, quia ita statuit Ecclesia ob reverentiam, & dignitatem Sacramenti, quod bonam recipientis dispositionem petit: cùm igitur non sit speciale impedimentum Matrimonij, nec illi obstet, quatenus contractus est, sed ratione Sacramenti, hinc istud obstaculum non afficit utrumque contrahentem; quocirca ex parte illius, qui excommunicatus non est, nulla culpa committitur, nisi cooperetur ad alterius peccatum, quæ tamen cooperatio non reperitur in contrahente cum excommunicato jam aliàs parato contrahere. At votum speciale impedimentum Matrimonij est, in quantum hoc est contractus, ac proinde utrumque contrahentem impedit; justus enim Matrimonij contractus petit, in neutro contrahente esse impedimentum impediens, aut dirimens: quare licet cesset cooperatio, quando, qui voto adstringitur, ex se jam est paratus, & alterum inducit, qui, ut utilitati suæ consulat, Matrimonio annuit, nihilominus non cessat ratio peccati, eo quòd contravenitur impedimento impedienti. Sanch. *L. 7. disp.* 11. *n.* 11.

3. Cæterùm ut hæc vota impediant Matrimonium, idque illicitum reddant, adesse debent illæ conditiones, quæ aliàs requiruntur ad quodcunque votum validum, & obligatorium; videlicet emitti debent *liberè*, & *deliberatè*; liberè quidem, ut fiant sine metu, nam hic, si gravis sit, sive de malo gravi, votum non obligat, ut est communis Sententia; & juxta Navarrum, quem sanè nemo hactenus nimiæ laxitatis arguit, *in Manuali c.* 22. *n.* 51. *V. Septimum* in foro conscientiæ levis quoque metus sufficit, ut votum reddat invalidum, quando per injuriam incussus est, pro qua Sententia plures citantur apud Lessium *L.* 2. *de Iust. c.* 40. *n* 17. eamque practicè tutam esse, docent Gobat *tr.* 9. *cas.* 3. *n.* 90, & Sporer *Theol. Sacramental. p.* 4. *c.* 1. *Sect.* 1. *n.* 141. Deliberatè autem fieri debent, non, quòd opus sit longa mentis agitatione, sed ut, qui vovet, perfectam habeat advertentiam ad id, quod agit, nempe tantam, quæ in materia

tia prava sufficeret ad peccandum mortiferè, sciatque materiam, & obligationem voti, secluso errore, & ignorantiâ circa substantiam, vel talem circumstantiam, quæ in ipsum objectum, & substantiam voti redundet: quam cognitionem cùm non soleant habere infantes, propterea eorum vota habentur pro invalidis in dubio, quoties emissa sunt infra septennium, ad quod tempus usque durat infantia. *L. Si infanti. C. De Iure deliberandi*, eoque non expleto, non præsumuntur sufficienter intellexisse, & deliberatè egisse: contrarium verò præsumitur de ijs, qui hanc ætatem superant, constituti in pueritia, seu annis pupillaribus, & multò magis, qui sunt ingressi adolescentiam, quæ incipit in fœminis completo ætatis anno duodecimo, in masculis decimo quarto, quo inter puberes recensentur, nisi aliunde constet, illos ante hoc tempus esse doli capaces, ut votum eapropter validum sit, vel istos esse incapaces, ut invalidum reputari debeat. Palao *disp. 3. De Conscientia. pu. 11. n. 2.*

4. Nihil autem interest, quòd vota ista conditionalia sint, v. g. si quis castitatem promisit sub conditione, si aliquod beneficium, vel certam gratiam à Deo assecutus fuerit, aut vovit ingredi Religionem, si Parentes mortui fuerint; quod quidem posterius votum propriè conditionatum non est, cùm non contineat conditionem, sed solùm determinationem temporis, quo impleri debet; habet enim hunc sensum, ac si diceret: *quando Parentes mortui fuerint*, sive *post obitum Parentum*, unde ex eo statim nascitur absoluta obligatio, licèt illius executio differatur. His igitur votis adstrictus, quamvis non teneatur statim exequi, quod promisit, donec conditio impleta fuerit, vel tempus præfixum advenerit, obligatur nihilominus vi sui voti, ne se inhabilem, & incapacem reddat ad ejus executionem, atque ita etiam hæc, & similia vota impediunt Matrimonium, quia per illud, si iniretur, poneretur obex, ne vovens posset votum suum implere. Sanch. *l. c. n. 7.* Palao, Pontius.

Verùm hoc quoque duplicem limitationem admittit. 1. Nisi jam moraliter certum sit, conditionem impleri non posse, nam tali casu nihil impedit, quò minùs, non habita ratione voti, possit statim contrahi Matrimonium, v. g. si quis promisit ingressum Religionis sub conditione, si intra quadriennium doctus in aliqua facultate evaserit, potest eo non expectato ad nuptias transire, si ante elapsum hunc terminum moraliter certum sit, & non præcisè dubium, nam sic maneret votum in possessione, illum præ ingenij tarditate, aut quia inopiâ premitur, non posse ita studio vacare, ut eo tempore doctus evadat, aut

quia non potuit usque adhuc ad literas incumbere, & in residuo temporis impossibile est, ut doctus fiat. 2. Limitatur, nisi conditio talis sit, ut eam apponi pendeat ex libera voluntate voventis; sit pro exemplo votum: Si Religionem ingrediar: erit Carthusiana; hoc casu iterum statim transire ad nuptias poterit, quia cùm liberum sit voventi, apponere, vel non apponere conditionis eventum, non obligatur ejus eventum expectare. Sanch. *L. 4. in Decal. c. 22. n. 11.* & *c. 23. n. 28.* idque extendit etiam ad votum pœnale, v. g. si lusero intra annum, promitto Religionem.

5. Hinc verò duplex oritur dubium. Primum est, an liceat habenti aliquod ex istis votis inire Matrimonium, si habeat firmum propositum ante illis consummationem ingrediendi Religionem?

Negant, id fieri posse sine culpa lethali, Sanch. *L. 1. de Matr. disp. 43. n. 7.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 14.* Bonac. *disp. 4. in secundum Præcept. Decal. q. 2. pu. 5. §. 5. n. 2.* Navarr. *in Manuali c. 22. n. 73.* Less. *L. 2. de Iust. c. 41. dub. 6. n. 50.* & alij communiter, teste Dianâ *p. 3. tr. 4. resol. 281.* ubi vocat istam Sententiam probabiliorem, & in praxi tenendam. Ratio ipsorum est, quia talis se conijcit in patentissimum periculum mutandi animum, & relicta intentione de ingressu Religionis, violandi suum votum per copulam conjugalem, quod periculum semper adest, etiamsi pars altera, cum qua contrahitur, conscia sit hujus propositi: ergo saltem ratione periculi talis contractus illicitus est. 2. Si autem hujus intentionis pars altera, v. g. puella, cum qua contrahitur, ignara est, negari non potest, quòd inferatur ipsi notabilis injuria, nam si hunc animum sui Mariti perspectum habuisset, nunquam ei nupsisset, quem modò expectare debebit, & anno integro esse sine conjuge, donec videlicet professionem is ediderit; vel si hæc non sequatur, debebit esse uxor Monachi cum suo dedecore; imò, etiam consecutâ Professione, etiamnum fortè damnum incurret, quia putabitur deflorata, vel saltem erit suspicio, eam desertam fuisse à Marito ob aliquod vitium, sicque ipsi adhærebit aliqua nota, ut alias nuptias difficiliùs assequatur. Ut taceam, rectæ rationi repugnare, ut quis tradat potestatem sui corporis alteri, quod fit per Matrimonium, seque ad hoc obliget, quod nullo modo intendit adimplere: ergo nequit cum hoc animo contrahens Matrimonium à peccato lethali excusari.

6. Verùm existimo ego potiùs cum Basilio Pontio *L. 6. c. 12. n. 5.* & Perez *disp. 23. de Matr. Sect. 4. n. 5. & seqq.* non posse universaliter dici, quòd committatur grave peccatum ab eo, qui Matrimonium con-

contrahit aliquo ex istis votis ligatus, si habeat simul firmam intentionem ante conjugij consummationem ingrediendi Religionem; quod ut clarè pateat, lubet discutere singillatim hæc vota, tum cœlibatûs, tum assumendi SS. Ordines, tum ingrediendi Religionem, tum denique perpetuæ, atque integræ castitatis, & in particulari examinare, quid de unoquoque ipsorum sentiendum sit, præsertim cùm Authores supra allegati pro Adversa parte non ita expressè loquantur de singulis. Votum cœlibatûs, sive non ineundi Matrimonium, assumo primo loco. De hoc non diffiteor, peccare mortaliter, quisquis eo obstrictus Matrimonium contrahit, etiamsi animum habeat illud non consummandi, sed priùs ingrediendi Religionem, nam hæc intentio non facit, quòd votum suum in ipso statim contractu conjugij non violaverit. Idem dico de eo, qui emisit votum assumendi sacros Ordines, si habeat præcisè propositum exequendi hoc suum votum ante conjugij consummationem, nam sic exponit se manifesto periculo votum non implendi, imò proponit agere, quod exequi ipsi jam non est liberum, nam semel contracto Matrimonio nequit transire ad SS. Ordines sine consensu conjugis, ut definitur in Extrav. *Antiq. Ioannis XXII, De Voto*, quia ad solam Religionem transitus in Jure permittitur. Similiter qui post votum ingrediendi Religionem, aut perpetuæ castitatis contrahunt Matrimonium etiam cum animo transeundi ad statum Religiosum ante conjugij consummationem, à peccato mortali non excusantur, quoties adest periculum, ne mentem suam mutent, atque in sæculo maneant, & in hoc statu illud consumment cum voti transgressione; at quando cessat ejusmodi periculum, peccatum mortale non committitur eo animo contrahendo, quemadmodum & ille excusari potest, qui ligatus voto SS. Ordinum idem propositum habet Religionem intrandi, ut in ea Ordinetur, quando in ipso quoque abest dictum periculum, quia ex una parte fæmina, quæ cognita non fuit, damnum non patitur, nec Matrimonium ratum inducit vinculum, quod cum isto proposito stare nequeat, & per Professionem Religiosam dissolubile non sit; ex altera verò parte cuivis conceditur in ipso Jure tempus bimestre, quo possit ad Religionem transire, quod si faciat, Jure suo utitur, nec alteri infert injuriam, sive sciverit, sive nesciverit præcedens votum, nec potest hæc ipsum obligare, ut ad Religionem non transeat, imò neque subsisteret tale pactum. Id tamen censeo cum citatis duobus Authoribus, fore in tali contractu nihilominus aliquam otiositatem, licèt,

licèt, secluso periculo consummationis, culpa mortalis in eo non appareat. Atque ita per se corruunt argumenta, quæ nimis universaliter, & sine limitatione arguentia talem contractum peccati mortalis, supra attulerunt Adversarij cum Sanchez, qui demum tamen ipse hanc nostram Sententiam judicat esse probabilem, eamque insuper tenent Petrus Ledesma *q. 53. de Matr. Art. 1. Concl. 2.* & Caietanus *in Summulæ V. Matrimonium. Vers. Et scito, peccatum esse.* Quæ autem postmodum licita sint ijs, qui cum ejusmodi votis Matrimonium contraxerunt, commodiùs dicentur in sequentibus duobis casibus.

Adjungo, quòd, si gravis causa subsit, talis nec venialiter peccet ineundo Matrimonium ante Religionis ingressum cum firmo proposito Religionem subeundi, antequam consummet. Tales causæ sunt, si hoc faciat metu compulsus, etsi tantus non sit, qui possit cadere in virum constantem, ut habet Less. *L. 2. de Just. c. 41. n. 51.* vel ut proles ante suscepta legitimetur, vel si aliter non possit parentum custodiam evadere, qui eum incluserunt, ne Religionem ingrediatur; aut si aliter disponere nequeat de amplissima hæreditate, quæ proinde ad hæreticos devolvetur, possit verò disponere post Matrimonium contractum; atque etiam in casu raro ad vitandum scandalum. Less. *l. c.* Sanch. *L. 1. disp. 43. n. 9.* Præpos. *q. 6. de Matr. dub. 16. n. 119.* ac denique si contrahant utrinque cum expressa conditione voti castitatis, vel non consummandi, vel eo, qui non tenetur voto, copiam alteri faciente adimpletionis voti, & separandi torum, ac ea omnia faciendi, quæ ad impletionem voti pertinent: in his casibus omnino nullam culpam admittit, qui voto simplici castitatis obstrictus, Matrimonium init. Pontius *l. c. n. 4.* Perez *n. 5.* Rebell. *de obligat. Iust. p. 2. L. 3. q. 17. Sect. 1. n. 2. ad fin.* de quo sufficienter constat ex dictis suprà *Sect. 1. §. 2. q. 2. n. 8. & seq.*

7. Alterum dubium est, in quo propriè versatur controversia huius casûs, an voto castitatis, SS. Ordinum, Religionis, aut cœlibatûs adstrictus possit inire Matrimonium sine dispensatione, si patiatur vehementes carnis tentationes, expertusque sit, passim se succumbere, nec vires sentiat ad resistendum sufficientes?

Videri potest, talem ad Matrimonium licitè posse transire. Ratio est, quia sicut votum ex communi DD. Sententia cum S. Th. *2. 2. q. 88. a. 2.* debet esse de meliore bono, ita etiam observatio voti, ut illud obliget: sed votum, & ejus observatio in talibus circumstantijs non sunt de meliore bono, cùm talis, stante suo voto, continuò exponatur proximè periculo incidendi

dendi in innumera peccata luxuriæ, quæ sunt intrinsecè mala, & ab eo vitanda essent, si Matrimonio ligaretur: ergo cùm vovens, quando ipsi constat, aliquid aliud esse sibi melius, quàm materia à se promissa, possit propria auctoritate id commutare, poterit etiam in isto casu propria auctoritate transire ad Matrimonium, quod videt, sibi fore salubrius, quàm votum castitatis. Ita Quintanaduennas *singularium tr. 9. singul. 12. n. 4.*

Verùm, etsi opinionem hanc speculativè probabilem aliqui fateantur, in praxin tamen deducenda non est, sed dicendum, per votum castitatis Matrimonium impediri, non obstantibus maximis difficultatibus, quas experitur vovens in ea servanda, etiamsi nunquam voluisset ita vovere, si eas antè prævidisset eventuras. Ita Sanch *L. 7. de Matr. disp. 11. n. 9.* & *L. 4. in Decal. c. 8. n. 9. & seq.* Coninck *disp. 30. dub. 3. n. 28.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. pu. 2. diffic. 4. Vers. Ad confirmationem.* Ratio est, quia oppositum asserere videmus esse contra communem Ecclesiæ usum, quantumvis enim quis carnis illecebris vexetur, & luxuriæ stimulis urgeatur, si voto castitatis adstrictus sit, solet à Pontifice dispensationem petere, quæ ex hac causa concedi potest, plerunque tamen non conceditur, nisi ridigissima commutatione injuncta, ut praxis docet, & videri potest in formulis dispensationum apud Marcum Paulum Leonem *in Praxi ad literas Majoris Pœnitentiarij*; nec credo (ait Sanchez) virum aliquem doctum, & pium ausum fuisse hunc ab obligatione sui voti eximere. communiter enim in voventium potestate est, tentationes istas & pericula devitare, vitando occasiones, & otium, ac exercendo se in jejunijs, & orationibus; quod si nolint facere, sibi, non rei difficultati imputent, nam, ut ait S. Th. q. cit. art. 4. ad 2. *periculum voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, transgrediens votum*; & S. Aug. tom. 6. Operum L. 1. de Adulterin. Conjugijs. c. 15. ad Pollentium, *illis*, inquit, *quæ se non continent, expedit nubere, &, quod licet, expedit: quæ autem voverint continentiam, nec licet, nec expedit.* Nec satis est ad hoc, ut aliquis deobligetur à voto, quòd modò experiatur eas tentationes, quas si prævidisset, nunquam se tali voto obstricturus fuisset, nam ut quis liberetur etiam à promissione homini facta, non sufficit, quòd de novo nunc ei occurrat talis difficultas, quæ si fuisset ab initio prævisa, deterruisset à promittendo, sed necessariò requiritur talis, quam ipse vel tollere, vel superare nequeat, & quæ prævisa communiter cordatum quemque à promittendo averteret: atqui talis non est difficultas superandi tentationes: soiunt,

sciunt, istas non defuturas, & nihilominus innumeri se voto castitatis obligant, vel ad statum Ecclesiasticum, aut Religiosum transeunt, quia simul id quoque sciunt, volentibus, & facientibus, quod in se est, Deum non denegare gratiam, sed ea præbere auxilia, ut possint facere ex tentatione proventum: nôrunt etiam, quanta certantibus sint constituta prœmia, quæ multò majorem laborem mereantur.

8. Illa denique ratio, qua nititur Quintanaduennas, ideo licitum esse voventi transire ad Matrimonium in istis circumstantijs, quia conjugium ipsi salubrius est, planè intentum non probat, nam quia materia votorum castitatis, Religionis &c. gravissima est, & Deo perquam grata, ac in eorum violatione magnum periculum, non cujuscunque judicio, quantumvis moraliter certo, relinquendum est, an voventi, omnibus consideratis, magis expediat Matrimonium, sed expectanda est authoritas Superioris dispensantis. Unde in dicto argumento dupliciter considerari potest his votis ligatus. Primò ut quædam persona singularis. Secundò ut pars communitatis Ecclesiæ, & ut bonum, vel malum Ecclesiæ etiam bonum, vel malum est ipsius. Quamvis igitur illi, ut singulari personæ, posset esse melior, ac salubrior status Matrimonij, quàm status continentiæ, vel Religionis, non tamen ut pars est communitatis Ecclesiæ; certum quippe est, Deo gratiorem, & Ecclesiæ, adeoque etiam tali homini, in quantum pars est hujus communitatis, meliorem esse statum continentiæ, quamdiu Superior cum ipso non dispensaverit, ut patet manifestè, siquidem si cuivis permissum esset propria auctoritate ob frequentes carnis lapsus, postpositis his votis, transire ad nuptias, mala plurima, & gravissima scandala in Ecclesia orirentur, quæ proinde ad quemlibet etiam, ut ad Ecclesiæ membrum, & partem, redundarent, nam depravata cupiditas plurimos falleret, ut putarent, se non posse, quod nolunt, & falsò existimantes, continentiam sibi impossibilem esse, multi prætenderent, justam causam adesse convolandi ad nuptias, quò ipsos non rei difficultas, sed propria salacitas impelleret: igitur dicendum, ob maximam votorum istorum dignitatem, plurima merita, & egregia opera, quæ per ea præstantur in Ecclesia, ut censeatur eorum obligatio cessare, debere contrarium melius esse, atque præstantius voventi, non tantùm ut singulari personæ, sed ut parti communitatis; quòd autem ipsi ut singulari personæ istud magis expediat, neutiquam sufficit, ut rursus clarissimè ostendi potest in exemplo: Certum est apud Authores, voluntariam seminis effusionem, quantumvis

tumvis cederet aliquando in bonum alicujus privati, ipsíque magnopere utilis foret, nullâ unquam causâ honestari posse, eo quòd inde toti communitati ingentia damna sequerentur, & in plurimis aperiretur ostium incontinentiæ, mollesque, & proclives in hanc turpitudinem facilè sibi persuaderent, adesse causam seminis licitè effundendi: ergo in votis quoque prædictis præhabendum est bonum communitatis utilitati privatæ. Hæc circa castitatis vota simplicia, quando ijsdem jam emissis nimiæ carnis tentationes, & lapsus frequentes superveniunt; an autem valida sint, & obligatoria ejusmodi vota non ineundi Matrimonium, Religionis &c. facta ab eo, qui jam tunc, quando vovet, videt, sibi salubrius fore Matrimonium ob incontinentiam, & lapsus in res venereas, videri potest apud Bonac. *Disp.* 4. *in secundum præcept Decal. q.* 2. *pu.* 1. *n.* 26. & Sanch. Quintanadv. *ll. cc.* Gobat. *tr.* 11. *n.* 270. *& seqq.* Dianam *p.* 10. *tract.* 11. *resol.* 47. Burghaber *Select. Casuum centur. 1. cas.* 66. Augustin. Michel *Theol. Canonico-Moral. tom.* 1. *p.* 2. *Sect.* 3. *pu.* 2. §. 5. *n.* 42 Palao *disp.* 1. *de Essentia, & oblig. voti pu.* 8. §. 5. *n.* 14. & præsertim Matth. de Moya *in Quæst. Select. tr.* 2. *disp.* 1. *q.* 1. ubi plures Authores citat in utramque partem disputantes, ipse verò §. 3. amplectitur sententiam, votum castitatis, vel Religionis emissum à valde proclivi in venerem, validum esse.

9. Cùm igitur in casu nostro Gunthramnus votum castitatis emiserit, postquam non solùm plenum rationis usum jam habuit, depositâ infantiâ, adolescentiam, ac pubertatem ingressus, ac proinde tenera ætas, & indeliberatio ab obligatione voti ipsum excusare nequeat, nec etiam tentationum vehementia, & sæpiùs iterati lapsus ab ejus observantia ipsum eximant juxta dicta superiùs n. 7. restat, ut exponamus, quid agendum sit Confessario, si ab hoc, vel ab alijs simili malo afflictis interrogetur, an validè, liciteque, voto non obstante, in istis circumstantijs possit Matrimonio copulari?

Ad hoc quæsitum admodum rigorosè, & scrupulosè loquitur Hostiensis, & alij quidam apud Sanch. *l. c. n.* 12. videlicet respondendum esse, quòd Matrimonium inire non possit; & ulteriùs instanti, an saltem valeat contractum? denegandam esse responsionem; nam si respondeatur, invalidum esse, erit mendacium; si autem dicatur, esse validum, præbebitur occasio ineundi Matrimonium cum peccato mortali, atque ita respondens eàdem culpâ mortali inficietur. Displicet hæc assertio, nec possum ullo modo pro-

probare, quòd expediat ad interrogata tacere, nam sic interrogans putabit, se contemni, ac inde offendetur, & quem consuluit, ex hoc silentio arbitrabitur inurbanum: in hoc tamen assentior, circumspectè agendum esse Confessario, si putat, interrogantem de valore hujus conjugij datâ doctrinâ abusurum ad incundum id Matrimonium cum Sacrilegio mortali, postquam audiverit, esse validum, unde consultum est, ut ejus interrogationem celata quidem veritate, sed absque mendacio, eludat, ad alia ipsum divertendo, ut dicat, v. g. gravissimum, & atrox Sacrilegij crimen esse, si votum violetur, contracto Matrimonio, & ex ejusmodi Sacrilego conjugio plerunque infelices exitus, ac Dei supplicia timenda esse, ita forsitan fiet, ut ad alia deducto sermone, directæ responsionis interrogans obliviscatur. Quòd si autem interrogationi insistat, velitque omnino intelligere, an saltem validè contrahatur, sine omni culpa eidem veritas aperiri potest, dicendo, peccari mortaliter ejusmodi contractu, esseque necessariò petendam dispensationem, Matrimonium nihilominus validum esse, nam dum sincerè ipsi exponitur, lethalem culpam committi, occasio ruinæ non est data, sed accepta, cùm sic respondens nihil proponat, quod ex natura sua ad peccatum provocet, & per quod ipse ad peccatum cooperetur, sed alter ex sua malitia verâ doctrinâ abutitur, unde non Confessario veritatem aperienti, præsertim si insuper à contrahendo Matrimonio dehortetur, & moneat dispensationem petere, peccatum imputandum est, sed unicè adscribitur alterius perversæ, & inordinatæ voluntati, aliàs sanè dici poterit, Doctores quoque graviter delinquere, & occasionem delinquendi alijs præbere, dum scriptis suis inserunt, & in libris à se editis publicam faciunt veritatem, de valore talium conjugiorum, quod nemo prudens dixerit. Ita Sanch. *l. c.* Coninck *disp.* 30. *dub.* 3. *n.* 32. Sylvest. *V. Matrimonium* 7. *q.* 5. *Dicto* 9. Eman. Rodriq. *q.* 1. *Summæ c.* 240. *n.* 3.

CASUS

CASUS SECUNDUS.

De Voto Cœlibatûs.

Theomirus votum vovit Domino Deo non ineundi Matrimonium, at postmodum contractâ familiaritate cum Idalba Virgine, eandem induxit in lapsum, & carnaliter cognovit.

Q. An eam possit', vel etiam teneatur ducere uxorem, non obstante voto?

SYNOPSIS.

1. *An voto castitatis adstrictus, vel Sacrorum Ordinum, si Matrimonium contrahat, ante illius consummationem teneatur Religionem ingredi, ut votum suum implere queat?*
2. *Si post aliquod istorum votorum virginem defloravit, absque promissione conjugij, manet obligatio voti.*
3. *Idem est, etiamsi vi, vel dolo, & multò magis, si precibus induxerit.*
4. *Si vitiavit sub promissione Matrimonij, & ipsa fuit conscia hujus voti, adhuc tenetur voto, nec potest eam ducere.*

5. *Si autem voti fuit ignara, obligatur ad Matrimonium.*

6. *An contrahens Matrimonium hoc casu teneatur petere dispensationem sui voti?*

7. *Ad quid obligentur, quidque liceat ijs, qui cum his votis Matrimonium iniverunt, ac primò quidem de eo, qui habet votum cœlibatûs.*

8. *Quid, qui voverunt Ordines Sacros assumere, vel ingredi Religionem?*

9. *Quid denique, qui voto simplici castitatis ligatus est?*

10. *Alia quædam particularia dubia huc spectantia examinantur, & applicantur hactenus dicta præsenti casui.*

1. EX præcedentibus constat, ligatum aliquo istorum votorum, de quibus in præsentibus casibus sermo nobis est, sine peccato lethali communiter non posse contrahere Matrimonium, quantumvis ita peccaminosè contractum postea teneat, validumque sit; in quo puncto Authores aliqui adeò rigorosi sunt, ut dicant, adstrictos tali voto, si contra factam Deo promissionem Matrimonium Sacrilegè contraxerunt, adhuc obligari, ut transeant ad Religionem, antequam illud consumment. Sed hæc opinio difficultates patitur, quippe si votum erat non contrahendi Matrimonium, profectò dici nequit, quòd ante consummationem teneatur vovens Religionem ingredi, namque per hunc ingressum voti impletionem non consequitur. Si autem vovit Religionem ingredi, equidem lubens admitto hanc Sententiam, quia adimpletio voti adhuc ei licita est, & possibilis: ergo tenetur, priusquam Matrimonium consummet, illud exequi, nisi forsitan aliunde excusetur, quia v. g defloravit virginem sub promissione conjugij, de quo plura dicentur in decursu. De voto simplici castitatis id probant, quia quando alter conjux non vult communi consensu servare castitatem, tunc qui voto ligatus est, aliâ viâ jam non potest perfectè votum suum implere: ergo tenetur hanc viam eligere, nam vovens aliquid censetur indirectè etiam vovere illud, & obligare se

se ad id, quod necessarium est ad voti impletionem, quatenus id situm est in sua potestate. Ita Sylvest. *V. Matrimonium 7. q 5. dicto. 2.* Azor *tom. 1. L. 11. c. 21. q. 2.* De eo denique, qui habet votum suscipiendi Sacros Ordines, pariter probant, ante conjugij consummationem teneri ingredi Religionem, ut suo tempore in ea ordinetur, quia post initum Matrimonium hoc unicum medium ipsi superest ad votum suum implendum, cùm post contractum connubium etiam ante illius consummationem, uxore invitâ, ad SS. Ordines promoveri non possit. *c. Conjugatus. De Converſ. conjugat.* & *in Extravag. Antiq. Ioannis XXII. De Voto*: ergo cùm ipsi tunc saltem licitum sit, transire ad Religionem, tenetur eligere istud medium, ut in ea suscipiat SS. Ordines, & sic impleat suum votum: Ita rursus Azor *l. c. q. 9.*

Verùm de utroque hoc voto tenendum est contrarium, nam quando dicitur, aliquid voventem ad illud quoque obligari, quod est medium necessarium ad voti impletionem, id est intelligendum de medijs ordinarijs, quæ non includunt notabilem statûs mutationem; non verò obligatur, neque censendus est hoc tacitè voluisse vovere, ut adhibeat media planè extraordinaria, & maximè ardua, quale est ingressus Religionis, medium re ipsa, quam vovit, difficilius: ergo ad hunc non obligatur, sicut si quis habitans Romæ vovisset peregrinationem ad Virginem Lauretanam, si postea transferret domicilium in Indias ante impletionem voti, hoc facto, planè non obligaretur suo voto, quia contrarium esset nimis durum, & moraliter impossibile, ac universim non tenetur rem inferioris ordinis compensare re ordinis superioris, sic enim qui debet pecuniam, quam absque vitæ, vel famæ detrimento restituere nequit, excusatur: at talis est Religio respectu Ordinum, vel continentiæ promissæ: ergo ad eam subeundam vovens compelli non debet, cùm præsertim status Religiosus, cui sunt annexa gravia onera, nisi sponte suscipiatur, difficiles soleat exitus habere. Ita Palao *disp. 1. de Sponsal pu. 20. n. 9.* Bonac. *disp. 4. circa secundum præcept. Decal. q. 2. pu. 5. §. 5. n. 4.* Præpos. *q. 6. de Matrim. dub. 17. n. 131.* Basil. Pontius *L. 10. c. 5.* Sanch. *L. 1. de Matrim. disp. 46. n. 13.* & *L. 9. disp. 34. n. 6.* Coninck *disp. 23. dub. 3. n 27.* Perez *disp. 52. Sect. 3. n. 3.* & *Sect. 6. n. 2.* cum pluribus alijs.

2. Modò, cùm constet, nullam esse necessitatem, ut, qui post votum castitatis, vel SS. Ordinum contraxit Matrimonium, ante illius consummationem Religionem ingrediatur, difficilior dubitatio est, an, qui post qualecunque ex omnibus quatuor istis votis virginem defloravit, adhuc teneatur votum suum implere, an potiùs sit obligatus,

gatus, ut à se vitiatam uxorem ducat?

Circa istud dubium Respondeo, Quando hoc factum est absque ulla promissione conjugij, ipsàque, sive conscia voti, sive ignara, liberè consensit in fornicationem, tenetur deflorator votum suum exequi: nec obligatur vitiatam ducere, vel aliter compensare, cùm liberè consentienti damnum non irrogaverit, quod compensationem petat, quia scienti, & volenti nulla fit injuria; ergo nec impeditur ob istam deflorationem, quò minùs votum suum exequatur, sed etiamnum ad hoc obstringitur. Ita expresè Pontius *L. 6. c. 12. n. 6.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 15.* Loss. *L. 2. de Iust. c. 10. n. 9.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 6. n. 21.* Card. de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 12. Sect. 1. n. 1.* Petrus Navarr. *L. 2. de Restit c. 3. n. 435.*

3. Quòd si ipsam vi, aut dolo, sed absque facta promissione conjugij, violavit, tenetur damnum, si quod patitur, integrè resarcire, augendo dotem, ut æquè bene nubat, ac si corrupta non fuisset, non tamen etiam sic obligatur eam ducere. Ita rursus Palao *l. c. n. 16.* Less. *n. 10.* Navarrus &c. Neque obstat c. 1. De Adult ubi dicitur: *si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, & habebit uxorem*, quia hic textus intelligendus est post sententiam Iudicis, non autem quòd ante eam ad hoc obligetur in foro conscientiæ. Addit Lessius *n. 15. l. c.* si puella vi, aut fraude violata, postea æquè commodis potita est nuptijs, ita ut nihil detrimenti acceperit, non debere ei quidquam necessariò restitui, cùm istud non debeatur pro ipsa deflorationepudicitiæ, quæ est irreparabilis, & pretio non æstimanda; neque pro damno inde secuto, cùm re ipsa nullum secutum sit, nec denique ex eo capite, quòd in periculum conjecta sit, non inveniendi commodas nuptias, quia conijcere aliquem in periculum, etiam vitæ, & fortunarum non obligat ad restitutionem, nisi damnum re ipsa sequatur, aut antecedenter in pactum deductum sit; ut pro periculo, quod subiri debebit, aut prævidetur, aliqua compensatio fiat. Multò minùs aliquid debetur ab eo, qui precibus, vel muneribus induxit, dummodo non fuerint conjunctæ minæ, aut metus reverentialis, veluti si erat illius Dominus, aut Superior, aut vir magnæ authoritatis, cui ipsa nihil audeat recusare, utpote à quo ob dissensum incommoda timere debeat; similium enim preces imperia sunt, & æquipollent vi: si igitur hæ circumstantiæ non adsint, ad nihil tenetur, quia preces, & multò magis munera, ac dona vim non inferunt, verùm blandè allicìunt;

aliàs

aliàs quicunque aliquod officium, aut simile quid assiduis precibus, aut muneribus fuit consecutus, dici posset, id violenter obtinuisse, ac proinde injustè possidere, & obligari, ut acquisitum restituat, quod prorsus improbabile est. Adhæc, nisi penitus propudiosum prostibulum sit, ut satiandæ libidinis causâ se ipsam offerat, vix erit reperire fæminam, etiam quæ corrupta jam sit, quæ consentiat non rogata, quamvis autem repugnent ab initio, postea tamen liberum assensum præbent, & sæpè non invitæ; volentibus autem nulla fit injuria. Petrus Navarr. Less. *l. c.*

4. Si verò huiusmodi voto ligatus virginem vitiavit sub promissione, & pacto conjugij, docent complures apud Sanch. *L.* 1. *disp.* 45. *n.* 3. & Dianam *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 280. talem adhuc obligari voto, nec posse eam ducere, quia in tali casu deflorans non tenetur ratione promissionis, quia hæc nulla fuit, nam fuit promissio rei illicitæ contra votum; nec obligatur ratione damni, quia violans virginem, nuptijs non promissis, non obligatur eam ducere, sed aliter satisfacere: atqui idem est, non adesse promissionem, & eam, quæ adest, esse nullam: ergo promittens, stante voto, non tenetur, nec potest eam ducere, sed debet votum servare, aliâ corruptæ compensatione factâ.

At mihi videtur, hîc cum distinctione loquendum esse, an deflorata conscia fuerit huius voti, an ignara? si fuit conscia, nullam contrahit deflorator obligationem eam ducendi; imò nec damnum illatum resarciendi, quia non fuit ab ipso decepta, siquidem eo ipso, quòd sciverit, virum hunc ratione voti impediri à contrahendo conjugio, cognovit, eum istâ promissione se obligare non posse, unde censenda est, gratis usum sui corporis concessisse, ipsaque hunc contractum inijt mala fide: ergo sibi imputare debet omne damnum. Ita Palao *l. c. n.* 17. Less. *L.* 2. *c.* 10. *dub.* 4. *n.* 33. Bertau *in Direct. Confessar. p.* 3. *c.* 8. §. 1. *de sponsal. V. Qui voto castitatis. &c.* Hoc tamen Lugo *tom.* 1. *de Iust. disp.* 12. *Sect.* 3. *n.* 50. non universaliter admittit, quia cùm post copulam facilè possit obtineri dispensatio voti, potuit fæmina intelligere, sibi promitti procurationem dispensationis in voto; quod verum judico cum Lessio, si hoc non temerè ipsa præsumpserit, sibique incauta persuaserit, sed istud verba corruptoris aliquo modo significaverint, atque ipse puellæ spem fecerit, se facilè obtenturum dispensationem, quo casu tenebitur ad eam procurandam.

5. Si

5. Si autem ignara fuit hujus voti, probabiliùs, qui Virginem, vel fœminam honestæ famæ defloravit sub promissione Matrimonij, voto priùs emisso non obstante, tenetur eam ducere, nisi ipsa remittat gratis, vel aliam satisfactionem ultrò acceptet. Ita Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2, dub. 6. n.* 20. Palao *l. c. n.* 17. Coninck *disp.* 23. *dub.* 3. *n.* 24. Bonac. *q.* 1. *de Sponsal. pu. 5. n.* 7. Less. *L.* 2. *de Iust. c.* 10. *dub* 4. *n.* 32. Basil. Pontius *l. c. n.* 8. *& seqq.* Sanch. *L.* 1. *disp.* 44. *n.* 3. *& seqq.* & *disp.* 45. *n.* 3. Card. de Lugo *disp. cit. Sect* 3. *n.* 42. & alij contra Laym *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 5. Navarrum, Rodriq. &c. Ratio est, quia talis obligatur Deo gratuitò, obligatione proveniente ex libera voluntate, fœminæ autem obligatur ex justitia, obligatione proveniente ex delicto: atqui fortior est obligatio ex justitia, & quam aliquis ex delicto contraxit, quàm ea, quæ liberè suscepta est, quæque obligat ex Religione, ut in exemplo manifestum est; quia si Deo vovisti, centum aureos in eleemosynam dare pauperibus, ac postea toridem furteris Petro, priùs debes huic debito satisfacere, quàm voto: ergo potior quoque obligatio est, ut satisfiat corruptæ, ducendo eam, quàm voto. Nec obest, quod dicitur, factam promissionem fuisse nullam, cùm fuerit de re illicita, neque potuerit corruptor ex animo promittere Matrimonium, cùm esset adstrictus voto, ne id faceret: quia quidquid sit, & dicatur de ista promissione, tenetur defraudator injustus, ut fœminam à se deceptam servet indemnem, quæ obligatio oritur non ex libera ejusdem voluntate, sed ex delicto; debita autem, quæ ex delicto sunt, præcedunt debita ex mera promissione gratuita: tenetur ergo, ut damnum, quod impia promissione; & mala fraude ipsi concivit, ab eadem avertat, eam ducere, nec satis est, quòd aliter satisfaciat augmento dotis, quia ex vi contractûs, quem ipsa bona fide ex parte sua implevit cum damno pudicitiæ, non debet pecuniam, sed Matrimonium, nec per pecuniam sufficienter resarcitur illatum damnum, si ipsa non liberè in hoc consentiat, quia nisi & alter compleat contractum initum ex parte sua, ducendo hanc uxorem, poterit ipsa adhuc subire infamiam amissæ Virginitatis: ergo, ut damnum istud amoliatur, solvere debet, quod promisit, & eam accipere conjugem. Hoc ipsum asserunt Lugo *n.* 38. & Vasq. *n.* 21. etiam de eo, qui quidem non defloravit, sed sub promissione conjugij ita familiariter cum ea versatus est. ut populo suspicionem magnam dederit, quòd eam corruperit, idem enim damnum est, ac si corrupisset: ergo eandem satisfactionem postulat. Videantur, quæ diximus in *P.* 1. *Sect.* 1. *q.* 1. *cas.* 2.

6. Ex

6. Ex hactenus dictis duplex iterum nobis quæstio oritur. Prima est, an in his casibus, qui Virginem, aut fœminam honestam vitiavit, impetrare debeat dispensationem sui voti, ut eam ducere possit?

Resp. Ad dispensationem petendam, aut commutationem voti sub culpa mortali ipsum obligant Pontius *L. 6. c. 12. n. 8. & 11.* Card. de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 12. Sect. 3. n. 41.* Palao *l. c. n. 17.* Vasq. *n. 21.* At si de stricta necessitate loquamur, probabilius mihi videtur, quod ait Lessius *L. 2. de Iust. c. 10. dub. 4. n. 34.* necessarium id non esse, quia executio voti facta est ipsi illicita, & ex justitia tenetur sub Matrimonij promissione corruptam ducere: ad quid igitur opus est dispensatione, ut illud possit agere, quod agere tenetur, & sine injuria nequit non agere? Interea consultissimum utique est, ut dispensatio petatur, soletque etiam in praxi observari; &, ut hoc faciant, similes corruptores admonentur, quia aliàs ex parte sua tenentur servare castitatem, si eam voverunt, nec poterunt debitum petere, sed tantummodo reddere, uxore vel implicitè, vel explicitè petente, de quo proximè: à quo autem petenda sit dispensatio, in sequente casu tractabitur.

7. Secunda quæstio est, ad quid obligentur, quidque liceat ijs, qui cum his votis sine obtenta dispensatione Matrimonium contraxerunt?

Ut cum claritate progrediamur, hîc quoque iterum singula quatuor istorum votorum in particulari consideranda sunt. Igitur 1. Qui vovit cœlibatum, seu non contrahere Matrimonium, etsi, ut dictum est, mortaliter peccaverit contrahendo, potest tamen postea petere, & reddere debitum sine culpa. Ratio est, quia votum de non contrahendo Matrimonio ex natura sua non æquipollet voto castitatis, atque ideò solummodo contractum Matrimonij vetat, „& ea, quæ ad contractum ordinantur, cujusmodi sunt sponsalia, non verò ea, quæ castitatis voto adversantur, unde hoc voto ligatus, si fornicationem committeret, peccaret quidem contra castitatem, non tamen contra votum cœlibatûs. Ita Perez, *disp. 23. Sect. 4. n. 10. & disp. 57. Sect. 6. n. 5.* Sanch. *L. 9. disp. 34. n. 7.* Bonac. *disp. 4 de secundo præcept. Decal. q. 2. pr. 5. §. 5. n. 6.* Rebellus *p. 2. de oblig. Iust. L. 3. q. 17. Sect 2. n. 3.* Reiffenstuel *Theol. Mor. tr. 14. dist. 14 q. 2. n. 21.* Coninck *disp. 30. dub. 3. n. 33.* Sayrus *in clavi Regia L. 6. c. 7. n. 8.* Eman. Rodriq. *p. 2. summæ c. 98. n. 2.* & alij ab his citati. Tenetur tamen mortua conjuge deniceps abstinere à nuptijs, cùm absolutè voverit non con-

contrahere Matrimonium, & tunc possit hoc votum adhuc observare.

Castropalao in hac parte nobis contrarius est *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n.* 18. nam putat, hunc obligatum esse, debitum conjugale non petere, quia prædictum votum ex affectu castitatis elicitum est de non contrahendo Matrimonium simpliciter, & perfectè, scilicet de non contrahendo, & consummando, ex quo voto obligatur ad non petendum. Sed censeo conciliari posse istas opiniones, si dicamus cum cit. Rodriq. Rebello, Basilio Pontio *L. 10. c. 5, n. 16.* & Azor *tom. 1. L. 11. c. 21. q. 7.* examinandam esse intentionem voventis, an statum cœlibem promittendo simpliciter idem voluerit, ac vovere omnimodam continentiam? siquidem esse potest, quòd planè hoc intenderit: quod si voluisse deprehendatur, omnino vera est opinio, quam tradit Palao, & tale votum in omnibus, etiam quoad dispensationem æqualiter se habet cum voto simplici castitatis; quòd si verò aliud non voluerit, quàm abstinentiam à contrahendo conjugio, procedunt ea, quæ prior Sententia tenet, nec peccat, si vel reddendo, vel etiam petendo consummet. Addunt Azor, & Pontius, si de mente voventis dubium sit, nec, quam intentionem habuerit, satis discerni, vel ipse explicare valeat, an obligare se voluerit voto præcisè ad non contrahendum, an verò ad non consummandum, in eo dubio potiùs ex natura rei interpretandum esse, quòd voverit neque contrahere, nec consummare, cùm videatur voluisse abstinentiam à nuptijs, quæ utrumque includunt, cùm nuptiæ ordinentur ad consummationem.

8. *Secundò* Qui post emissum votum Sacros Ordines recipiendi contraxit Matrimonium, licèt peccaverit contrahendo, postmodum sine peccato reddere potest, & petere debitum conjugale. Perez *disp. 51. Sect. 6. n. 2.* Præpos. *q. 6. de Matr. dub.* 19. *n.* 150. quia hoc suo voto non vovit castitatem, sed solùm assumere statum, in cujus ipsa assumptione vovetur castitas, à cujus impletione voti cùm modò impeditus sit, ad castitatem necdum obligatur, neque tenetur, ut supra ostendimus, ante consummationem conjugij Religionem ingredi, ut votum suum in ea exequi possit: igitur nihil est, quod ipsum impediat à debito conjugali vel petendo, vel reddendo: soluto tamen Matrimonio manet etiamnum obligatus votum suum implere, si adhuc sit idoneus Sacris Ordinibus, quia id modò est in ejus potestate, & Matrimonium hanc obligationem non extinxit, sed ad tempus suspendit.

Tertiò. At qui post votum Religionis se junxit Matrimonio, sine gravi peccato id consummare non potest sive petendo, sive etiam reddendo

do debitum, quia per hoc voti executionem sibi efficit impossibilem, seque in talem statum collocat, in quo illud implere jam nequeat; at semel consummato Matrimonio, potest deinceps debitum licitè petere, & reddere, acsi nullo voto teneretur, quia vovens Religionem ex vi sui voti ad castitatem ante susceptam Religionem non tenetur; obligatur tamen is quoque, si adhuc aptus sit, post mortem conjugis ad Religionem transire, quia cùm sic cessaverit impedimentum, implere potest suum votum, adeoque tenetur. Perez *disp.* 51. *Sect.* 5. *n.* 2. *& seqq.* Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 6. Præpos. *q.* 6. *de Matrim. dub.* 16. *n.* 120. Bonac. *disp.* 4. *in secundum præcept. Decal. q.* 2. *pu.* 5. *n.* 19. Coninck *l. c.* De hac quæstione fusiùs ex instituto agitur in casu sequente.

9. Denique de obstricto simplici castitatis perpetuæ voto conveniunt AA, si Matrimonium contraxerit, non posse ipsum petere debitum, ac toties peccare mortaliter contra suum votum, quoties illud petit, posse tamen, atque etiam teneri alteri conjugi petenti debitum reddere. Ratio utriusque est, quia petendo agit contra votum, per hoc enim se obligavit Deo ad omnimodam castitatem servandam: ergo tenetur abstinere ab omni Venerea voluptate, quantùm potest salvo jure alterius: sed sine præjudicio Matrimonij potest castitatem servare non petendo, cùm ex vi contractûs non obligetur petere: tenetur igitur petitione abstinere; reddere tamen potest, & debet, quia conjux habet ad hoc jus, nisi alter velit Religionem ingredi, ad quod eum non obligari supra probatum est, cùm hoc non voverit, nec ad servandam castitatem teneatur eligere medium sibi tam durum: potest igitur, & debet, ne pars altera juris sui præjudicium patiatur, ad ejus petitionem Matrimonium consummare reddendo; at verò uxore mortuâ tenetur deinceps servare castitatem, nec potest rursus alteri connubio jungi, quia obligatio, quam suo voto contraxit, est perpetua, id est, usque ad mortem, ac, quantùm præsens status patitur, præstanda est: cùm ergo nunc solutus sit à conjugij vinculo, tenetur non innodare se novo.

10. Circa hactenus dicta concordant inter se Authores, in aliquibus autem, quæ huc maximè pertinent, inter se discrepant. Primum est, an, quando obstrictus voto castitatis debitum conjugale petit ab uxore, hæc possit ipsi tutâ conscientiâ illud reddere? Ratio dubitandi est, quia cùm alter injustè petat, & cum peccato lethali, reddens videtur cooperari illius peccato: ergo nequit debitum petenti reddere; quod à simili confirmatur, quia conjugi petenti in loco sacro, nefas est reddere, cùm tamen suum petat, & solius

solius sacrilegij reus sit: ergo illicitum quoque est reddere, dum petit voto castitatis obstrictus, cùm hîc quoque, ut ibi, committat Sacrilegium. Ita Ugolinus *De Sacramentis, tract. de Matrim. c.* 10. *n.* 2. ubi generaliter docet, negandum esse debitum, quoties petere est mortale peccatum, & alij quidam apud Sanch. *L.* 9. *disp.* 6. *n.* 2.

Nihilominus dicendum videtur cum eodem Sanchez *n.* 7. posse reddere sine peccato, imò etiam debere. Ratio est, quia actus ille non est illicitus ex natura sua, sed solùm ex circumstantia se tenente ex parte exigentis, nec voto castitatis ligatus amisit dominium corporis alterius conjugis per Matrimonium acquisitum, sed tantùm peccat exigens in ordine ad Deum, cui fidem voti violat: ergo potest, & tenetur uxor reddere petenti rem suam, sicut si quis vovisset, non petere crastina die depositum, etsi is peccet sacrilegè petendo, alter tamen tenetur reddere, quia malitia petentis non deobligat alterum à reddendo illi, quod suum est, & quamvis reddendo debitum videatur conjux aliqualiter cooperari materialiter actioni illi externæ peccaminosè petentis, excusatur tamen à culpa sufficienter ex justa causa, quæ subest, videlicet ne excitentur odia inter conjuges, aut mutuus amor debitus defervescat; non aliter, ac petens mutuum ab usurario, & solvens usuras, quamvis aliqualiter cooperetur materialiter illius peccato interno, excusatur à culpa ex justa causa, quam habet petendi mutuum. Dominicus Viva *in propos. 9. inter prohibitas ab Innocentio XI. n.* 14. Paritas ab Adversarijs allata nulla est, quia in illo casu, dum petitur debitum in loco sacro, circumstantia vitians se tenet ex parte ipsius actûs, & non præcisè ex parte petentis, repugnat enim Sanctitati loci sacri, ipsumque polluit. Idem est, si peteretur in loco publico, aut cum periculo abortûs, nam illud adversatur honestati naturali, hoc cedit in damnum tertij: hîc autem circumstantia vitians solùm se tenet ex parte exigentis, non autem ex parte ipsius actûs: ergo paritas institui nequit, neque evertunt per eam Adversarij hanc veritatem, quòd, quamvis petenti actus ipse sit illicitus, non tamen eodem modo etiam illicitus sit reddenti.

Rectè interim advertit Sanch. *l. c. n.* 5. quoties conjux exactus potest commodè absquè timore odij, indignationis, vel incontinentiæ alterius conjugis mortaliter peccantis in exactione debiti, & absque suo damno ab hac sua petitione eum divertere, teneri illum præcepto correctionis fraternæ ad eum avertendum, quia lex charitatis obligat ad retrahendum à peccato proximum, quando id commodè fieri potest: existimat nihilominus memoratus Author, ad hoc rarissimè obligari uxorem,

rem, tum quia potest moraliter viri indignationem timere, ac vereri, ne is suspicionem concipiat, ipsam non virtutis Zelo, sed alieno amore captam ad hoc induci; tum quia moraliter potest credere, virum, qui contra votum est sacrilegus in petendo, ita ardore carnis incensum esse, ut facilè incontinentiæ periculum passurus sit, negatâ sibi copulâ, ut adeò non sit spes emendationis, sed potiùs timor majoris damni. Econtra faciliùs, ait, hoc præcepto obligari viros, qui, cùm in uxorem imperium habeant, ijsque incumbat gubernatio, possunt uxoribus debitum petentibus consulere, ne peccent hoc petendo, seque illis offerre, quòd ipsi debitum frequentiùs petituri sint, quod in fœminis innata verecundia prohibet.

Secundum dubium est, an pars, quæ voto caret, si ante contractum Matrimonium scivit votum alterius, post illud initum possit ab eo petere debitum? Ratio dubitandi est, quia videtur carere isto jure, cùm mala fide contraxerit, nam scivit, se non posse rem Deo consecratam in usum profanum convertere, & alterum non posse eam tradere; sibi igitur imputare debet, quòd Matrimonio uti nequeat.

Verùm Respondeo cum Præpos. *q. 6. de Matr. dub. 17. n. 133.* Perez *disp. 51. Sect. 1. n. 1.* & Less. *L. 2. c. 41. n. 53.* compartem, licèt conciam voti alterius ante Matrimonium emissi, posse petere debitum, quia etsi in ea circumstantia graviter peccaverit Matrimonium contrahendo cum eo, quem sciebat obligatum ad servandam omnimodam castitatem, hoc tamen non obstante, cùm per contractum Matrimonium acquirat jus in corpus illius in ordine ad generationem, habet jus debitum petendi, & alter tenetur ei reddere, ac supposito priori peccato non videtur petens de novo peccare.

Tertium dubium est. An, qui contraxit Matrimonium cum votocastitatis, possit conjugi petenti debitum reddere primo bimestri?

Negant absolutè Sanch. *L. 9. disp. 6. n. 14.* Bonac. *l. c. n. 4. V. Hoc tamen limita.* Reiffenstuel *l. c. n. 20.* & alij complures. Ratio est, quia votum castitatis obligat voventem ad omnino abstinendum ab omni actu venereo, & solùm excusatur conjux illud reddens propter fortius vinculum justitiæ superveniens: ergo quoties deficit istud vinculum, tenetur omnino abstinere non solùm à petitione, sed etiam à redditione: atqui conjuges habent jus non reddendi debitum primo bimestri, etiam præscindendo ab omni voto; ergo pars altera primo bimestri non habet jus exigendi, ac consequenter potest, quin imò etiam debet eapropter hoc voto ligatus petenti debitum negare.

Sed respondeo, cùm possit quidem ad implendum votum transire ad statum Religiosum, ad hoc verò agendum non teneatur, si re ipsa intentionem ingrediendi Religionem non habeat, habet pars altera etiam primo bimestri jus exigendi debitum conjugale proinde ipse & potest, & debet reddere etiam prima vice, & intra tempus bimestre, quod ut probabile agnoscit Gobat *tr.* 10. *cas.* 18. *n.* 688. & tanquam Sententiæ probabiliori subscribent omnes illi AA. quos in hac P. 2. *Sect.* 1. §. 4. *q.* 2. *n.* 4. citavimus, docentes, conjugem, qui non habet intentionem transeundi ad vitam Religiosam, etiam primo bimestri debere reddere debitum conjugi petenti, cùm per contractum Matrimonij statim tradiderit potestatem sui corporis, & ex concessione Juris solùm tunc possit hoc negare, quando cogitat Religionem ingredi.

Ut igitur, quæ hactenus dicta sunt, applicentur ad præsentem casum nostrum, attendendæ sunt circumstantiæ, Theomirum post votum emissum defloràsse Idalbam, nulla factâ de nuptijs mentione, vel promissione, sicque facilis erit solutio, præsertim ex *n.* 2. & 3.

CASUS

CASUS TERTIUS.

Cum voto Religionis conjugium contrahentis.

Auxentius in periculo naufragij constitutus voto se obligat, si evasurus sit incolumis, mundo se valedicturum, & ingressurum in Religionem, nullam tamen determinatè sibi præfigit; petijtque re ipsa subinde suscipi in aliquem ordinem, sed quia admissus non fuit, uxorem duxit.

Q. Quænam ipsi ex hoc suo voto orta sit obligatio?

SYNOPSIS.

1. *Quam obligationem habeat, qui vovit ingressum Religionis indeterminatè, vel etiam, qui certam aliquam Religionem, si in ea non statim recipiatur?*
2. *Non obligatur petere Religiones strictissimas.*
3. *Vel proficisci ad provincias remotiores ad impetrandam susceptionem.*
4. *In casu præsente non potuit Auxentius contrahere Matrimonium; si tamen hoc fecit, uxore mortua, etiamnum obligabatur ad Religionis ingressum.*

5. *An,*

5. *An, qui cum tali voto contraxit Matrimonium, reddere possit, & petere debitum conjugale? Refertur aliquorum opinio, dicentium, posse ipsum reddere, sed non petere, quorum argumenta expenduntur.*

6. *Deciditur, quid hac in re sentiendum sit.*

7. *Quis possit dispensare in impedimentis impedientibus?*

8. *Quandonam impedimentum, quod est ex voto castitatis, Pontifici reservetur, & quando in eo dispensare possint Episcopi, vel confessarij Regularium?*

9. *Etiam circa votum castitatis perfectæ, ac integræ potest in casu necessitatis dispensare Episcopus; non tamen Regulares.*

10. *Potest Episcopus dispensare ad petendum debitum cum eo, qui voto castitatis obstrictus, contraxit Matrimonium: & num id ipsum possint etiam Regulares vi suorum privilegiorum?*

11. *Quam potestatem tum ille, tum isti habeant ad dispensandum in voto Religionis?*

1. DUplicem quæstionem continet præsens casus, videlicet quid agere teneatur, qui votum edidit Religionis, quando se non determinavit ad hanc potiùs ineundam, quàm ad aliam: deinde quæ ipsi incumbat obligatio, si insuper habito suo voto, vel non adhibitâ eâ, quam adhibere debuerat, diligentiâ in procuranda admissione, mutato ocyùs animo, transivit ad Matrimonium?

Ad primum quod attinet, certum est, Auxentium malè egisse, nec suo voto satisfecisse, dum repulsus ab uno ordine, ad quem admitti petijt, statim transivit ad nuptias, nam vovit Religionem indeterminatè, non hanc præ illa eligendo: ergo obligabatur seriò, & instanter procurare, ut in aliquem

quem ordinem admitteretur, nec potuit repulsus ab uno, deinceps desistere à petitione admissionis in alium Ordinem, hoc ipso enim, quòd voverit indeterminatè, emisit votum de omnibus Religionibus sub disjunctione: ergo tenetur tentare plures Religiones; vel Monasteria, si fortè alicubi admissus votum exequi possit.

Dixi, teneri *plures* Religiones tentare, quot autem absolutè adire debeat, difficile est definire. Azor quidem *tom. 1. L. 11. c. 22. q. 2.* putat, talem, qui generatim vovit Religionem, satisfacere, si quinque, vel sex Ordines in sua provincia constitutos inquirat; si autem vovit certam aliquam determinatam Religionem, v. g. S. Benedicti, S. Bernardi &c. iterum debere explorare quinque, vel sex Monasteria istius Instituti; quòd si in nullo eorum recipiatur, posse probabiliter credere, à cæteris quoque se exclusum iri, quæ doctrina sufficere potest: sed tamen censeo potiùs cum Palao, relinquendum esse hoc prudentis arbitrio, & maximè desumendum ex occasione repulsæ, an talis fuerit, quæ judicari possit generalis, & communis alijs Ordinibus, adeò, ut ipsi videatur adempta spes admissionis uspiam obtinendæ, quo casu nec obligatur quinque vel sex explorare, sed citiùs ab ulteriore indagatione excusabitur.

2. Illud verò benè advertunt AA. ejusmodi hominem vi huius voti non obligari, ut ingrediatur Religiones strictissimas, quales esse censentur Camaldulensis, Carthusia, Cappuccinorum, & fortè etiam Minimorum S. Francisci de Paula, aut Carmelitarum discalceatorum ob votum Quadragesimalis abstinentiæ, etiamsi sciat, in illis se esse recipiendum, quia plerumque non censemur vovere nisi aliquam ex ijs Religionibus, quæ communi hominum naturæ accommodatæ sunt, non verò quæ indigent speciali Spiritûs sancti instinctu, & auxilijs; unde, nisi vovens intentionem suam etiam ad istas Religiones extenderit, ad tales Ordines obligandus non est, præsertim si ex circumstantijs, v. g. quia est homo delicatus, & ab asperitatibus abhorrens, colligi possit, & præsumi, ipsius animum se eò non extendisse, sed potiùs fuisse excepturum similes Religiones, si de ijs in mentem venisset cogitatio tunc, quando votum emisit, quia in generali concessione, promissione, & obligatione non continentur ea, quæ quis verisimiliter in specie promissurus non fuisset juxta *Reg. Iur. 81. in 6. & L. Obligatione ff. De Pignoribus.* ita expressè Palao *p. 3. tr. 16 disp. 1. pu. 3. n. 6.* Laym. *L. 4. tr. 5. c. 6. n. 1.* Sanch. *L. 4. in Decal. c. 16. n. 49.*

3. Pari

3. Pari modo, nisi aliter aliunde constet de voventis intentione, non tenetur, qui in sua Provincia non suscipitur, adire remotiores regiones, vel omnino aliam nationem, v. g. Hispanus, aut Germanus proficisci in Italiam, ut ibi in Religionem admittatur, quia talis non est censendus se voluisse ad hoc obligare, & in contraria Sententia deberet aliquando totum Christianum orbem peragrare, semperque ex una Provincia in aliam, ex uno regno in aliud pergere, si in priore non reciperetur; quis autem ad hoc obligabit? ita rursus contra Navarrum docent Palao, Azor, Laym, Sanch. *l. c.* qui *n. 46.* ait, talem etiam tunc fore liberum ab obligatione voti, si fortè mutato domicilio in aliam regionem perveniret, ubi facilè posset ingressum obtinere, nam ab initio intentio voventis ad istum locum se non extendit, casus autem fortuitus novam deinde obligationem non adducit, *non enim firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut habet Reg. Juris *18.* in *6.* Ex eadem ratione juxta citatos Authores non tenetur regulariter Religionem ingredi, si aliter non suscipiatur, quàm pro Fratre laico, quando vel ipse affirmat, vel ex circumstantijs colligi potest, intentionem voventis ad hunc statum se non extendisse, sed excepturum fuisse, si ei venisset in mentem, uti præsumi potest de eo, qui v. g. nobili genere natus est, vel præstanti ingenio, magnâque doctrinâ præditus.

4. Respondeo modò ad casum nostrum 2dò. stante hoc suo voto Auxentium non potuisse contrahere Matrimonium, nam vota simplicia non nubendi, recipiendi sacros Ordines, ingrediendi Religionem, servandi castitatem, cùm è diametro adversentur statui Matrimonij, ex communi omnium Sententia illud impediunt, ut sine obtenta dispensatione licitè contrahi non possit, quamvis initum non dirimant, uti habetur in *c. Veniens*, & *c. Rursus. Qui Clerici, vel voventes*, & *c. Vnico. De Voto in 6.* quòd si tamen contraxit Matrimonium, uti contigit in nostro casu, & uxor moriatur, tenetur etiamnum Religionem ingredi post obitum suæ conjugis, quia cùm jam impedimentum cessaverit, potest nunc votum suum implere: ergo ad hoc obligatur, quia per Matrimonium illicitè ab ipso contractum suspensa quidem fuit obligatio voti Religionis tempore durantis Matrimonij, non tamen omnino extincta, unde redit, & reviviscit obligatio, ut procuret ingressum in Religionem. Ita Sanch. Bonac. Palao, Graffis *L. 2. c. 24 n. 13.* Perez *de Matrim. Disp. 51. Sect. 5. n. 4.*

5. Nunc verò ut ad præcipuum pun-

punctum difficultatis accedamus, specialiter quæritur in isto casu, ad quidnam in hoc suo actuali Matrimonio Auxentius obligetur, an videlicet teneatur à debito conjugali penitus abstinere, an verò saltem reddere possit, an denique etiam petere?

Ad hanc quæstionem videri potest, respondendum esse id ipsum, quod docet communis Sententia de eo, qui post emissum votum simplex castitatis contraxit Matrimonium, scilicet reddere ipsum posse conjugi petenti debitum, petere autem non posse. Ita aliqui apud Sanch. *L. 9. disp. 33. n. 13.* Ratio est, quia nemini debet sua culpa suffragari, nec suus dolus patrocinari. *c. Ex tenore. De Rescriptis*: atqui patrocinaretur, si liberè posset non solùm reddere, sed etiam petere: ergo &c.

Verùm hoc axioma non probat universaliter, nam potest etiam culpa aliquando suffragari per accidens, ratione impotentiæ subsequentis, ut patet, si debitor æris alieni prodigat proprias facultates, in tali casu suspenditur obligatio solvendi ob impotentiam, quamvis ex culpa provenerit: ergo à pari suspenditur obligatio voti Religionis, Matrimonio semel iniquè consummato, quia impleri votum tunc ampliùs nequit.

Alterum argumentum esse potest. Cùm de essentia Religionis sit castitas, eo ipso, quòd aliquis se voto ad Religionem obstringit, simul se obligat ad castitatem, sicuti vovens jejunium tenetur ad unicam comestionem, quæ de jejunij natura est; quod enim essentialiter sub objecto voti clauditur, est materia voti, ad quam proinde se obligat, & qui tenetur ad aliquid, tenetur consequenter etiam ad id, quod inde sequitur: quia igitur ad votum Religionis sequitur votum castitatis, consequenter qui vovit Religionem, tenetur ad votum castitatis, atque ideo sicut obstrictus voto castitatis non potest in Matrimonio petere debitum, ita nec ille, qui edidit votum Religionem ingrediendi.

Sed neque hoc sufficit, negatur enim antecedens, quòd ille, qui vovit Religionem, se etiam obligaverit ad castitatem. Confirmationem argumenti distinguo: cadit sub votum, quod clauditur sub objecto voti immediatè, c. quod clauditur solùm mediatè, n. Nego etiam paritatem: Unica comestio includitur immediatè in voto jejunij, non verò ita includitur castitas immediatè in voto Religionis, sed mediatè tantùm, supposito nempe statu assumendo, quia talis non obligatur ad castitatem ante statum Religionis assumptum, consequenter tenetur solùm ad id, quod sequitur immediatè, non autem tenetur de facto ad id, quod sequitur solùm mediante altero, quod necdum existit.

Tertium argumentum formari potest à paritate. Vovens magnam eleemosynam, si non possit totam erogare, tenetur saltem ad partem; item vovens jejunare toto Adventûs tempore, tenetur saltem ad eam partem quæ ipsi possibilis est: ergo qui non potest sine injuria conjugis abstinere à redditione, & petitione debiti, tenetur saltem non petere debitum, & observare hoc votum, quantùm potest.

Sed respondeo, teneri tunc ad partem, qui totum dare non potest, quando vovens totum, vovet formaliter partem, ut contingit in jejunio, & eleemosyna; at vovens certum aliquem statum, non promittit formaliter leges ipsius, sed secundariò duntaxat, & sub conditione, si priùs in eo statu constituatur, consequenter vovens Religionem, non vovet formaliter, & immediatè castitatem, sed tantùm secundariò, quando in Religione fuerit constitutus.

6. Unde dicendum 1. Auxentium voto Religionis adstrictum peccasse mortaliter in primis, dum Matrimonium inijt animo illud consummandi, quia assumpsit statum impedientem Religionis ingressum. Imò contrahens etiam cum animo non consummandi, sed statim abeundi ad Religionem, probabiliter adhuc peccat mortaliter juxta Sanch. Palao &c. tum ob periculum consummationis, tum ob deceptionem alterius contrahentis, ut supra vidimus *in casu*, 1. *huius* §. *n.* 5. nisi tamen istud faciat ad legitimandam prolem, honorandamque concubinam, cum ejus consensu, & absque periculo consummandi, sed cum intentione statim transeundi ad Religionem, sic enim Matrimonium contrahens non peccaret.

Dicendum 2. Auxentium obligatum fuisse ex vi sui voti contractum à se Matrimonium non consummare, non solùm petendo, sed neque reddendo debitum, adeoque dum prima vice sive petendo, sive reddendo consummavit, peccâsse mortaliter. Ratio est, quia obligabatur se non reddere inhabilem ad executionem sui voti, potuit enim Religionem ingrediens adhuc implere votum, quo obstrictus erat, consummans verò Matrimonium constituit se in eo statu, ut implere nequeat: ergo consummans peccavit mortaliter, sive petendo, sive reddendo consummaverit; non quidem peccavit contra castitatem, ut statim dicetur, cùm non emiserit votum castitatis, sed contra votum Religionis, quia liberè apposuit impedimentum impletioni voti, cùm post Matrimonij consummationem non possit ad Religionem transire.

Dicendum 3. Semel consummato Matrimonio potest deinceps Auxentius voto Religionis adstrictus licitè non solùm reddere, sed etiam petere debitum conjugale. Ita quoad omnia

omnia expressè docent Sanch. *L. 9. de Matrim. disp. 33. n. 14. & seq.* Mart. Perez *disp. 51 de Matr. Sect. 5. n. 2. & seq.* Palao *disp. 3 de Sponsal. pu. 4. §. 8. n. 3. & disp. 1. de Statu Religioso pu. 5. n. 3.* Less. & Graffis *ll. cc.* Coninck *disp. 34. de Sacramentis dub. 7. n. 55.* Rebellus *de oblig. Iust. L. 3. q. 17. Sect. 2. n. 4.* Azor *tom. 1. L. 11. c. 21. q. 8.* Emanuel Sà *V. Debitum conjugale: n. 4.* Lud Lopez *p. 1. Instructorij c. 50. §. Qui post votum simplex*, & plures alij ab his allegati. Ratio est, quia Auxentius non fecit votum castitatis, consequenter etiamsi petat, non peccat contra votum castitatis, qui enim vovet aliquem statum, non se obligat ad illius leges, donec illum re ipsa assumat, cùm in suo voto minimè obligationem aliquam exprimat ad illius leges; ita qui vovet, se Sacros Ordines assumpturum, non tenetur, donec reipsa assumat, recitare Officium Canonicum, neque ad castitatem ex vi illius voti emittendi, proinde si fornicetur, non committit sacrilegium, sed simplicem fornicationem: ergo etiam qui vovit Religionem, non tenetur ex vi sui voti ad castitatem, sicuti non tenetur ad paupertatem, & obedientiam, consequenter quia jam consummato Matrimonio nequit votum Religionis implere, ad illam transeundo, nihil est, quod debiti redditionem, ac petitionem impediat, atque ita latum discrimen est inter eum, qui vovit ingressum Religionis, & eum, qui obstrictus est voto simplici castitatis, nam hic petendo semper agit contra suum votum; ille solummodo egit in prima consummatione contra votum Religionis, non contra votum castitatis, quia hanc nunquam vovit, sed, si ita loqui placet cum Lessio, solùm vovit ad summum, se voturum castitatem, si admitteretur in Religionem: ergo de facto contra castitatem non agit: sed neque agit contra votum Religionis, petendo debitum, quia ingressus Religionis ipsi de facto est impossibilis, impossibilium autem nulla est obligatio, consequenter non agit contra ullam obligationem, ac proinde licitè, & sine omni anxietate conscientiæ reddere potest, & petere debitum conjugale.

7. His modò pertractatis, superest, ut examinemus, penes quem in impedimentis Matrimonium impedientibus dispensandi potestas sit? Circa hanc quæstionem conveniunt DD. posse Episcopum dispensare in omnibus impedimentis impedientibus, duobis duntaxat exceptis, videlicet *Sponsalibus*, & *voto*, quæ jure Divino, & naturali obligant. Ratio est, quia licèt inferior dispensare nequeat in lege superioris per se loquendo, nihilominus receptum nunc est consuetudine, ut dispensatio reliquorum impedimentorum non à Pontifice petatur,

tatur, vel necessariò ab eo obtineri debeat: imò cùm ex omnibus impedimentis impedientibus juxta superiùs dicta hodie non nisi quatuor in usu sint, Ecclesiæ prohibitio, sacratum tempus, sponsalia, & votum, de aliorum dispensatione impetranda jam nemo est solicitus. Lessi *in opusc. posthum. tract. de Sacram. Matrim. c.* 14. *dub.* 3. Sanch *L.* 7. *disp.* 17. *n.* 15. Bonac. *q.* 3. *de Matr. pu.* 15. *n.* 3. Engl *in Manuali Paroch. p.* 3. *c.* 5. *§.* 4. *n.* 22. Zerola. *p.* 1. *praxis Episcopal. V. Dispensatio n.* 8. Quin imò de sponsalibus quoque etsi communis sit Sententia, Episcopum etiam ex rationabili causa in ijs non posse dispensare, tum quia nuspiam ostendi potest, concessam esse hanc potestatem Episcopis, tum quia per sponsalia acquiritur jus tertio ad corpus alterius, in jure autem tertio acquisito non dispensat Episcopus, ut patet in testamentis, donationibus &c. talisque dispensatio adversatur juri naturali, etsi, inquam, communis sit ista Sententia, non tamen omnino improbabilem esse oppositam putat Dicastillo *tr.* 10. *de Matr. disp.* 8. *dub.* 4. *n.* 78. quæ facultatem dispensandi in sponsalibus concedit Episcopis, sed priorem, quam vocat valde probabilem, dicit in praxi esse tenendam, additque, non fore hanc dispensationem propriè, & strictè dictam, sed potiùs rescissionem aliquam contractûs sponsalitij, qua factâ à legitimo superiore, liberantur contrahentes à vinculo, & obligatione illius contractûs, quando judicatur rationi consonum, ut talis obligatio non subsistat.

8 In voto castitatis, quod est impedimentum Matrimonij, nequit Episcopus dispensare, verùm reservatur id summo Pontifici, sed solùm tunc, quando est votum perpetuum, perfectum, & absolutum omnimodæ castitatis, quod comprehendit omnes actus, tam internos, quàm externos, ad quos virtus castitatis extenditur; unde dispensare etiamnum potest Episcopus, quoties votum est temporale, v. g. ad annum, vel decennium, aliudvé tempus limitatum, sicut & in voto certæ castitatis, veluti non committendi adulterium, non polluendi, non tangendi mulierem, non petendi debitum &c. quia hæc omnia non sunt vota omnimodæ castitatis, & totalia, sed partialia tantùm, utpote quæ se non extendunt ad objectum adæquatum huius virtutis: ergo dispensari in ijs potest ab Episcopo, & Papæ non reservantur, quia, cùm reservatio sit odiosa, & juri Episcoporum deroget, strictè interpretanda est, & intelligenda solùm de continentia perpetua, & integra. Idem est de voto non contrahendi Matrimonium, quia neque istud simpliciter est votum castitatis, nec

nec enim violatur, si vovens cum aliqua fornicetur, nisi tamen, ut alibi diximus, per hoc planè intenderit vovere perfectam, ac perpetuam continentiam. Ita quoad hæc omnia Moya *in Quæstionib. Select. p. 1. tract. 2. disp. 1. q. 2. §. 1.* Sanch *L. 8. disp. 9. n. 6. & seqq.* Sporer. *Theol. Mor. tom. 1. tr. 3. c. 3. n. 70.* Eman. Rodr q. *p. 2. Summæ c. 98. n 2.* Sayrus *in Clavi Regia L. 6. c. 7. n. 8. &c.*

Eandem dispensationem circa votum castitatis non integræ, ac perfectæ, sed non nubendi, non fornicandi, vel solùm ad tempus, aliaque similia, quæ supra enumeravimus, & quæ idcirco reservata non sunt, impertiri etiam possunt Confessarij Ordinum Mendicantium, & qui cum ijs communicant in privilegijs, quibus hanc potestatem sui Superiores commiserint, ut fusè docent Ascanius Tamburinus *tom. 2. de Iure Abbatum disp. 19. q. 8. n. 6.* & *seqq.* Ant. à Spiritu Sancto *in Directorio Regularium p. 1. tr. 2. disp 3. Sect. 2. §. 2. n 81.* Bordonus *Variar. resolut. p. 1. Resolut. 15.* Sporer, & alij; estque hoc privilegium non vivæ vocis oraculo datum, sed per Bullam, nam facultatem dispensandi in omnibus votis, exceptis quinque illis, quæ sibi ordinariè reservare solent Pontifices, inter quæ est votum simplex perpetuæ castitatis, concessit Eugenius IV. Monachis S. Justinæ Ordinis S. Benedicti in Constitutione *Etsi quaslibet*, quæ Bulla videri potest apud Jo. Bapt. Confettium *in collect. privileg. Sacror. Ordinum*, & apud Eman. Rodriquez *in Bullario Regul.* estque undecima hujus Pontificis. Allegantur ab AA. aliæ quoque concessiones, veluti Sixti IV. Innocentij VIII, Leonis X. qui in Constitutione *Pastoris æterni* apud eundem Confettium id ipsum concessit Minimis, has tamen concessiones adducere ego nolui, quia multis limitationibus satis arctatæ sunt, & ultima quidem universalis non est, verùm restringitur ad certas festivitates, & numerum personarum, privilegium verò Societati JESU concessum à Paulo III. in Bulla *Cùm inter cunctas*, quod Bordonus, & alij adducunt, non facit ad rem, quia in eo non conceditur facultas dispensandi, sed commutandi vota, quæ duo multùm diversa sunt.

9. Potest Episcopus quandoque etiam dispensare in voto simplici castitatis integræ, ac proinde reservato Pontifici, in casu urgentis necessitatis, dum nempe adest impedimentum adeundi summum Pontificem ob paupertatem, vel aliam causam, & vera necessitas cogit maturare dispensationem, veluti quando adest magnum periculum salutis spiritualis, scilicet violationis voti ob incontinentiam, si dispensatio differatur; quando timetur scandalum, magna infamatio, aliudvé grave damnum ex dilata dispensatione, ut si adstrictus

voto

voto castitatis violâsset virginem, & ad reparationem honoris illius Matrimonium necessarium esset, simul verò metueretur, ne exponatur probro publico, aut Matrimonium impediatur à cognatis, si dispensatio Pontificia expectanda sit; ut morti proximus possit inire Matrimonium ad legitimandam prolem &c. in similibus casibus agit Episcopus non ex potestate ordinaria, sed tanquam delegatus Pontificis, de cujus mente rationabiliter præsumitur, nolle eum sibi vota reservare in talibus circumstantijs, sed potiùs contentum esse, ut urgente gravi necessitate cum impedimento ipsum adeundi, potestas dispensandi penes Episcopum sit. Ita Palao *disp. 2. de relax. voti pu. 12. n. 4.* Barbosa *l. c. n. 8.* Sanch. *n. 12.* cum alijs supra allegatis.

An verò in simili casu quoad votum castitatis perfectæ, ac perpetuæ, quando vovens recursum habere nequit ad Pontificem ob paupertatem, vel distantiam, pariter dispensare possint Regulares virtute privilegij, quod habent, dispensandi in votis, in quibus possunt Episcopi, diversa tradunt DD. Affirmativam tenent Chassaing *De privilegijs Regularium tr. 5. c. 5, propos. 2.* & alij apud Moyam *l. c. §. 3 n. 17.* Verùm opinio contraria, utpote communissima, & probabilior, tenenda est, pro qua militant Sanch. *L. 4. in Decal. c. 43. n. 8.* Palao *l. c. n. 7.* Laym. *L. 4. tr. 4. c. 8. n. 17. ad finem.* Lezzana *tom. 4 quæst. Regular. V. Votum, n. 21.* Basil. Pontius *L. 8. c. 10 n. 11.* Barbosa *Allegat. cit. n. 14.* Bordonus *l. c. n. 24.* Rodriq. *tom. 1. Quæst. Regular. q. 63. art. 6.* Moya *l. c. §. 4.* Fagundez *L. 2. in Decal. c. 45. n 15.* Diana *p 6. tr. 6. resol. 50.* Sporer &c. quia, quòd Confessarij Regularium Mendicantium dispensare possint in votis, in quibus dispensare potest Episcopus, id est intelligendum de ijs votis, & casibus, qui jure ordinario Episcopo competunt, ideoque propriè Episcopales sunt, non item in ijs, qui per se Papales sunt, & tantùm per accidens ob urgentem necessitatem, ac moralem impotentiam adeundi Papam, ex benigna interpretatione voluntatis Summi Pontificis, & quadam epichia ad Episcopum tanquam ad ordinarium post Papam pastorem devolvuntur.

10. Ad Episcopum quoque spectat, cum eo, qui post votum simplex castitatis contraxit Matrimonium, dispensare ad effectum, ut possit petere debitum; quamquam enim, attento Jure, hæc dispensatio sit solius Pontificis, tamen, ut eam concedat Episcopus, consuetudine introductum est, quæ Jurisdictionem præbet. *c. Cùm contingat. De Foro compet.* Et hujus dispensationis sanè justissima causa est periculum incontinentiæ, quod plerunque adest propter cohabitationem, quam non

non tenetur deserere. Nequeunt verò dispensare Episcopi, ut mortua comparte aliud Matrimonium, ineat, qui hoc voto ligatus est. Præpos. *q. 6. de Matr. dub. 18, n. 149.* Sanch. *L. 8. disp. 12. n. 4.* Barbos. *l. c. n. 9.*

Sed hic iterum dubium est, an etiam Regulares virtute suorum privilegiorum dispensare possint ad petendum debitum cum ijs, qui ante contractum Matrimonium se voto castitatis perpetuæ obstrinxerunt? Posse hoc Confessarios Regulares approbatos juxta Concilij Tridentini normam, affirmant Palao *l. c. n. 9.* Sanch. *L. 4. in Decal. c. 43. n. 9.* Basil. Pontis *l. 8. c. 10. n. 12.* Antonius à Spiritu Sancto *in Director. Regular. tr. 2. disp. 1. Sect. 2. n. 110.* & alij plures, quippe concessit hoc privilegium Pius V. vivæ vocis oraculo Franciscanis 26. Octob. 1569. ut videre est apud Emanuelem Rodriquez inter oracula hujus Pontificis *n. 12.* quia autem vivæ vocis oracula istis temporibus abrogata sunt, dicendum cum Bordono *Var. Resolut. p. 1. resol. 6.* & Lezzana *tom. 1. Quæst. Regular. c. 19. n. 26.* & *tom. 4. V. Votum. n. 25.* non posse nunc Confessarios uti prædicta concessione, nisi ea etiam per Bullam ipsis collata sit.

Et verò bullatum esse hoc privilegium, docet Quintanaduennas *singularium tr. 9. sing. 4. n. 6.* idque, ait, sat manifestè constare ex Bulla authentica Eugenij IV. quæ incipit: *Regularem vitam &c.* & concessa est Benedictinis de observantia S. Iustinæ, & habetur in Bullario Eman. Rodriquez. Hoc ipsum etiam probatur ex Bulla ejusdem Eugenij suprà citatâ *n. 8.* ubi ijsdem Religiosis S. Iustinæ eandem facultatem concedit, ut patet ex illius verbis: *liceat dictæ Congregationis Prælatis, sive Monachis deputatis à suis Superioribus ad audiendas huiusmodi personarum* (scilicet recurrentium ad eos) *confessiones accedere, illàsque audire, & absolvere ab omnibus, & singulis peccatis, præterquam Sedi Apostolicæ duntaxat reservatis nec non à quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententijs, alijsque Ecclesiasticis censuris, & pœnis; insuper & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, etiam Ordinarijs, ac per Synodales, seu Provinciales constitutiones reservatis cum eis dispensare*: possunt igitur Regulares vi huius Bullæ dispensare in omnibus casibus, in quibus id possunt Ordinarij modo superiùs explicato, quam assertionem etiam sequitur, & persuasissimam habet Sporer *tom. 1. Theol. Mor. tr. 3. c. 3. n. 54.*

Neque dicas, obesse huic assertioni propositionem duodecimam ab Alexandro VII. prohibitam: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate*, nam respondeo, cùm hæc prohibitio versetur in materia odiosa, in mitiorem partem explicanda est, & verba

verba illius strictè accipienda sunt, quia igitur solùm loquitur de absolutione ab ijs peccatis, quæ Episcopo reservata sunt, hanc prohibitionem non oportet extendere ad dispensationes, nam dispensatio, & absolutio diversa sunt, & illa etiam extra confessionem fieri potest, ut docent Sanch. *l.* 4. *in Decal c.* 43. *n* 16. Bordonus *l. c. n.* 22. Gobat *tr.* 10. *cas.* 15. *n.* 604. Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *c.* 10 *n.* 21. ubi ait: *Confessarij Mendicantium sine scrupulo possunt, ac solent dispensare in votis, petitione debiti &c.* Et Quintanaduennas, qui *Singularium tr.* 9. *sing.* 10. *n.* 3. docet, dispensationes ad debitum petendum fieri posse, etiamsi illas confessio nec præcedat, nec subsequatur. Hæc de voto castitatis, ad quod reduco etiam votum suscipiendi sacros Ordines, nam in hoc quoque dispensare possunt tum Episcopi, tum Regulares vi privilegiorum, namque hoc non est votum castitatis, si ritè attendatur, sed tantùm est votum assumendi statum, in quo castitas observatur.

11. De voto Religionis eodem modo discurrendum est, ut de voto perpetuæ castitatis, videlicet illius dispensationem Papæ reservatam esse, posse tamen urgente necessitate concedi etiam ab Episcopo, etsi non ita frequenter, ut in voto simplici castitatis, quia plerunque non urget tanta necessitas, ut ei succurri nequeat, voti executionem differendo: Præterea quoties ex aliqua circumstantia deficit ab integro, & perfecto voto, ex qua causa cessat illius reservatio, in eo dispensare potest non solùm Episcopus, sed etiam Regulares, æquè, ac supra dictum est de voto Castitatis.

Hinc dispensare possunt Episcopi, & Regulares 1. in voto ingrediendi Religionem non approbatam, quia Religio non approbata non est vera Religio. 2. In voto paupertatis, aut obedientiæ in Sæculo, vel in Religione non approbata emisso, quia non sunt vota Religionis. 3. Possunt commutare votum strictioris Religionis in votum laxioris, nam hæc non dicitur propriè dispensatio in voto Religionis, quod reservatum est, sed in quadam eius circumstantia, nec tollitur hic simpliciter voti obligatio, quod tamen facit dispensatio, nam manet is etiamnum obligatus ad statum Religiosum, cùm dispensatum cum ipso non sit in substantia voti Religionis, sed solùm in circumstantia, et aliquo excessu rigoris in comparatione alterius Religionis, unde potiùs est commutatio, quàm dispensatio. 4. Pari modo dispensare possunt in differenda executione voti Religionis, quia neque hæc dispensatio est in substantia voti reservati, sed in aliqua eius qualitate, & circumstantia temporis, dum interim substantia obligationis illæsa manet. Ascan. Tambur. *to.* 2. *De Iure Abbat. disp.* 19. *q.* 8. *n.* 19. & *Seqq* Sanch. *l.* 8. *disp.* 9. *n.* 13. Bordo-

sua

nus &c. 5. Denique dispensare potest Episcopus, & consequenter ob sua privilegia etiam Regulares, in voto conditionali sub conditione de futuro, qualia vota sunt: *si sanitatem recepero, si naufragium evasero, Religionem, castitatem &c. voveo*, hæc enim vota solùm reservantur, quando perfecta sunt, ut autem talia sint, debet affectus in castitatem, Religionem &c. directè ferri, nec satis est, quòd feratur in aliud, quod consequi optat; nam qui oppressus morbo, aut in alio periculo constitutus promittit Religionem, vel castitatem, init quasi contractum innominatum cum Deo, *faciam, ut facias*, id est, si hoc mihi concesseris, ingrediar Religionem, quod est votum conditionale, in quo voluntas non fertur directè in Religionem, sed in consecutionem incolumitatis, ad quam obtinendam votum emittitur: igitur licèt in his conditionalibus votis, postquam impleta est conditio, obligatio sit absoluta, tamen ut discernatur, an reservatum sit ejusmodi votum, an verò ab Episcopo dispensabile, spectanda est non solùm obligatio, quæ impletâ conditione adest, sed attendendum quoque initium, & radix hujus obligationis, quæ sanè imperfecta est, videlicet imperfecta voluntas à futuro eventu dependens, & imperfectus consensus in rem, quam talis vovit; unde cùm reservatio votorum odiosa sit, restringenda est ad ea tantùm vota, quæ quoad obligationem, & illius radicem, sortiuntur perfectam voti castitatis, & Religionis naturam, atque ita ejusmodi vota conditionalia reservata non sunt, sed ab Episcopo, alijsque privilegiatis dispensabilia. Sanch. *L. 8. De Matr. disp.* 10. *n.* 5. *&* 13. & *L.* 4. *in Decal. c.* 40. *n.* 99. Moya *p.* 1. *Select. quæst. tr.* 2. *disp* 1. *q.* 2. §. 1. *n.* 2. Diana *p.* 6. *tr.* 8. *resol.* 16. & alij ab his citati.

Ex istis modò sufficienter patet, à quonam in præsente casu Auxentius dispensationem petere, & obtinere potuerit vel absolutè in suo voto, vel ad petendum debitum conjugale. Plura ad dispensationem istorum votorum pertinentia, qui volet, inveniet tum apud citatos, tum alios Authores, ubi ex instituto tractant materiam de votis.

SECTIONIS II.

PARS II.

De Impedimentis Dirimentibus.

Verba hucusque fecimus de ijs impedimentis, quæ Matrimonium illicitum reddunt, ac impediunt, quin tamen illud invalident; exponenda nunc sunt impedimenta dirimentia, quæ gravioris momenti sunt, quia non solùm illicitum est cum aliquo tali impedimento contrahere, sed etiam, si quis de facto hoc attentet, nihil efficit, sed Matrimonium penitus irritum, ac nullum est, acsi factum non fuisset.

Hujusmodi impedimenta dirimentia ex Jure antiquo sunt duodecim, quibus si adjungantur duo ex Jure novo Concilij Tridentini, universim impedimenta quatuordecim vulgatis hisce versibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,

Si

Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptavé sit mulier, nec parti reddita tutæ;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

In explicandis his impedimentis, ne cum confusione omnia commisceant, aliqui illa dividunt in impedimenta, quæ ex Jure naturali, & ea, quæ solùm ex Jure positivo humano, seu lege Ecclesiastica oriuntur. Inter prima, quæ Juris naturalis, atque ideo indispensabilia sunt, collocant hæc quatuor: *Errorem in persona, impotentiam perpetuam, consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ*, v. g. Patris cum filia, & *ligamen*, id est ligatum esse actuali Matrimonio; reliqua sunt de Jure Ecclesiastico, ideoque dispensabilia, ut suis quæque locis distinctiùs notabimus in explicatione singulorum. Hæc divisio bona est, mihi tamen, ut ordinatè progrediamur, præplacet usurpare eam, qua utitur Filliucius, & adhuc clariùs Patritius Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. Sect. 1.* cum quo impedimenta hæc dirimentia in quatuor classes distinguemus. Primæ classis titulus erit *Consensus insufficiens*, in qua comprehendentur quinque impedimenta: *Error*, *Conditio*, *Vis*, *Raptus*, & *Clandestinitas*. Secundæ *Libertas obligata alteri*. Continentur hîc quatuor impedimenta: *Votum*, & *Sacer Ordo*, quibus libertas obligatur Deo. *Ligamen*, & *publica honestas*, quibus libertas obligatur alteri homini. Tertiæ *Nimia Conjunctio*. Huc pertinent *triplex cognatio*, *carnalis*, *Spiritualis*, & *Legalis*, *Affinitas*, & *scelerati criminis conjunctio*. Quartæ denique *Nimia distantia*. In hac explicantur *Cultûs disparitas*, & *Impotentia*.

CLASSIS I.

Impedimentorum Dirimentium.

CONSENSUS INSUFFICIENS.

Huc spectant quinque impedimenta:

Error, Conditio, Vis, Raptus, & Clandestinitas.

§. I.

ERROR.

CASUS

Fœdæ deceptionis.

Hermilla perhonestæ, & opulentæ familiæ Virgo, nescio, ob quod negotium morata est aliquo tempore in Urbe M. Vidit eam ibi Lupacius, & quia divitijs insidiabatur (intellexerat enim, pecuniosam esse) captata ubique occasione, aliquoties ipsi locutus est, millenis obsequiorum generibus ei adblandiens, tandem

tandem etiam nuptias expetere ausus; quas ut consequeretur, finxit se filium divitis mercatoris ex urbe L. illius ipsius Provinciæ, in qua patria erat Hermillæ, Metropoli: addebat, bonâ Parentum veniâ pluribus adhinc annis se castra secutum, fortunâ tam sibi propitiâ, ut inter belli Officiales gradum sublimiorem conscenderit. Patriam, parentes, divitias, & militarem dignitatem testabantur tum exhibita scheda baptismalis, tum, quos secum in hunc finem adduxerat, comites; & è Tribunis ipsum non postremum esse, loquebantur insuper tum elegans vestium ornatus, tum statura eminens, & spirans è facie Martius animus, quem amœno agendi lepóre, ac comitate adeò noverat temperare, ut Hermilla, accedentibus tot asseverationibus, & testimonijs, de impostura nihil suspicata, in nuptias, consenserit. Sed experta est misera paulò post, se turpi mendacio circumventam, non Tribuno militum, uti crediderat, verùm castrensi carnifici infeliciter nupsisse.

Q. An propter istum errorem invalidum fuerit hoc Matrimonium?

SYNOPSIS.

1. *Quotuplex error evenire possit in Matrimonio?*
2. *Quomodo differant error antecedens, & comitans?*
3. *Error circa substantiam personæ invalidat Matrimonium Iure naturali.*
4. *Respondetur ad aliquas objectiones.*
5. *Ad irritandum Matrimonium perinde est, an error circa personam sit antecedens, & causa actûs, an concomitans.*
6. *Si error est circa qualitatem personæ, Matrimonium non irritatur.*

7. *Nisi*

7. *Nisi ejusmodi qualitas apponatur in contractu per modum conditionis vel actu, vel virtute.*

8. *Aut error circa qualitatem redundet in ipsam personam; ubi statuuntur plures regulæ, ex quibus dignosci queat, quandonam hoc eveniat.*

9 *Quid judicandum in præsente casu? Affertur opinio pro validitate Matrimonij.*

10. *Deciditur oppositum.*

11. *An, si hujusmodi conjuges velint nihilominus cohabitare, debeant de novo contrahere coram Parocho, & testibus?*

1. PAuci fluxerunt anni, quòd casus iste, contigit, ut mihi recensuit fide dignus, qui præsens tunc in loco adfuit, novitque personas, quæ partem in eo habuerunt: Ad cujus solutionem prænoto, universaliter in Matrimonio quadruplicem errorem intervenire posse, ut desumitur ex *c. Vnico. 29. q. 1.* Primus est personæ, seu circa substantiam personæ, dum quis contrahit Matrimonium cum aliqua, quam putat esse hanc individuam numero, cùm tamen sit alia individua numero. Secundus est conditionis servilis, dum contrahens liber putat, contrahere se cum libera, & est ancilla. De hoc errore paragrapho sequente. Tertius est qualitatis intrinsecæ, videlicet pulchritudinis, nobilitatis, honestatis &c. dum quis credit, se contrahere cum pulchra, nobili, virgine, honesta, vel proba, & est deformis, plebeja, corrupta, improba, vel inhonesta. Quartus est error qualitatis extrinsecæ, seu fortunæ, nempe divitiarum, dum putat, eam, cum qua contrahit, esse divitem, est verò pauper. De utroque isthoc errore tum intrinsecæ, tum extrinsecæ qualitatis eodem modo statuitur, quin fiat speciale discrimen, nam utrobique erratur in qualitate.

2. Ex his erroribus quilibet est vel antecedens actum, & dans causam contractui, vel comitans. Prior tunc

tunc adesse dicitur, quando consensus totus innititur errori, sive quando error est tota, & integra ratio, cur aliquid velimus, quod aliàs nullo modo vellemus, si in errore non essemus; sic si Antonius ducit Blancam, quia putat esse Mariam, ita, ut si scivisset, non esse Mariam, illam non duxisset, datur error antecedens dans causam huic contractui, estque is circa substantiam: si verò ideo ducat Mariam, quia putat, esse divitem, ita, ut si scivisset, eam non esse divitem, in ipsam consensurus non fuisset, iterum est error antecedens, sed circa qualitatem personæ. Posterior, sive concomitans error est, quando consensus errori non innititur, sed ita se habet, ut contractus fieret, etiam hic error non adesset. Hic quoque error rursus contingit vel circa Substantiam, vel circa qualitatem personæ, v. g. si Antonius ducat Blancam, quia putat esse Mariam, simul verò ita constitutus est, ut nihilominus eam esset ducturus, si nosset esse Blancam, est error comitans circa substantiam: Si autem ducat Blancam, putans esse divitem, ita ut, si scivisset, non esse divitem, adhuc illam duxisset, error concomitans versatur in qualitate. His prænotatis.

3. Dicendum, Matrimonium contractum cum errore circa substantiam, sive circa ipsum individuum personæ nullum esse, & invalidum ipso Iure naturæ, unde si volens contrahere cum Bertha, Matrimonium ineas cum Caja, per errorem existimans, esse Bertham, irritum est tuum conjugium. Est hæc communis omnium doctrina, ut necesse non sit pro ea referre multos Authores; videri tamen poterunt Sanch. *l. 7. disp. 18. n. 12.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5.* Bonac. *q. 3. de Imped. Matrim. pu. 2. n. 2.* Tannerus, Perez. Coninck &c.

Probatur. Universaliter error circa rei substantiam, sive objectum substantiale contractûs actum ipso Iure naturali irritum reddit, ut exemplis ostenditur in emptione, & venditione: Siquis pro gemma tibi vitrum vendat, aurichalcum pro auro, stannum pro argento, vel si intendas emere Bucephalum, & tibi venditor pro eo substituat Xanthum, irritus est contractus, quia deest tuus consensus, *nihil enim*, ut loquuntur Iura L. Si per errorem. ff. De Iurisdict. *tam est contrarium consensui, quàm error*, & L. Non idcirco. C. De Iur. & facti ignorant. *Nullus est errantis consensus*: sed in contractu Matrimonij primum, ac substantiale objectum est ipsa persona, cum qua est contrahendum: ergo si circa hanc erratur, ipso Iure nullum est Matrimonium. Ita disertè c. Vnic. 29. q. 1. *Error personæ conjugij consensum non admittit*, nam sicut sine consensu in conjugium dari nequit coniugium, ita profectò sine consensu in certam, & determinatam personam, cum qua est contrahendum,

dum, nullum cum ea est coniugium, quia qui circa personam errat, non consentit in eam, cum qua contrahit per errorem, sed totus ipsius consensus fertur in personam absentem, quam per errorem existimat, esse præsentem, non verò in eam, quæ revera præsens est. Hinc asserunt communiter AA. nullum fuisse conjugium Iacobi Patriarchæ *Gen.* 29. cum Lia per fraudem soceri Laban loco Rachelis ipsi suppositâ, donec detecto dolo, & deprehenso errore, hoc quoque Matrimonium Iacob postea ratificavit, tum amore obtinendæ etiam Rachelis, tum miseratione Liæ, per ignorantiam ex parte sua invincibilem jam defloratæ.

4. Nec probant aliquid in contrarium instantiæ, quæ opponi solent, videlicet Baptismum esse validum, quamvis erretur in persona, dum quis Baptizat hunc, quem putat esse alium, aut fæmellam, putans se baptizare masculum; validam quoque absolutionem Sacramentalem collatam Petro, qui putabatur esse Ioannes, & sic loquendo de Confirmatione, extrema Vnctione, Ordine. Similiter in emptione, & venditione, alijsque contractibus etsi venditor Cajum emptorem habuerit pro Titio, valida tamen est venditio; ex quo videtur inferri posse: ergo Matrimonium quoque validum est, quantumvis erratum fuerit in persona: hæc, inquam, nihil evincunt, quia lata est disparitas, quippe in his Sacramentis non spectatur hæc, vel illa persona determinata, verùm quæ præsens fuerit, nam parùm refert ad finem Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum, sitné hæc, vel illa persona, cui ministrantur, ideòque intentio Ministri non ad singularem personam, puta Franciscum, vel Petrum fertur, sed dirigitur in personam præsentem. Pari modo vendens rem, v. g. equum, intendit præcisè hunc tradere, & emens dare vendenti pretium, quis quis sit, cui ille rem, vel hic pro re pretium tradit. Non ita in Matrimonio, quia cùm hoc inter contrahentes individuam vitæ societatem inducat, plurimum interest, sitné hæc, vel illa persona, cum qua contrahitur; unde intentio contrahentium dirigitur in personam non qualemcunque, quæ præsens est, sed in determinatam, ac individuam nempe eam, quæ nota, & specialiter electa est: quapropter si ea, quæ est præsens, per errorem judicatur esse alia, scilicet illa, quæ abest, & specialiter electa fuit, Matrimonium cum præsente initum invalidum est, quia actus agentium ultra eorum intentionem non operantur. *L. Non omnis. ff De Rebus creditis.* Ita Sanch. *L. 7. disp. 18. n.* 12. Perez. *disp. 24. de Matr. sect.* 1. *n.* 10. *& seq.* Sporer *Theol. Sacram. p.* 4. *c.* 1. *n.* 4. Wiestner *n.* 212. *De Sponsal.*

5. Quæ diximus de errore circa substantiam personæ, extendenda sunt

sunt etiam ad errorem concomitantem, perinde enim est ad Matrimonium dirimendum, si in persona erres, sive hic error sit antecedens, & causa operis, de quo nemo dubitat, sive sit concomitans, & non causa operis, eò quòd contrahens ita sit constitutus, ut, licèt non errasset, sed scivisset, esse aliam, quàm putaverat, nihilominus cum ea contrahere voluisset; nam uterque error, & hic, & ille, aufert actualem consensum, & solùm in hoc differunt, quòd prior faciat simpliciter involuntarium, posterior autem, actum non esse voluntarium, seu quamvis error comitans non sit involuntarius positivè, est tamen involuntarius saltem negativè, hoc est, non voluntarius, quia deest consensus præsens in eam, cum qua contrahit, quod satis est ad hoc, ut actus irritus sit, siquidem, ut rectè notat Vasq. 1. 2. *disp.* 30. *c.* 4. *n.* 30. Matrimonij contractus requirit positivum, & expressum voluntarium, neque sufficiens est interpretativum. Imò non erit validum Matrimonium, etiamsi contrahens dicat: ducerem Bertham, si nossem hanc esse Bertham, quia hoc modo solum indicat intentionem, & voluntatem eius, quod facturus esset, si illam nosset, non verò positivè consentit de præsenti: aliud est, si errans actu intenderet cum persona præsente contrahere, quæcunque illa sit, hoc enim casu haberetur verus consensus in personam præsentem, proinde validum esset Matrimonium. Ita rursus Sanch. *disp. cit. n.* 6. Perez *l. c. n.* 7. Palao *disp.* 4. *de Sponsal. pu.* 4. *n.* 1. Bonac. *l. c. n.* 4. Bassæus *V. Matrimonium* 7. *n.* 8. Pirh. *n.* 160. *de Sponsal.* Filliuc. *tr.* 10 *c.* 2. *n.* 31. Coninck, Laym. Hurtad. Dicastillo contra Comitolum, qui *l.* 1. *Respons. Moral. q.* 121. tenet contrarium de errore concomitante.

Addo, hoc ipso, quòd error circa substantiam personæ Iure naturæ irritet Matrimonium, 1. etiam inter infideles non valere Matrimonium initum cum errore personæ. Patet, quia non valet inter ipsos Matrimonium cum impedimento Iuris naturalis, quale est hoc. *c. Gaudemus. De Divortijs.* 2. Neque Pontificem posse efficere, ut error personæ non irritet Matrimonium, quia non potest tollere jus naturæ, aut supplere consensum contrahentium. Perez *disp.* 24. *de Matrimonio Sect.* 2 *n.* 7. *& seq.* Coninch, Basil. Pontius, Sanch. &c.

6. Aliter prorsus se res habet in errore circa qualitatem personæ; hic enim, etsi antecedens sit, & contractui causam dederit, atque etiam ex dolo alterius contrahentis provenerit, per se, & regulariter Matrimonium non invalidat. Ita rursus supra citati cum Petro de Ledesma *q.* 51. *de Matr. artic.* 2. Covarr. 4. *Decret. p.* 2. §. 7. *n.* 2. Molina *tract.* 2. *De Iust. disp.* 352. §. *Illud est observandum.* Tamburr.

bur. *tr.* 1. *De Imped. c.* 2. *n.* 11. & communi aliorum contra Medinam, & paucos alios, putantes, quando dolus causam dedit contractui, invalidum esse Matrimonium in foro conscientiæ. Hinc si quis contrahat cum ea, quam putat esse pulchram, vel quæ se falsò dicit esse nobilem, sanam, divitem, virginem &c. cùm sit deformis, plebeia, infirma, inops, corrupta &c. validum est Matrimonium. Ratio est, quia ad valorem contractûs Matrimonij satis est, quòd non erretur in ijs, quæ sunt de substantia, & essentia Matrimonij: sed de substantia, & essentia Matrimonij sunt solæ personæ, & corpora, quæ mutuò traduntur, & acceptantur in ordine ad generationem, quidquid verò est extra substantiam istorum corporum, duntaxat accidentale est: ergo si non erratur in persona, sive hoc individuo, sed solùm in qualitate accidentali, Matrimonium substantialiter subsistit, & nullo modo irritatur, cùm nullus canon Ecclesiasticus ostendi possit, qui ob defectum similium qualitatum id infirmet, cùm ex opposito contrarium clarè colligatur ex *c. Apostolica. De Sponsal.* Ubi deciditur, Matrimonium non irritari ob mendacium, vel dolum ad illud inducentem.

Confirmatur à pari, quòd juxta omnes valida sit Professio Religionis, quamvis illius aliquæ asperitates, durior victus, fratrum mores, rigor Prælatorum, aliaque similia accidentia, quæ substantiam non contingunt, antè non advertantur. Denique si ob errorem qualitatis, etiam qui causa contractûs fuit, irritum redderetur Matrimonium, passim Matrimonia nulla fierent, & facta disolverentur, quod gravissimis damnis, & inconvenientibus obnoxium foret: dicendum igitur, ob solum errorem qualitatis Matrimonium non reddi irritum, cùm qualitates non sint objectum ipsius contractûs, sed se præcisè habeant per modum rationis motivæ, seu impulsivæ, & causæ finalis extrinsecæ, quare, si contingat errari, error hic consensum Matrimonialem non efficit involuntarium simpliciter, sed solùm secundùm quid, scilicet circa ipsas has qualitates, & accidentia personæ, cum qua contrahitur, per quod substantia contractûs non vitiatur.

7. Temperare nihilominus oportet hanc doctrinam duplici exceptione, nam etiam error qualitatis per accidens aliquando irritum reddit Matrimonium. Primò si qualitas, in qua erratur, per modum conditionis apponatur in contractu vel actu, vel virtute, ut quis vel actu, & expressè intendat non accipere hanc conjugem, nisi sit nobilis, virgo &c. idque vel apertè significet, dicendo: si es nobilis, duco te, aliàs nolo, vel saltem mente retineat. Ratio est clara, quia sic datur consensus conditionatus: *si talis es, volo*: atqui

atqui consensus conditionatus de præsenti, conditione non subsistente, nullus est, ut nemo non novit; ergo &c.

Dixi *actu*, *vel virtute*, ut indicarem, intentionem merè habitualem, vel interpretativam non contrahendi cum persona tali qualitate affecta non sufficere ad Matrimonium invalidandum, v. g. si quis contrahat simpliciter cum aliqua non nobili, paupere, non virgine &c. ita animo comparatus, ut, si scivisset, vel advertisset ad hanc, vel illam qualitatem, non contraxisset, sic enim Matrimonium propterea non irritatur, si postmodum conjugem deprehendat talem, qualem si priùs novisset, abstinuisset à conjugio, quia in conjugali contractu non attenditur ad id, quod fecisses, vel voluisses in alijs circumstantijs, verùm ad id duntaxat, quod re ipsa fecisti de facto, & voluisti circa substantiam contractûs, absolutè enim consensum præbuisti, nec adfuit ulla conditio, sed solùm adfuisset, si attendisses, quod nihil operatur, unde intentio, & dispositio solùm habitualis, vel interpretativa non sufficit ad Matrimonij invalidationem. Et profectò si hæc sufficeret, vix esset è millenis unum Matrimonium validum. Sufficit autem, appositam esse talem conditionem virtualiter, quo modo adesse censetur tunc, quando, licèt in contractu actualiter non ponatur, tamen de ea antecedenter cogitatum est, fuitque priùs apposita, ac postmodum, illâ non retractatâ, consensus datus est contractui, v. g. Titius declaravit, se nolle ducere Mariam, nisi sub conditione, quòd dives sit, vel pulchra, vel non ex genere Judæorum &c. postea, hoc animo non mutato, consensit in Mariam, quæ pauper est, deformis, ex Judæis descendens &c. invalidum est Matrimonium, quia, cùm prior intentio retractata non fuerit, sed adhuc perseveret, æquivalet conditioni actualiter positæ, & sicut sufficit talis intentio ad Matrimonium constituendum, quando affirmativa est, ita ad dissolvendum, quando est negativa. Sanch. *l. c. n.* 21. Tambur. Basil. Pontius, qui *L.* 4. *c.* 21. *n.* 13. testatur, obtinuisse se propter hujusmodi intentionem virtualem non contrahendi, ut Matrimonium quoddam initum ex errore in qualitate nobilitatis dissolveretur, ac nullum esse declararetur.

8. Altera exceptio est, si error qualitatis inducat, sive involvat simul errorem personæ, tunc enim, cùm erretur circa ipsam personam, invalidum est Matrimonium defectu consensûs absoluti. Quandonam verò error in qualitate redundet in substantiam personæ, diversas regulas tradunt citati AA. Prima est, si qualitatum narratio eò tendit, ut persona, aliàs incognita, cognoscatur, qualitatesque narratæ non communes sunt, sed singulares, individuatio-

duationem personæ denotantes, veluti si te fingeres filium Petri primogenitum, cùm tamen non sis, quia hæc non est qualitas communis, sed singularis, & certum individuum indicans, idcirco error in ista qualitate non est error præcisè qualitatis, sed ipsius personæ; secus est, si te divitem, vel nobilem fingeres, quia sunt qualitates communes, non personæ individuationem indicantes; hinc ob priorem errorem Matrimonium irritatur, non verò ob secundum. Optimè hanc regulam exemplo declarat Tambur. *l. c. n.* 21. Videt quis, inquit, duas mulieres, alteram sedentem, stantem alteram, ac dicit: *volo contrahere Matrimonium cum hac, quæ sedet*; vel videt duas alias, & ex amico audit, hanc esse nobilem, illam ignobilem, hanc virginem, illam viduam, dicitque: *volo contrahere cum illa, quæ nobilis, & virgo est*: in isto casu sessio, nobilitas, virginitas qualitates quidem sunt, sed tamen in præsenti sunt signa substantiæ ejus, cum qua ille homo intendit inire Matrimonium, atque adeò important determinationem personæ, cùm tota intentio illius sit ad illud individuum, quod sedet, quod nobile, quod virgo est.

Secunda regula est, si qualitas est finis Matrimonij, ita ut Matrimonium sit unicum medium, sive unicè eligatur tanquàm medium ad finem hunc obtinendum; nempe qualitatem istam, qua persona, cum qua initur Matrimonium, prædita esse judicatur, v. g. si juvenis opulentus, sed non antiquæ nobilitatis, ad familiam aliunde adscito splendore ornandam, & attollendam, cum Illustri familia affinitatem quærat, & unicè eo fine inducatur ad Matrimonium ineundum cum puella, quæ se Illustri sanguine natam dolosè mentitur, redundat hic error qualitatis in personam, atque ideo irritat Matrimonium, cujusmodi muliebris imposturæ notabile exemplum adducit ex Caramuele Gobat *tr. 9. cas. 4. n.* 103, *& seqq.*

Tertia regula est, quam tradit idem Gobat ex Basilio Pontio, quando quis contrahit cum aliqua propter certam in ea qualitatem ita apprehensam, & æstimatam, ut eâ inducatur ad contrahendum, eique ita innitatur expressè, ut sine ea non contraheret; hoc casu si absit ista qualitas, non valet Matrimonium. Verùm hæc regula, ut rectè notat Perez *disp.* 24. *Sect.* 3. *n.* 7. diversa non est ab ea, quam dedimus num. præcedente in exceptione prima, & tunc omnino vera est, quando hæc qualitas apponitur per modum conditionis in contractu, ita ut contrahens uno, eodemque actu feratur simul in substantiam, & qualitatem: nec aliud desumi potest ex verbis Pontij, nam hic, dum loco supra citato asserit, invalidum fore tale Matrimonium, assertionis suæ rationem hisce verbis

bis adstruit: *est enim ille consensus virtualis conditionalis, unde si quis contraheret cum aliqua, quia existimabat divitem esse, vel nobilem, vel honestam, vel virginem, ita ut his qualitatibus ducatur ad contrahendum, & his innitatur expressè, aliter non contracturus, in quo casu talis consensus dependet ab ea circumstantia, & illam habet pro conditione assensûs, invalidum erit Matrimonium, si dives non sit, aut nobilis, aut honesta, aut virgo, in foro quidem conscientiæ, si ita res se habet, atq; etiam in exteriori foro, si probari poterit.*

9. Nunc igitur, ut ad præsentem casum propius accedamus, videri potest, fuisse validum hoc Matrimonium, quia error fuit in sola qualitate, nec redundavit in ipsam personam juxta id, quod docet Coninck disp. 31. dub. 1. n. 17. quando dubium est, an falsa narratio inducat errorem personæ, attendendum esse, an falsam hanc asseverationem præcesserit aliqua cognitio personæ, hoc enim casu, ait, errorem consistere in sola qualitate, idque illustrat exemplo: *Petrus incidit in aliquam personam sibi incognitam, agit aliquantulum cum ea, postea rogat, quænam sit, falsóque dicitur ei, esse filiam unicam talis Ducis; deinde eam ducit uxorem; est solùm error qualitatis, & Matrimonium valet, quia determinatur ad concipiendam certam personam ex priore conversatione, & per eam narrationem non determinatur, eam esse aliam ab ea, quacum egit, sed ut putet, ei talem qualitatem convenire. Excipe casum, quo filia talis Ducis per famam ei priùs esset singulariter nota, tunc enim per eam narrationem determinaretur, ut hanc in particulari sibi ducendam proponeret:* quibus omnino similia habet Laym *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 2.* Atqui in casu nostro Lupacio locuta est sæpiùs Hermilla, & per hanc collocutionem acquisivit cognitionem sufficientem ipsius personæ, proinde si erravit, error non fuit circa individuum, sed fuit decepta in sola qualitate, & accidentibus hujus personæ, qualis error juxta dicta non irritat Matrimonium, imò nec quidem sufficit ad divortium quoad torum post Matrimonium semel initum. Sanch. *l. c. n.* 20. ergo &c.

10. His tamen non obstantibus, quamvis error qualitatis in suo genere Matrimonium non vitiet, adhuc censeo, fuisse hoc conjugium invalidum, quia hic error non stetit solùm in qualitate, sed redundavit in personam, & ex parte Hermillæ causavit defectum consensûs; quod ostendo ex circumstantijs. Virgo erat honestæ familiæ, & opulenta; morata est extra patriam, de nuptijs nec quidem cogitans, acquisivit postea notitiam Lupacij, nec statim arsit cæco amore erga illum, neque præcipitanter consensit in nuptias, sed postquam intellexit ex ipso, & testibus, virum esse in dignitate militari constitutum, filium divitis mercatoris, cum quo etiam extra militiam

tiam vitam statui suo convenientem victura esset, quod rursus testabatur scheda fictitia baptismalis, & affirmabant subornati testes; cum hoc quia patria ipsi communis fuit, vel certè ab ipso non remota, potuit hujus familiæ habere aliquam notitiam, atque ita moveri ad consensum, quòd cognosceret, hoc Matrimonium sibi, suisque prolibus, si quas in eo generaret, honoratum, & utile fore, tum ob mariti dignitatem, tum quia dives ipsa nubens diviti meliùs provideret futuris hæredibus: ferebatur ergo ipsius intentio non in personam secundùm se, sed quatenus ea erat affecta his qualitatibus, hæque ad istum finem, quem intendebat, futuræ essent medium, aliter nequaquam contractura, ac consequenter cùm reperisset omnia contraria, actus ipsius censendus est involuntarius, & habitâ notitiâ redditur nullus. Ita in rem nostram decidit Valerius Reginaldus in praxi fori pœnit. L. 31. c 14. n. 94. his verbis: *Quòd si è contrariò consensus primò, ac directè feratur in personam, quæ tales habeat qualitates, & consequenter in particulari in hanc, v. g. primogenitum Petri, putatum divitem; & nobilem, cùm talis non sit, error est qualitatis, involvens errorem personæ, quia deficientibus tunc qualitatibus, sub quibus persona intendebatur, consequenter deficit persona, sicq; Matrimonium est invalidum*; nec aliud dicunt Layman, & Coninck supra citati, si verba ipsorum bene perpendantur.

Confirmatur, quia error vilitatis, &, ut ita dicam, plebeitatis, dum vir creditur valde nobilis, cùm sit plebeius, multùm accedit ad errorem servilis conditionis, ut docet Navarr. *Consil.* 3. *De Sponsal. n.* 3. atqui major vilitas vix esse potest in aliquo statu, quàm carnificis, utpote qui propter abjectam vitæ conditionem jam olim quoque apud Romanos nec quidem domicilium in Vrbe habere poterant, ut ex Polleto, & Hothom. docet Eman. Gonzalez *in c. Significante. 69. De Appellat.* & ad hoc munus obeundum propter publicam vilitatem homo liber cogi non potest, nisi & ipse vilis persona sit. Bart. *in L fin. §. Titius. n.* 3 *ff. De Pignor. Act.* Iulius Clarus *in Practic. Crimin. q. 99. n. 4.* cùm igitur error conditionis servilis nullum, & invalidum reddat Matrimonium *c. 2. & fin. De Coniug. servor.* invalidum quoque reddet vilitas tam enormis.

Accedit, quòd in casu à nostro non absimili, in quo sponsa substituto alienæ familiæ cognomine, & parentibus à suis diversis, quos nobiles esse mentiebatur, ac divites, cùm procreata esset ex ignobilibus, persona vilis, & pauper, consultus Augustinus Barbosa, commissâ sibi causâ ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Nuncio, pro invaliditate illius coniugij judicaverit, ut

videre

videre est apud ipsum *in Votis decisivis L. 2. Voto 19. n. 81.* ubi ob similes fraudes, dolos, & errores intervenientes, ac suspectos testes in causa simili id ipsum fuisse decisum affirmat à S. Rota coram R. P. D. Buratto in Toletana prætensi Matrimonij. 11. Iunij 1622.

11. His ita stabilitis pro coronide proponenda est quæstio, An Coniuges, quorum Matrimonium nullum est ob intervenientem errorem, aliudvè occultum impedimentum, si nihilominus convivere sibi velint ut conjuges, jam ultrò consentientes in id, in quo antecedenter errantes, errore substantiam contractûs vitiante, invalidè contraxerant, contrahere de novo debeant in facie Ecclesiæ, an verò sufficiat, ut hoc privatim fiat?

℟. Posse ipsos contractum hunc revalidare privatim sine præsentia Parochi, & testium, si prius Matrimonium fuit consueto, & præscripto modo in facie Ecclesiæ celebratum. Ita Navarr. *in Manual. c. 22. n. 70.* ubi testatur, hoc declarâsse Pium V. & S. Pœnitentiariæ prætorium hac declaratione frequenter uti. Gobat *tr. 9. cas. 4. in appendice ad num. 129. litt. l. & in Quinario tr. 5. c. 37. n. 137.* Quòd si tamen istud impedimentum esset publicum, aut periculum, ne detegatur, coram Parocho, & testibus denuo contrahendum foret, ut docent Sanch. *L. 2. disp. 37. n. 11.* Perez *disp. 39. de Matrim. Sect. 4. n. 6.* sed de hoc plura alibi ex instituto.

CASUS

§. II.

CONDITIO.

CASUS

Servitutis impropria.

Britta puella rusticana, sed ingenua, nupsit Fulconi alterius pagi juveni. Post nuptias intelligit, hunc suum maritum servitute originariâ obstrictum esse Toparchæ illius loci; vociferatur igitur, se deceptam, ac protestatur contra Matrimonium, se liberam, & sui juris nubere voluisse homini libero; & ingenuo, at virum sibi oblatum esse, qui sit mancipium, proinde contractum non subsistere.

Q. An aliquem effectum habeant istæ querelæ ad irritandum Matrimonium?

SYNOPSIS.

1. *Quo sensu hîc accipiatur vocabulum* conditio?
2. *Quale discrimen intercedat inter servos antiqui, & moderni temporis?*

3. *Servus,*

3. *Servus, & ancilla propriè dicti licitè, & validè inter se contrahunt Matrimonium, etiam inscio, & invito Domino.*

4. *Argumenta, quæ huic doctrinæ opponi possunt, explicantur, & dissolvuntur.*

5. *Eodem modo validè, & licitè potest liber ducere servam, cognitâ ejus servitute, non tamen evitat irregularitatem.*

6. *Irritum verò, ac nullum est Matrimonium illius, idque probabiliùs ex solo Jure Ecclesiastico, qui contraxit cum ignorantia conditionis servilis.*

7. *An debeat probare hanc ignorantiam, si Matrimonium dissolvi petat?*

8. *Ostenditur pro decisione casûs contra Paludanum, ignorantiam servitutis adscriptitiæ, & originariæ non obesse valori Matrimonij.*

1. QUamvis Gregorius de Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 5. pu. 3.* & alij quidam arbitentur, per vocabulum *Conditio* in versibus supra allatis secundo loco positum intelligi etiam casum, in quo non adest, vel adimpletur conditio, sub qua, & cum qua contractum est Matrimonium, quod inter impedimenta conjugium dirimentia hoc loco accipiunt etiam Constitutiones Synodales Diœcesis Constantiensis *p. 1. Tit. 16. n. 15* ubi istud vocabulum *Conditio* hoc modo explicant apud Gobat tr. 9. *n. 135. secundò impedit, & dissolvit Matrimonium conditio honesta, & possibilis Matrimonio adjecta, nec adimpleta: turpes, & impossibiles conditiones in favorem Matrimonij pro non adjectis censentur*; tamen plerique alij Theologi, dum hoc impedimentum examinant, intelligunt per vocem *conditio* errorem, qui consistit in conditione servili, unde de hac nobis agendum est, cùm præsertim de conditionibus, quæ Matrimoniali contractui aliquando apponuntur, abundè jam dixerimus *p. 2 sect. 1. §. 2. q. 2. n. 7. & seqq.* & *§. 3 q. 1. n. 2.* ac denique *p. 1. cas. ult. De sponsal. conditionat.*

Igitur Impedimentum conditionis est conditio servilis ignorata, dum homo liber, & ingenuus intendens contra-

contrahere Matrimonium, volensque, & putans, se ducere personam liberam, & ingenuam, revera ducit servam, sive mancipium.

2. Cæterùm Servorum conditio multùm diversa est hodie, quàm olim fuerat, nec ita dura, & rigorosa, sed moderatissima, & quæ hoc nomen non nisi impropriè, & amplo sensu participat. Servi propriè, & strictè dicti antiquitùs fiebant tales, tum qui in bello justo, ac publicè indicto capti sunt, & capientis dominio subjecti, unde solebant quoque appellari mancipia, ceu dicerentur manu capti: §. *Servi. Instit. De Iure personar.* tum qui ex Matre servilis conditionis prognati sunt. §. *cit.* & *L. Partum. C. De rei vindic.* tum denique qui viginti annis majores, scientes, prudentesque ad participandum pretium se venundari passi sunt. §. 4. *Instit. De Iure personar.* & *L. 1. ff.* & *C. Quibus ad libert. proclam. non liceat.* Alias adhuc servorum species enumerat Besoldus *L. 1. Politic. c. 10. De tribus domest. Societ. speciebus*, ac Tholosanus *in Syntagmate Iuris L. 14. c. 3. n. 2.* Et quidem istorum servorum conditio olim miserabilis erat, nam quidquid acquirebant, Dominis acquirebant, poterant pro libitu vendi, quin & impunè occidi à Dominis. *L. 1. ff. §. 1. De His, qui sui, vel alieni juris sunt*, quæ tamen Dominorum in servos suos licentia, & excessiva potestas plurimùm deinde imminuta fuit ex constitutione Antonini Imperatoris, ut constat ex *cit. L.* pluribusque alijs Juris textibus, adeò, ut si quis Dominus servum occidisset, vel ita asperè tractâsset, ut ex immoderata castigatione mortuus fuerit, homicidij reus efficeretur. *L. 1. C. De Emendat. Servor.* quin imò omnis asperior castigatio eis penitus adempta fuit, & permissa tantummodo moderata, cogebanturque Domini, si de illata servis injuria, & nimia sævitia constitisset, eosdem alijs vendere. *L. 2. ff. De His, qui sui &c. §. ult. Instit. eod. tit. L. 1. §. Quod autem. ff. De Offic. Præf. Urb.* de quibus ulteriùs videri possunt præter citatos AA. Molina *tr. 2. de Iust. disp. 38.* Zoësius *in L. 1. ff. tit. De his, qui sui, vel alieni &c.* Gonzalez *in c. fin. De Conjug. Servor.* Hujusmodi servitutem propriè dictam nescit ætas nostra, nisi quòd ferè soli Hispani, & Lusitani veros adhuc etiam hodie servos habeant ex India, & Africa allatos; sed horum quoque conditionem Religio Christiana mitigavit, ut ista asperitas in ipsos non exerceatur; Quia tamen omni servitute carere non possumus, datur etiamnum hoc tempore aliquod illius vestigium, sed quod propriæ servitutis vixdum imaginem retineat; habemus nempe servos, quos impropria vocis usurpatione tales nominamus, quos aliàs etiam *homines proprios* vocamus, & in lingua nostra vernacula Leibeygne/ qui, quia glebæ, seu fundo colendo perpetuò adscripti sunt, *Adscriptitij*, &

& qui ex ipsis nati sunt, *Servi Originarij* solent appellari. In prima servitute propriè, ac strictè dicta impedimentum Matrimonij dirimens agnoscunt communiter Doctores, non item in secunda minùs propria; quia verò in hac posteriore servitute casus noster versatur, de utraque dicendum est, ac primò quidem de servitute strictè tali, deinceps verò indagandum, an de secunda quoque impropriè accepta dubium aliquod moveri possit?

3. Igitur inprimis certum est apud omnes, quantumvis olim per leges civiles inter servos, & ancillas nullum esse potuerit Matrimonium, utpote quod non conjugium, sed *contubernium* tantùm nominabatur, & nati ex eo liberi non pro legitimis, sed naturalibus habebantur, *L. Adoptivus. §. Idem tamen. ff. De Ritu nupt. L. Cum ancillis, C. De Incestis nupt. L. Vxorem. §. Codicillis ff. De Legatis 3.* in Jure tamen Divino, ac naturali, ubi servi & liberi non inveniuntur, delectu personarum insuper habito, Jus Matrimonij semper omnibus patuisse, atque ideo etiam vi Juris Canonici, quod non considerat statum fortunæ hominum, sed naturæ, quodque in causis Matrimonialibus prævalet, ac præ Civili Jure attendendum est, Matrimonium inter Servos validè, licereque contrahitur, etiam inscijs, & invitis Dominis. Sanch. *L. 7. de Matr. disp. 21. n. 3.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 5. §. 2. n. 1. & seqq.* Pirh. *n. 2. De Conjug. Servor.* Wiestner *n. 4. & seqq. eod.* Gonzalez, Engl, Perez, & passim tam Theologi, quàm Canonistæ omnes. Patet hoc manifestè ex c. 1. De Conjug. Servor. *nec inter Servos Matrimonia debent ullatenus prohiberi, & si contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.* Idem habetur *c. Omnibus. 29. q. 2.* Et ratio hujus est, quia, ut diximus, Matrimonium jure naturæ, & Divino concessum est homini in remedium concupiscentiæ. ut vitarentur fornicationes, & alia flagitia carnis, & ob bonum publicum ad propagationem generis humani: hoc autem jus non potest servis auferri à suis Dominis, jus enim naturæ prævalet juri cujusvis individui: igitur quoad hoc servi non sunt subjecti Dominis, quippe Jus Gentium, quod servitutem introduxit, non nisi salvo jure naturali, & Divino, potestatem in Servum Domino dedit. Barbosa *in c. 1. De Conjug. Servor. n. 2.* graviterque peccaret Dominus contra justitiam juxta Sanch. *l. c. n. 5. & seqq.* cum alijs, impediendo positivè Servos, ne Matrimonium ineant, aut propter illud se inscio, aut invito initum eos graviter puniendo, ac duriùs tractando, nam hic utitur suo jure: rectè nihilominus advertunt Coninck *disp. 31. dub. 2. n. 32.* & Perez *disp. 25. de Matr. Sect. 6. n 6.* exigere debitam reverentiam, ut servi Dominorum

consensum potant, quia sæpè istorum multùm interest, ut servi cum hac, vel illa contrahant, nam durum illis accideret, si ipsis inconsultis contraherent cum aliqua, quæ sibi valde ingrata foret, & multas molestias paritura; nisi tamen meritò timere possint servi, Matrimonium malitiosè impediendum à suo Domino, quo casu opus non est, illius consensum petere, vel expectare. Præterea etiam post initum conjugium sive consentiente, sive invito Domino, tenetur Servus æquè ad consueta servitia, ac si conjugatus non esset, ut expressè additur in *cit. c. 1. De Conjug. Servor. ad finem*, quia per Matrimonium servus solùm se obligavit conjugi ad conjugalem usum, quantùm id fieri potest absque præjudicio Domini, cujus servus est, aliàs Matrimonium in hujus damnum cederet; hic verò obligatur, nisi gravis utilitas, aut necessitas aliud postulet, ne servum ab usu Matrimonij diu impediat, quia id esset saltem contra charitatem, imò contra justitiam, cùm ad moderatum conjugij usum ipsi jus competat. Palao *l. c. n. 5.* Engl *n. 4. De Conjug. Servor.*

4. Dictis non obstat, quod aliqui opponunt in contrarium. 1. ex c. fin. caus. 29. q. 2. ubi in Concilio Cabilonensi secundo, quod celebratum est Anno Christi 813. sub Pontificatu Leonis III. Imperium moderante Carolo Magno, decretum est, conjugia servorum solvenda non esse, sed in fine additur: *& hoc in illis observandum est, ubi legalis* (id est, legitima, ut Glossa loquitur V. legalis) *conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum*: ergo à sensu contrario ubi inscio, vel invito Domino contrahuntur, dirimenda sunt. 2. Nequit Servus ad Ordines, aut Religionem transire absque licentia Domini *c. Si quis Servum 37. & 38. caus. 17. q. 4. c. Nulli. dist. 54. & c. Servorum, De Servis non ordinand.* ergo neque ad Matrimonium.

℟. Ad 1. Cabilonense Concilium Provinciale est, qualia extra suam provinciam non extenduntur, ut docent Canonistæ communiter cum Vallensi *in Proœmio §. 10. De Concilijs. n. 10.* nisi illorum Canones, & Decreta Apostolicæ Sedis authoritate pro tota Ecclesia recepta sint, & approbata, cujusmodi multa in can. 1. dist. 20. recepta, & approbata legimus à Leone IV. inter quæ tamen Cabilonense non reperitur; nec refert, quòd sit insertum Decreto Gratiani, namque Decretum Gratiani authoritatem juris non habet, nisi quatenus in eo comprehensa ad suos fontes, & origines revocantur, ut probabilior Canonistarum doctrina est, unde citata ex Gratiano volumine Conciliorum particularium decreta vim legis non obtinent, nisi pro tota Ecclesia approbatio Apostolica accesserit. Deinde esto, vim legis haberet dictus

ctus Canon, necdum ex eo probaretur intentum, nam textus ipsius juxta Glossam passim à DD. receptam implendus est per particulam *maximè*, ut sensus sit, nunquam ea Matrimonia dirimenda esse, præsertim quando cum Dominorum consensu contracta sunt, ita enim V. *Voluntatem* loquitur Glossa: *maximè, quia etiam ejs invitis potest contrahi Matrimonium.*

Ad 2. Magna est disparitas, quia per Ordines, & Religionem homo pro toto vitæ suæ tempore Deo, & Divinis obsequijs mancipatur, per quod à servitijs Domino exhibendis magis impeditur, quam per Matrimonium, quo inito, solita obsequia illi præstare servus potest, & debet, ut patet ex *c. 1. De conjug. servor.* supra cit.

5. Nec minùs validum, licitumque est Matrimonium, quod contrahit liber, sive vir, sive fæmina cum ancilla, vel servo, si huius conditionem servilem non ignorat. Ita rursus Sanchez *L. 7. disp. 18 n. 13.* Perez *l. c. Sect 3.* Palao &c. idque decisum est à Zacharia Papa *can. Si quis liber. 29. q. 2.* idemque habetur *c. Si quis ingenuus. c. Fæmina ibid, & c. Proposuit. De conjug. servor.* per quæ corrigitur Jus Civile, quod *L. cum ancillis. C. De Incestis nuptijs* decernit, nullum esse Matrimonium inter liberum, & servam. Et ratio est manifesta, quia ex certa scientia consentiendo vir ingenuus in ancillam juri suo volens cedit, nec potest meritò conqueri de aliqua sibi facta injuria, cum scienti, & consentienti nulla fiat injuria: validum ergo est huiusmodi Matrimonium. Sed & licitum esse, ex eo constat, quòd textus ullus ostendi nequeat, quo istud prohibeatur: nullum ergo peccatum committit liber, qui ducit ancillam uxorem, quidquid in contrarium dicat Sotus *4. dist. 35. q. unic. a. 1. colum. 3.* ubi ait, liberum, si absque aliqua causa vel urgente, vel valde commoda ancillam sibi in Matrimonium adjungat, non posse à culpa excusari, licèt ex genere suo non sit culpa mortalis, nisi gravibus circumstantijs, aut scandalo augeatur. Illud tamen fatendum est, etsi non peccet, qui ancillam ducit, fieri nihilominus irregularem ex *c. Si quis viduam. dist. 34.* quia ob hoc conjugium inter viles, & infames numeratur, quòd cum persona vili tam arctum commercium contraxerit. Tamb, *tr. 4. De irregular. c. 10. §. 2. n. 26.* Sanch. Palao *ll. cc.*

6. Ex adverso nullum est, atque irritum Matrimonium, si liber cum ancilla contrahat, aut libera cum servo, ignorans conditionem servilem, sive nesciens, personam, cum qua contrahit, esse mancipium, sed putans esse liberam. Ita communis. Deciditur hoc expressè *in c. 2. 3. & ult. De conjug. servor.* Ratio est, quia licèt hic error non versetur

versetur circa personam, ac substantiam Matrimonij, sed circa qualitatem, tamen non parùm adversatur tribus conjugij bonis; & quidem bono Sacramenti, ac individuæ vitæ societati, & cohabitationi conjugum, quia servus debet in domo Domini habitare, & in illius servitijs detinetur: potest ab eo mitti in partes remotas, vendi &c. Adversatur etiam bono fidei conjugalis, quia non potest pro libitu reddere debitum conjugi, sed solùm quatenus Domini servitia id permittunt, postquam nempe satisfecerit obsequijs, in quibus à Domino occupatur, sicque ipsi ad hoc vacaverit. Denique adversatur bono prolis, quia non poterit eam commodè alere, nam servus, qui est in potestate alterius, nihil suum habere potest, & quidquid acquirit, Domino acquirit. §. *Item vobis. Instit. Per quas personas cuique acquir.* nec poterit proles ab eo commodè educari, si Matrimonium contraxit cum serva, quia etiam quando liber ancillam duxit uxorem, quod ex ancilla nascitur, servus nascitur, proinde ad Dominum spectat, cuius serva est mater, nam quoad conditionem servilem partus sequitur ventrem, seu conditionem matris. *L. Partum. C. De rei vindicat.* Etiamsi pater ingenuus sit: cùm igitur error conditionis servilis, quantumvis consistat in qualitate, ex tot capitibus fini Matrimonij usque adeò repugnet, ut vix non videatur ipsam substantiam aliquo modo attingere, cùmque insuper nimia inter personas contrahentes inæqualitat sit, siquidem ea, quæ libera est, plenam sui corporis potestatem concedit mancipio, at, quæ mancipium est, nequit vicissim sui corporis absolutam potestatem tradere alteri, eò quòd ratione servitutis sæpè impediatur, ne debitum conjugi volenti reddat, propter quam inæqualitatem statûs præsumi nequit sufficiens consensus in conjugium. Hinc error, vel ignorantia servilis conditionis meritò agnoscitur esse impedimentum Matrimonij dirimens, atque id juxta multos jure naturali, communior tamen cum Palao, Sanch. Coninck, Tannero, Pirhing &c. alijsque pluribus tradit, quamvis juri naturali valde sit consentaneum, ut iste error Matrimonium dirimat, probabiliùs tamen ex solo jure Ecclesiastico impedimentum hoc inductum esse, quia si ex natura servitus obstaret Matrimonio, non solùm ignorata, sed etiam cognita illud irritum redderet: non igitur à jure naturæ, sed ab Ecclesia inductum est hoc impedimentum ob nimiam contractûs inæqualitatem, & ut indemnis servaretur liber, qui nesciens alterius conditionem servilem cum ignorantia contraxit.

7. Hinc verò oritur dubium, an liber, qui contractum cum simili error

errore cum Serva Matrimonium dissolvi postulat, ignorantiam, quam allegat, probare teneatur?

Affirmat Henriq. absolutè *L. 11. c. 10. n. 5.* liberum obligatum esse probare ignorantiam conditionis servilis, aliàs præsumendum esse, scienter contraxisse; cui addi potest Mascardus *De probat. volum. 2. conclus. 880. n. 39.* ubi dicit, quòd, si quis allegat ignorantiam pro fundamento suæ intentionis, debeat ipse eam probare, & vol. 3. conclus. 1306. n. 2. ait: *qui servitutem allegat, illam probare debet*, hujusque assertionis præcipua authoritas desumi potest ex c. fin. De Conjug. Servor. ubi ita habetur: *Mandamus, quatenus si constiterit, quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla &c. contrahendi cum alia liberam ipsi concedas authoritate Apostolica facultatem:* ergo incubuit militi probare suam ignorantiam, si quidem quòusque de ejus ignorantia non constitit, mansit ancilla in possessione Matrimonij.

Verùm dicendum sub aliqua distinctione cum Sanchez *L. 7. disp. 19. n. 8.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 5. §. 1. n. 8.* Wielner *n. 19. De conjug. Servor.* & Pirh. *n. 13. not. 4. eod. tit.* quando servilis conditio alterius in loco, & tempore contracti Matrimonij communiter nota fuit, tunc enimverò competere onus probandi ignorantiam eam alleganti, quia tunc præsumitur liber habuisse notitiam servitutis alterius, cùm semper quis præsumatur habere scientiam illorum, quæ communiter nota sunt. *c. 1. De Postulat. Prælat.* Quòd si verò servilis conditio alterius partis communiter nota non fuit, tunc sanè non homini libero, qui servitutem conjugis se ignorâsse asserit, hæc ignorantia probanda est, sed alteri parti potiùs incumbit probare, conjugi libero non defuisse notitiam suæ conditionis, sive servitutis. Ratio est, quia cùm Jure ipso irritum sit Matrimonium liberi cum ancilla ob inæqualitatem contrahentium, hanc inæqualitatem allegans, habet suam intentionem de nullitate Matrimonij in ipsa lege fundatam, à qua removeri nequit, nisi probetur, liberè, & cum scientia illius inæqualitatis contraxisse: ergo non ipsi, sed ancillæ, valorem Matrimonij procuranti, competit onus probandi, cùm etiam juxta *Reg. Iur. 47. in 6.* ea, quæ non in jure, sed in facto alieno consistunt, in dubio quis præsumatur ignorare, nisi ejus scientiam habuisse probetur. Hæc dicta sufficiant de servitute propriè accepta; plura non addo, cùm inter Christianos moderno tempore, præsertim in nostris partibus, hæc servitus in usu ampliùs non sit: libuit tamen ista adducere, ne materiam hujus impedimenti intactam præterirem; ampliorem illius notitiam habere poterit, qui volet legere P. Sanchez, Perez, & Dicastillo, qui omnes hac de re fusissimè, & propè ad fastidium usque disputant.

8. Nunc

8. Nunc verò post explicatam Servitutum strictè sumptam, cujus conditionis ignorantia impedimentum dirimens inducit, investigandum est, an idem pariter eveniat in Servitute minùs rigorosa, & impropria, qualem adhuc penes nos vigere diximus in Servis Adscriptitijs, & Originarijs?

Negativam tenet communis omnium Sententia. Dubium nihilominus moveri potest ex *Authent. Ad hoc. C. De Latina libertate*, & *Novell.* 22. *c.* 17. ubi Jus Civile non permittit Matrimonium liberæ cum Adscriptitio alieno, & tale Matrimonium pronunciat nullum, & irritum. Accedit Glossa *in c. fin.* 29. *q.* 2. *in Summa*; hæc enim, relata opinione asserentium, valere Matrimonium Liberæ cum Adscriptitio, ait, Leges contradicere, atque ita videtur sentire, Legibus contrarium decidentibus standum esse. Denique in negativam quoque inclinat Paludanus 4. *dist.* 36. *q.* 1. *art.* 2. putans, Matrimonium non valere, ubi est error adscriptitiæ, vel Originariæ conditionis. Fundamenta illius sunt, quia licèt servitus Adscriptitia, & Originaria tanta non sit, quanta est, quæ Jure Civili inducta est, cùm ei subjectus vendi nequeat, talis nihilominus est, ut repugnet Matrimonij bonis, namque est contra bonum educandæ prolis, utpote quæ non erit Patrimonij paterni hæres, sed occupabit Fiscus vel totum, vel saltem magnam partem; nec erit eadem habilis ad Ordines, aut vitam Religiosam, à quibus arcetur non minùs, quàm veri servi: repugnat denique mutuæ cohabitationi, quia est adscriptus glebæ: unde si v. g. maritus sit liber, velitque ire in alias partes, non poterit ipsum sequi uxor, quæ serva est adscriptitia. ergo decipitur æquè graviter contrahens cum serva Adscriptitia, cujus conditionem ignorat, quàm qui duxit ex simili ignorantia Servam propriè dictam, ac consequenter eodem modo utrobique dirimitur Matrimonium.

Verùm hæ rationes, & textus tanti momenti non sunt, ut eapropter communem, & certam Sententiam deserere nos oporteat. In primis enim textus è Jure allatus non solùm pugnat contra Matrimonium, quod libera contraxit cum Servo Adscriptitio, ignorans hujus servitutem, sed absolutè, etiam quando cognita fuit Servilis conditio. Quidquid autem circa hoc statuat Jus Civile, in causa Matrimonij non istud, sed Jus Canonicum regula est, quocirca rectè loquitur Brunnemannus in cit. Tit. C. De Latina libertate n. 9. & 10 *Adscriptitius nec sciente Domino, nec ignorante, cum libera contrahere Matrimonium potest: at Iure Canonico error conditionis adscriptitiæ non nocet*, per quod etiam corruit, quod ait Glossa: Nec major est efficacia in rationibus Paludani: nam esto, in hac quoque impropria Servitute effectus aliqui Servitutis

vitutis reperiantur, eaque bono prolis aliquantulum adversetur, melius tamen est proli, etiam sic esse, quàm omnino non esse. Absolutè verò negatur, quod Paludanus asserit, principale, quod spectatur in Matrimonio, esse bonum prolis, ita ut si hoc aliquo modo lædatur, invalidum sit conjugium, nam ad conjugij valorem id solùm attendendum est, ut liberè possit exigi, & reddi debitum, quod sine ullo obstaculo agere possunt Adscriptij, atque Originarij: ut verò proles habilis sit ad Ordines, aut Monasticam vitam assumendam, ad Matrimonij validitatem non requiritur.

Dicendum itaque, validè contrahi Matrimonium à libero cum serva Adscriptitia, vel Originaria, & vicissim à libera cum tali servo, neque obstare ullatenus ignorantiam huius conditionis; cuius ratio est, quòd Ecclesia non irritaverit Matrimonium ex cujuscunque conditionis errore, sed solius servilis, ut constat ex textibus Juris *n. 6* citatis: at servi Adscriptij sunt verè liberi, nec enim à Dominis vendi possunt, nec ipsum, sed agrum, ad quemcunque deveniat, sequuntur; possidere possunt etiam propria bona, commercia exercere, & quæ lucrantur suo labore, & industriâ, non Domino, sed sibi lucrantur; nec repelluntur à legitimis actibus, puta, à ferendo testimonio, quamquam majore aliqua obligatione, quàm cæteri subditi, Dominis obstricti sint, & in hoc aliquam speciem servitutis gerant, quòd suis Dominis personaliter obligentur ad certas operas, & obsequia præstanda, veluti ad colendos agros, vel prædia, ad arandum, serendum, triturandum, vehenda ligna, aliaque similia, quæ vulgari vocabulo Pflug- & Frohndienste appellamus; nec possint insuper sine Domini voluntate possessiones deserere, & à colendo fundo recedere, ac aliò commigrare, nisi vel gratis obtineant hanc licentiam, vel, persoluto redemptionis pretio, omnimodam libertatem consequantur: cùm igitur hæc subjectio à propria servitute nimium quantùm differat, impedimentum erroris circa conditionem servilem ad hanc impropriè dictam servitutem extendendum non est, & consequenter in casu nostro querelæ Brittæ, si alia pro nullitate sui Matrimonij non adducat, attendendæ non sunt.

§. III.

VIS, seu METUS.

CASUS PRIMUS

Sponsæ ex metu in nuptias consentientis.

Oringa divitis rustici filia, aliàs bonæ famæ, post liberaliorem compotationem impregnata à viro, cui nubere non poterat, prolem peperit. Propinqui, præcipuè frater, qui bona paterna loco decrepiti Patris administrabat, & affinis ejusdem, qui alteram sororem habebat in conjugio, probrum, quod in totam familiam redundaret, detestati, ut proli, & Matri consulerent, Torello juveni è suo famulatu persuadent, ut ipse se prolis istius patrem nominaret, paratum ducere defloratam: sed hunc aversabatur Oringa, & omni modo repugnabat. Instabant ex altera parte frater, & affinis, extrema omnia minitati, nisi annueret, se eam, negata penitus omni dote, è patrijs ædibus exturbaturos, nec destituros ab ea divexanda, & executione suarum minarum, donec in oblatum conjugium consentiret; quæ cantilena cùm miseræ in dies recantaretur, omnisque insuper fugæ occasio esset interclusa ob hybernantes circumquaque milites, & hyemalis temporis acre frigus, adeò ut in itinere & prolis, & propriæ

proprlæ vitæ subitura fuisset periculum, viribus à puerperio necdum bene firmatis, tandem tot pressa angustijs, paratam se ostendit, ipsorum voluntati obsequi, sicque adacta est ad celebranda Sponsalia cum obtruso sibi Torello in domo Parochiana. Quo animo esset ad ista, ex eo patuit, quòd, cùm à Parocho moneretur, ut, quæ actura esset, bene perpenderet; vinculum induci Matrimonio, quod sola morte solveretur, aliud ipsa non responderit, quàm, si liberum mihi foret, nunquam sanè induerem istud vinculum; nec aliter locuta est vicino cuipiam sub vesperum nuptias præcedentem, his verbis inter copiosè defluentes lacrimas: mi Deus! cras ibo ad nuptias; mallem educi ad supplicium, idemque repetijt ipso nuptiarum die, cùm missâ è suo pago fœminâ interrogaret Sponsus, an hodie comparitura esset? nunc enim vacare Parocho, cæteris diebus alijs sacris occupato. Utinam! respondit Oringa, hodie quoque, & deinceps semper occupatus esset alijs sacris, ut nunquam posset nos jungere in Matrimonium. quæ omnia testibus probata sunt: à nuptijs verò sic contractis nunquam deinceps adduci potuit, ut inviso sibi conjugi cohabitaret, verùm desertâ denique paternâ domo, ipso adhuc brumali tempore, aufugit cum infante, etsi aliàs legitimam mille florenorum sperare potuisset, abijtque mendicatum, non sine valetudinis suæ, & prolis periculo.

Accedit, quòd ante celebrata Sponsalia cum obtruso sibi Sponso pactum iniverit his ferè verbis: Torelle, quandoquidem me ita arctatis, ut nuptias evadere haud valeam, debes mihi datâ manu promittere, quòd à me debitum conjugale nunquam velis exigere, nec ego reddere teneat, quod ipse datâ manu promisit, idque factum libens fatetur.

Q. An validum sit hoc Matrimonium?

SYNOPSIS.

1. *Quid hîc intelligatur propriè per impedimentum* Vis ?
2. *Quid sit metus, & quotuplex? Vt is invalidet Matrimonium, certæ conditionis requiruntur.*
3. *Prima est, ut sit metus gravis, saltem respectivè.*
4. *Secunda, & tertia conditio est, ut incutiatur injustè à causa extrinseca libera, & quidem in ordine ad extorquendum Matrimonium.*
5. *Cum tali metu contractum Matrimonium est ipso Jure nullum.*
6. *Oritur hæc invaliditas juxta multos ex Jure naturali, sed probabilius est, conjugium ex metu initum irritari solo Jure Ecclesiastico.*
7. *Perinde autem est, an metus incutiatur ab altero è contrahentibus, an verò à tertia persona, etiam ad ducendam aliquam indeterminatam è pluribus: imò etiamsi is, cui inijcitur injustus metus, ex sua culpa in hunc inciderit.*
8. *Nec confirmatur hujusmodi Matrimonium adjecto juramento.*
9. *Deciditur nullitas conjugij in præsente casu.*
10. *Etiam spontanea cohabitatio, vel copula conjugalis non poterat in eo ratificare Matrimonium, quamquam ista aliquando sufficiant ad effectum hunc etiam post Tridentinum.*

1. QUod inpostrema parte istius casûs dicitur de pacto, quo liberam se voluit à redditione debiti Oringa, an ex hoc capite invalidum evaserit Matrimonium, non vacat hîc examinare, nam de ejusmodi pactis quid sentiendum sit, & num valori Matrimonij obesse censeantur. jam supra diximus in hac 2. *p. Sect.* 1. §. 2. *q.* 2. *n.* 7. *& seq.* ubi AA. adduximus, qui in utramque partem disputant, & utriusque Sententiæ examinata sunt fundamenta,

ta. Id nunc duntaxat investigabimus, an ratione metûs vitiari potuerit, & irritum reddi conjugium, nam spectat istud ad impedimentum, quod à nobis hoc loco exponendum est.

Dicitur verò impedimentum *vis*, quo nomine non intelligitur in præsenti vis absoluta, quæ violentum simpliciter, & corporalem coactionem dicit, qualis evenit, si Christianus rapiatur, & vi trahatur ad templum Idoli, eidemque ibidem manus violenter corripiantur ad adolendum thus fictitio Deo, cuiusmodi violentum Philosophus 3. Ethic. c. 2. dicit esse, *quod fit ab extrinseco, nullam vim conferente passo*, hoc est, non concurrente, sed repugnante penitus voluntate. Hæc vis in Matrimonio dari nequit, nam hoc contrahitur per consensum, qui est actus voluntatis: ergo simpliciter nequit coactus esse, & involuntarius, quia repugnat absolutè, volitionem aliquam esse in me, & meam voluntatem non esse principium ejus elicitivum: confert igitur vim, & concurrit voluntas ad hanc volitionem, ac consequenter non est ea simpliciter violenta, & penitus involuntaria, aut dicere debebimus, ipsum velle nostrum omnino involuntarium esse. Unde per vim hîc intelligitur vis quæpiam solùm conditionalis, non absoluta, quam patimur, dum aliquid ex metu agimus; hic enim efficit, ut quæ compulsi metu volumus, velimus conditionaliter, & absolutè nolimus, quia scilicet ea solummodo volumus, prout subsunt præsentibus conditionibus, absolutè tamen, & per se considerata odimus, & quia sic eligimus, & agimus voluntariè, quamquam cum aliqua reluctantia, ita ut secluso metu, & ijs sublatis, quæ timentur, voluntas nollet istud agere, id, quod à nobis agitur, simpliciter quidem liberum, & voluntarium nobis esse dicitur, secundùm quid autem involuntarium, de quo Paulus Ictus in L. Si mulier 21. §. Si metu coactus. ff. Quod metûs causâ &c. *Si metu coactus*, inquit, *adij hæreditatem, puto, me hæredem effici, quia, quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui.*

2. Definitur metus ab Ulpiano L. 1. ff. Quod metûs causâ. *Instantis periculi, vel futuri mali mentis trepidatio*, soletque dividi in gravem, & levem, justum, & injustum, intrinsecum, & extrinsecum. Quia autem contractus Matrimonialis voluntarius, atque spontaneus esse debet, hoc est, non vi, vel metu extortus, ac invitus, sed ut uterque conjugum in illum liberè consentiat, idcirco Matrimonium ex metu initum nullum, atque irritum est juxta omnes, si paucos aliquos excipias apud Sanchez *L. 4. disp. 12. n. 16.* qui illud ipso jure validum quidem esse asserunt, sed rescindendum

dum tamen ad instar aliorum contractuum, metu initorum. Verùm hi audiendi non sunt, nam ab omnibus passim reijciuntur, quia contrarium ex clarissimis juris textibus ostendi potest, ut infra palam fiet, idque meritò ita statutum est, cùm nimiùm quantùm adversetur metus tribus illis bonis, quæ in Matrimonio reperiuntur, quæ sunt fides, proles, & Sacramentum; nam 1. ipsi Sacramento adversatur metus, quia hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ fuit facta per liberum, & prorsus voluntarium amorem, idcirco Matrimonium quoque contrahi debet per liberum, & voluntarium consensum, ut signum correspondeat signato. 2. Repugnat metus etiam debitæ generationi prolis, qui est finis Matrimonij, quippe qui vi, seu metu Matrimonium contrahunt, deficiente amore facilè separabuntur, & ad prolis generationem non multùm afficientur. Denique repugnat metus fidei conjugali, quia *quod quis non eligit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit.* can. Præsens. 20, q. 3. unde periculum est, ne tales conjuges fidem violent, & in adulteria labantur. Cæterùm non qualiscunque metus invalidat Matrimonium, sed ut per eum conjugium irritetur, tres in eo adesse debent conditiones.

3. Prima est, ut sit metus gravis, quamquam enim aliqui id etiam affirment de metu levi apud Sanch. *L. 4. disp. 17. n. 2.* communiùs tamen hoc negant AA. etiam pro foro conscientiæ, cùm talis metus non præsumatur abstulisse libertatem, nam modicam, & ferè nullam vim infert, sed talem, quæ facilè superari queat; quare qui eum non depellit, liberè, & perfectè censetur consentire, atque ideo in foro externo metui levi non conceditur actio, nec ulla illius in Jure ratio habetur, ut patet ex *c. Cùm Dilectus, De his, quæ vi, metusvé causâ. L. Metum. 5. & 6 ff. Quod metûs causâ*, & verbis clarissimis id exprimitur in Reg. 184. ff. De Reg. Jur. *Vanitimoris justa excusatio non est.* Dicimus autem metum levem, quando timetur leve tantùm malum v g. incussio colaphi, levis verberatio, reprehensio verbalis, subtractio ciborum &c. aut grave quidem, sed immeritò, ac imprudenter. Econtra gravis metus est, quando timetur malum, quod grave sit vel secundùm se, vel saltem respectu personæ, cui metus incutitur, dummodo tamen non vanè, leviterque, sed probabiliter, ac prudenter credatur, illud malum imminere vel sibi, vel personæ conjunctæ in primo, vel etiam ulteriore gradu, veluti Parentibus, uxori, liberis, fratribus, imò alijs quoque consanguineis, & affinibus, item domesticis, aut alteri personæ arctissimâ amicitiâ connexæ, ut docet Sanch. *L. 4. De Matr. disp. 1.*

n. 10.

n. 10. *& seqq.* & *disp* 4 *per totum*. Timetur autem malum probabiliter iminere, quando is, qui minatur, potest illud inferre, & non vanè creditur minas executurus, tu verò illud non potes faci è depellere, aut vitare; nam si de ipso constat, quòd facilè soleat quidem jactare minas, sed irâ mox depositâ easdem non exequatur, non est, cur magnopere timeri debeat, sic enim censetur minari solùm ad terrorem, sine animo exequendi. *L. Metum. C. De his, quæ vi, metûsve causâ.* Porrò gravia communiter censentur esse mala secundùm se, & absolutè mors, mutilatio, incarceratio diuturna, verberatio gravis, stuprum, infamia, amissio nobilitatis, vel instrumentorum, & scripturarum, quibus ea probari, & defendi possit, amissio bonorum omnium, vel majoris partis Patrimonij, injusta excommunicatio, quæ difficulter tolli queat, hæc, & similia ab omnibus passim, etiam cordatis, secundùm se, & ex genere suo reputantur gravia, dicunturque incutere metum cadentem in virum constantem, sive, ut dicitur in L. Metum. ff. Quod metûs causâ *in hominem constantissimum*, per quod non plus, ut forsitan alicui videri potest, verùm id ipsum significatur, cùm loco positivi accipiatur superlativum, quod in Jure non infrequens est, ut notat Sanch. *L.* 4. *disp.* 1. *n.* 9. & Basil. Pontius *L* 4. *c.* 2. *n.* 5.

Dixi, malum debere esse grave vel secùndùm se, vel saltem *respectu personæ, cui metus incutitur*, multa enim, quæ à viro cordato, & animoso non curantur, ob apprehensionem, ac conditionem personæ alijs accidunt valde gravia, v. g. fœminis, pueris, senibus, vel alijs meticulosis, item valde afflictis; hinc quæ aliquando non sufficiunt, ut viro constanti inijciant timorem, possunt tamen sufficere, ut in similibus personis censeatur adesse metus gravis: unde ut judicemus, sitné gravis, an levis metus, considerare oportet malum, quòd imminere creditur, non solùm secundùm se, sed aliquando attendenda est qualitas personarum, quibus illud imminet, an vir sit, an fœmina, an puer, an adolescens, an senex &c. siquidem negari non potest, mulieres ordinariè timidiores esse viris, & pueros hominibus maturæ ætatis, faciliusque terreri, ac proinde malum, quod non esset sufficiens ad incutiendum gravem metum viro, aut animoso juveni, fore sufficiens puero, vel mulieri, ut latè probat Sanch. *L* 4. *disp.* 3. Palao *tr.* 2. *disp.* 1. *De peccatis pu.* 7. *n.* 9. & Menochius *De Arbitrar. Iud. Lib.* 2. *cent.* 2. *cas* 135. *n.* 4.

4. Altera conditio est, ut metus iste incutiatur à causa extrinseca libera, non verò procedat ab intrinseco, aut causa naturali, v. g. morbo, tempestate, periculo naufragij, feris animalibus, sic enim homo non ab alio, sed à se ipso im-

impulsus, eligit Matrimonium tanquam medium conducens ad suam liberationem, neque tam contrahit ex metu, quàm ex amore sui boni, nec patitur injuriam. Præterea metus, qui inijcitur, debet esse injustus, in quo potissimum consistit secunda conditio, nam, uti modò insinuatum est, ut conjugium nullum sit, debet metus esse injuriosus, cùm nulla lex irritet Matrimonium, nisi quatenus cum injuria conjunctum est.

Tertia denique conditio est, ut metus iste incutiatur in ordine ad extorquendum consensum Matrimonialem, non verò ad alium finem, quia sic non compellitur metum patiens ad Matrimonium ab eo, qui metum infert, cùm hic non petat, neque intendat extorquere Matrimonium, sed impellitur à se ipso, dum sponte eligit conjugium tanquam medium ad se liberandum à periculo corporis intentato ab eo, qui metum intulit. Hæc omnia in casu sequente exemplis elucidabuntur.

5. His prænotatis, certum est, quoties in conjugali contractu adsunt dictæ conditiones, Matrimonium ex metu initum, sive secundùm se, sive respectivè gravis sit, irritum, ac nullum esse in utroque foro. ita communis Theol. & Canonist. ut videre est apud Sanch. *L. 4. disp.* 12. *n.* 18. Coninck *disp.* 28 *dub.* 1. *n* 5. Tannerum *to. 4 disp.* 8. *q.* 3. *dub.* 2. *n.* 20. Perez. *Disp.* 17. *de Matr. Sect.* 10. *n.* 3. Pirhing. *n.* 98. *de sponsal &c.* Deciditur id clarè in jure *c. Cùm locum. De sponsal.* ubi dicitur, consensum non habere locum, ubi metus, vel coactio intercedit, sine consensu autem nequit consistere Matrimonium. *c. Veniens. eod.* & expressissimè *c. Significasti De eo, qui duxit in Matrim.* ubi proponitur casus, quo aliquis metu compulsus duxit uxorem, deinde propria sponte aliud inivit Matrimonium; rogatus igitur Pontifex, quodnam ex istis validum esset? respondit, *Si constiterit, quòd tanta vis eidem illata fuerit, quòd non sponte in primam consenserit, propter hoc non dimittes, quin ad aliam, quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem*, ex quibus verbis manifestè constat, prius Matrimonium ratione metûs injustè illati ad extorquendum illud, fuisse omnino invalidum, atque irritum, aliàs non daretur libera facultas permanendi in posteriore Matrimonio, sed hoc prorsus invalidum esset.

6 Hæc doctrina usque adeò indubitata est Authoribus, ut multi ipsorum conjugia ex tali metu inita tradant ipso jure naturæ nulla, atque irrita esse. Ita præter alios docent Covarruv *p. 2. de sponsal. c.* 3. §. 5. *n.* 6. Gonzalez *in c. Veniens. De sponsal. n.* 5. Barbosa *in votis decisiv L. 1. Voto* 1. *n.* 14. Rebellus *p.* 2. *De obligat.*

gat. Iust. L. 2. q. 11. Sect. 1. conclus. 2. Molina *de Iust. tr. 2. disp. 336. in solut. ad 2.* Basil. Pontius *L. 4. c. 14. n. 4.* Comitolus *L. 1. respons. Moral. q. 122. n. 3. & seqq.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 33.* idque valde probabiliter, & ex rationibus minimè contemnendis. Mihi tamen contrarium videtur probabilius, videlicet Matrimonij metu extorti nullitatem in solum jus Ecclesiasticum immediatè refundendam esse, nam si hæc Matrimonia irrita essent jure naturali, hoc haberetur vel ex defectu consensûs, quòd nempe voluntaria non sint, vel ratione injuriæ, quæ per metum infertur: sed ex neutro capite ostenditur; si quidem quod fit ex metu, simpliciter est voluntarium, licèt sit mixtum cum aliquo involuntario imperfecto, hinc qui ex metu mortis adorat idola, id facit voluntariè, & propterea mortaliter peccat; ergo & Matrimonium tali metu contractum adhuc est voluntarium, ac proinde validum, nisi ab Ecclesia iste consensus fuisset irritatus. Ulteriùs si ex defectu voluntarij Matrimonia metu contracta forent irrita jure naturæ, redderet conjugia irrita etiam metus levis injustus, & gravis justè incussus ad illud extorquendum, denique gravis etiam injustus, sed ex alio fine illatus, quàm ad conjugium extorquendum; imò id ipsum præstaret etiam metus proveniens ab intrinseco, veluti si quis contraheret ex metu mortis, vel infamiæ, nam in his omnibus casibus datur admixtum involuntarium. Accedit, quòd dolus non minùs reddat contractum involuntatium, quàm metus, præsertim quando est in re valde gravi, ut si aliquis fingeret se ditissimum, nobilem, sanum &c. atque sic obtineret optimum Matrimonium, cùm tamen esset pauper, plebeius, vel laboraret contagioso morbo: atqui hic dolus non irritat Matrimonium, nisi inducat errorem circa personam: ergo nec metus id jure naturali irritat.

Sed neque invalidatur per hoc, quòd per metum inferatur injuria, namque infertur injuria per levem quoque metum, nec enim jus naturæ inter hos metus aliter distinguit, quàm quòd unus graviorem injuriam inferat, quàm alius; & circumventus dolo æquè injuriam patitur, quàm cui metus inijcitur, nec tamen eapropter irritum est conjugium ob hanc, vel illam causam: ergo neque ex ratione injuriæ ostenditur, Matrimonium metu contractum irritum esse jure naturali, sed quod ex jure naturæ valeret æquè, ac alij contractus, qui validi quidem sunt, sed rescindibiles à Iudice, à jure Ecclesiastico invalidatur statim ab initio, quia cùm Matrimonium naturâ suâ sit insolubile, fit, ut semel contractum sive jure, sive injuriâ, non possit dissolvi, sicut possunt alij contractus, præsertim

tim quando insuper consummatum est, idcirco meritò Ecclesia, ut huic tanto incommodo occurreret, statuit, talem contractum ab initio esse irritum, non quòd deficiat consensus ad valorem conjugij de jure naturali necessarius, sed quia deficit consensus, qualem maximè convenit, & expedit, & quem propterea Ecclesia etiam vult, adesse in Matrimoniali contractu, nempe qui non sit coactus metu gravi injusto, & ad conjugium extorquendum ordinato, sed qui gaudeat plenissima libertate, proinde vult, ubi metus adest, personas tunc esse ad contrahendum inhabiles, atque ita talem consensum ad Matrimonij valorem esse insufficientem, non aliter, quàm per eandem Ecclesiam consensus clandestinus nunc redditus est insufficiens. Quòd verò asserunt sententiæ oppositæ Patroni, ostendi non posse, quo textu juris Pontificij talia Matrimonia irritentur, cùm textus supra allati omnes non irritent, sed supponant, jam irrita esse Matrimonia metu contracta, non obest, quia dum Matrimonium metu initum invalidum pronunciant Pontifices, idque, ut ex prædictis constat, non sit irritum jure naturæ, ex ipsis istis textibus satis colligitur, hanc invaliditatem antiquiore aliquo jure introductam, quàm sint prædicti Canones, sive deinde id scripto decretum sit, & modò temporum injuriâ interierit, sive vivæ vocis oraculo, & per traditionem in Ecclesia propagatum, aut aliâ viâ introductum fuerit; certe constat, more, & usu id semper observatum esse, ut Matrimonia metu gravi extorta irrita sint: nec debet istud mirum videri, quia simili modo, etsi decretum irritans ostendi nequeat, ex antiquissima Ecclesiæ traditione nobis constat, irritum esse Matrimonium fidelis cum infideli: cur ergo idem dici nequeat de Matrimonio ex gravi metu inito? ita præter AA. num. præced. citatos propugnant hanc opinionem Sanch. *L. 4. disp. 14. n. 2.* Dicastillo *disp. 4. de Matr. dub. 6. n. 62. & seqq.* Card. de Lugo *to. 2. de Iust. disp. 22. n. 115.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 1.* Less. *in posthum. c. 4. de Sacram. Matrim. dub 8. n. 78. & seq.* Aragon 2. 2. *q. 88. a. 3 concl. 3.* Præpos. *q. 3. de Matr. dub. 10. n. 128. & seqq.* Hurtad. *disp. 6. de Matr difficult. 2. n. 8.* Pirh. *n. 106. De sponsal.* Wiestner *n. 242. eod. tit* Henriq. Petrus Ledesma, Valentia &c.

7. Sive autem dicamus, Matrimonium gravi metu injusto extortum irritum esse jure naturali, sive Ecclesiastico, perinde est, an metus incutiatur ab altero contrahente, an verò à persona tertia, illo etiam inscio, ac innocente, cum quo aliquis contrahere cogitur. Ratio est, quia in Matrimonijs debet esse plenissima, & perfecta libertas: atqui non minùs tollit metus libertatem con-

consensûs, sive per ipsum contrahentem, sive per alium inferatur; ipsumque jus Ecclesiasticum, dum irritavit talia Matrimonia, hoc fecit non tam in odium injustè metum inferentis, quàm, & principaliter quidem, in favorem libertatis, quam vult inesse Matrimonijs, ne quis cogatur invitus contrahere: at patiens metum æquè invitus est, sive à contrahente, sive à tertio compellatur: ergo metus eodem modo irritat Matrimonium, à quocunque incutiatur; quod clarè desumitur ex *c Veniens. De sponsal.* ubi irritum declaratur conjugium ex gravi metu initum, quem tamen neuter è contrahentibus incussit, sed puellæ Pater.

Extenditur hoc ad eum quoque, qui metui causam ipse dedit, nam Matrimonium adhuc invalidum est, dummodo metus injustè ad illud extorquendum incussus fuerit, etiamsi, qui eum passus est, fuerit culpæ reus, sive propriâ culpâ in hunc metum inciderit, quia culpa non tendit directè ad coactionem, seu ad metum injustum incutiendum. Glossa fin. communiter recepta *in cit. c. Veniens.* Covarr. *p. 2. De Matr. c. 3. §. 5. n. 7.* Sanch *L. 4. disp. 8. n. 9.* Pirhing *n. 103. De Sponsal.* Extenditur 2. ulteriùs, ut irritum sit Matrimonium non tantùm, dum quis per metum cogitur contrahere cum certa, ac determinata fœmina, sed etiam, si cogatur incertam ex certis uxorem ducere, v. g. alterutram è binis filiabus Petri, quia hîc quoque deficit liber consensus, volebat enim neutram ducere, coactè tamen duxit unam è duabus, adeoque invitus, & non liber. Pirh. *l. c.* Covarruv. *n. 8.* & circa ista quidem Authores inter se conveniunt.

8. Controversum verò inter ipsos est, an teneat Matrimonium gravi, & injusto metu extortum, quando id juramento firmatum est? Affirmant hoc aliqui apud Sanch. *L. 4. disp. 20. n. 11.* Alij tot adhibent distinctiones, ut ipsâ harum copiâ, quod explicare conantur, involvant tenebris. Ut rei veritas clariùs patescat, duplex quæstio hîc enodanda est. Prima, an Matrimonium metu contractum firmetur per juramentum accedens? Secunda, an saltem in se validum sit juramentum, & relaxatione indigeat?

Quoad primum certum est, non confirmari conjugium juramento, quando hoc quoque gravi metu extortum est, nec enim confirmari ejusmodi juramento contractum, qui, ipso secluso, aliàs erat invalidus, clarè patet ex *c. Quamvis pactum. De Pactis in 6. c. Cùm contingat. De Iure jur.* & *c. 1. eod. in 6.* ubi Sermo est de renunciatione legitimæ, & alienatione fundi dotalis, quæ pacta, secluso juramento, sunt irrita; & tamen, hoc accedente, decidunt hi textus, servanda esse, si jura-

juramentum absque vi, & dolo præstitum sit: ergo à sensu contrario si metu sit extortum, nullam vim habet. Confirmatur ex eo, quia, si Matrimonium metu extortum, juramento firmaretur, Ecclesia non attulisset sufficiens remedium contra coactionem ad Matrimonia, quod tamen maximè intendit, nam qui compellit aliquem ad contrahendum, compellere etiam potest ad jurandum. Si autem non coactus jurare juret, se ratum semper habiturum hoc Matrimonium ex metu initum, neque sic validatur conjugium. Ratio est, quia de substantia Matrimonij est consensus omnino spontaneus, & plenè liber. *c. cùm locum. supra cit.* atqui per tale juramentum non suppletur defectus spontanei, & liberi consensûs, & quanto tempore metus durat, ex quo contrahitur Matrimonium, personæ ad contrahendum inhabiles sunt, sicuti sunt inhabiles ad contrahendum clandestinè ex decreto Ecclesiæ talia Matrimonia irritantis: ergo sicuti hi non redduntur habiles per juramentum adiectum, ita neque efficiuntur habiles ad contrahendum, qui adiguntur ex metu, ac proinde per juramentum non validatur Matrimonium metu initum. Confirmatur, quia jur mentum sequitur naturam actûs, super quem cadit, & sortitur conditiones illius. *L. fin. C. De non numer. pecun.* sed Matrimonium ex dispositione Juris habet hanc tacitam conditionem, si adsit liber consensus: ergo eandem conditionem habet juramentum, consequenter juramentum nihil operatur, nullamque inducit obligationem, aut firmitatem Matrimonij, si non adsit liber consensus.

Sed neque obligat hujusmodi juramentum ex virtute Religionis, ut aliqui arbitrantur, moti textu *c. Debitores 6. & c. Si verò. 8. De Iurejur.* ubi deciditur, juramentum servandum esse, quando non cedit in interitum salutis; atque ideo solvendæ sunt etiam usuræ, si juramentum accessit: ergo, inquiunt, Matrimonio quoque standum est, cùm licitum sit ad redimendam propriam vitam, aut avertendum grave incommodum contrahere Matrimonium. Verùm ratio nostræ conclusionis in contrarium est, quia Ecclesia non tantùm irritat Matrimonium metu initum, sed etiam juramentum tali Matrimonio accedens, ut colligitur ex *c. Significasti. 2. De eo, qui duxit in Matrim.* ubi definitur, eum, qui contracto ex gravi metu Matrimonio jurato cum una, aliam deinde duxit, validè contraxisse cum hac secunda, & liberè permittendum cum ea permanere; si autem Ecclesia sentiret, ejusmodi juramentum obligare, adjungeret, pro violatione juramenti imponendam esse aliquam pœnitentiam, sicut fecit in *c. Sicut. 22. De Sponsal.* ubi deciditur, priora Sponsalia juramento stabilita dirimi

per

per Matrimonium, mox verò subjungitur: *impositâ ei pœnitentiâ competente, quia primam fidem irritam fecit*: cùm igitur hîc similis pœnitentia non imponatur, signum est, juramentum contractui Matrimoniali adjectum obligationem nullam inducere, nec relaxatione indigere.

Præterea Matrimonia metu extorta irritata sunt propter utilitatem publicam, eò quòd alioquin malè servaretur pax inter conjuges, & in republica, maleque soboles educarentur: actus autem irritatos propter publicum bonum juramento non firmari, nec ullam inde obligationem induci, instar regulæ tradunt plerique Authores, ut à nobis ostensum est *p. 1. Sect. 1. q. 4. n. 5.* nullum proinde, & invalidum est Matrimonium metu extortum, etsi id juramento stabilitum fuerit; nec probant contrarium allata capitula, quæ non versantur circa actus ob publicam utilitatem prohibitos. Ita Sanch. *L. 4. disp. 20. n. 12. & 15. & L. 1. disp. 32. n. 8.* Tannerus *to. 4. disp. 8. q. 3 n. 153. & seqq.* Bonac. *q. 3. De impediment. Matrim. pu. 8. n. 26 & seqq.* Filliuc. *tr. 10. c. 4. n. 121. & seq.* Pirh. *n. 5. not. 4. De eo, qui duxit in Matrim.* Wiestner *n. 247. de Sponsal.* Perez, Henriq. alijque plures ab his citati.

9. Ex istis omnibus non difficulter deducitur, Matrimonium in casu nostro nullum fuisse, atque irritum; plurima enim aderant, & magna mala, quæ meritò poterant Oringæ gravem metum incutere, & ad contractûs irritationem sufficere; nec satis est, ipsam denique consensisse, cùm non sufficiat simplex consensus, sed requiratur plena securitas, & libertas, ut eleganter ostendit Barbosa *in Votis Decisivis. L. 2. Voto 16. n. 2. & seqq.* adeò, ut si voluntas adsit, & non libertas, dici nequeat, satisfactum dispositioni Juris, nec possit Matrimonium ita celebratum subsistere: libertas autem, & consensus adesse nequit, ubi metus, & coactio intercedit. Nec potest colligi, spontaneam adfuisse voluntatem, quia in facie Ecclesiæ dixit, se spontè consentire, hæc enim verba tempore metûs prolata, metum non purgant, sed sunt effectus ipsius metûs, & perturbationis, ut iterum ex Nicolao Euerardo, alijsque pluribus ostendit Barbosa *L. 1. Voto 1. n. 108.* hîc certè metus extorsit ista verba, nunquam proferenda, si atrocia mala non timuisset. Sed ex eo quoque colligitur, non adfuisse consensum, quòd nunquam adigi ullo modo potuerit, ut Sponso sibi obtruso cohabitaret, unde iterum timere constanter debuit & ante, & post nuptias pessimam tractationem, verbera, continuam asperitatem, exturbationem è paternis ædibus, amissionem legitimæ, & omnium bonorum, quorum privatio major pœna est, quàm ipsius vitæ juxta Baldum *in L. Certa. C. De Iure fisci*, cùm privato omnibus

omnibus bonis mors sit solatium, & vita supplicium. Prælegit tamen etiam hæc damna gravissima, amissionem Patrimonij, exilium, & mendicitatem non sine periculo suæ vitæ, & prolis, potiùs, quàm ut in obtrusum tibi conjugium aliquando consentiret; fugam autem post factam desponsationem pro manifesto, & urgente signo, quòd non consenserit voluntariè, in talibus circumstantijs agnoscit sæpè dictus Barbosa *L. 1. Voto. 1. n. 68.* qui plura ejusmodi conjugia, circa ea consultus, pro irritis, ac nullis declaravit in citato libro; & sapientissimè hoc quoque nostrum pro invalido agnovit Consilium Ecclesiasticum, ut ex post facto mihi retulit Admodum Reverendus quidam D. Decanus ruralis, qui super hac facti specie antecedenter meum consilium expetijt; noviqúe non multò pòst inter similes duos conjuges in pari causa fuisse ex Romana Sententia Matrimonium dissolutum, facta ijsdem libera potestate transeundi ad alia vota.

10. Dubium autem moveri potest, an, si Oringa post contractas nuptias cohabitasset Torello, aut cognita ab eo fuisset, Matrimonium ratione metûs priùs invalidum, per hoc fuisset ratificatum, & confirmatum?

Resp. Etsi per se ex istis non semper consequatur, Matrimonium validari, cùm ea quoque fieri ex gravi metu possint, quo casu certum est, Matrimonium minimè ratificari, quia Ecclesia similia conjugia irritavit ob defectum spontanei, & liberi consensûs. *c. Cùm locum. De Sponsal* qui per cohabitationem, aut sequentem copulam, vel eodem ipso, vel simili metu extortam, minimè suppletur. Nihilominus communis est doctrina, convalescere per ista Matrimonium, si spontè fiant: & quidem, ut loquamur de utroque separatim, ac primò de cohabitatione, eo ipso, quòd mulier metum passa non recedat à viro, cùm posset, censetur spontè in Matrimonio permanere, & sic consensus antè vi extortus transit in consensum liberum per spontaneam cohabitationem subsequentem; idque probatur ex *c. Ad id. 22. De Sponsal.* ubi jubetur redire quædam ad virum, cui invita quidem nupserat, sed anno cum dimidio cohabitavit: ex quo loco AA. passim requirunt, ut cohabitatio sit diuturna; neque tamen necesse est, ut ea sit unius anni cum dimidio, nam ibi narratur sola facti contingentia, non verò certum tempus præscribitur, sed id definiendum relinquitur arbitrio prudentis Judicis, consideratâ fugiendi opportunitate, & habitationis morâ Præterea notandum est, ista procedere solummodo in foro externo, quæ enim non aufugit à marito, cùm posset, sed ei quietè cohabitat, præsumitur cohabitare affectu maritali, tantaque est hujus rei præsumptio *Iuris, & de Iure*, ut, etiamsi

etiamsi clarè probare possit, se ex metu injustè incusso contraxisse, ejus probationes non admittantur; in foro autem conscientiæ nulla temporis mora sufficit, si etiam sublatâ omni metûs causâ, & ex integro cessante, animus ratificandi defuit. Wagnereck *in c. Ad id. De Sponsal. Not. 3. ad fin.* Navarr. Sanch.

Quod verò ratificetur Matrimonium ex metu priùs invalidum per supervenientem copulam, patet ex *c. Is, qui fidem. De sponsal. & ex c. Insuper.* 4. *Qui Matrim. accusare possunt.* quia præsumitur hæc habita fuisse affectu maritali; si autem ista habeatur animo merè fornicario, sive non conjugali, certum est, Matrimonium in foro conscientiæ non confirmari, quia sic nullus est consensus in Matrimonium, sine quo hoc stare nequit.

Nunc ut de utroque simul dicamus, universim ut metus antecedens purgetur, & Matrimonium convalescat, desiderantur sequentia, 1. Ut Matrimonium hoc modo ratificans sciat, id, quod ex metu contractum est, fuisse nullum, & invalidum, nam si errore ductus, credat, valuisse, sicque cohabitaverit, vel consummaverit, non ratificatur, cùm error sit contrarius consensui. *L. Si per errorem. ff. De Iurisdict.* 2. Ut copula subsecuta, vel cohabitatio spontanea fuerit, non verò metu extorta. 3. Ut cohabitatio, vel copula subsequatur cessante causa timoris antecedentis, nam durante causâ metûs nunquam ratificatur Matrimonium, quia semper credimus, etiam metum durare. Sanch. *L. 4. disp. 18. n. 2. & seqq.* Coninck *disp. 28. dub. 4. n. 41. & seqq.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 3. dub. 2. n. 33.* Gobat *tr. 9. cas. 12. n. 261. & seq.* Bonac. *q. 3. de imped. Matrim. pu. 8. n. 24.* Gonzalez *in c. Ad id. De Sponsal. n 4.* Pirhing *de Sponsal. n. 113 & 123.* Wiestner *n. 150. & seq. De Sponsal.* Wagnereck *l. c.* Perez, Filliuc. Rebellus, Sporer, Lessius *in posthum. c. 4. De Sacrament. Matr. dub. 9.*

Notandum præter hæc, quamvis per spontaneam cohabitationem, aut copulam affectu maritali habitam, aliosvé actus, qui indicare possunt sufficientem consensum, veluti si cessante metu se amplectantur ut conjuges, vel tales se appellent affectu verè conjugali, quamvis, inquam, per ista revalidetur Matrimonium, spectato Decretalium antiquo Jure, atque etiam nunc quando metus, aliudvé impedimentum penitus occultum est, etiam sine Parocho, & testibus, hodie tamen post Tridentini Concilij decretum *Sess. 24. c. 1. de reform. Matr* quando constat de tali metu, ac consequenter de nullitate Matrimonij, non sufficit ejusmodi secreta ratificatio, sed, ut conjugium reddatur validum, debet de novo contrahi coram Parocho, & testibus. Palao *disp. 4.*

de

de Sponsal, pa. 7 §. 3. n. 3. Tannerus *l. c. n. 34.* Sanch. *disp. cit. n. 12, & 16.* Wiestner *n. 35. de clandest. Desponf.* atque ideo in casu nostro, ubi de gravi metu Oringæ palam constabat, spontanea cohabitatio, vel conjugalis copula validum reddere nequivit Matrimonium ob metum nulliter contractum.

CASUS SECUNDUS

Lytri insoliti ad redimendam vitam.

Godeleva formâ & opibus præstans in flore ætatis repentino morbo deducta est in vitæ periculum. Ursacius Medicus evocatus ad ægram, quam pridem sibi Sponsam animo destinaverat, spondet suam operam, & de salute solicitæ spem facit valetudinis, si sibi nuberet; secus renuit ipsi mederi. Exhorruit ad hanc conditionem ægrota, at quia aliter operam sibi tunc summè necessariam obtinere non potuit, ne præda morti relinqueretur, consensit in conjugium.

Q. Quid judicandum de valore hujus consensus, & quid de metu in particulari in alijs casibus?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *An metus reverentialis censendus sit esse gravis, & in quo consistat?*
2. *Quandonam is sufficiat ad irritandum Matrimonium, & erga quas personas detur hic metus?*
3. *Quod dicitur de metu reverentiali, extenditur ad importunas preces, non tamen cujuscunque personæ.*
4. *Afferuntur exempla validi Matrimonij, quod contractum est ex timore proveniente ab intrinseco.*
5. *Idem in exemplis ostenditur, quando metus justè incussus est.*
6. *Negant Authores aliqui, validum esse conjugium, quod contraxit damnatus ad mortem, cui judex promisit libertatem, si filiam suam duceret. Præferenda est opinio contraria.*
7. *Declaratur denique exemplis, non irritari Matrimonium, nisi metus incutiatur in ordine ad illud extorquendum.*
8. *De puncto præsentis casûs circa Medicum, nolentem curare infirmam, nisi sibi nubat, sub distinctione deciditur, an valeat tale Matrimonium?*

1. REColenda hîc sunt, quæ diximus in casu præcedente, ubi multa in hunc locum reservavimus, ne ille cum legentium fastidio nimiùm protraheretur. Requisivimus verò ibi ad metum, qui sufficiat pro irritando Matrimonio, tres conditiones, videlicet ut sit gravis, injustè incussus, à causa extrinseca, & denique in ordine ad extorquendum Matrimonium, quæ *num. 4.* promisimus, in casu præsente fusiùs per exempla elucidare.

Gravem esse oportere hunc metum, neque sufficere, si levis sit, patet

tet ex *c. Veniens*, *c. Consultationi. De Sponsal.* alijsque Juris textibus *eod. num. 4.* adductis, in quibus exigitur metus, qui in constantem virum cadat; idque meritò, quia aliàs omnia incerta forent, & plena controversijs, ac litibus, plurimaque conjugia nulla, & dissolvenda essent, cùm frequentissimè ex metu levi contrahantur, vel certè, talem intervenisse, facillimè fingi, atque etiam probari possit. An verò cadat in constantem virum, ac consequenter tantus sit, qui sufficiat ad dirimendum conjugium, metus reverentialis, quo movetur inferior ad ineundum Matrimonium ex reverentia Superioris, v. g. filius ex reverentia Patris, non sine ratione dubitatur.

Circa hoc, ut rectè notant Basil. Pontius *L. 4. c. 5. n. 3.* & Dicastillo *Disp. 4. de Matr. dub. 2. n. 18.* notanda est differentia inter reverentiam, seu observantiam Superioribus debitam, & metum reverentialem, nam potest quis operari ex reverentia, quin tamen hoc agat ex metu reverentiali, ita in filijs respectu Parentum, in uxore respectu mariti, in subdito respectu Domini, sive Superioris solet inesse quædam verecundia, ut præ pudore, ac reverentia non audeant contradicere, vel repugnare, etsi maximè contrarium vellent, quàm quod hos velle sciunt; hoc enimverò non sufficit, ut, quod actum est, v. g. initum Matrimonium, propterea judicetur esse nullum, sic enim non esset unquam locus efficaci contractui inter Dominum, ac subditum, & infirmandæ essent innumeræ actiones, quas filius, rogatus à Patre, vel uxor à marito, ex hoc pudore agit, qui sic operando agunt quidem ex reverentia, non autem ex metu reverentiali, qui actionem possit annullare, nam ut hic adsit, atque ita operatio reddatur minùs libera, minusque voluntaria, ex quo irrita fiat, debet timeri aliquod malum imminens, cùm omnis metus, ut dictum est in casu præcedente, sit de malo futuro *mentis trepidatio*: ergo in metu quoque reverentiali debet adesse timor mali imminentis, & quidem, ut observat Card. de Lugo *tom. 2. de Iust. disp. 22. Sect. 7 n. 151. & seqq.* debet timeri malum vel inferendum injustè, ut habeatur metus injustè incussus, vel saltem tale, quod, etsi non inferatur cum injuria propriè dicta, inferatur tamen non justè, seu non rationabiliter, ut si Pater ea de causa indignationem filio ostendat, vultum acerbum, & similia.

2. His præsuppositis, ut omittamus aliorum Sententias, statuendum est, metum reverentialem ad irritandum Matrimonium tunc solùm sufficere, quando non dicit præcisè verecundiam, ut modò explicavimus, sed quando simul

simul adjuncta sunt vel verbera, vel graves minæ, quarum meritò futura timeatur executio, vel si, quantumvis minæ absint, accedat nihilominus gravis ira, & indignatio Patris, vel ejus, à quo dependemus, quæ duratura sit, & ex qua metuatur mala tractatio, continua asperitas vultûs, exprobratio inobedientiæ, quæ identidem fiat durioribus verbis, & similia, quæ sanè possunt incutere metum cadentem in constantem virum, quis enim cordatus, & prudens non reputet grave malum, semper habere coram oculis infensum Patrem, aut eos, à quibus ipse pendet, & cum quibus constanter versaturus est? Non tamen censentur esse grave malum, si diu permansura non sint, sed brevî speretur secutura reconciliatio, verba pacatiora, & serenior aspectus. Ita Sanch. *L.* 4. *disp.* 6, *n.* 7. *&* 15. Dicastillo *l. c. n.* 25. Perez *disp.* 17. *de Matr. Sect.* 2. *n.* 19. *& seq.* Gobat *tr.* 9. *cas.* 12. *n.* 249. Barbosa *in Votis Decisivis L.* 1. *Vot.* 1. *n.* 39. *L.* 2. *Vot.* 16. *n.* 27. & *L* 3. *Vot.* 77. *n.* 73. *& seqq.* Tannerus *to.* 4. *disp.* 8. *q.* 3. *dub.* 2. *n.* 31. alijque plures. Cæterùm ejusmodi metus reverentialis dari potest non solùm in filio, vel filia respectu Parentum (nam licèt multi eum admittant solùm respectu Patris, id ipsum tamen etiam de Matre affirmat Sanchez) sed etiam respectu Avi, & reliquorum ascendentium, habemus enim eos parentum loco; in genero respectu soceri, quia cùm conjuges per Matrimonium una caro fiant, pater unius est quasi pater alterius. *L. Quia parentis. ff. Soluto Matrimonio*; in pupillis erga tutores, & curatores, quia & hi loco Parentum sunt; in sorore, & fratre respectu fratris natu majoris, quando cum eo habitant, & ab eo gubernantur; denique in ijs omnibus, qui jure aliquo subjectionis alteri subsunt. Basil. Pontius *L.* 4. *c.* 5 *n.* 2. Barbosa *in Votis Decisivis L.* 1. *Vot.* 1. *n.* 44. & fusè Sanch. *disp. cit. à n.* 24. *usque ad* 35.

3. Dicta hactenus extendenda sunt etiam ad preces importunas, quando eæ instantissimæ sunt, ac sæpiùs repetitæ, & inculcatæ, fiuntque ab ijs personis, quibus debetur reverentia, adeoque quando conjunctæ sunt cum metu reverentiali, & à fortiore cum minis; quippe ex una parte ipsa importunitas precum quodammodo nos cogit consentire in id, quod petitur; ex altera verò parte reverentia debita personæ petenti timidum reddit eum, à quo petitur, ne audeat contradicere: quoties ergo hæc duo conveniunt, meritò judicantur preces æquivalere gravi metui, qui cadat in virum constantem, ut fusè probant Sanchez *L.* 4. *tota disp.* 7. Perez *disp.* 17. *n.* 22. *& seqq.* Dicastillo *l. c. n.* 27. *& seqq.* Less. *L.* 2. *de Iust. c.* 17. *dub.* 6. *n.* 35. Barbosa *in Vot. Decis. L.* 1.

Voto. 1. n. 38. estque hoc ex eo manifestum, quia si metus reverentialis seorsim, ut *num. præced.* dictum est, inijcit gravem metum, multò magis istud eveniet, quando accedunt insuper importunæ preces, maximè autem, si istis adjunctæ sint etiam minæ, etsi non admodùm graves, cùm preces importunæ personæ reverentiâ dignæ absque minis sufficiant ad metum gravem inijciendum. In eo autem assentiri non possum Basilio Pontio, quod *L. 4. c. 5. n. 17.* cum alijs quibusdam dicit, preces importunas sufficere, à quamcunque persona proveniant, nam esto, preces importunæ seorsim consideratæ, & sine respectu habito ad personam petentis, contineant in se aliquod gravaminis, & vexationis genus, si tamen nulla debetur roganti reverentia, non ita graviter opprimunt, ut dici debeant, vim inferre, virumque prudentem, & constantem cogere, ac ab eo assensum extorquere. Imò indecorum est, talem cogi solis precibus importunis alicujus hominis, cui nullam peculiarem reverentiam, vel honorem debet, estque istud indicium nimiæ timiditatis, & exigui animi: certè ab omnibus habetur pro actione imprudente, quòd Samson amore, & importunis precibus mulierculæ victus, secretum suæ fortitudinis revelaverit, quam potiùs debuisset animosè repellere.

4. Alteram conditionem requisivimus, ut metus proveniat non ab intrinseco, aut causa naturali, sed ab extrinseco; ex quo capite validum est Matrimonium concubinarij, qui ex timore mortis, aut inferni in morbo contraxit Matrimonium cum concubina; validum quoque est conjugium initum ab eo, quem Medicus dixit periturum ob humoris abundantiam, nisi uxorem duceret: similiter validum est Matrimonium ejus, qui condemnatus ad mortem, ut evadat supplicium, ducit meretricem, aut aliam fœminam juxta morem, aut statutum aliquarum regionum, vel si detrusus in carcerem contrahat cum filia præfecti carceris, ut hoc modo se vinculis eximat, dummodo in carcerem conjectus non sit ex hoc fine, ut Matrimonium extorqueretur; perinde verò est, sive ipse, sive pater huius filiæ primò hanc conditionem offerat, vel si obsessus ducat filiam obsidentis, ut hac ratione solvatur obsidio, & animi reconcilientur; vel denique si deprehensus in stupro à Patre, vel consanguineis puellæ, ipse volentibus eum interficere, spontè, & à nemine coactus offerat Matrimonium cum deflorata, ut mortem evadat. Sanchez *L. 4. disp. 12. n. 14.* Perez *disp. 17. de Matr. n. 9.* Ratio in istis casibus est, quia carcer, damnatio ad mortem, obsidio, & præsens vitæ periculum non est directa, & immediata causa Matrimonij, sed metus,

metus, in quem talis per ista mala conjectus est, timetque per ea suum interitum: hunc igitur ut tollat, & mala impendentia à se avertat; ultrò in istis circumstantijs velut medium ad obtinendam liberationem, eligit Matrimonium, sicut qui interceptus à latronibus emittit votum, quod validum est juxta omnes.

5. Præterea requisivimus, ut metus iste inferatur injustè; si enim justè incutitur, non extorquetur consensus per injuriam, & injustè, atque is, qui cogitur, non est rationabiliter invitus, quia jure cogitur, & ipse non parendo recedit à jure, & æquitate. Unde validum est Matrimonium contractum ex metu justæ accusationis, si, v. g. Pater deprehendat juvenem in turpi facinore cum sua filia, ejque minitetur, quòd, nisi corruptam ducat, eundem velit reum agere coram judice. Ratio est, quia justè incutitur iste metus, cùm habeat jus accusandi tam nefariam libidinem: aliter dicendum, si Pater, aut consanguinei mortem minarentur, nisi filiam duceret, namque hic metus inferretur injustè, cùm non possint occidere, sed solùm comprehendere, & eum judici prodere. Basil. Pontius *L. 4. c.* 19. *n.* 10. Bonac. *q. 3. de imped. Matrim. pu. 8. n.* 15.

Excipit 2. memoratus Bonacina *n.* 11. nisi filia voluntariè consenserit in fornicationem, sic enim non erit validum Matrimonium celebratum ex metu accusationis, ex qua timeatur grave damnum, quia stuprator virginis consentientis non dedit causam incutiendi sibi metum ob culpam, propter quam licitè compelli possit ad Matrimonium, nec enim tenetur consentientem ducere, quia volenti non fecit injuriam, nec factum est sub promissione conjugij.

Valet quoque Matrimonium ejus, qui cum una contraxit sponsalia, volensque ab ijs sine causa legitima resilire, ab Ecclesiastico judice ea implere compellitur, Matrimonium ineundo, intentata eidem, nisi obediat, excommunicationis censurâ; justè enim incutitur iste metus, idque fieri posse, à jure decernitur *c. Requisivit*, & *c. Ex literis. De sponsal.* ut à nobis probatum est *in p. 1. Sect. 3. n.* 6. Imò non dicitur Iudex inferre metum, quando procedit juridicè *L. Continet. §. sed vim. ff. Quod metûs causa*: nec contrahit invitus, qui cogitur voluntariæ promissioni stare, nam liberè consensit in id, ex quo scivit, orituram sibi hanc obligationem, quam inducunt sponsalia, ut nempe Matrimonium cum ea contrahat, cum qua sponsalia celebravit: unde vulgò dicitur, quod à principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis, ut desumitur ex L. 5. C. De Oblig. & Action. ubi legimus:

si ut

sicut initio libera potestas unicuique est habendi, vel non habendi contractus, ita renunciare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Sanch. *L. 4. disp. 13. n. 6.* Bonac. *l. c. n. 12.* Pontius *n. 8.*

Validum quoque est Matrimonium, quod plectendus capite ob homicidium legitimè probatum contrahit cum uxore, vel filia defuncti, si hoc facienti promittatur impunitas, est enim hæc compositio quædam justè facta per judicem, nec injustè incutitur iste metus, quia consanguinei, vel uxor occisi jus habent exigendi justam pœnam propter delictum admissum, cui juri cedunt, si Matrimonium oblatum ineatur. Basil. Pontius *l. c. n. 9.* Card. de Lugo *tom. 2. de Iust. disp. 22. Sect. 7. n 181.*

6. An idem dicendum sit, quando Iudex promittit liberationem damnato ad mortem, si filiam ipsius Iudicis uxorem ducat, dubitari potest. Invalidum esse tale Matrimonium contendit Basil. Pontius *l. c. n. 13.* cui consentit Rebellus *L. 2. de oblig. Iust. q. 11. Sect. 2. n. 14.* quia nempe, ut ajunt, hic Iudex revera metum injustè infert, & sua potestate abutitur, cùm hîc non fiat ulla delicti compensatio, ratione cuius metus justè inferri possit, proinde idem est, ac si incuteretur injustè; magnaque est diversitas, quando metus infertur, ut ducat filiam, aut uxorem occisi, nam hoc casu infertur metus in compensationem delicti, quæ licita est, at quando Iudex ad mortem condemnato offert impunitatem, si ducat aliquam, quæ non est ducenda in compensationem delicti, non tam aufertur metus jam ante conceptus, quàm de novo infertur, nisi faciat.

Sed inhærendum opinioni contrariæ, quam tuentur Sanch. *L. 4. disp. 12. n. 11.* Bonac. *q. 3. de imped. pu. 8. n. 20.* Perez *disp. 17. Sect. 9. n. 6.* Dicastillo *disp. 4. de Matr. dub. 9. n. 94.* Navarr. *Consilior. L. 1. consil. 8. n. 3. De ijs, quæ vi &c.* Covarruv. *p. 2 de Matr. c. 3. §. 4. n. 25.* Coninck, Henriq. sive licitè agat Judex hoc faciendo, sive illicitè, & injustè, dummodo non condemnet ad hunc finem, ut Matrimonium extorqueat, etsi aliunde injustè damnatus sit, puta, quia crimen non est sufficienter probatum, quia non adfuerunt legitimi testes &c. quia istud agendo Judex metum non infert, sed priùs jam conceptum aufert, nec cogit per illam immunitatem ad Matrimonium, sed eam offert tanquam medium ad evadendum, quod, ut vitæ suæ consulat, reus eligit. Cùm igitur tunc solùm irritetur Matrimonium, quando incutitur metus injustè ad illud extorquendum, quod nullo modo hîc evenit, non est sufficiens ratio, ut dicatur, hoc Matrimonium esse invalidum. Confirmatur hoc ampliùs ex eo, quia si tertius quidam offerret hanc immunitatem,

tatem, etsi illicitè ageret, ut contingeret in custode carceris, cujus est, attendere vi sui Officij, ne reus elabatur, valeret Matrimonium, ut neque Adversarij negant: ergo idem dicendum est, si Judex ipse offerat, quia, quando metus vitiat Matrimonium, perinde est, à quocumque is inferatur: si ergo Judex hoc facto metum incutit, ex quo contractus Matrimonij, ut putant Adversarij, irritetur, idem eveniet in illo tertio; aut si hic talem metum non inijcit, ut ijdem Adversarij concedunt, neque Judex dici potest inferre, proinde æquali modo & hic, & ibi validum est conjugium.

7. Ultimò denique requisivimus, ut metus iste incutiatur ex hoc ipso fine, ut per eum extorqueatur Matrimonium, nam si ad alium finem inferatur, valori Matrimonij non obest, nec enim metus tunc Matrimonij causa est, sed istud propria voluntate eligitur, veluti medium ad redimendam vexationem: hinc validum est conjugium, si virgo capta à latrone, minitante mortem, nisi det centum aureos, velit ipsum in maritum accipere, & reipsa contrahat, per accidens enim se habet metus respectu Matrimonij, & cùm hoc non intenderit extorquere latro, per eum libertas voluntatis in ordine ad Matrimonium nullo modo imminuitur. Aliud foret, si mortem minaretur puellæ, nisi det vel mille aureos, vel se accipiat in maritum, quia, licèt hoc modo eam non adigat determinatè ad Matrimonium, adigit tamen ad utrumque membrum sub disjunctione, ita ut respectu utriusque in confuso injustè metum incutiat. Præpos. *q. 3. de Matrim. dub. 9. n. 121.* Plura exempla huc applicari possunt tum ex ijs, quæ supra adduximus, tum quæ in votis eveniunt, nam neque ita irritat metus, quantumvis gravissimus sit, quoties non incutitur gratiâ extorquendi voti, sive proveniat à causa naturali, sive à causa libera, quia tunc vovens non impellitur ad votum emittendum, sed sponte sua id vovendi medium eligit, ut ex eo periculo incolumis evadat, ut videre est apud Sanch. *L. 4. in Decal. c. 3. n. 4.* idemque constat ex alijs quoque contractibus, nam si quis timens insidias inimici, quem scit jurâsse suam mortem, eligat sua prædia mihi vendere, ut expeditiùs è patria possit discedere, & fugiendo necem devitare, valida est venditio, quia timor ab inimico illatus, cùm non fuerit directus ad extorquendam venditionem, istam inficere non potest: igitur pari modo validum erit Matrimonium, si Cajo te mactare volenti ob illatam injuriam, ut eum tibi placatum reddas, nihil cogitanti de Matrimonio dicas: *ducam tuam filiam, si mihi vitam dones.*

8. Ex ultimis his duobus requisitis exurgit quæstio, in qua fundatur noster casus. An validum sit Matrimonium

monium contractum inter ægrotam, & medicum, cui hic mederi renuit, nisi sibi nubat, vel inter ægrum, & filiam medici, recusantis suam operam, nisi is filiam suam ducat uxorem? Affirmant absolutè, validum esse, Sanch. *L. 4. disp.* 12. *n.* 15. Bonac. *l. c. n.* 23. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 103. Gobat *tr.* 9. *cas.* 12. *n.* 151. Eman. Sà. *V. Matrimonium. n.* 9. Palao *tr* 2. *disp.* 1. *de libertate pu.* 11. *n.* 2. Bassæus *V. Matrimonium* 7. *n.* 49. Tannerus *to.* 4. *disput.* 8 *q.* 3. *dub.* 2. *n.* 27. quia non medicus incutit timorem, sed morbus, pro cujus ille curatione, velut stipendium, Matrimonium petit, quod, esto, excessivum sit, non annullatur eapropter contractus, quia non est error, & dolus in contractûs substantia, sed solum in accidentibus.

Alij cum aliqua distinctione loquuntur; vel enim, inquiunt, tenetur Medicus alteri ex Justitia subvenire, vel solùm ex charitate? Si obligetur ex justitia, & nihilominus detrectet mederi, nisi ægrota ipsi nubat, contractus videtur nullus, quia censetur metum injustum incutere, cùm teneatur ex justitia malum propulsare: quamvis enim non sit prima causa metûs, sed ipse morbus, est tamen causa continuationis, & quidem ad Matrimonium obtinendum, ac proinde in tali casu metus non minùs obstat valori Matrimonij, quàm si primò inferretur à Medico. Quòd si autem teneatur mederi solùm ex charitate, Matrimonium videtur subsistere; quia eo casu nec physicè metum incutit, nec censetur moralis causa etiam continuationis nolendo mederi, nisi Matrimonium cum eo ineatur, quamvis enim possit graviter peccare contra charitatem, nolendo aliter mederi, non tamen peccat contra justitiam, ac proinde non potest dici injustè metum continuare, si mederi nolit, nisi ægrota illum accipiat in maritum. Ita Præpos. *in* 3. *p. D. Th. q.* 3. *de Matr. dub.* 9. *n.* 122. Card. de Lugo *tom.* 2. *de Iust. disp.* 22. *Sect.* 7. *n.* 183. Dicastillo *l. c. n.* 98 Perez *disp.* 17. *Sect.* 9. *n.* 10, *& seqq.* Coninck *disp.* 28. *n.* 11. *& seq.* Rebellus *L.* 2. *de oblig. Iust. q.* 11. *Sect.* 2. *n.* 15. quorum distinctioni omnino standum esse censeo, ac dicendum, si Medicus recuset mederi huic ægræ, nisi sibi nubat, vel ægro adhibere medicinam, nisi cum filia sua contrahat, invalidum esse Matrimonium, quando ipse vel jam certo pretio ab ægro conductus, vel receptus, ac constitus est medicus ordinarius à reipublica, nec adest alius, à quo opera æquè utilis, ac proficua facilè haberi possit, hic enim ratione stipendij, quod à republica ipsi statutum est, & ex conventione tenetur curare ægros, qui in ea sunt, accepto pro curatione moderato pretio, & tunc negando suam operam subtrahit alteri suum jus, atque ita metum, ac periculum infert, sicut si unus, vel alter

alter solùm haberent omnia victualia in aliqua civitate, quæ aliunde, quàm ab ipsis comparare sibi alij non possent, gravem utique metum inferret civibus, si nollet ea ipsis vendere: qui autem subtrahendo ægrotæ media ad vitam necessaria, quæ antea cum reliqua civitate communiter possidebat, verè infert metum cadentem in constantem virum, qui planè non solùm est à morbo, sed ab ipso medico, nequiter, & contra propriam obligationem ægrotum destituente, idque directè ex hoc solo fine, ut Matrimonium extorqueat, validus esse nequit contractus Matrimonij ex isto metu initi, æquè parùm, quàm si nauta, qui pacta mercede suscepit nobilem virginem vehendam per mare, vellet eandem in tempestate solam deserere, nisi secum contraheret Matrimonium, quod irritum esse nemo negabit. Addit Coninck, quòd nisi pro irritis haberentur ejusmodi Matrimonia, facilè medici hac ratione ab ægris, nautæ à navigantibus &c. extorquerent conjugia.

Aliud foret, teneretque conjugium, si medicus non obligatus esset ex officio, aut conventione, ægræ operam suam impendere, nolletque ipsi mederi sine hac posita, & impleta conditione; nec enim aliter hìc se res habet, quàm si quis puellæ periclitanti in flumine nollet succurrere ex charitate, nisi cum simili pacto conjugij, cujus Matrimonium communi omnium judicio validum esset.

Denique certum est, fore validum, si medicus accederet ad curandam ægram, ipsaque, ut Medicum diligentiorem reddat, Matrimonium sponte promittat, sive contrahat, quia tunc nullus ei incutitur metus ab extrinseco, sed ipsa infirma sponte, & ab intrinseco vult ob suam majorem vitæ securitatem cum Medico contrahere: atque ita patet, quid sentiendum sit de præsente casu.

§. IV.

RAPTUS.

CASUS

Abducentis consentientem.

Ericus illustri Comitum sanguine natus, cùm se opponerent nuptijs consanguinei, quas ipse promiserat, & inire meditabatur cum Griseilde nobili quidem Virgine, sed multò inferioris prosapiæ, & opibus destituta, ut exoptato conjugio potiretur, communicato cum puella consilio, abduxit non invitam, Inscijs ejus Parentibus, cùm sciret, hos quoque, gravem offensam illustris familiæ metuentes, omni modo resistere huic Matrimonio, neque in illud unquam esse consensuros.

Q. An inter has duas personas consistere possit Matrimonium?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Quid sit raptus, & quæ olim in eum pœnæ statutæ sint ab utroque Iure?*
2. *Ad has tamen incurrendas quatuor conditiones requirebantur; ut fieret raptus cum violentia, causâ exercendæ libidinis, de loco ad locum, & circa fœminam honestam.*
3. *Quid circa ista statuerit, vel immutaverit Concilium Tridentinum?*
4. *Decreto Tridentini, & pœnis ab eo statutis locus non est in raptu, qui fit ex causa libidinis, & non Matrimonij contrahendi.*
5. *Neque in eo, qui rapit consentientem, Parentibus vel inscijs, vel etiam invitis, & reluctantibus.*
6. *Quid dicendum de illo, qui rapit propriam Sponsam? ubi ponitur simul solutio præsentis casûs.*
7. *Qui rapit fœminam non pro se, sed pro alio, non contrahit impedimentum dirimens ad eam ducendam, aliquando tamen incurrit cæteras pœnas à Tridentino statutas.*
8. *Non desinit esse raptus prædictis pœnis obnoxius, si mulier violenter abducta, postea in eundem consentiat, aut ad locum destinatum perducta non sit.*
9. *An ijsdem pœnis Concilij subijciatur Parochus, qui Matrimonio inter raptorem, & raptam assistit, & num legitimè ducendo raptam evadat raptor prædictas pœnas?*
10. *Probabiliùs annullantur Decreto Tridentini etiam Sponsalia contracta cum rapta, dum existit in potestate raptoris.*
    Vbi Tridentinum non promulgatum est, proceditur secundùm Jus antiquum.
11. *An raptores Virginum gaudeant immunitate Ecclesiæ?*

1. VT pro affirmativa parte decidamus in præsente casu, præmittere oportet, quid propriè raptus sit, aliasque nonnullas quæstiones, quæ ad clariorem illius expositionem servient: alia deinde subjungemus, quæ circa hanc materiam utiliter, & cum fructu disputari possunt.

Raptus igitur, qui est peccatum speciale luxuriæ, communiter definitur: *abductio violenta fœminæ de loco ad locum causâ libidinis exercendæ, vel etiam Matrimonij contrahendi*, contra quod crimen, cùm semper gravium scandalorum, & non rarò multarum, magnarumque cædium origo sit, jam antiquis temporibus gravissimæ pœnæ sunt constitutæ in utroque Jure. Et quidem in Jure Civili *L. unica C. De Raptu Virginum* non solùm in eos, qui sive virginem, sive aliam fœminam honestam, maximè verò virgines, viduásve Deo dicatas rapuerint, sed etiam in illos, qui ipsis quomodolibet in hoc auxilium, opemque tulerint, decernitur pœnæ capitis, & tam istorum, quàm illorum bona mobilia, & immobilia cum pleno dominio addicuntur raptæ: præterea conceditur cognatis, & propinquis, ut, si raptorem, ejusvé auxiliatores in flagranti, ipsoque facinore deprehenderint, possint eosdem impunè interficere. Denique *cit. L. unica. §. Nec sit facultas*, interdicitur Matrimonium inter raptorem, & raptam; imò id penitus annullatur, & irritatur, si inter ipsos contractum fuerit. Authent. De muliere raptum passa: *stare tale Matrimonium, etsi rapta voluerit, prohibuimus*, hoc est, decrevimus, esse nullum, & irritum, nam *stare* idem est, ac semel initum consistere, & vires habere tanquam validum.

Nec mitiùs olim egit contra raptores Jus Canonicum, & quidem si fuit raptor alienæ Sponsæ, non poterat licitè inire Matrimonium sive cum rapta, sive cum quavis alia juxta c. Statutum. 27. q. 2. *Si quis Sponsam alterius rapuerit, publica authoritate mulctetur, & sine spe conjugij maneat*, idque meritò, ut qui alienum Matrimonium perturbare ausus est, jure proprij contrahendi privaretur, atque ita in quo deliquit, puniretur, de quo vide, quæ dicta sunt in impedimentis impedientibus *De Raptu Sponsatæ*. Si autem rapta desponsata non fuit, validè quidem, sed illicitè cum ea initum fuisse Matrimonium, desumitur ex Can. De puellis. 36. q. 2. ubi dicitur: *ut ad conjugia legitima raptæ sibi jure vindicare nullatenus possint*: idem habetur can. Placuit. ibid. Hunc tamen rigorem postea mitigavit recentior constitutio *c. fin. De Raptoribus*, in quo statutum est, quòd inter raptorem, & raptam Matrimonium non solùm vali-

validè, sed etiam licitè iniri possit, si ipsa in hoc consenserit, ubi nec quidem requirebatur, ut rapta constituta esset extra raptoris potestatem, & in pristinam libertatem reposita, sed satis erat, si rapta adhuc sub potestate raptoris existens, verè, ac liberè consentiret in Matrimonium, sicque prior dissensio transiret postmodum in consensum. Pirhing *n.* 15. *De Raptorib. & incendiar.* Præter has, & alias plures pœnas raptores Virginum, & Viduarum, eorumque auxiliatores, & fautores, si essent Clerici, à suo gradu, & ordine Clericali decidebant, id est, deponendi erant; si autem laici, incidebant in excommunicationem. *cit. can. De puellis.* & *can. 1. 2. 5. & 6. ibid.* quæ tamen excommunicatio non erat latæ sententiæ, sed ferendæ juxta Sanch. & Pirhing, quamvis in cit. can. 5. dicatur: *anathema sit*, quæ verba aliàs significare solent, aliquem ipso jure esse excommunicatum, nam contrarium indicant alij canones supra citati, in quibus habentur verba de futuro: *anathematizentur, à communione suspendi præcipimus, anathematis gladio feriatur*, quæ dicunt excommunicationem ferendam. Denique bona rapientis Monialem, vel aliam mulierem Religiosam vitam ducentem, applicanda erant Ecclesiæ, vel monasterio, in quo rapta habitabat. *c. Si quis rapuerit. 27. q. 1.* ubi additur, quòd rapta arctiori Monasterio includenda sit, ut ibi sustentetur ex bonis vel suis, vel à raptore acquisitis, post mortem verò redeant ea bona ad primum Monasterium, vel Ecclesiam, in qua mulier Deo dicata est. Glossa *in cit. c. Si quis.* Pirhing *l. c. n. 3.*

2. Pœnis à Iure communi tum Civili, tum Canonico constitutis, & hucusque enumeratis non qualiscunque raptus obnoxius erat, sed ad has incurrendas quatuor conditiones adesse debebant, & etiamnum requiruntur ad pœnas Iure Civili constitutas, nam quibus vi juris Canonici pœnis subijciantur raptores, hodie ex Tridentino potiùs Concilio, quàm ex antiquioribus textibus desumendum est, de quo infra dicemus. Prima igitur conditio est, ut raptus fiat cum violentia, illata vel ipsi fœminæ raptæ, vel eius Parentibus, aut tutoribus, in quorum potestate, vel cura est, unde raptus non committitur, si fœmina, quæ sui juris est, & sub nullius potestate posita, sine vi volens abducatur, nam raptus ex ipsa notione nominis dicit auferre aliquid cum vi, & impetu, ut constat ex L. Quo naufragium. 3. §. 5. ff. De incendio, ruina &c. ubi dicitur: *aliud autem esse rapi, aliud amoveri, palam est, siquidem amoveri aliquid etiam sine vi potest, rapi autem sine vi non potest.* At verus raptus est, si abducatur invita, etsi Parentes consentiant in abductionem, quia Parentes non habent dominium

minium corporis puellæ, nec facultatem illud ad hoc exponendi, proinde injuriam ipsi inferunt. Raptus quoque censetur, si hoc fiat consentiente puellâ, sed invitis Parentibus, nam his infertur gravis injuria, quam ipsa nequit remittere, sponte sua abductioni consensum præbens; hoc tamen casu, ait Sanch. *L. 7. disp.* 12. *n.* 12. non infligitur pœna ordinaria, seu capitalis, sed mitior arbitrio Iudicis. Imò pro raptu habetur, etsi non strictè, & propriè dicto, sed qui ad eum saltem reducatur, si abducatur volens, & consentiens, sed ignorantibus Parentibus, Tutoribus vel Curatoribus, alijsvé, sub quorum cura, & custodia est, quia, etsi non contradicant positivè, deest tamen illorum voluntas, & consensus, quod satis est, ut conqueri possint de injuria sibi illata; hîc tamen iterum locum non habet pœna ordinaria, sed minor aliqua infligitur, quàm si expressè abductioni contradixissent. Sanch. *l. c. n.* 13. *& seq.* Perez *disp.* 38. *Sect.* 2. *n.* 2. Pirh. *de Raptorib. n.* 5.

Secunda conditio ad incurrendas has pœnas est, ut raptus fiat causâ libidinis exercendæ, unde non subjacet istis pœnis, qui fœminam abducit ob alium finem, puta, redigendi eam in servitutem, nam iste non raptum committit, sed plagium. Quando autem abducta est causâ libidinis, opus non est, ut cum rapta secuta sit copula, si enim ideo raptor eam non cognovit, quia non potuit id commodè fieri, adhuc obnoxius est pœnis ordinarijs; secùs est, si ab ea abstinuit pœnitentiâ ductus, nam tunc non ordinaria, & capitis, sed aliâ pœnâ gravi plectendus est arbitrio Iudicis propter infamiam illatam puellæ, cujus pudicitia ab omnibus probabiliter creditur esse violata. Menoch. *l. 2. de arbitr. Iud. cas.* 360. *n.* 32. Excipe, si rapta sit Monialis, tunc enim raptor pœnam ordinariam subibit, quacunque ex causa copula secuta non sit. Iisdem pœnis ordinarijs addicitur, qui rapit mulierem violenter, animo contrahendi cum illa Matrimonium. *L. Si quis C. De Episc. & Clericis*, qui textus etsi loquatur de solis sacris virginibus, communiter tamen intelligitur ab Authoribus de rapiente quamcunque virginem, estque lex ista canonizata *can 3. caus. 36 q. 2.* nam & hæc inhonesta quædam libido est, velle inire Matrimonium violenter. Advertit autem Sanch. *l. 7. disp.* 13. *n.* 16. in praxi receptum esse, & rationi valde consentaneum, ut, si secutum est Matrimonium, raptor non pœnis ordinarijs, sed mitioribus plectatur arbitrio Iudicis; nulli autem subditur pœnæ juris civilis, si ante raptum præcesserunt sponsalia, nam Ius civile, quod *l. vnic. C. De Raptu virg.* eidem pœnæ subjecit raptorem propriæ sponsæ, per Ius Canonicum in hac parte correctum est, c. penult. de Raptoribus: *cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptijs agitur, iste raptor dici non*

non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit.

Tertia conditio ad hoc, ut raptus prædictis pœnis subijciatur, est, ut fiat traductio de loco ad locum, quare si quis per vim extorqueat copulam absque traductione, non raptus committitur, sed stuprum, atque ideo non pœnâ raptûs, sed stupri violenti puniendus est. Sed neque sufficit qualiscunque traductio de loco ad locum, sed debet esse ad effectum abducendi, & non præcisè ad commodiorem usum, & coitum; hinc non satis est, quod de uno cubili ad aliud, aut deprehensa in via publica, vel agro ad aliquos passus abducatur ad commodiùs coeundum, cùm actus iste locum occultum petat; sed est necesse, ut saltem de una domo in aliam traducta sit, animo illam abducendi à loco, ubi habitat, ac moratur. ita AA. citati.

Denique ut incurrantur hæ pœnæ, debet mulier, quæ rapta est, esse honestæ vitæ; non ergo ijs subjacet raptor publicæ meretricis, quia honestarum mulierum nomine scorta non veniunt; plectitur tamen etiam talis pœnâ extraordinariâ arbitrio Iudicis; tunc verò ordinariâ, si meretrix impuræ vitæ pænitentiâ ducta, non solùm aversata sit antè actam turpitudinem, sed actu caperit honestè vivere, quo casu raptor tenetur pœnâ raptûs. Iterum AA. citati. Hæc de rigore, & pœnis à Iure communi tum Civili, tum Canonico in crimen raptûs constitutis.

3. Ius novum Tridentini Concilij de crimine raptûs ita statuit: *decrevit sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta, illum in virum consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omnium q; dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare.*

Videamus nunc, quomodo jus novum S. Concilij partim differat, partim verò conveniat cum Iure communi antiquo. Primò quidem discrepat in hoc à Iure Civili, quòd ibi raptus solùm fiebat circa mulieres honestas, ut constat ex L. unica. C. De raptu virginum: *Raptores virginum honestarum*, quod à Glossa extenditur ad alias quoque fœminas honestas; at in Concilio Tridentino comprehenditur raptus cujuscunque fœminæ, sive virginis, sive corruptæ, sive meretricis, & inhonestæ. Ita Sanch. *L. 7. disp. 13. n. 14.* Bonac. *q. 4. pu. 18. n. 7.* Pirh. *de Raptor. n. 24.* Reginaldus, Palao &c. Ratio est, quia Tridentinum intendit punire quemcunque

cunque raptum, qui libertatem Matrimonij offendit: non minùs autem offenditur libertas Matrimonij, si rapiatur mulier corrupta, aut inhonesta &c. intentione cum ea ineundi Matrimonium, quàm si honesta rapiatur: ergo post Tridentini decretum perinde est, cujuscunque statûs, vel conditionis sit fœmina rapta, & corrigitur per illud Ius Civile.

Cum Iure canonico convenit quidem in pœnæ, sed discrepat in modo pœnæ, nam ibi decernitur excommunicatio in raptores, eisque subsidium ferentes, quæ tamen non sit latæ, sed ferendæ sententiæ; at quæ per Tridentinum decernitur excommunicatio in raptores, eisque consilium, auxilium, aut favorem præstantes, est latæ sententiæ, & ipso facto incurritur, etiamsi copula secuta non sit cum rapta, quia etiam hac non habitâ raptores sunt, istius tamen censuræ absolutio Papæ reservata non est. Ita rursus Sanch. *cit. disp.* 13 *n.* 1. Bonac. *l. c. n.* 9. Tambur. *l.* 7. *in Decal. c.* 6. §. 2. *n.* 13. Reginald. *l.* 22. *n.* 31. *vers. De excommunicatione.* Iac. Pignatellus *Consult. Canonic. tom.* 5. *consult.* 80. *n.* 2. Carol. Ant. Thesaurus *De pœnis Ecclesiast. p.* 2. ℣. *Raptus. c.* 2. quia huius reservationis mentionem non fecit Concilium; quando autem conditor legis excommunicationis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs, eam relaxandi, ut habetur *c. Nuper. De Sent. Excommunic.* ℣. *In secundo verò casu.* Reliquæ autem pœnæ, quæ statuuntur à Tridentino, non incurruntur, nisi post sententiam Iudicis, videlicet perpetua infamia, quæ saltem requirit sententiam declaratoriam criminis, inhabilitas ad omnes dignitates, quæ consequitur infamiam; depositio quoque à gradu, seu statu Clericali non incurritur ipso facto, sed raptores Clerici deponendi sunt per ministerium Iudicis; denique de obligatione dotandi raptam, id manifestè patet ex verbis Concilij, nam dicunter teneri decenter dotare raptam *arbitrio Iudicis*, spectata qualitate raptoris, & raptæ. Sanch. Pirhing &c. Quòd si tamen ex raptu non solùm injuria, sed aliud insuper damnum secutum est, istud utique in foro conscientiæ ante omnem sententiam judicis resarciendum est, ut constat ex ijs, quæ tradi solent de justitia.

Discrepat iterum Ius novum Concilij à Iure communi antiquo, quòd ibi potuerit raptor inire conjugium cum rapta, si ipsa in hoc consensum dedisset; at ex vi Tridentini irritum, ac nullum est Matrimonium contractum inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc existit sub potestate raptoris, ac ab eo separata non est, & in loco tuto, ac libero constituta, unde hodie raptus est impedimentum non solùm impediens, ut olim in Iure Canonico, sed dirimens, non quidem perpetuum, sed temporale,

porale, donec rapta libertati suæ restituatur, & violentia cesset, ut constat ex verbis Concilij.

4. Circa hanc Tridentini Concilij constitutionem dubitari de aliquibus potest, an pœnas ab eo latas incurrant, & contrahant impedimentum, per quod Matrimonium dirimatur? ac primò quidem de eo, qui rapit fœminam ex causa libidinis, non autem ex intentione contrahendi Matrimonium cum rapta, an is obnoxius sit prædictis Tridentini pœnis?

Affirmant Bonac. *q.* 4. *de Matrimon. pu.* 18. *n.* 2. Emanuel Sà *V. Matrimonium n.* 9. & alij quidam citati à Sanchez eò quòd Tridentinum generaliter loquatur, nec minùs raptor sit, qui abducit fœminam causâ libidinis, quàm qui ex causâ contrahendi Matrimonij, idque asserit citatus Sà, declaratum esse à S. Congregatione Cardinalium. Nihilominus etsi talis verè, ac propriè raptus sit quoad culpam, gravissimè prohibitus, & pœnâ dignus, multò tamen probabilius est, non esse propriè raptum à Tridentino hîc intellectum, neque ejusmodi transgressores comprehendi decreto dicti Concilij, vel incidere aut ipsos, aut eorundem fautores in excommunicationem, aliàsve pœnas à S. Synodo statutas, unde Matrimonium quoque inter talem raptorem, & raptam erit validum, si ista postmodum liberè consentiat, quamvis non fuerit constituta extra potestatem raptoris. Ita Sanch. *L.* 7. *disp.* 13. *n.* 4. Palao *disp.* 4. *de Sponsal. pu.* 2. §. 2. *n.* 11. Dicastillo *disp.* 7. *de Matr. dub.* 58. *n.* 660. Perez *disp.* 38. *Sect.* 4. *n.* 3. Hurtad. *disp.* 23. *de Matr. difficult.* 3. *n.* 14. Pirh. *de Raptorib. n.* 23. Wiestner *n.* 12. *eod. tit.* Wex *p.* 5. *Ariad. Canonic. tr.* 2. *de Sponsal.* §. 4. *n.* 43. Eman. Rodriq. *in Summa. tom.* 1. *c.* 212. *n.* 7. Præpos. *q.* 7. *de impedim. dirim. dub.* 16. *n.* 141. Reginald. *L.* 31. *n.* 165. Coninck, Lessius, Sporer, Gobat &c. Ratio est, quia Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 6. statim à principio incipit agere de Matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam, adeoque de illo tantùm raptu censetur agere, qui causâ Matrimonij admittitur, maximè cùm illud decretum ponatur sub Rubrica *De reformatione Matrimonij*, quod signum est, loqui de raptu, qui fit in ordine ad Matrimonium, nam ubi textus dubius est, rubrica probat, qualiter intelligendus sit, ut benè ostendit Euerardus *in suis topicis. loco à rubro. n.* 6. quia in dubio ita intelligendus est textus, ut conveniat rubricæ, sub qua constituitur: cùm igitur rubrica hujus capitis sit de Matrimonio, textus quoque capitis de Matrimonio agere dicendus est, & S. Concilium illum duntaxat raptum intelligere, qui Matrimonij ineundi causâ fit, cùm hic solus libertatem fœminæ lædat, cui S. Synodus in Matrimonio consultum esse voluit, nam raptus, qui fit causâ libidinis, ad

Matrimonium raptam non cogit, atque ita declaratum fuisse à S. Congregatione Concilij die 23. Jan. 1586. referunt Pirhing, & Wex *ll. cc.* ex Joanne Gallemart. *in cit. Decreto Concilij*, cujus declarationis mentionem quoque facit Laym. *L. 5. tr. 10. c. 13. n. 5.* ubi hanc Sententiam dicit probabilem, unde parùm contra nos probat declaratio Cardinalium, quam citat Emanuel Sà, de qua meritò dubitari potest, an authentica sit.

5. Non minus dubium est, an huic decreto S. Synodi, ejusque pœnis obnoxius sit, qui puellam non invitam, sed consentientem abducit ad contrahendum cum ea Matrimonium, Parentibus, aut ijs, quorum curæ subest, ignorantibus, vel etiam invitis, & reluctantibus? Quoad primum minor difficultas est, nam quando ipsa volens virum sequitur, licèt injuria quædam Parentibus, vel Tutoribus inferatur juxta dicta *n. 2.* non tamen vel puellæ, vel istis infertur propriè dicta vis: ergo non datur verus raptus, qui, ut propriè talis sit, violentiam requirit, & consequenter non incurritur impedimentum, aliævé pœnæ à Concilio constitutæ, quidquid sit de pœnis, quæ statuuntur à Jure Civili, de quibus dictum est *n. 2.* ita cum Sanch. & Bonac communior contra Cardinalem de Luca *tom. 1. p. 2. disc. 5. de Matrim.*

Quoad secundum verò, si nempe scientibus, sed invitis, ac resistentibus Parentibus, aut Tutoribus ex causa Matrimonij abducta sit volens, ac consentiens, multorum opinio est, Matrimonium non subsistere, sed adesse impedimentum dirimens, omnesque alias pœnas Concilij locum habere, cùm verè raptus sit, quam Sententiam iterum mordicùs tuetur Card. de Luca *l. c.* referens pro eadem declarationem S. Congregationis de Anno 1608. 24. Jan. Zerola *in praxi Episcop. p. 2. V. Raptus.* Præpositus *l. c. n.* 142. citari insuper solent Tuschus, Guttierez, Henriq. Rebellus, sed hic planè sine sufficiente causa, cùm hanc quæstionem non examinet. Verùm de hac quoque declaratione meritò iterum dubitat Wex *l. c. n.* 42. an authentica sit, & legitimè ubique recepta, præsertim cùm S. Congregatio declaraverit, his pœnis non subjacere, qui rapit etiam invitam causâ libidinis: minùs igitur subjacebit, qui volentem rapit ex causa Matrimonij, cùm ibi respectu fœminæ intercedat violentia, hîc autem nulla: unde meliore ratione negativam tenent Sanch. *disp. 13. cit. n. 13.* Dicastillo *l. c. n. 665.* Jacobus Pignatellus *Consultat. Canonic. tom. 5. Consult. 80. n. 4.* Tambur. *L. 7. in Decal. c. 6. §. 1. n.* 11. Palao *l. c. n.* 12. Less. *L. 4. de Iust. c. 3. dub. 9. n.* 70. Coninck, Hurtad. Pirhing *l. c. n.* 27. Wiestner *l. c. n.* 11. cum his ergo dicendum, quamvis committatur

peccatum

peccatum raptûs quoad culpam ob injustitiam factam Parentibus, aut Tutoribus, atque ideo Jure Civili puniatur, & in tribunali quoque pœnitentiæ, seu confessione hujusmodi raptus specialiter explicandus sit, quia continet specialem injustitiam, non tamen sufficit iste raptus ad incurrendas pœnas Tridentini, aut annullandum Matrimonium, quia Tridentinum in eo Decreto aliud non intendit, quàm favere libertati Matrimonij, & cavere, ne fœmina invita, & repugnans cogatur illud inire cum raptore: ergo etiamsi Parentes dissentiant, si tamen ipsa puella consentiat in sui abductionem, non læditur libertas Matrimonij, adeoque propter dissensum Parentum non incurruntur prædictæ pœnæ raptûs: & quamvis consensus Parentum requiratur ad honestatem Matrimonij, ut licitè, & decenter ineatur, non tamen requiritur ad ejusdem validitatem, sed ad hanc solùm requiritur, ut ipsa fœmina liberè contrahat cum raptore, quod ex eo patet, quia Ecclesia plus non exigit ad Matrimonij valorem, quàm unicè, ut restituatur rapta pristinæ libertati, & in loco tuto, ac libero collocetur, quando etiam violenter, & contra suam voluntatem rapta est, nec petit Concilium præter hoc ullo modo consensum Parentum: cùm igitur sola voluntas, & consensus fœminæ, & ejus dissensus attendatur à S. Synodo, non verò placitum, & consensus Parentum, Decreto, & pœnis Concilij Tridentini locus non est, ubi fœmina in sui abductionem consensit, quantumcunque Parentes, aut Tutores reclament, ac inviti sint, & sicuti, si puella invita abducatur causâ Matrimonij contrahendi, Parentibus, aut Tutoribus volentibus, adhuc locum habent pœnæ raptûs, & Matrimonium nullum est, ita è contrario, si ipsa velit, etsi Parentes nolint, non incurruntur pœnæ raptûs, nec adest impedimentum dirimens.

6. Istud à fortiori procedit in raptu propriæ Sponsæ; & quidem Lessius *l. c.* cum Tamburino *n.* 14. videtur id affirmare sine discrimine, an ea volens, an verò nolens, & invita abducatur, cùm raptus dici non debeat, eò quòd ob desponsationem aliquid juris in eam habeatur. At meo judicio istud solummodo verum est, quando Sponsa consentiens abducitur à Sponso causâ Matrimonij contrahendi, etsi Parentes contradicant, quod Adversarij quoque, & ipse Card. de Luca non gravatè concedunt, constatque ex *c. penult. De Raptorib.* quod negat esse raptum, aut pœnæ subjacere, quando tractatus aliquis de Matrimonio præcessit, hoc est, ut advertit Sanch. *L.* 7. *disp.* 12. *n.* 15. quando præcesserunt Sponsalia de futuro, isque tractatus conclusus est, & præstitus consensus de nuptijs contrahendis. Non ve-

rò excusatur, qui Sponsam rapit, aut abducit nolentem, ac reclamantem, sive Parentes consentiant, sive non, quia tunc verè læditus libertas Matrimonij, quam vult illæsam esse Tridentinum, nec potest Sponsa per vim cogi ad servandam fidem Sponsalium, saltem si justam causam habet, non standi fide data, & quamquam cogi possit authoritate publica, si injustè resiliat, compelli tamen nequit authoritate privata, idque non obscurè insinuatur in cit. c. ubi habetur, raptum admitti, ubi nihil de nuptijs actum est, additurque: *iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, licet Parentes reclamarent*: igitur excusatur duntaxat, qui Sponsam rapit consentientem, non autem, qui invitam, ac consequenter contra hunc procedit dispositio Tridentini, non autem contra illum. Ita Sanch. *disp.* 13. *n.* 15. Perez, & alij supra citati.

Ex hactenus dictis facilis nunc est solutio hujus nostri casus, videlicet si aliud impedimentum non adfuit, potuisse contrahi de præsenti, ac consistere Matrimonium inter Ericum, & Griseildem, ignorantibus illius Parentibus abductam, quia nec ipsi ulla, neque his propriè dicta vis, ac violentia illata est per hunc discessum, in quem ea ultrò consenserat post contracta antecedenter Sponsalia, unde nec adfuit impedimentum raptûs dirimens, nec locum habuére aliæ pœnæ à Tridentino statutæ; atque ita in simili raptu decisum fuisse, datamque potestatem ad contrahendum Matrimonium de præsenti, testatur Gobat *tr. 9. c. 19. n. 547.*

7. Statutâ decisione nostri casus, restant nobis adhuc exponenda non nulla dubia, quæ circa impedimentum raptûs moveri possunt, ac primò quidem, an ijsdem pœnis à Tridentino decretis subijciatur, qui non pro se, sed pro alio fæminam rapuit? Circa hanc quæstionem notandum est, an raptum hunc commiserit, hoc altero, v. g. Cajo, pro cuius nuptijs fæmina destinabatur, sciente, & instigante, an verò ex motu proprio, & eo, pro quo rapuit, ignorante? si primum; certum est, in primis Cajum incidere in excommunicationem, omnèsque alias pœnas decretas à Concilio, nam verè raptor est, cùm non solùm ille raptor dicatur, qui raptum physicè committit, sed etiam is, cuius imperio raptus peragitur, quia paria sunt, aliquid facere per se, vel per interpositam personam. *L. Hac edictali. §. Sin verò plus. C. De Secundis nuptijs*, scopusque Concilij Tridentini fuit potissimùm, per hoc Decretum coërcere potentes, qui rarò solent ipsi rapere, sed id per suos exequuntur: non ergo fuissent coërciti, si solùm eos afficeret, qui proprijs manibus fæminam rapiunt; nec potest iste tertius, cujus nomine, & pro

quo

quo raptus patratus est, cum rapta validè inire Matrimonium, nisi priùs in loco tuto fæmina constituatur. Hæc de ipso. At verò is, qui raptum actu exercuit instigatus ab alio, in excommunicationem quidem incidit, cæterasque auxiliantium pœnas, potest tamen cum ipso validè contrahere fæmina, etiam priùs, quàm collocata fuerit in tuto loco. Ratio hujus est, quia illa pœna, ut nequeat Matrimonium validè iniri cum rapta, non est in Decreto Concilij lata contra illos, qui in raptu auxiliantur, sed in eos, pro quibus raptus committitur, si ex eorum imperio, ac voluntate hoc fiat, nam dum decrevit Concilium, inter raptorem, & raptam non posse consistere Matrimonium, quamdiu rapta fuerit in potestate raptoris, supposuit, raptum eò destinatum esse, ut raptor ducat raptam: si ergo, qui rapit, non sibi destinat raptam in Matrimonium, sed alteri cuidam tertio, à quo ipse conductus est, non ipsum, sed hunc tertium afficit decretum Tridentini quoad hanc pœnam, unde poterit & ipse, & quicunque alij auxiliantes contrahere validè cum rapta, etsi necdum in loco tuto collocata sit, si in hoc ipsa consenserit, solo excepto raptore principali, ad cuius mandatum, vel petitionem raptus commissus est.

At si evenerit secundum, hoc est, si motu proprio, & ignorante altero, rapta est fæmina, eo fine, ut cum hoc altero Matrimonium contraheret, v. g. scivit quispiam, te adamare nobilem virginem, quam recusant Parentes dare conjugem, is ergo, ut ea potireris, te neque conscio, neque petente, puellam vi abduxit, ut eam tibi conjungeres, hoc casu etsi hujusmodi raptor alijs pœnis plectendus sit, nihilominus neque tu, neque ille impedimentum dirimens, aut pænas ordinarias, præsertim à Concilio latas, incurrit. Non tu, quia raptor non es: non ille, quia non pro suo Matrimonio rapuit, de quo solo loquitur Tridentinum, ut modò diximus; poteris proinde & tu, & ille, qui rapuit, validè contrahere Matrimonium cum ea muliere rapta, etiamsi separata non fuerit, & in loco tuto collocata. Ita quoad utrumque Sanch. *disp.* 13. *n.* 6. cum alijs citatis. Quinimò addit Præpositus *in 3. p. S. Th. q. 7. de imped. Matr. dub.* 16. *n.* 143. neque incidere in pœnas Concilij, aut in impedimentum dirimens, si quis, post quam se inscio rapta est fæmina, ut sibi traderetur in Matrimonium, in hoc consentiat, vel etiam mandet, ut retineatur, cùm talis non videatur dici raptor, nam raptus non consistit in illa detentione, sed in abductione violenta, proinde poterit hic validè cum ea contrahere Matrimonium, si rapta liberè in illud consentiat.

8. Quæri potest 2. An raptus dici mereatur, dictisque pœnis obnoxius red-

reddatur raptor, quando fæmina per vim abducta ipsa deinde consensit in hunc raptum ?

Respondeo affirmativè, quia in istis non finis spectatur, sed initium, in quo violentia intercessit: ergo si ab initio abductioni renitatur, etsi postmodum in eam ultrò consentiat, non potest cum ea contrahi Matrimonium, quamdiu fuerit in potestate raptoris, nec evitantur pœnæ in hoc crimen statutæ, neque sententia excommunicationis, quæ incurritur ipso facto violenti raptûs, qualis propriè hîc datur.

Pari modo incurruntur prædictæ pœnæ, etsi mulier, quæ violenter rapta est causâ Matrimonij contrahendi, postea ad locum destinatum perducta non sit, quia fortassis raptor in itinere resipuit; nam sufficit, quòd illam raptor per vim in suam potestatem redegerit, quia per hoc jam consummatum est delictum raptûs, & perfectè irrogata injuria libertati Matrimonij, nec enim attendit Concilium, ut raptor in aliquo loco raptam jam constituerit, sed tantùm, ut rapuerit causâ Matrimonij, illamque in suam potestatem redegerit. Crediderim tamen, in utroque casu quoad alias pœnas tum Iuris Civilis, tum Canonici, ac Tridentini Concilij, quæ non incurruntur ipso facto, sed primùm per sententiam Iudicis inferendæ sunt, mitiùs agendum cum tali raptore, cùm non videatur prorsus completa esse ipsius malitia. ita colligo ex Sanchez *disp.* 12. *n.* 7. & Perez *disp.* 38. *Sect.* 4. *n.* 4. in hanc benigniorem partem inclinantibus. Econtrario non habent locum ullæ ex prædictis pœnis, si fæmina volens abducta sit, & in abductionem ab initio sponte consenserit, quia sic non raptus esse censetur, sed fuga voluntaria, etsi postmodum voluntatem mutet, & huic abductioni resistat, quia iterum spectatur initium, in quo nulla violentia fuit. Dicastillo, & alij supra citati.

9 Tertium quæsitum est, an easdem Concilij pœnas incurrat Parochus, qui Matrimonio inter raptorem, & raptam assistit, & num has pœnas evadat, qui raptam ducit in uxorem?

Quoad primum respondeo, Parochum assistentem tali Matrimonio raptoris cum rapta, nondum in pristinam libertatem extra raptoris potestatem reposita, Decreti Tridentini pœnas non incurrere, nam statuuntur istæ adversùs fautores, & auxiliatores raptûs: at Parochus assistens Matrimonio non favet delicto raptûs, utpote quod jam plenè admissum est, sed favet Matrimonio; incurreret nihilominus prædictas pœnas, si ante raptum promisisset raptori, quòd velit assistere Matrimonio contrahendo cum rapta, atque ita illum ad raptum patrandum animâsset, sic enim tanquam fautor pœnis raptû obnoxius foret. Sanch. *disp* 13. *n.* 1. Perez *disp cit. Sect.* 3. *n.* 4. Pirhing. *n.* 20. *De Raptoribus.*

Quoad

Quoad secundum respondeo, cùm inter cæteras pœnas à Tridentino statutas sit infamia perpetua, non defuerunt, qui assererent, ab hac saltem fore liberum raptorem, si cum rapta validè contrahat, eamque post concessam ipsi pristinam libertatem, in hoc consentientem, uxorem ducat. Ita enim docet Henriq. *L.* 12. *c.* 14. *n.* 4. ubi expressè asserit, raptorem, si raptam duxerit, non manere infamem, & incapacem dignitatum, cum quo idem sentit Emanuel Rodriquez *tom.* 1. *Summæ c.* 231. *n.* 6. & alij nonnulli, putantque, id præsumi posse de pia mente Tridentini, nam durum esset, si rapta deberet nubere infami, eamque hoc à celebrando Matrimonio procul dubio revocaret, atque sic cederet hæc constitutio in Matrimonij gravamen contra favorem, quem ipsi Tridentinum præstare intendit.

Sed dicendum, etsi cum rapta contrahat Matrimonium, incurrere nihilominus raptorem non solùm excommunicationem, sed etiam infamiam, & inhabilitatem ad quascunque dignitates. Ita præter supra citatos id optimè probant Molina *tr.* 3. *De Iust. disp.* 105. *n.* 22. & Præpos. *l. c. n.* 150. quia nempe hæ pœnæ priùs incurruntur, quàm Matrimonium iniri possit, videlicet per ipsum raptum, antequam rapta reponatur in suam libertatem, & quidem incurruntur absolutè, non verò sub aliqua conditione, ut ijs ligetur, nisi raptam uxorem duxerit, vel ut tunc cesset infamia, quando, concessâ fœminæ libertate, cum ea conjugium contraxerit, nec enim extat textus, qui declaret, per Matrimonium subsequens has pœnas aboleri, imò contrarium patet ex Tridentino, nam istud, postquam asseruit, posse à raptore duci raptam, si in pristinam libertatem restituta consenserit, mox subjungit: *& nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmque dignitatum incapaces*, ubi bene ponderanda est dictio *nihilominus*, idem enim significat, ac, esto, quòd Matrimonium cum rapta ineat, sive, hoc non obstante, quòd raptam ducat, incurret in sequentes pœnas. Nec cedit hoc in ullum præjudicium raptæ, ut arbitratur Henriquez, quia non cogitur ea cum infami contrahere, sed potest pro suo libitu, postquam in libertatem fuerit reposita, vel huic nubere, vel cuicunque alteri; quòd si hunc eligat, sicque incommodum aliquod patiatur, sibi imputet. Sed neque repugnat favori Matrimonij, quia ea pœna imponitur raptori non ob contractum Matrimonium, sed ob præcedens delictum raptûs, & solùm deciditur, non liberari raptorem à tali pœna, etiamsi raptam ducat, in quo sanè ipso maximus est favor Matri-

Matrimonij, quòd Tridentinum tanti faciat illius libertatem, ut illi contravenientes admisso raptu gravissimis pœnis subdat, non obstante Matrimonio postmodum liberè subsecuto. Etsi verò hæc, considerato Tridentini Decreto, verissima sint, & reipsa per subsequens Matrimonium raptor etiam ab infamia non liberetur, placet nihilominus, quod ait Hurtadus *disp.* 23. *de Matr. difficult.* 3. *ad finem* cum Perez & Molina supra cit. post celebratum legitimè Matrimonium cum rapta habere Judicem æquissimam, & non levem causam, ut à raptore infamiam auferat, illumque ad pristinum statum restituat, ac capacem efficiat omnium dignitatum.

10. Quæritur 4. An, sicut Concilium Tridentinum irritat Matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc in ejus potestate fuerit, ita vi hujus Decreti irrita quoque sint Sponsalia de futuro, celebrata cum rapta adhuc existente in potestate raptoris? Pars negativa suaderi potest ex eo, quòd id decretum Concilij non loquatur de Sponsalibus, sed de solo Matrimonio, consequenter cùm sit pœnale, & corrigat Jus antiquum, non debet extendi ad Sponsalia, nec est intelligendum de casu non expresso, sed iste relinquendus est dispositioni Juris communis juxta *c. Quæ à Iure. De R. I. in 6.* præsertim cùm non militet utrobique eadem ratio prohibendi; nam Matrimonij contractus est perpetuus, ac indissolubilis, econtra Sponsalia ex pluribus causis dissolvi possunt: meritò igitur ab initio statim irritavit Concilium hæc Matrimonia, nec opus erat, ut idem faceret circa Sponsalia. Ita Perez *l. c. n.* 8. Præpos. *n.* 148. Wiestner *De Raptoribus. n.* 15.

Verùm dicendum, Sponsalia quoque sic contracta non valere, quia etsi lex correctoria, & pœnalis non passim extendatur ad casus non expressos, extenditur tamen ad casum, in quo omnino eadem ratio militat, ut habetur *in Glossa ad c.* 1. *V. Italiæ. De Temp. Ord. in 6.* atqui Concilium Tridentinum cùm annullaret ista Matrimonia, non ideo hoc fecit, quia perpetua, & indissolubilia sunt, sed quia consulere voluit plenæ illorum libertati, quæ ratio eadem prorsus invenitur in Sponsalibus, nam cùm hæc via sint ad Matrimonium, & præparatio ad illud, decuit ipsa quoq; omni ex parte esse perfectè libera; qualia cùm non sint, quamdiu fœmina existit in potestate raptoris, Concilium annullans Matrimonia in tali statu inita, censetur etiam annullare Sponsalia, cùm in his non minorem libertatem requirat; atque ita interrogata de hac re Congregatio Romæ deputatorum ad respondendum dubijs circa definitiones Concilij Tridentini obortis, num valida essent Sponsalia eo tempore celebrata, invalida esse

esse respondit, quam declarationem refert, & sequitur Molina *l. c.* Navarrus *L. 5. Consil. 4. De Raptoribus.* Emanuel Rodriq. *tom. 1. Summæ c. 231. n. 3.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4 c. 13. ad finem.* Azor *tom. 3. c. 15. in fine.* Sanch. *L. 7. disp 13. n. 17.* Bonac. Dicastillo, Pirhing *l. c. n. 29.* Aliud sanè, ac multò diversum est de clandestino Matrimonio, ac Sponsalibus clandestinis, ut, annullato eo, non pariter annullentur Sponsalia clandestinè contracta, quia in his non est eadem utrobique ratio, nam si is, qui priùs clam contraxit cum una Matrimonium, postea aliam ducat in facie Ecclesiæ, jubetur cum hac posteriore manere, cùm de priore conjugio Ecclesiæ non constet, & tamen revera hoc posterius Matrimonium invalidum est; ne igitur talia eveniant, irritavit Ecclesia Matrimonia clandestina, ut verò Sponsalia quoque clandestina annullaret, nulla cogebat ratio, nam etiam post priora Sponsalia cum aliqua celebrata, Matrimonium cum alia deinceps contractum validum est.

Atque hæc, quæ à Concilio Tridentino decreta sunt, & hactenus exposita, procedunt in ijs locis, in quibus receptum est Tridentinum, aliàs observandum, quod Jure antiquo statutum est in *c. fin. De Raptoribus.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 2. n. 18.* Perez, Dicastillo.

11. Quæri denique potest 5. & ultimò, an Virginum raptores, cùm crimen istud gravissimum sit, & rei publicæ admodum perniciosum, ex qua causa etiam graviores pœnæ in id statutæ sunt, gaudeant jure asyli, si ad Ecclesiam confugiant? Ratio dubitandi est, quia Novellâ 17. *c.* 7. in Jure Cæsareo statutum est, ut ejusmodi raptores nulla penitus Ecclesiarum immunitate gaudeant, sed inde extrahantur, & supplicium eis inferatur, cui Sententiæ adhæret Covarruv. *L. 2. Variarum, c. 2. n. 8.* cum Hippolyto, quem refert, putatque, etiam de Jure Canonico extrahi inde posse. Sed communior, & certa Sententia est negativa, nam dicta Authentica, sive Novella per Jus Canonicum correcta est, ut docent Sylvester *V. Immunitas 3. q. 2.* Sanch. *L. 6. Consiliorum c. 1. dub. 8. n. 29.* Ant. Gomez *tom. 3. Variar. resolut. c. 10. n. 2.* Julius Clarus *L. 5. §. fin. q. 30 n. 9.* ubi ait, hanc esse communem Sententiam, & observari à Judicibus Deum timentibus, omnimoda autem certitudo habetur ex Bulla Gregorij XIV. in qua, cùm inter crimina excepta, quæ immunitate Ecclesiastica privantur, & ibi recensentur, non numeretur raptus Virginum, dicendum omnino est, quidquid olim in Jure Civili contra raptores Virginum statutum fuerit, hodie vi hujus constitutionis Pontificiæ patere ijs perfugium in Ecclesijs, nec posse eos inde extrahi.

§. V.

CLANDESTINITAS.

MAtrimonium clandestinum dicitur, quod clam, sive occultè contrahitur, cujus aliqui plures species enumerant, Sanchez tamen *L. 3. de Matr. disp. 1. n. 3.* Palao, Dicastillo &c. meritò agnoscunt tantùm duas: Unam omnino propriam, alteram minùs propriam. Propriè vocatur Matrimonium clandestinum, quod contrahitur absque Parocho, & testibus sufficientibus ad plenam illius probationem, sic enim non potest de ipso sufficienter constare Ecclesiæ juxta ipsius præscriptum. Alio modo minùs propriè dicitur clandestinum, quando fit quidem coram Parocho, & testibus, sed absque præmissis denunciationibus ab Ecclesia requisitis, quo casu est clandestinum non simpliciter, sed quasi secundùm quid, quia licèt probari non possit per denunciationes, per quod aliquo modo occultum est, potest tamen probari per Parochum, & testes, & sic non est simpliciter, & perfectè occultum, seu clandestinum. De utraque hac clandestinitate agetur in præsente paragrapho; & quidem de prima, in qua deficiunt denunciationes requisitæ, in casu proximo; reliqua in sequentibus exponemus.

CASUS

CASUS PRIMUS

Militaris.

De Denunciationibus.

Lamprinus Jaurini in Hungaria natus, patre milite præsidiario, attingens annum ætatis suæ decimum quintum nomen militiæ dedit, ac sub signis Cæsareis per plures annos ad Rhenum superiorem, inde in Flandriam, in Italiam, ac tandem in Catalauniam à suis Belli ducibus abductus est, in quibus regionibus, & provincijs partim præsidiarium, partim castrensem egit militem. In Catalaunia captus ab hoste, & in Galliam abductus, cùm ultra annum à suis in captivitate sine spe liberationis relinqueretur, ad signa Gallica accessit, quæ tamen paulò post iterum deseruit, & ad Cæsarea reversus est, ac tandem cum parte Legionis, in qua merebatur, Friburgum Brisgojæ missus est in præsidium, ubi etiamnum moratur, & vult cum Sponsa Friburgensi contrahere Matrimonium.

Quæritur autem, 1. an sufficiat, si trina denunciatio fiat Friburgi, in Sponsi, vel Sponsæ Parochia? vel an requiratur, ut denunciationes etiam fiant Jaurini, utpote in domicilio originis; imò in omnibus illis provincijs, & regionibus, ubi per

plures annos Lamprinus moratus est, & impedimentum contrahere potuit, cùm aliàs finis denunciationum videatur non obtineri, qui est, ut, si ex parte Sponsi, vel Sponsæ subsit aliquod impedimentum, illud manifestetur?

Q. 2. Si in istis circumstantijs Lamprinus suam libertatem non solùm per juramentum proprium, sed etiam per testes juratos probare obligaretur, an sufficiat, si testes juratò affirment, se nullum scire impedimentum; vel an teneantur positivè affirmare, se scire, quod nullum impedimentum subsit?

Ita ferè ijsdem verbis ad me casus delatus est, ad quem quid responderim, dicam, postquam more consuetto exposuero, quæ circa denunciationes scitu digna sunt, aut in dubium vocari possunt, quorum capita in sequente Synopsi ob oculos pono.

SYNOPSIS.

1. *Quid sint denunciationes, & quid de ijs statuatur in Concilijs Lateranensi, & Tridentino.*
2. *A quo, in quonam loco, & quo tempore fieri debeant?*
3. *Quando Sponsus, & Sponsa ad diversas Parochias pertinent, in utraque denunciationes faciendæ sunt.*
4. *Absque dispensatione prætermitti nequeunt sine gravi peccato, à quo probabiliùs non excusatur omittens etiam unicam tantùm.*
5. *Respondetur ad primum quæsitum hujus casûs.*

6. *Non*

6. *Non opus est, denunciationes fieri, ubicunque aliquando morati sunt Sponsi, modò possint probare testibus, se liberos esse ab impedimento.*

7. *Respondetur ad secundum quæsitum istius casûs, & exponitur, quale debeat esse juramentum testium.*

8. *Quis possit dispensare quoad denunciationes?*

9. *Exponitur, quænam sint causæ justæ, ut in denunciationibus dispensetur.*

10. *Quas pœnas incurrant, qui contrahunt, vel assistunt Matrimonio omissis culpabiliter denunciationibus?*

11. *Cognoscens aliquod impedimentum inter volentes contrahere, etiamsi occultum sit, post factas denunciationes tenetur illud manifestare.*

12. *Evertuntur fundamenta hoc negantium, simul tamen pro parte affirmativa statuuntur aliquæ limitationes.*

1 Denunciationes, seu proclamationes sunt admonitiones quædam, quæ præmittuntur Matrimonio contrahendo, ut, si quis impedimentum Canonicum novit inter illos, qui contrahere intendunt, intra terminum competentem id aperiat, quamvis etiam ipse Parochus debeat de tali impedimento inquirere, & indagare. De hoc jam olim Concilium Lateranense sub Innocentio III. ita decrevit: *Statuimus, ut, cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesijs per Presbyteros publicè proponantur, competente termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrùm aliquod impedimentum obsistat &c.* Qua constitutione Concilij præscriptum non erat, quoties ea denunciatio fieri deberet, atque ideo colligitur, satis fuisse tunc, si semel fieret. At verò Concilium Tridentinum præcepit postmodum, ut Matrimonium, antequam contrahatur, ter in Ecclesia publicè promulgetur, aliaque addidit magis enucleatè, quæ observanda deinceps forent, his verbis Sess. 24. c. 1. de reform. Matr. *Sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati vestigijs inhærendo, præcipit S. Synodus, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia*

Ecclesia inter missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, & paulo post: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impeditum iri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantùm denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur; deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, faciliùs detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & judicio Sancta Synodus relinquit.* In qua Tridentina constitutione tria exprimuntur, videlicet à quo, in quonam loco, & quo tempore denunciationes fieri debeant, quæ modò explicabimus; subjungemus deinde inferiùs post resolutionem nostri casûs, quisnam in dictis proclamationibus dispensare possit.

2. Itaque fieri debent hæ proclamationes, sive denunciationes à proprio contrahentium Parocho, vel ab alio cum ipsius licentia, quia concedit Tridentinum in *cit. c.* ut alius sacerdos ex licentia Parochi assistere possit Matrimonio: ergo à fortiori concedit, ut Parochus possit dare licentiam alteri faciendi dictas denunciationes, idque praxis habet. Sunt autem faciendæ monitiones istæ tribus continuis diebus festivis, ut loquitur Concilium, quod ita intelligendum est juxta communem expositionem Authorum, non quòd hæc festa immediatè sibi succedere debeant, qualia sunt festa Paschalia, vel Pentecostes, sed ut plura alia festa inter unam, alteramque denunciationem non intercedant, etsi interveniant dies aliqui feriales, saltem duo, vel tres, inter unam, & alteram monitionem, quod fieri potest, & ordinariè debet, tum ne, si requisitæ denunciationes immediatè sibi succedant, tempus non suppetat, ut eæ sufficienter in populo divulgentur & sic impedimenta deferri queant, tum ne, si nimiùm interrumpantur, & inter se distent, Parochiani earum obliviscantur, vel ob longius spatium desides reddantur ad impedimenta detegenda. In aliquibus tamen locis id consuetudo permittit, teste Gobat *tr. 10. cas. 13. n. 519.* cum Dicastillo *disp. 3. de Matr. dub. 25. n. 217.* & Hurtado *disp. 5. difficult. 18. n. 60.* ut fiant tribus continuis diebus festivis absque eo, quòd intercedant aliqui dies feriales. Illud verò bene observandum est, ut tunc post ultimam factam denunciationem, vel quando unica tantùm ex justa causa præmittitur, Matrimonium non statim post eam celebretur, sed aliquo temporis spatio expectetur, aliàs talis denunciatio parùm utilis esset. Sanch. *L. 3. disp. 6. n. 8.* Perez *disp. 43. Sect. 2. n. 2.* Pirh. *n. 28.*

n. 28. De clandest. desponsat. Coninck. *disp. 27. dub. 5. n.* 48. & communis aliorum, sed circa hoc quoque dicit Gobat, in quibusdam locis consuetudinem ferre, ut post tertiam denunciationem factam eodem die sponsi conjungantur, quod *l. c. n.* 526. observari testatur in præcipua Parochia Urbis Constantiensis, in qua Civitate Curia Episcopalis est. In eo conveniunt omnes, celebrationem nuptiarum nimis diu protrahendam non esse, nam si post ultimam denunciationem quatuor menses elapsi sint, Parochus ad celebrationem ampliùs procedere non debet, nisi novas denunciatones præmittat, cùm novum interim impedimentum ex aliqua affinitate suboriri potuerit, atque ita declaratum esse à Congregatione Cardinalium testantur Bonac. *q. 4. de Matr. pu. 6. n.* 1. *¶. Quartò defectu denunciationum.* Rebellus *de oblig. Iust. p. 2. l. 4. in declarat. Cardinal. Sect. 2. n.* 8. & Barbosa *De offic. & potest. Parochi p. 2. c. 21. n.* 24. Easdem denunciationes fieri posse etiam ijs temporibus, quibus nuptias celebrare prohibemur, declaravit Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium præposita 18. Decemb. 1589. apud dictum Barbosam *l. c. n.* 22. & Iacobum Pignatellum *tom. 9. Consult. 133. n. 87.*

Ut autem fiant diebus festivis, adeò necessarium esse, docent Pontius *l. 5. de Matr. c. 30. n. 7.* Zerola *in praxi Episcop. p. 1. ¶. Matrimonium. §. 4.* Iacobus Pignatellus *l. c. n.* 91. ut nec quidem Episcopus hac in parte valeat dispensare, quod rursum testantur, declaratum fuisse à Congregatione Cardinalium, nec posse alio in loco fieri, quàm in Ecclesia Parochiali, contendit Perez *l. c. n.* 4. sed forsitan ista declaratio aliud non voluit, ut notat Sanchez *l. 3 disp. 7 n. 6.* quàm non posse Episcopum ordinariè dispensare, ut fiant diebus ferialibus, quin tamen prohibeatur hoc facere ex justa causa in casu speciali, si enim potest eas per dispensationem ex justa causa absolutè remittere, ut postea videbimus, nulla est negandi ratio, posse Episcopum quoque dispensare, ut fiant die feriali, quod multò minus est, juxta Regulam 53. De R. I. in 6. *Cui licet, quod plus est, licet utique, quod minus est;* hinc absolutè permittunt Sanch. Coninck, Barbosa *n.* 20. Dicastillo, & alij, denunciationes fieri posse, etiam sine speciali dispensatione, die non festo, quo ex aliqua causa solet esse magnus concursus populi, ut accidit diebus dedicationis, aut quando recolitur Titulus, seu Patrocinium illius Ecclesiæ, aut insignis aliquis Concionator est habiturus concionem, ad quam multi confluunt, tunc enim licitè fiet denunciatio, sicut in die festo. Pari modo, quidquid reclamet Perez, licitè denunciabit Parochus extra Ecclesiam, & Missarum solemnia iuxta citatos, si quando in loco competente magna po-

populi copia conveniat, ut evenire consuevit in solenni supplicatione, ubi extra Ecclesiam in loco patente, vel in campo dicitur pro concione, nam quando præscripsit Tridentinum, ut diebus festivis inter Missarum solemnia ista fierent in Ecclesia, hoc ideo fecit, quia diebus festis in Ecclesijs ad rem Divinam frequentior populus comparere solet, atque adeò denunciationes ad multorum notitiam faciliùs perveniunt, & impedimenta citiùs deteguntur: totus autem hic finis à Concilio intentus obtinetur in tali occasione extra Ecclesiam: ergo vocabulum *Ecclesia* non debet merè materialiter sumi, ut Tridentinæ sanctioni satisfiat, sed potest extendi, idque in sensu maximè proprio, ad talem populi concursum, & congregationem.

3. Majoris momenti quæstio est, & quæ ad casum præsentem multùm facit, an, quando sponsus, & sponsa ad diversas Parochias pertinent, in utriùsque Parochia faciendæ sint denunciationes? Sufficere, quòd publicatio fiat in una istarum Ecclesiarum, in qua nempe Matrimonium contrahendum est, docet cum alijs quibusdam citatis à Sanch. *L. 3 disp. 6. n. 4.* Marcus Ant. Cucchus *L. 5. Institut Majorum tit. 11. n. 19* ubi pro eadem sententia allegat Navarrum *c. 25. Manual.* Verùm Navarrus in eo capite non agit de publicatione Matrimonij, sed solùm ait, sufficere, quòd interfit Parochus mulieris, quando contrahitur Matrimonium in Parochia Sponsæ, ipseque Sanchez testatur, se locum non invenisse, ubi hoc, pro quo allegatur à Cuccho, asserat Navarrus; unde cum communi tenendum est, quando contrahitur Matrimonium inter personas spectantes ad diversas Parochias, in ambabus faciendas esse denunciationes. Ratio desumitur ex ipso Concilio Tridentino, decernente, faciendas esse à proprio contrahentium Parocho: ergo si ad diversas Parochias pertinent, per diversos Parochos fieri debent in diversis Parochijs; quod ex eo probatur, quia hæ proclamationes adhibentur, ut impedimenta, si quæ fuerint, innotescant: potest autem impedimentum viri incognitum esse in Parochia fæminæ, & vicissim: necesse igitur est, ut proclamationes fiant in utriusque Parochia. Ita Sanch. *cit.* Basil. Pontius *l. 5. c. 30. n. 4.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 127.* Palao *disp. 2. de sponsal. pu. 13. §. 3. n. 2.* Coninck, Bonac. Iac. Pignatellus *l. c. n. 91.* ubi ait, ita declarâsse Congregationem S. Concilij. 21. Febr. 1592. Excipiunt Perez *disp. cit. Sect. 2. n. 24.* & Dicastillo *disp. 3. de Matrim. dub. 25. n. 218.* si parva fuerit distantia Parochiarum, tunc enim sufficiet promulgatio in Parochia unius, sive viri, sive fæminæ, ut possint impedimenta manifestari. Quòd si verò contrahens ad duas diversas Parochias pertineat, quia plura domicilia habet, denun-

denunciationes faciendæ sunt in ea, in qua diutiùs habitat, & principalius domicilium habet, vel potiùs in ea, in qua verisimilius est, sciri impedimenta, ut in Parochia, in qua fuit antiqua Parentum habitatio, non verò in loco, quem modò quasi ignotus cepit inhabitare, credo tamen cum Coninch *disp. 27. dub. 5. n. 50* id consuetudinem habere, ut simul etiam fiant in loco, ubi de facto habitant, ac contrahunt. Bene etiam notandum est, quod advertit Barbosa *p. 2. de offic. & potest. Parochi c. 21. n. 28.* quando sponsi sunt è diversis Parochijs, Parochum Sponsæ, si in eius Parochia Matrimonium celebretur, non debere hanc celebrationem permittere, antequam habeat attestationem à Parocho Sponsi, ab eodem subscriptam, & Ecclesiæ Parochialis sigillo munitam, de factis ibidem denunciationibus. Pari modo nequaquam denunciabit Parochus exteros, nisi eorum conditionem noverit legitimo in scriptis testimonio, quòd alium virum, vel uxorem non habeant, & quòd omni impedimento Canonico Matrimonij careant. Barbosa *ibid. n. 6.*

4. Etsi verò Menochius *Consil. 69. n. 71.* & alij quidam apud Sanch. *l. 3. disp. 5. n. 2.* usque adeò hasce denunciationes necessarias esse contendant, ut ex earum omissione, seclusa dispensatione, invalidum reddatur Matrimonium, audiendi tamen non sunt, nam fundamenta, quibus innituntur, exigui momenti sunt, videlicet, quòd Tridentinum Concilium concesserit Parochis potestatem assistendi Matrimonijs, non absolutam, sed limitatam, nempe ut hoc faciant præmissis denunciationibus, unde ajunt, si Parochus assistat nuptijs, denunciationibus non præmissis, excedit fines concessæ sibi potestatis, ac consequenter nihil agit: idque confirmant ex Regula iuris *64.* in *6. Quæ contra Ius fiunt, debent utiq; pro infectis haberi.* Verùm nec fundamentum hoc, nec eius confirmatio evincit id, quod isti Authores intendunt, unde dicendum cum communi, & certa sententia, quam tenent omnes supra citati cum Barbosa *alleg. 32. de offic. & potest Episc n. 1.* & Piasecio *in praxi Episc. p. 2. c. 4. n. 29.* denunciationes non esse de essentia, & substantia Matrimonij, quasi id nullum sit, si absque illis fiat, sed potiùs, his etiam omissis, validum esse Matrimonium, efficaciter probatur, quia Iure antiquo validum erat tale Matrimonium: ergo etiam nunc est validum, namque à Iure antiquo recedendum non est, nisi contrarium statuatur Jure novo; quamvis autem à Tridentino præcipiatur Parocho, ut denunciationes præmittat, neque assistat Matrimonio, nisi illis præmissis, si dispensatum non fuerit, non tamen ponitur à S. Synodo vel unicum verbulum irritans tale Matrimonium, sed tota irritatio, de qua fit mentio *c. 1. Sess. 24.* supra citato, refertur

fertur ad defectum assistentiæ Parochi, & testium, ut nulla sint, atque irrita conjugia, quæ sine Parocho, & testibus contrahuntur; ex quo ultrò corruunt Adversariorum fundamenta; quippe ad 1. respondeo; Parocho concessam esse potestatem, quoad rectè, & ritè agendum, dum ipsi præcipit Tridentinum, ut denunciationes præmittat, non autem quoad validè agendum, hæc enim conditio præmittendarum denunciationum solùm importat formam accidentariam, ut ritè, & licitè Matrimonium celebretur, non autem, ut validè. Nec obest allegata regula Juris, utpote quæ plus non dicit, quàm factum contra legem haberi pro infecto, quando lex statuit formam substantialem actûs, secùs quando ex ipsa lege colligitur, præscribi solùm formam accidentariam, & modum, ut rectè fiat; hinc optimè dicit Wiestner in expositione hujus regulæ *n. 2.* actûs nullitatem ex sola, & simplici Juris prohibitione legitimè non inferri, sed ad hoc necessarium esse, ut legi, vel Canoni eum vetanti verba, seu dictio aliqua irritationem, & nullitatem denotans inserta sit, qualem cùm Tridentinum non apposuerit propter omissionem denunciationum, cùm tamen hoc diligentissimè fecerit, quando contrahitur in absentia Parochi, & testium, ex ipsa Concilij Constitutione non obscurè colligitur, denunciationes non esse de substantiâ Matrimonij, atque ideo ipsis, etiam sine justa causa, omissis, id non invalidari, quod à S. Cardinalium Congregatione sæpiùs fuisse declaratum, testatur Basilius Pontius *L. 5. c. 30. n. 2.* similemque decisionem S. Rotæ datam 13. Martij 1651. refert Diana ad finem partis 10. Interea negari non potest, peccare mortaliter eos, qui etiam coram Parocho, & testibus contrahunt, uti & Parochum Matrimonio assistentem, non præmissis denunciationibus, ut manifestum est ex eo, quòd illas præmitti S. Synodus ad gravia mala evitanda non solùm præcipiat, sed eas sine dispensatione, aut justa causa omittentes, gravibus pœnis obnoxios reddat, quales infligi non solent, nisi graviter delinquentibus, de quibus in fine dicetur; neque refert, quamvis subinde constet, nullum subesse impedimentum, quia lex non definit obligare, etiamsi ejus ratio in particulari hîc, & nunc cesset. Excusat tamen Sanch. *l. c. n.* 7. cum Hurtado *disp. 5. difficult. 18. n.* 58. Petro de Ledesma *q. 45. de Matrim. art. 5. pu. 3. dub. 1. conclus. 3.* & Tambur. *tr. 6. de Matr. c. 3. §. 1. n. 3.* à peccato mortali ob levitatem materiæ, si una tantùm denunciatio omitteretur, quando moraliter certum est, nullum subesse impedimentum. Sed rectiùs oppositum tenent Perez, Basil. Pontius, Coninck, Palao, Dicastillo &c. quamvis

quamvis enim, si evidenter constat, nullum subesse impedimentum, non appareat magnum inconveniens, aut gravis deordinatio, omittere unam denunciationem, quantùm præcisè est ad præcavendum periculum, peccatur tamen graviter etiam sic contra uniformitatem, quæ attendi debet in observatione præcepti Tridentini, alioquin si sola evidentia, & certitudo, quòd nullum adsit periculum, satis esset ad hoc, ut non peccetur graviter omittendo unam, etiam non peccaretur graviter omittendo omnes, quia quæ ratio probat pro una, probat pro omnibus, nempe evidentia nullius periculi: non ergo hujus duntaxat ratio habenda est, sed attendendum unicè ad præceptum Concilij, quod dispensationem etiam circa unam denunciationem non reliquit arbitrio Parochi, sed Episcopi: igitur etiam unicam omittendo aget contra gravem prohibitionem Concilij, nec dubium est, quin, qui id suo arbitratu faceret, graviter puniendus esset ab Episcopo.

5. His ita hactenus explicatis, expono nunc mentem meam, quid sentiendum sit de casu præsente, ad me aliquando delato, ad cujus primum quæsitum & tunc respondi, & etiamnum censeo, sic esse respondendum, satis fuisse, quod trina denunciatio à Tridentino requisita Friburgi fieret, ubi erat patria Sponsæ, & in qua Lamprinus tunc egit præsidiarium; licèt enim, ut supra dictum est, communior Sententia doceat, quando Sponsi sunt ex diversis Parochijs, denunciationes fieri debere in utriusque Parochia, sufficere tamen, si juxta consuetudinem quarundem Diœcesium in una tantùm fiant, sive Sponsi, vel Sponsæ, in qua nempe celebrandæ sunt nuptiæ, tradunt Laym. *L. 5. tr.* 10. *p. 2. c. 4. n.* 10. Palao *disp.* 2. *de Sponsal. pu.* 13. §. 3. *n.* 2. Tannerus *l. c.* Pirhing *n.* 28. *de Clandestina desponf.* Wiestner *eod. tit. n.* 7. Gobat *tr.* 10. *cas.* 13. *n.* 514. ubi testatur, in Diœcesi Constantiensi ita factitari, quando non possunt commodè fieri utrobique, quemadmodum ob nimiam locorum distantiam fieri vix potuit in casu nostro. Quin imò si etiam absolutè dicere velimus, fieri debere denunciationes in utriusque Parochia, dicam ego, si modò Friburgi factæ fuerint memoratæ monitiones, factas fuisse in utriusque Parochia, nam cùm Lamprinus miles sit, qui vagis annumerantur, ut pluribus docet Schiara *in Theol. bellica. L. 6. difficult.* 13. *n.* 8. *& seq.* cum Lessio *in Auctario V. Matrimonium n.* 6. vel nullam habuit Parochiam, vel eam sortitus est in loco, ubi pro tempore morabatur, adeoque Friburgi: consequenter si ibi factæ fuerunt denunciationes, factæ sunt in Parochia utriusque, & Sponsi, & Sponsæ, potueruntque validè, ac licitè celebrare coram Parocho loci, cùm

possint vagi coram quovis Parocho contrahere, modò observentur cautelæ aliàs à Tridentino præscriptæ, adeoque id possunt etiam milites juxta Schiaram, quos tamen negat, venire nomine vagorum Bernardus Van Espen *p. 2. Iuris Ecclesiastici Vniversi tit. 12 de Sponsal. & Matrim. c. 5. n. 15.* eò quòd proprium Parochum habere censeantur, imò & domicilium, saltem ij, qui in patria nihil possident, juxta L. 2. ff. Ad municipalem: *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, si nihil in patria possideat*, quales certè dantur quamplurimi, præsertim ex gregarijs, qui domi nihil possident. An verò etiam debeant, maximè quando in hybernis, aut præsidio agunt, coram Parocho loci, in quo tunc morantur, Matrimonia celebrare, videri potest in sequente casu tertio, ubi de hoc ex instituto agitur.

6. Quoad alteram quæsiti istius partem, an in alijs quoque locis, v. g. Jaurini, ubi natus est; in Catalaunia, ubi militavit; in Gallia, ubi captivus fuit Lamprinus &c. fieri debeant denunciationes? respondeo negativè, etsi enim in his omnibus locis contrahere potuerit impedimentum Matrimonij, atque ideo necessarium esse videatur, ubique dictorum locorum promulgationes fieri, ut finis Tridentini Concilij securiùs obtineatur, qui est, ut, si ex parte Sponsi, vel Sponsæ aliquod impedimentum subsit, illud manifestetur, tamen praxis quotidiana stat in contrarium, quam observari passim videmus à Missionarijs castrensibus, ut nempe denunciationes faciant solummodo coram sua legione, quin vel in patriam militum, vel alias regiones, ubi aliquando morati sunt, & impedimentum contrahere potuerunt, ista nuncient; quin imò, ut ex aliquibus intellexi, qui tanquam castrenses Capellani aliquot annis legionibus quoad spiritualia præfuére, usitatum ipsis est, dum in castris degunt, ut præmisso accurato examine loco trinæ unam duntaxat faciant denunciationem ad eos, qui Sacro intersunt, ad quod isti contracturi sunt, cùm & itinera, & alij labores militares fieri plures plerunque non permittant, aliunde verò inconsultum sit, eos incopulatos dimittere, aut conjugium diu differre; & quamvis dum in hybernis, aut urbium præsidijs morantur milites, ordinariè circa trinam denunciationem minor difficultas sit, tamen neque tunc opus est, easdem alibi quoque fieri in terris remotioribus, ubi aliquando diutius substiterunt, cùm istud nec in alijs, qui milites non sunt, observari soleat; quis enim nescit, frequentissimè evenire, ut, qui vel mercaturæ navant operam, vel sunt opifices, postquam per plures annos in exteris regionibus circumvagati, & in diversis urbibus aliquam diu morati sunt,

uno

uno denique loco domicilium stabile eligant, & Matrimonium amplectantur; quis autem audivit unquam, ex omnibus ijs oppidis, urbibusque, ubi eos morari contigit, testimonium exigi, quòd liberi sint ab impedimento? sanè res ista pareret difficultates innumeras, atque insuperabiles, possentque imminere peccata gravissima ex nimiùm diuturna dilatione Matrimonij; alia proinde adhibentur media, ut diligenter, & accuratè examinentur Sponsi, atque etiam testibus probent suam libertatem: quam cùm etiam juramento probare, & testes in eandem rem producere paratus esset Lamprinus, nulla est ratio, cur ipsi circa denunciationes ulterior difficultas movenda fuerit. Certè approbat Gobat decisionem Jacobi Marchantij *tr. 10. cas. 13. n. 496.* dum hic in resolutionibus Pastoralibus *tr. 8. c. 1. n. 2.* pronunciavit, non peccasse Parochum, qui omisit denunciationes ante copulationem militis, cùm ex una parte nequiret facilè adiri Episcopus, Sponsi verò jurarent, se carere impedimento, ex altera verò parte imminerent vel alia mala gravia, vel peccandi periculum ex dilatione Matrimonij: probaret igitur dictus Author à fortiori, quòd in casu præsente, juramento simili præstito, & testibus adductis, atque insuper factis denunciationibus consuetis, ad Matrimonium contrahendum admissi sint Sponsi, nec peteret, easdem denunciationes alibi quoque fieri cum inutili, & periculosa dilatione conjugij.

7. Hîc verò quæritur, cùm Lamprinus paratus fuerit, non solùm proprio juramento, sed etiam per testes juratos firmare libertatem sui statûs, qualiter debeat esse constitutum ejusmodi testium juramentum? quod est secundum quæsitum hujus casûs.

Crediderim ego, non sufficere, si jurent dicti testes, se nullum scire impedimentum, sed debent positivè asserere, se scire, quòd nullum impedimentum subsit, quod quidem erit quandoque difficile, necessarium tamen esse colligo ex instructione Clementis X. pro examine testium Matrimonialium, edita 21. Aug. 1670. ubi n. 10. ita ponitur: *interrogetur* (testis) *de causa scientiæ, & an sit possibile, quòd aliquis ex illis* (Sponsis) *habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum &c. & quod ipse testis nesciat.* Tum subjungitur: *si responderit affirmativè, supersedeatur, nisi ex alijs testibus probetur concludenter, non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum impedimentum.* Igitur cùm petat Pontifex, ut testes carentiam impedimenti probent *concludenter*, non satis est, si dicant, se nullum scire, nam potest sic aliquod intercedere, quod ipsi nesciant, sed debent scire, & posse dicere, impedimentum nullum adesse.

Inte-

Interea censeo, cùm certiora commodè haberi non potuerint, & à testibus tam concludenter probans asseveratio speranda non fuerit, sufficisse in casu nostro, quòd, factis denunciationibus, Lamprinus etiam juramentum deposuerit de statu suæ libertatis juxta ea, quæ dicta sunt paulò antè in resolutione Marchantij, aut si velimus plus exigere conformiter ad Glossam in c. Litteræ. De Frigid. & Malef. V. Septima manu: *omnis cautela, quæ adhiberi potest in talibus, est adhibenda propter periculum animæ*, tunc meo judicio satis erat, si neque publici Officialis, qui militari huic cohorti præerat, syngrapha haberi potuit, quæ fidem faceret de statu libero Lamprini, satis, inquam, erat, si ipse in sua legione, vel cohorte, in qua jam diu merebatur, & ubi eum multi à longo tempore noverant, passim habitus fuerit pro tali, qui nullo impedimento laboraret, nec alteri Matrimonio alligatus esset; hancque totius cohortis opinionem, & veluti publicam famam testes affirmaverint, ipseque Lamprinus de carentia impedimenti insuper juramentum deposuerit, etsi enim sola fama non probet, probat tamen, quando accedunt alia adminicula, ut patet ex *c. Si testes. 4. q. 2 & 3. c. Si mala. 2. q. 4.* & *L. Testium. ff. De Testibus.* passimque fama ita suffulta admittitur ab Authoribus etiam ad probandam mortem prioris conjugis, ut possit transiri ad secundas nuptias: igitur & hic sufficere potuit, accedente etiam juramento Lamprini, si modò is aliunde suspectæ fidei non fuerit, ut meritò timeri potuerit, ipsum pejeraturum.

8. Expositis, quæ ad præsentem casum pertinent, superest modò, ut dicamus, quis possit in denunciationibus dispensare, & quas ob causas, ac denique quas pœnas incurrant ij, qui absque dispensatione sine denunciationibus Matrimonia vel contrahunt, vel ijs assistunt?

Ex Tridentino certum est, posse in denunciationibus dispensare Ordinarium ex justa causa, ut vel omnes omittantur, idque vel ex toto, vel saltem, ne fiant ante contractum Matrimonium, vel ut una tantùm denunciatio fiat, prout is expedire judicaverit, id enim S Synodus ipsius prudentiæ, & judicio reliquit. *c. 1. cit.* Nomine autem Ordinarij non solùm Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus respectu suæ Provinciæ intelligitur, sed etiam Capitulum Sede vacante, & Prælati quicunque, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in certum territorium, & populum obtinent, nulliqué Diœcesano subjecti sunt. Sanch, *L. 3. disp. 7. n. 4.* Coninck *disp. 27. dub. 6. n. 54.* Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 13. §. 4. n. 1.* & communiter alij. An verò hoc idem possit sine speciali Episcopi delegatione Vicarius Generalis

ralis, litem movent, eiqúe hanc potestatem negant Basilius Pontius *L. 5. c. 31. n. 5* & Henriq. *L. 11. c. 5. n. 5.* Sed tenendum est contrarium, nam etiam Vicarius Generalis est verè Ordinarius Judex, idem Tribunal habens cum Episcopo, eademque censetur persona, ut habetur in *c. Romana. De Appellat. in 6.* Excipio casum, quo Episcopus hoc sibi uni particulariter reservâsset, quod facere potest. Ita rursum citati cum Perez *disp. 43. Sect. 3. n. 4.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 28. & seq.* Tamb. *L. 8. de Matr. tr. 6. c. 3. §. 1. n. 5. &c.* docetque id usus Diœcesium nostræ Germaniæ. At nullo modo potest in denunciationibus dispensare propria authoritate Parochus, quia Concilium hanc potestatem tradit soli Ordinario, quo nomine non venit Parochus, neque ipsius alia fit ibi mentio, nisi ut Matrimonio assistat; potest tamen Parochus aliquando in certis casibus procedere sine denunciationibus, non quidem dispensando, sed in urgente necessitate, quando adiri nequit Episcopus, per epichiam interpretando, & declarando, legem, quæ aliàs denunciationes præscribit, hic & nunc non obligare, veluti si in articulo mortis concubinarius velit contrahere Matrimonium cum concubina, ut securiore animo decedat, & proles legitimetur, vel si aliunde Matrimonium moram non ferat, donec fiant denunciationes, v. g. si miles statim debeat proficisci, nec expectare possit, dummodo Parochus in tali casu sit moraliter certus, nullum subesse impedimentum; quamobrem consultum est, ut à Sponsis juramentum exigat, prout fieri suasit Marchantius in casu superiùs allegato *n. 6.* Tannerus *tom 4. disp. 8. q. 3. dub. 6. n.* 132. Barbosa *de Offic. & potest. Paro, chi p. 2. c. 21. n. 5.* Gobat *tr. 10. cas. 13. n. 494.* Laym. *L. 5. tr. 10 p. 2. c. 4. n. 11.* Pirhing *de clandest. desponf. n. 29.* Bonac. *q. 2. de Matrim. pu. 6. n 7.*

9. Licèt verò Concilium in sæpiùs citato *c. 1.* ut justam causam remittendi denunciationes solùm expresserit timorem malitiosi impedimenti, quia tamen dispensationem relinquit arbitrio Episcopi, conveniunt AA. posse ipsum ex alijs quoque pluribus causis quoad denunciationes dispensare. Prima igitur causa dispensandi est, quam, ut modò dixi, expressit ipsum Concilium, timor malitiosi impedimenti, id est, quando non vanè timetur, Matrimonium iniquè, & contra rationem esse impediendum. Secunda. Si ex publicatione Matrimonij probabiliter timeatur infamia, ut si publicarentur, qui diu vixerunt in concubinatu, passimque habiti sunt pro veris conjugibus. Palao *l. c. n. 8.* Coninck *n. 57.* Tannerus *n. 129. &c.* Tertia. Quando Matrimonium semel solenniter contractum,

tractum, postea reperitur esse nullum ob occultum impedimentum. Ita omnes. Quarta. Pudor, & confusio, cui, si publicè denunciarenrur, exponi possent Sponsi valde dispares, v. g si senex juvenculam, dives pauperculam, nobilis plebejam velit ducere, aut si inter se contrahant valde senes, tales enim meritò timent, passim de eorum facto in circulis sermonem fore, quod pudorem ingerit. Hanc causam non admittit Tannerus *l. c. n.* 129. eò quòd non debeat denunciationum pudere eos, quos non pudet conjungi Matrimonialiter, & unà vivere; agnoscunt tamen eam pro sufficiente Sanch. *disp.* 9. *n.* 3. Basil. Pontius *L.* 5. *c.* 32. *n.* 2. Palao, Coninck, Perez, Barbosa, Dicastillo, Gobat, Pirhing, Wiestner, Wagnereck *in c. fin. De Clandest. Desponf.* Quinta. Quando instat tempus Adventûs, vel Quadragesimæ, quo prohibentur nuptiæ benedici, & simul est periculum dissolutionis Sponsalium, aut fornicationis, si nuptiæ diutiùs differantur. Sanch. Palao, Tannerus, & alij. Sexta. Si contrahentes se pravo amore fuerint prosecuti, ac timeatur, ne in eo perseverent, nisi Matrimonium, nulla dilatione facta, contrahatur. Idem est de meretrice in lupanari exposita; oportet enim permittere, ut Matrimonium statim contrahatur, tum ut à malo statu desistat, tum ne ipsa, vel Sponsus voluntatem contrahendi mutent. Sanchez, Palao cum alijs. Septima. Si Principes, vel Magnates contrahant, eò quòd sint valde noti, proinde si essent impliciti impedimento, non esset hoc occultum. Sanch. *l. c. n.* 6. Tannerus, Gobat, Wagnereck, Wiestner *l. c. n.* 12. ubi dicit, eorum conjugia ex dicta ratione non solere denunciari. Addit Gobat *n.* 491. justè dispensari, quando conjungendi sunt homines vagi, nam tales frustra denunciantur, utpote quorum conditio ignota est hominibus loci, in quo volunt copulari; plures alias hujusmodi causas apud citatos Authores reperies. Illud interea notandum, Episcopum, si absque ulla causa circa denunciationes dispenset, peccaturum mortaliter, quia potestate sibi concessa abutitur. Palao *l. c. n.* 5. Sanch. *disp.* 8. *n.* 2. Præterea advertendum diligenter, quando vel ob aliquam justam causam, vel per Episcopi dispensationem denunciationes prætermissæ sunt ante nuptias, non tamen omnino remissæ, tunc eas post nuptias esse faciendas, antequam Matrimonium consummetur, ut, si fortè impedimentum dirimens subsit, illud detegatur, quo casu monendi sunt conjuges, ut ante illas Matrimonio non utantur, secus enim peccabunt mortaliter, saltem primâ vice id consummantes, imò juxta Sanch. *disp.* 11. *n.* 5. Bonac. *l. c. n* 9. Dicastillo *l. c. n.* 41. aliosque

que plures, toties, quoties habent copulam ijs non præmissis.

10. Pœna antem, quæ statuitur in Matrimonium, quod celebratum est omissis culpabiliter denunciationibus, etiamsi id factum fuerit coram Parocho, & testibus, duplex est. Prima, ut, licèt aliàs filij ex Matrimonio invalido geniti pro legitimis habeantur, quando vel uterque Parens, vel saltem alteruter bona fide publicè contraxit, ignorans, adesse impedimentum, hîc tamen, quando occultè contractum est sine denunciationibus cum impedimento aliquo dirimente, sive illud sit consanguinitatis, aut affinitatis, sive aliud quodcunque, quod per denunciationes detegi, & cognosci potuisset, liberi ex tali Matrimonio procreati maneant illegitimi, non attentâ vel utriusque Parentis, vel saltem alterius ignorantiâ, quia præsupponuntur sic contrahentes habere vel scientiam latentis impedimenti, vel affectatam ignorantiam, quæ scientiæ æquiparatur, ac consequenter habere malam fidem, cùm ibi non censeatur probabilis esse ignorantia, ubi omittuntur ea, quæ præscribuntur ad indagandam veritatem, nec excusari possit is, qui non adhibuit debitam diligentiam inquirendo id, quod inquirere tenebatur, cui proinde talis ignorantia indirectè voluntaria est. Sanch. *L.* 3. *disp.* 42. *n.* 1. *&* alij.

Altera pœna est, ut, qui cum simili impedimento, etiam ignoranter, contraxerunt, omissis denunciationibus, à se invicem separentur, sine spe obtinendæ dispensationis, cuius rationem reddit Concilium Tridentinum l. c. *Non enim dignus est, ut Ecclesiæ benignitatem experiatur facilè, cuius Salubria præcepta temerè contempsit*: hoc tamen ita intelligendum est, non quòd dispensari non possit, aut nunquam soleat in tali casu, sed quòd Pontifex non facilè dispensaturus sit, nisi adsit valdè gravis, & urgens necessitas, ne videlicet gubernationi communi Ecclesiæ præjudicet, cui convenit, se hac in parte difficilem ostendere, ideoque dispensandus debet mentionem talis delicti facere, aliàs dispensatio impetrata nulla est. Sanch. *L.* 3. *disp.* 45. *n.* 3. Palao *disp.* 2. *de sponsal. pu.* 13. *n.* 8. Coninck *disp.* 27. *dub.* 9. *n.* 81. Denique Parochus, aut alius quicunque sacerdos assistens tali Matrimonio jubetur suspendi ab officio per triennium. *c. Cum inhibitio § fin. De clandest. desponf.* Non tamen incurritur hæc suspensio ipso facto, sed inferenda est per sententiam Iudicis. Pirhing *n.* 39 *& seqq. De clandest. desponf* Perez *disp.* 43. *Sect.* 11. *n* 12. Bas. Pontius *L.* 5. *c.* 37. *n.* 11. Wiestner, Gobat.

11. Post factam denunciationem eum, qui scit impedimentum, etiam occultum, teneri id revelare, communis est sententia, nec ferè alius est qui absolutè refragetur, præter Basilium

lium Pontium *L.* 5. *c.* 34. *n.* 5. *& seqq.* & Io. Majorem *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 3. quem pro se citat. Ratio autem, quam affert pro sua opinione, hæc est, quia nemo obligatur denunciare, quod probare non potest, sic enim ipsi periculum imminet, ne habeatur pro impostore, & calumniatore: at quando impedimentum penitus occultum est, & ipse solus novit, id sanè probare non potest, cùm testes adducere nequeat: ergo tunc nulla ei incumbit denunciandi obligatio. Præterea vel sponsi bona fide procedunt, ignorantes, se esse impedimento ligatos, vel mala fide agunt? si bona fides adest, nulla est ratio, quæ obliget ad denunciationem faciendam: non, ut vitetur peccatum, quia in eo contractu nullum committunt; nec irrogatur irreverentia Sacramento, quia nullum efficitur; nec sequitur proli damnum, quia cùm Matrimonium celebratum sit bona fide in facie Ecclesiæ, habetur illud pro valido, & proles censetur esse legitima. Si verò ex mala fide procedant conjuges, notumque ipsis sit impedimentum, iterum nulla est obligatio denunciandi, nam istud impedimentum vel ortum est ex peccato, vel non, sed est impedimentum consanguinitatis, affinitatis, aut cognationis spiritualis? si hoc, nulla est obligatio id manifestandi, quoties probabiliter creditur, denunciationem non profuturam, cùm neque charitas me obliget ad correctionem fraternam, quando hæc non speratur profutura: nunquam autem proderit assertio unius testis, quia consanguinitas, aut affinitas non potest unico teste probari *c. Licet ex quadam. De Testibus.* Multò minùs, quando impedimentum ortum est ex delicto, tenetur id revelare, qui id novit, sive bona, sive mala fide procedant contrahentes, quia absque fructu non est alicui irroganda infamia. Hæc argumenta moverunt Martinum Perez *disp.* 43. *Sect.* 6. *n.* 7. & Eman. Sà *v. Matrimonium n.* 23. ut ipsi quoque accederent huic opinioni, non obligari ad manifestandum, qui scit impedimentum occultum inter contrahentes, quoties ipsi sunt in bona fide cum ignorantia impedimenti, hocque ita occultum est, ut sit probabile, id nunquam fore manifestum.

Verùm his rationibus minimè obstantibus, adhuc dicendum est, qui novit impedimentum inter contrahentes, habere obligationem sub culpa lethali, illud denunciandi, licèt occultum sit, isque illud probare nequeat. Ita Sanch. *L.* 3. *disp.* 13. *n.* 2. Palao *disp.* 2. *de sponsal. pu.* 13. *§.* 6. *n.* 5. Tannerus *tom* 4. *disp.* 8. *q.* 3. *dub* 6. *n.* 133. Coninck *disp.* 27. *dub.* 7. *n.* 61. Bonac. *q.* 2. *de Matrim. pu.* 6. *n.* 20. Barbosa *De offic. & potest Episc. Alleg.* 31. *n.* 25. Pirhing *De clandest. desponf. n.* 31. Wiestner *eod. n.* 14. *& seqq.* Ratio est, quia præcepto revelandi quilibet adstringitur, quoties id commodè potest revelare, tum ne contrahen-

trahentes peccent, si mala fide procedant, tum ne hoc modo irreverentia fiat Sacramento, ac denique ne proles sit illegitima. Si verò procedant bona fide, adhuc obligamur ad impedimenti manifestationem, ne contrahentes etiam materiale peccatum committant, ac præsertim ne fiat fictio Sacramenti: ergo adest causa sufficiens, quæ revelationem impedimenti honestet, etiam quando illius notitiam sub secreto accepimus; imò etsi sub juramento promissum fuerit, quòd non velimus revelare, quia fortior est lex, quæ jubet vitare peccatum, & proximum eripere ab imminente morte spirituali, quàm lex servandi secretum naturale. Accedit, quòd aliunde quoque manifestanda sint, etiam quæ secretò nobis commissa fuere, quando ea vergunt in damnum publicum, aut tertiæ personæ, uti hîc fit; nam si impedimentum est dirimens, tendit secretum hoc in præjudicium alterius conjugis bona fide contrahentis; si autem mala fide uterque contrahat, tendit illud in præjudicium Matrimonij, quod irritum est, & prolis, quæ erit illegitima, & denique in utriusque coniugis damnationem, qui permanebunt in perpetuo concubinatu. Si verò impedimentum est solùm impediens, tunc tendit secretum in irreverentiam Sacramenti, & damnationem contrahentis cum eo impedimento; imò sæpè in damnum quoque tertij, cui frangitur fides, quando est impedimentum priorum sponsalium: est ergo obligatio impedimentum detegendi. Rectè interim monet Tannerus, ordinarium denunciandi modum hunc servandum esse, ut conjuges priùs secretò moneantur, ut propter tale impedimentum desistant à contractu, si modò probabilis spes sit, fore, ut correctio profit; nec satis est, secretam hanc monitionem semel fieri, sed iterum, iterumque oportet eam adhiberi, ut ait Sanch. *l. c. n.* 3. quamdiu prudentis arbitrio correctio per illam speratur; quòd si non acquiescant, aut si periculum in mora sit, quod has monitiones non patiatur, impedimentum Parocho denunciandum est, & per hunc, si opus fuerit, Ordinario, neque enim de istis ipse Parochus cognoscere potest, sed ad Ordinarium deferri debent, ad quem causarum Matrimonialium cognitio de Jure spectat. *c. Accedentibus, De Excess. Prælat.* & Trident. *Sess.* 24 *c.* 20. *de Reform.* Parochi tamen est, impedimento ab ijs ad se delato, Matrimonij celebrationem interea interdicere. *c. fin. §. Cùm autem* & *§. fin. De Clandest. Desponf.* Coninck *l. c. n.* 65.

12. Ad fundamenta Pontij quid respondendum sit, ex dictis constare potest: istud addo, quamvis verum sit, quod ipse docet, neminem obligari denunciare, quod probare nequit, nec facere sufficientem probationem dictum unius testis, quando agitur de crimine puniendo, juxta

L. Licet. 23. & L. Vbi numerus 12. ff. De Testibus, sufficit tamen unius testis depositio, quando præcisè agitur de vitando peccato, & ad Matrimonium impediendum, sic enim non agitur in ullius præjudicium, sed totum id, quod fit, est favorabile, etiam ijs, contra quos fertur testimonium, & instituitur judicium, quibus expedit, à gravi peccato impediri, potestque dictum unius testis, etiamsi is denunciator sit, saltem ad hoc sufficere, ut Judex ex officio contrahentes urgeat, & inquisitionem diligentiorem faciat, per quod fortè detegetur impedimentum. Ita præter citatos docent Covarr. 4. *Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 38.* Gonzalez *in cit. c. Super eo. n. 3.* Vivianus *ibid §. 2.* Gobat *tr 10 cas. 13. n. 534.* alijque plures. Nec aliter respondetur ad allegatum c. Licet ex quadam. De quo in sua exegesi Wagnereck ita loquitur: *patet, hanc decretalem potiùs procedere de testibus, qui producuntur ad Matrimonium jam contractum separandum, quàm contrahendum separandum*, ad quem effectum, nempe ad dissolvendum Matrimonium jam contractum, juxta dicta, unus testis non sufficit.

Cæterùm etiam nostra decisio patitur aliquas limitationes; nam 1. ad manifestandum impedimentum non obligatur, qui illud novit solùm ex auditu, nec recordatur, à quo acceperit, nam ea denunciatio nullius est utilitatis, Farinac. *p. 2. prax. Criminal, q. 69. n. 75. & seqq.* Sanch. *disp. cit. n. 7.* Coninck, *l. c. n. 62.* Basil. Pontius *L. 5. c. 34. n. 1.* Perez *l. c. n. 1.* quod maximè procedit, quando impedimentum est infamatorium; nam si nullam infamiam irrogat, optimè poteris illud denunciare, quia nullum est periculum in ea denunciatione, & fortè sic veritas manifestabitur. Palao *l. c. n. 3.* Similiter non obligatur manifestare impedimentum, præsertim quando infamatorium est, etiamsi recordetur, à quo acceperit, si persona, à qua audivit, non est fide digna, gravis, & omni exceptione major, sed suspecta. *c. Licèt ex quodam. De Testib.* Sanch. & alij citati. 2. Cessat hæc obligatio, quando impedimenti conscius id aperire non potest sine magno suo incommodo, vel periculo, aut aliorum gravi scandalo, etsi illud probare queat, & mandatum denunciandi sit sub excommunicatione lata, quia his casibus neque fraterna correptio, neque præceptum Ecclesiæ obligat. Palao *l. c. n. 5. ℣. Notanter dixi.* Perez *n. 3.* Basil. Pontius *n. 2.* Coninck. Pari modo manifestare non tenetur, qui novit impedimentum, sed in quo dispensatum est in foro interno, dummodo illud occultum sit, nam si sit publicum, & manifestum, etiamnum tenebitur, cùm illa dispensatio neque detur, neque prosit pro foro externo. 3. Denique excusatur, imò non potest impedimentum manifestare,

re, qui illud novit ex sola confessione, hinc si Parocho ex sola confessione constat de tali impedimento, debet is pœnitentem seriò admonere, ut à contractu Matrimoniali abstineat, & admonitionem contemnenti absolutionem negare, atque etiam, si commodè potest, petitâ priùs à pœnitente veniâ loquendi cum eo de auditis in confessione, eundem extra confessionem monere, ne contrahat: quòd si nihilominus persistat in sua perversa voluntate, debet se eodem modo gerere, ac si nihil sciret, quia notitiâ ex sola confessione acceptâ uti non possumus; imò quando contrahens crederetur nullo modo emendandus per secretam monitionem, aut ægrè laturus, eam veniam à se peti, nec eam concessurus esse videretur, deberet Confessarius penitus dissimulare, quia monitio tunc esset futura sine fructu. Coninck *l. c. n. 70.* Pontius *lib. cit. disp. 35. n. 1.*

CASUS SECUNDUS

Contrahentium sine Parocho, & testibus in loco, ubi Tridentinum Concilium non est promulgatum.

Gelindus ducturus in conjugem Eduinam, cùm ratione bonorum temporalium, & nobilitatis, quibus Sponsæ inæqualis erat, videret, ab istius propinquis obicem poni Matrimonio, impetratâ etiam ab Ordinario prohibitione, ne quis Sacerdos contractui conjugali assisteret, ut remoram hanc eluderet, instituto clam itinere cum sua Sponsa digressus est in regionem, in qua Decretum Concilij Tridentini de clandestinis Matrimonijs receptum non est, ibique sine Parocho, & testibus contraxit de præsenti.

Q. An

Q. An inde reduces habendi sint pro legitimis conjugibus; an verò separandi?

SYNOPSIS.

1. *Matrimonia clandestina absque Parocho, & testibus celebrata olim quidem valida erant, semper tamen illicita, & graviter prohibita; hodie ipso jure sunt irrita.*

2. *Excusari tamen etiam post Tridentinum Concilium, ac validè contrahere, qui id faciunt cum ignorantia hujus Decreti, aut in urgente necessitate, aliquorum doctrina est.*

3. *Statuitur contrarium, & respondetur ad argumenta opposita.*

4. *Idque ita certum est, ut neque Episcopus in hac parte dispensare possit, neque subsistat Matrimonium etiam publicè celebratum sine præsentia Parochi.*

5. *Quot testes sint necessarij in Matrimonio, & quomodo tum ij, tum Parochus debeant esse præsentes, ac intelligere ea, quæ aguntur?*

6. *Non est necesse, ut testes omni exceptione Majores sint, sed possunt hîc adhiberi etiam ij, qui aliàs à testando reijciuntur.*

7. *Neque opus est, ut sint ad hoc vocati, vel invitati tum ipsi, tum Parochus, sed sufficit casualis præsentia, imò licèt inviti adsint, & coacti, aut dolo inducti.*

8. *Quid si verò Parochus interesse coactus nec videre velit, nec audire quæ aguntur?*

9. *Potest assistere Matrimonio Parochus, etiamsi Sacerdos non sit; alteri tamen, quàm Sacerdoti licentiam assistendi dare nequit.*

10. *Imò*

10. *Imò assistit validè, quamvis sit excommunicatus, vel aliâ censurâ ligatus, aut Parochus solùm putativus, & beneficium invalidè obtinens, sed tamen cum titulo colorato.*

11. *Parochus assistens, aut assistendi licentiam alteri concedens, debet esse Parochus proprius.*

12. *Satis verò est, si assistat alteruter, sive Sponsi, sive Sponsæ Parochus, quod fieri potest etiam extra Ecclesiam propriam.*

13. *An obligatio adhibendi Parochum, & testes declinari possit, si contrahentes accedant ad locum, in quo Tridentinum promulgatum non est?*

14. *Deciditur dubium præsentis casûs, & statuitur, invalidè contrahere, qui in talem locum se conferunt præcisè ex hac intentione, ut possint clandestinè contrahere.*

15. *Examinantur aliqua in Brevi authentico Vrbani VIII. ex quo prædicta conclusio eruitur.*

16. *Quæ pœnæ statutæ sint in Matrimonium clandestinum sine Parocho, & testibus initum?*

1. TRactamus in hoc casu alteram speciem Matrimonij clandestini, ubi datur clandestinitas propriè dicta, quando videlicet illud contrahitur sine Parocho, & testibus, cujusmodi Matrimonia olim quoque ante Tridentinum Concilium ab Ecclesia semper fuerunt graviter prohibita. *c. Aliter*, & *c. Nullus* 30. *q.* 5. ubi Hormisda Pontifex statuit, ut nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultò nuptias faciat, sed benedictione

ne accepta à sacerdote, publicè nubat in Domino; idque etiam indicat Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 1. asserens, hæc Matrimonia sanctam Dei Ecclesiam ex justissimis causis semper fuisse detestatam, eaque prohibuisse, unde peccarunt mortaliter etiam tunc ex communi Doctorum sententia, qui contra prohibitionem Ecclesiæ ausi sunt clandestinè contrahere; valida nihilominus fuisse eiusmodi conjugia, ex eodem Concilio Tridentino *l. c.* manifestum est, ubi anathemate damnat eos, qui clandestina Matrimonia vera, ac rata esse negant, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit. Ratio est, quia in Matrimonio clandestino reperitur tota essentia legitimi contractûs de præsenti, quamdiu is non irritatur, & solùm deficit extrinseca, & accidentalis solemnitas publicitatis: ergo ex se validum est: quin imò spectato Jure naturali, ac Divino Matrimonium clandestinum per se nec quidem illicitum est, sed solùm per accidens, quia alia ratio, cur sit illicitum, afferri nequit, nisi quia sæpè est periculum scandali, dum alij nesciunt, esse conjugatos, ideoque putant, vivere in fornicatione, aut ne postea alter alterum deserat, aliumvè, aut aliam ducat, sicque etiam proles deseratur, ac detrimentum patiatur, & perpetua adulteria committantur: atqui hæc mala non sunt intrinseca Matrimonio, sed tantùm ex malitia hominum accidunt, ac facilè evitari possunt, si conjuges paulò pòst publicent à se contractum Matrimonium: ergo quoties absunt ista pericula, hæc Matrimonia in se spectata licita erunt, & quòd illicitè sic contrahantur, ex solo præcepto Ecclesiæ habetur, consequenter cùm infideles Ecclesiasticis legibus subjecti non sint, clàm contrahentes sua conjugia, peccati damnari non possunt, per se loquendo. Ita *Laym. L. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 1.* Coninck. *disp. 27. dub. 1. n. 4.* & Palao *disp. 2. de sponsal. pu. 13. §. 2. n. 1.* contra Sanch. *l. 3. disp. 3. n. 8.*

Quidquid autem fuerit ante Concilium Tridentinum, Jure novo sacræ istius Synodi Matrimonia clàm inita sine Parocho, & testibus hodie non solùm illicita, sed penitùs irrita, ac nulla sunt: *qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, ac nullos decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Sess. 24. c. 1. supra cit. Hoc tamen decretum Concilij non obligat absolutè, & simpliciter, sed in ijs tantummodo locis, in quibus ipsum Concilium publicatum, & receptum est, ut constat ex verbis dicti c. 1. sub finem: *Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia*

rochia factæ numerandos, quare si Matrimonia clandestina etiamnum contrahantur ab incolis in ijs locis, sive Catholicorum, sive hæreticorum, in quibus Decretum istud receptum non est, vel nunquam promulgatum, ea etiam hodie valida sunt; peccabunt tamen clàm contrahentes, cùm etiam ante Concilium conjugia clandestina illicita fuerint, nec sine peccato sic contrahi potuerint.

2. Etsi verò hæc Tridentina Constitutio clarissima sit, non desunt tamen Authores, qui existimant, etiam ubi ea publicata est, suamque vim obtinet, in certis quibusdam eventibus adhuc posse validè contrahi sine præsente Parocho, & testibus. Ex casibus, quos adducunt, duo majoris considerationis sunt. Primus est, quando sic contrahentes ignorant illud Concilij Decretum, quia lex ignorantes non ligat, neque incurritur pœna, ubi culpa non est; idque videtur ex ipso Concilio colligi, quod cit. c. ait: *qui aliter, quàm præsente Parocho &c. Matrimonium contrahere attentabunt &c.* ad hoc ergo, ut Matrimonium sine præsentia Parochi, & testium celebratum, sit invalidum, requiritur, ut contrahentes id attentent, sive præsumant agere contra Concilij Decretum: at verò ut aliquis dicatur attentare, vel præsumere aliquid contra legem, debet habere aliquam legis prohibentis notitiam, vel ignorantiam affectatam: igitur qui ignorat invincibiliter, vel ignorantiâ etiam crassâ laborat, dummodo affectata non sit, sicque contrahit clandestinè, nihil attentat contra legem, proinde non contrahit invalidè.

Secundus casus est, quando adest urgens necessitas, v. g. in articulo mortis, si velit concubinarius contrahere cum concubina, ut filij ex ea geniti legitimentur, aliudvé grave incommodum aliter vitari nequeat, quàm si mox Matrimonium contrahatur, Parochus autem, vel alius Sacerdos ex ejus licentia haberi non possit, tunc enim locus est epichiæ, cùm utique nec Pontifex, neque Concilium voluerit hunc casum in sua lege comprehendere, quare conjugium in tali necessitate sine Parocho, & testibus initum, validum erit ex præsumpta voluntate Concilij, nolentis in his circumstantijs obligare. Quod inde quoque confirmatur, quia videmus, alia præcepta Ecclesiastica non obligare eo rigore, ut in magna necessitate non liceat contravenire, ut constat in præcepto audiendi sacrum, in lege jejunij, vel recitandi Divinum Officium &c. ergo neque istud præceptum, quod purè Ecclesiasticum est, obligabit in urgente necessitate, vel cum magno incommodo. Ita Veracruz, Vega, & alij apud Palao, & Sanch. *L. 3. disp. 17. n. 3.*

3. Sed tenendum est tanquam certum, in neutro eventu Matrimonium sine Parocho, & testibus contractum

tractum esse validum, ubi Decretum Tridentini Concilij est promulgatum. Ita Sanch. *l. c.* Basil. Pontius *L. 5. c. 6.* Perez *disp. 39. Sect. 4. & 5.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 4. de Matr. clandest. dub. 4. n. 15.* Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 13. §. 8. n. 7. & 9.* Coninck *disp. 27. dub. 1. n. 11. & seqq.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 115.* Dicastillo *disp. 3. de Matr. dub. 4. n. 26. & dub. 5. n. 31.* Pirhing *n. 6. & 7. de Clandest. desponf.* & communis aliorum, idque declarat praxis Ecclesiæ. Ratio est, quia ubi in dispositione dicitur, *non aliter fieri posse*, inducitur forma actûs: sed in Tridentino *l. c.* dicitur, aliter fieri non posse Matrimonium, quàm præsente Parocho, & testibus, & aliter contractum redditur irritum: ergo inducitur forma, ac proinde in nullo eventu absque ea solemnitate erit validum, res enim sine sua forma nunquam subsistere potest. Bene etiam ponderandum est, ut advertunt Sanch. & Dicastillo, quòd in dicto Concilij decreto reddantur personæ *omnino* inhabiles ad clandestinè contrahendum, quæ dictio significat in omni eventu, sine ulla exceptione, aut limitatione, ut videre est apud Barbosam *in Dictionibus usu frequentioribus dict.* 240. Tiraquell. aliosque multos apud Sanch. *L. 1. disp. 32. n. 6*: nulla ergo vel ignorantia, vel necessitas supplere potest hunc defectum, & *omnino* inhabiles ad aliquem effectum reddere habiles, ut patet in Lege irritante Matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum, qui nullo casu sine legitima dispensatione validè contrahunt, etiam in urgentissima necessitate, vel ignorantia. Unde ad argumenta in contrarium.

Rz. ad primum, non obligare legem ignorantem, quando est merè præceptiva, & inducens contractui solemnitatem extrinsecam, non autem, quando inducitur solemnitas substantialis, & irritatio actûs, eaque statuitur non per modum pœnæ, nam ignorantia solùm excusat à culpa: ergo ubi irritatio non dependet à culpa, ac consequenter pœna non est, ibi ignorantia ab ea non excusat: atqui Concilium Tridentinum hanc irritationem non statuit tanquam pœnam, cùm eam non intentet in alicujus odium, vel in vindictam peccati, sed propter bonum tum commune, tum etiam privatorum, ut maximis incommodis occurratur: ergo à tali lege irritante nulla ignorantia excusare potest, ut patet in exemplo supra allato de consanguinitate; & quamvis lex non afficiat ignorantes quoad pœnam extrinsecam, bene tamen afficit quoad intrinsecam annullationem actûs, nec eum reddit validum, ut probat textus c. 1. De Concess. Præbend. in 6. *Sive ignoraverit, sive non, non valebat*: etsi igitur ignorantes Decretum Tridentinum excusentur ab alijs pœnis, quibus

bus clandestinè contrahntes jubentur graviter puniri arbitrio Ordinarij, non tamen liberantur per ignorantiam ab inhabilitate, & consequente ex ea actûs nullitate: cùm per ignorantiam non ponatur, quod abstulit inhabilitas.

Neque obest, quòd ex memorato Concilij Decreto adducitur, ubi irritatio actûs statuitur in *attentantes* contrahere clandestinè, nam licèt spectatâ solâ rigidâ significatione verbi *attentare*, probabiliter dici posset, Decretum Tridentinum non respicere ignorantes, tamen & dicta hactenus, & ipsa praxis declarat, verbum illud sumi in lata significatione, prout idem est, quod velle, aut conari facere, idque congruum est fini Decreti, qui est, maximis incommodis occurrere, quæ etiam sequi possunt ex Matrimonijs clandestinis eorum, qui hanc legem ignorant. Ita Præpos. *l. c. n. 15.*

Ad alterum fundamentum eadem ferè est responsio: in urgente necessitate legem non obligare, sed admittere epichiam, & interpretationem, quando est lex positiva aliquid præcipiens, aut prohibens, non autem quando est lex inhabilitans, aut irritans, quæ inducit certum actum, & solemnitatem quasi intrinsecam, & substantialem; in tali enim lege non admittitur ulla interpretatio, unde nec in articulo mortis, ut proles legitimetur, contrahi potest clandestinè, quia bonum commune, quod spectat lex irritans Matrimonia clandestina, ut præscindantur occasiones gravissimorum peccatorum, & incommodorum, longè majoris momenti est, quàm bonum, quod ex Matrimonio clandestino interdum per accidens oriri posset, minusque inconveniens est, ut aliquis privatus damnum patiatur ex non contracto Matrimonio, quàm ut conjugijs clandestinis ullo modo via aperiatur.

4. Estque hæc doctrina adeò certa, ut neque ex dispensatione Episcopi in urgente gravissima necessitate absque Parocho, & testibus Matrimonium validè possit celebrari: quamvis enim Episcopus in casu magnæ necessitatis, quando non datur aditus ad Sedem Apostolicam, aliquando dispensare possit in Lege Pontificis, vel Concilij, nunquam tamen ipsi permissum est, ut in hac quoque lege dispenset, ut colligi potest ex ipso decreto S. Synodi, quod statuit, ante contractum Matrimonij præmittendas esse denunciationes, & tunc contrahendum coram Parocho, & testibus; concedit verò Episcopo facultatem dispensandi circa denunciationes, sed nihil addit, quod omnem licentiam ipsi largiatur etiam quoad alterum: ergo censendum est, negare ipsi potestatem dispensandi circa præsentiam Parochi, & testium, quia qui de uno dicit, & de alio tacet, istud negare videtur, *c. Nonne bene. De Præsumpt.*

& *L. Cùm Prætor. ff. De Iudicijs*, quod est argumentum Glossæ in c. Audientiam. V. Ut duo. De Cleric. non resident. Ratio ulterior est, quia Concilium istud constituit tanquam formam substantialem, ponitque decretum irritans, ipsasque personas ad sic contrahendum reddit inhabiles, non quomodocunque, sed *omnino*, per quod excludit omnem gratiam, & dispensationem, unde mirum non est, quòd in hoc casu dispensare Episcopus nequeat, etsi in alijs quandoque possit, quæ à Pontifice, vel à Concilio statuta sunt. Sanch. *l. c. n. 6.* Perez *n.* 12. Palao *n.* 11. Basilius Pontius *l. c. n.* 16.

Ex hac eadem ratione jam sæpiùs adducta probatur, adeò necessariam esse Parochi præsentiam, ut, licèt Matrimonium publicè contraheretur in præsentia totius populi, si solus abesset Parochus, nullo modo validum foret, quia Tridentinum statuit formam substantialem pro Matrimonio contrahendo, forma autem specificè, ac propriè, & non per æquipollens impleri debet. Sanch. & alij citati.

¶ Cùm igitur præsentiam Parochi, atque testium indispensabiliter necessariam esse constet, de his, & illo aliqua nobis observanda sunt; ac primò quidem testes, qui præter Parochum assistunt, debent esse saltem duo, nec sufficit, ut unicus tantùm adsit cum Parocho, quantumcunque eximius ille sit, v. g. Princeps, Rex &c. duos enim ad minimum præter Parochum expressè requirit Tridentinum *Sess. 24. c. 1. de Reform. Matr.* & Matrimonium aliter contractum irritat. Confirmatur hoc ex receptissima doctrina; quando statutum requirit ad certum aliquem actum duo genera personarum, persona unius generis non potest utriusque vicem gerere, atque ideo stante isthoc statuto, ut valeat actus coram Presbytero, & tot testibus, Presbyter ipse non potest esse unus ex illis testibus: cùm ergò Tridentinum exigat duo genera personarum, nimirum Parochum, vel alium Sacerdotem de eius licentia, & duos saltem testes præsentes, non poterit Parochus, vel ille sacerdos obire munus Parochi, & simul vicem alterius ex illis duobus testibus supplere. Sanch. *l. 3. disp. 41. n. 1.* Perez *disp. 40. de Matr. Sect. 9. n. 1.* Dicastillo *disp. 3 de Matr. dub. 18. n 1.* Fagundez *l. 8. in Præcept. Decal. c. 39. n. 15.* Coninck *disp. 27. dub. 4. n. 41.* Petrus de Ledesma *q. 45. de Matr. art. 5. punct. 3. post dubium 4. conclus. 3.*

Debent verò tum Parochus, tum dicti testes esse præsentes non solùm physicè, & corporaliter, verùm moraliter, & humano modo, unde debent habere usum rationis, & advertentiam ad ea, quæ aguntur; quocirca si essent ebrij, vel dormientes, vel non adverterent, vel si testes adhiberentur infantes, Matrimonium non valeret. Ratio est, quia Tri-

denti-

dentinum ideo exigit assistentiam Parochi, & testium, ut constet Ecclesiæ de Matrimonio contracto, possintque de eo testificari, ne vivente priore conjuge aliquis possit ducere secundam, eò quòd non constabat Ecclesiæ de Matrimonio: sed qui non adsunt more humano, intelligentes, & advertentes, quid agatur, testificari de eo nequeunt: hinc qui non interest more humano, nec intelligit, in Jure quoque Civili non censetur esse præsens. L. Coram Titio. 209. ff de Verb. significat. *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat; itaque si furiosus sit, aut infans, aut dormiens, non videtur coram eo fecisse.* Sufficit tamen, ut aliquo sensu percipiant consensum contrahentium, ut, si non audiant verba, videant saltem signa mutui consensûs, cùm possit Matrimonium non solis verbis, sed etiam per signa contrahi. Imò si contrahentes sint distincti idiomatis, satis est, si Parochus, & testes mutuum consensum per interpretem intelligant, estque in hoc casu credendum dicto solius interpretis, quia non est testis, sed electus communi contrahentium consensu, ut, quæ aguntur, declaret. Ratio verò est, quia alij quoque contractus celebrari possunt per interpretem. L. 1. §. fin. ff. De Verb. Obligat. *Sed verum puto, ut omnis sermo contineat verborum obligationem, ita ut alter alterius linguam intelligat sive per se, sive per verum interpretem* Sanch, *L. 3. disp. 39. n. 1. & seqq.* Perez *disp. 40. sect. 9. n. 2.* Bonac. *q 2. de Matr. pu. 8. n. 41. & seqq.*

6. Quod autem aliqui asserunt, testes in Matrimonio omni exceptione majores esse debere, sive tales, ut nullum patiantur vitium ex ijs, ob quæ in Jure â testimonio dicendo aliqui repelli solent, verum non est, sed sufficiunt testes qualescunque, quamvis non admittantur tanquam idonei ad testandum in alijs rebus, dummodò habeant usum rationis; unde impuberes quoque, fœminæ, Parentes, consanguinei, familiares, domestici, servi, Religiosi, imò & excommunicati, infames, atque etiam infideles tanquam testes assistere possunt Matrimonio, ut præter Sanch. *L. 3. disp. 41. n. 5* aliosque supra citatos docent Palao *disp. 2. de sponsal. pu. 13. §. 13. n. 3.* Gobat *tr. 9. cas. 18. n. 502.* Laym. *L. 5 tr. 10. p. 2. c. 4. n. 6.* Pirhing *de Clandest. despons. n. 24.* Engl *in Man. Paroch. p. 3. c. 5. §. 6. n. 18.* Barbosa *de Offic. & potest Episc. Alleg. 32. n. 138.* Bassæus *v. Matrimonium 5. n 12.* contra Ant. Gabrieli *in Communibus. L. 1. de testibus, conclus 8. n. 4. §. contrarium*, & Covarruv. *in 4. Decretal. p. 2. c 8. §. 12 n. 19.* ubi alios refert, aitque, ad Matrimonij probationem esse necessarios testes ita integros, ac in causis Criminalibus, in quibus exiguntur omni exceptione majores, & probationes luce clariores; hic tamen postmodum in sequentibus duobus numeris etiam fæmi-

fæminas, Parentes, sorores, & reliquos cognatos nobiscum admittit.

Probatur autem nostra sententia, quia Concilium solùm præcepit duorum, vel trium testium præsentiam, nullâ in ijs additâ, vel ulteriùs requisitâ qualitate: ergo neque nos debemus plura exigere, nam ubi certa qualitas in testibus est necessaria, id Jura diligenter exprimunt, ut videre est in c. Cùm esses. De Testament. *coram Presbytero, & tribus, vel duabus alijs personis idoneis*: cùm ergo Tridentinum hîc nihil tale exprimat, signum est, nullam in testibus qualitatem exigi, præterquam ut usum rationis habeant, quod ipsum jus naturæ postulat. Præterea possunt testes secundùm se illegitimi, & inhabiles facere fidem sufficientem, & dare validum testimonium in causa favorabili, ut ob favorem fidei decernitur *c. In fidei favorem. De Hæreticis in 6.*: est autem causa Matrimonij valde favorabilis, ut habetur in *c. fin. De Sent. & re judicata*, atque ideo ad testificandum in ea admittuntur etiam Parentes, fratres, & cognati utriúsque sexûs *c. Videtur. Qui Matrim. accus. poss.* Similiter valida est attestatio testium cæteroquin inhabilium in alijs quoque causis, quoties ij à Judice, vel parte adversa non repelluntur. *c. Pia. De Except. in 6.* aut quando tanquam instrumentarij, id est, appositi instrumento, adhibentur ad rei gestæ probationem ex partium consensu; tales autem sunt testes soliti adhiberi pro contractu Matrimoniali, quia inscribuntur in libro Parochi simul cum nominibus conjugum: ergo ex consensu partium sufficiunt etiam in Matrimonio testes secundùm se inhabiles; & quamquam isti per se admittendi non essent ad Matrimonium ob eorum vitium, & defectum, quia tamen admittuntur simul cum Parocho, cujus authoritati in Jure multùm tribuitur, ut patet ex *cit. c. Cùm esses. De Testament.* ex ejus præsentia ipsorum vitium suppletur, atque in hunc finem præcipit Concilium Tridentinum, ut Parochus librum habeat, in quo conjugum, & testium nomina, diem, & locum contracti Matrimonij describat, eumque diligenter apud se custodiat, ut inde suppleatur, siquod aliunde in testibus vitium fuisset, & ex libro constare possit de Matrimonio contracto, & coram quibus id factum sit. Accedit denique, quòd, si requirerentur testes omni exceptione Majores, quàm plurima Matrimonia possent in dubium vocari, maximè in pagis, lociſque minoribus, ubi tam Parochi, quàm testes, & contrahentes sæpè ignorant, qui testes sint omni exceptione majores; in urbibus quoque exponerentur Matrimonia multis litibus, quæ contra illa moveri possent; nam facile esset, apparentem aliquam causam reperire, quæ testibus posset objici, & post plures quoque annos opponi

Matri-

Matrimonio, quòd sit invalidum, utpote in quo unus, vel uterque testis fuerit illegitimus, quia hæreticus, Simoniacus, aliquando damnatus in judicio &c. quod vergeret in maximam Ecclesiæ perturbationem, sicque incideremus in eadem incommoda, vel etiam graviora, quàm sint ea, quæ Tridentinum per adhibitionem testium vitare voluit.

7. Sed neque necesse est, ut vel dicti testes, vel Parochus sint specialiter rogati, vel invitati, quod aliqui sine fundamento requirunt, nec tamen ullo jure probant, siquidem contrarium constat ex L. 11. ff. De Testibus: *ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur*, ipsumque Concilium Tridentinum hanc qualitatem non requirit; hinc satis est, si casu adsint in loco, v. g. causâ convivij, vel confabulationis, ubi Matrimonium contrahitur, aut illac transeant, dummodo advertant id, quod agitur, sic enim verè præsentes sunt, quia præsentia, quæ petitur ad valorem Matrimonij, contenta est solâ intellectûs advertentiâ, qua ritè testimonium contracti Matrimonij perhiberi possit, ut docet Sanch. *L. 3. disp 39. n. 11.* Tambur. *L. 8. de Matrim. tr. 6. c. 2. §. 3. n. 7.* Reginald. *L. 31. n. 182.* contra Bonac. *l. c. n. 20. & 46.* ac Basilium Pontium *L. 5. c. 21. n. 4.* qui dicunt, contrarium declarâsse S. Congregationem Cardinalium, sed Tamburinus ex Aversa affirmat *l. c.* prædictam Congregationem loqui, quando ex illo casuali transitu, vel præsentia non potest bene percipi, quid agatur. Idem dicendum, quando testes, & Parochus dolo inducti sunt, ut Matrimonio assistant, imò etiam, si vi coacti, ac detenti sint contra suam voluntatem, adsintque inviti, ac reluctantes, ut præter Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 13. §. 8. n. 11. §. 13. n. 1.* Perez *disp. 40. Sect. 10. n. 4.* Filliuc. *tr. 10. c. 6. n. 225.* Laym. *l. 5. tract. 10. p. 2. c. 4. n. 6.* Navarr. *Consil. 11. de Clandest. desponsat.* Emanuel. Rodriq. *tr. 1. Summæc. 217. n. 11.* Dicastillo, Coninck, aliosque jam supra citatos ipse quoque Basil. Pontius, qui tamen valorem præsentiæ casualis non admittit, id ipsum nobiscum docet *l. c. n. 5.* ubi iterum testatur, hoc ita declarâsse Congregationem Cardinalium, cujus ibi verba recitat. Ratio autem est, quia Concilium Tridentinum solùm requirit eam præsentiam Parochi, & testium, quæ sufficit ad testificandum, Matrimonium fuisse contractum: possunt verò istud testari, etsi coactè, & per vim assistant, nam possunt utique habere advertentiam mentis, etiamsi conjuncta sit cum repugnantia voluntatis, neque à dando testimonio eos impedit illata injuria: ergo vis, & coactio non obest, atque ideo in L. 209. ff. De V. S. dicitur: *Scire autem testis, non etiam velle debet, nam & invito eo rectè fit,*

quod

quod jussum est: peccabunt nihilominus mortaliter contrahentes, si absque gravi causa Parochum cogant vi, aut dolo Matrimonio assistere, tum ob gravissima inconvenientia, quæ ex tali Matrimonio oriri solent, tum quia intendunt Matrimonium celebrare absque approbatione Ecclesiæ, cujus vices Parochus gerit, vult enim Ecclesia, ut conjugia ineantur cum assistentia, & approbatione Ecclesiæ, cujus Personam Parochus sustinet; at hæc approbatio, quæ sanè res gravis est, non habetur Parocho repugnante, vel decepto, atque ita in ipsam Ecclesiam committitur aliqua vilipensio, & contemptus, ac ea propter contrahentes peccant graviter, contra Religionem; contra justitiam quoque peccant vel graviter, vel venialiter pro qualitate violentiæ Parocho illatæ; ac denique, quia hoc faciendo graviter delinquunt, ex eo quoque capite novo iterum peccato mortali se obstringunt, quòd Sacramentum, cujus ipsi contrahentes ministri sunt, in statu peccati administrent, & recipiant. Dicastillo *disp. 3. de Matr. dub 19. n. 168.* Idem asserit Palao, si vi, aut dolo testes retineantur; sed venialiter tantùm peccari retentione dolosa, aut violentâ testium, nisi tamen injuria illis illata gravis foret, docet Sanch. *l. c. n. 12.* cujus sententiam tamquam benigniorem approbat Tamburinus.

8. Hîc verò oritur novum dubium, an valiturum sit Matrimonium, si Parochus coactus interesse (idem dici de testibus poterit) consultò vellet non intelligere consensum, ut si occluderet oculos, & aures obturaret, ne percipiat ullo sensu, quid agatur? validum fore, tradunt Præpositus *q. 4 de Matr. dub. 13. n. 85.* & Basil. Pontius *l. 5. disp. 21. n. 12.* fundantes se in declaratione Cardinalium, quæ ita habet: *Et quid, si Parochus affuisset, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel audivit, utrùm tale Matrimonium sit nullum? sacra Congregatio respondit, non valere, si non intellexisset, nisi ipse Parochus affectâsset non intelligere*: cùm ergo talis affectet non advertere, quid agatur, hoc eius factum contrahentibus obesse non debet, maximè cùm admonitus, velle eos, qui adsunt, contrahere Matrimonium, jam ignorare nequeat consensum contrahentium, atque ideo de eo testis esse possit apud Ecclesiam. Sed omnino tenendum cum Sanch. *L. 3. disp 39. n. 6.* nullo modo valere hoc Matrimonium, si Parochus reipsa nihil percipiat eorum, quæ aguntur, quia tunc revera non est moraliter præsens, nec potest testificari de Matrimonio, cujus oppositum adducta declaratio Cardinalium non probat, quæ hunc solummodo sensum habet: nisi Parochus affectet non intelligere, hoc est, nisi consultò, & datâ operâ fingat, se non intelligere, cùm tamen revera intellexerit, quam expositionem etsi frigidam appellet Pontius, dignior tamen

men ipse istâ censurâ est, nec enim verum est, Parochum admonitum, præsentes velle contrahere, etsi oculos, & aures occludat, non potuisse non intelligere, Matrimonium ab illis contrahi, nam ita monitus solùm scivit, quæ esset intentio, & voluntas præsentium de faciendo contractu, quòd verò hanc intentionem in ipsam quoque executionem deduxerint, & præstito actuali consensu de facto contraxerint, testificari non potest, quod tamen Ecclesia ab ipso exigit.

9 Expositis, quæ testibus propria sunt, vel ipsis cum Parocho communia, examinanda nunc veniunt ea, quæ solum Parochum concernunt; ac primò quidem minimè opus est, ut is Sacerdos sit, sed validè, ac licitè assistit Matrimonio Parochus non Sacerdos, nec ullo ordine majore, sive sacro insignitus, non tamen potest dare licentiam assistendi alteri, quàm Sacerdoti. Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 20. n. 3. & 10.* Pontius *L. 5. c. 17. n. 1.* Perez *disp. 40. Sect. 3. n. 3. & 8.* Palao, Coninck, & alij communiter contra paucos contrarium tenentes. Quod si verò Parochus alium loco sui substituat, potest hanc assistendi licentiam concedere cuicunque sacerdoti, etiam Regulari, vel qui approbatus non sit ab Ordinario, quia approbatio Ordinarij solùm requiritur ad administrationem Pœnitentiæ. Eman. Rodriq. *tom. 1. Summæ c. 217. n. 12.* Vtrumque autem, tum quòd assistere possit Parochus non sacerdos, tum quòd sibi alium substituere nequeat, quàm sacerdotem, ex Concilio Tridentino jam sæpiùs citato manifestum est, quod qualitatem sacerdotij in Parocho nullo modo requirit, sicut tamen expressè eam exigit in altero, qui de licentia Parochi assistit Matrimonio. Sed neque, si finem hujus Constitutionis, sive Decreti attendimus, id necessarium est, cùm Parochus etiam non sacerdos possit omnia exercere, quæ non dependent à potestate Ordinis, ut colligitur ex *c. Suffraganeis 11. & c. Transmissam. 15. De Elect.* adeoque potest etiam Matrimonio assistere, ad fidem faciendam de eo contracto; quia autem petitur testimonium fide dignum, ideo requisivit Concilium in eo, qui Matrimonio assistit, dignitatem Parochialem, ut tantò magis fides ei adhiberetur; quæ dignitas cùm deficiat in non Parocho, voluit eam in substituto suppleri per dignitatem Sacerdotalem. Denique ne possit dubium ullum superesse inter Decisiones Eminentissimorum D. D. Cardinalium, quas unà cum Declarationibus Concilij in lucem dedit Farinacius, Decisio septuagesima de die 1. Decemb. 1593. hac de re ita habet, ut eam citant Perez, & Bas. Pontius: *Congregatio Concilij censuit, Matrimonium contractum coram Parocho non sacerdote valere.*

Neque obest, quòd aliqui conentur contrarium eruere ex ipsis verbis

Concilij: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi licentia &c.* ex quibus ita arguunt: vox *alius* cùm sit relativa, & repetitiva similium, personam in qualitate similem denotat, ut observant Card. Tuschus *practicar. Conclus. tom. 2. V. Dictio. Conclus. 245. n. 5.* & Barbosa *in Dict. usu frequentior. Dictione 26. n. 1. & 2.* ergo æquè debet esse sacerdos, quàm ille, qui eum loco sui substituit. Sed manifestum est, vocabulum *alius* non semper esse similitudinis notam, ut patet ex illo Lucæ *23. ducebantur autem & alij duo nequam cum eo*, quandonam verò denotet, personam antecedentem esse similis qualitatis, & quando dissimilitudo possit intercedere, desumi debet ex subjecta materia, ut clarè desumitur in casu præsente, quia cùm Parochus non sacerdos possit exercere omnia munia, quæ potestate Ordinis non indigent, sufficit, eum Parochum esse, nec aliud est necessarium ad hoc, ut Matrimonio possit assistere, quamvis in eius Delegato hoc non sufficiat, sed insuper Presbyteratûs Ordo in ipso exigatur, ut testimonium illius pro authentio habeatur juxta superiùs dicta.

10. Nec opus est, quod aliqui requirunt in Parocho, ut sit immunis ab omni censura, nam etiam excommunicatus non toleratus, id est nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor, item suspensus ab Officio, & beneficio, vel irregularis, aut administratione interdictus validè assistit Matrimonio; & alteri Sacerdoti licentiam assistendi dare potest, modò actualiter non sit depositus, sed titulum, & possessionem beneficij retineat. Sanch. *L. 3. disp. 21. n. 4.* Palao *disp. 2. de Sponsal. pu. 13. §. 10. n. 6.* Perez *disp. 40. Sect. 4. n. 4. & 13.* Basilius Pontius *L. 5. c. 17. n. 6.* alijque contra Avilam *p. 2. de Censur. disp. 3. dub. 1. conclus. 5.* Ratio est, quia talis per hæc non desinit esse verus Parochus, quamdiu non privatur Beneficij possessione, Concilium autem solùm requirit Parochi præsentiam. Præterea exigitur Parochi assistentia, ut authoritatem præstet contractui, qui non est actus Jurisdictionis, quia licèt invitus assistat, validè tamen assistit, Jurisdictio autem semper voluntariè exercenda est: ergo etiam in hoc statu assistere potest validè vel per se ipsum, vel dare alteri licentiam assistendi. Imò juxta Sanchez *l. c. n. 8.* & Perez *n. 10. & 14.* etiam licitè assistit excommunicatus, alterivé licentiam dat, cùm sic non exerceat ullam Jurisdictionem, idque faciat ob necessitatem, & utilitatem contrahentium, qui nequeunt contrahere absque proprio Parocho, vel absque ejus licentia; sed hoc de assistentia ipsius Parochi negat Pontius *l. c. n. 11.* aitque, peccare graviter: id certum est, committere peccatum grave talem Parochum benedicendo Sponsos solemni benedictione, quia ex vi Juris prohibita est

sub

sub gravi culpa excommunicato ejusmodi communicatio cum fidelibus in Divinis Officijs: at benedictio conjugum solemnis sub nomine Divini Officij comprehenditur, non secùs, ac benedictio solemnis aquarum, olivarum, aut candelarum, hæc enim omnia dicuntur Divina Officia, quæ sunt propria alicujus Ordinis Clericalis, & ita instituta sunt, ut à Ministro publico Ecclesiæ ad illud opus consecrato fieri solemniter debeant. Perez *l. ci n.* 11.

Pari modo validè assistit Matrimonio Parochus habens titulum duntaxat coloratum, licèt verè Parochus non sit ob occultum impedimentum, modò communiter, & vulgò credatur, habere verum titulum, quia tunc ob communen errorem, & publicum bonum, ad vitanda scandala, multas perplexitates, dubia, & gravia incommoda jus supplet defectum tituli. *L. Barbarius. ff. De Offic. Prætoris.* ita ut veram Parochi in utroque foro Jurisdictionem habeat. Sanch. *L. 3. disp.* 22. *n.* 5. 30. *& seqq.* Palao *disp.* 2. *de Sponsal. pu.* 13. §. 10. *n.* 9. Bonac. *q.* 2. *de Matr. pu.* 8. *n.* 24. *& seqq.* fusè. Perez *disp.* 40. *de Matr. Sect.* 5. *n.* 5. Pontius *L.* 5. *c.* 19. *n.* 19. Pithing *de Clandest. desponf. n.* 18. Secus foret, si esset intrusus, seu positus in Parochia sine legitima Superioris auctoritate, quia talis non habet titulum coloratum. Sanch. *l. c. n.* 60. Perez *n.* 5. alijque cum communiore contra Pontium *L.* 5. *c.* 20.

11. Necessarium verò est, ut Parochus, qui vel ipse assistit, vel alteri assistendi licentiam concedit, sit Parochus proprius, per quem intelligitur, non qui est tantùm originis, sed habitationis, quia Parochianum constituit non origo, sed habitatio, ut exponit communis usus, & consensus. Sanch. *L. 3. disp.* 23. *n.* 7. Perez *disp.* 40. *Sect.* 2. *n.* 1. Dicastillo *disp.* 3. *de Matr. n.* 47. & si Jus voluisset, sufficere Parochum solius originis, non omisisset id exprimere, quemadmodum id diligenter explicuit, quando in Sacramento Ordinis voluit, ut sufficeret Episcopus solius originis. *c. Cum nullus. De Tempor. Ord. in* 6. Dicitur ergo quispiam Parochianus alicujus Parochiæ, & Parochus loci respectu talis hominis Sacerdos proprius, quando in ea Parochia domicilium habet, ita ut ibi sedem fixerit, & habitationem, animo perpetuò ibi manendi, per quod evadit incola talis loci; & quidem pro tali agnoscitur, quamprimùm cum ista intentione ibidem existere incipit, etsi per horam tantùm adhuc habitaverit. Idem est, si habeat in tali loco quasi domicilium, ut nempe per majorem anni partem ibi habitet, aut habitare decreverit, nam & hìc satis est, si eo animo incipiat habitare. Sanch. *l. c. n.* 14. Sic quasi domicilium habere dicun-

dicuntur Scholastici in Universitatibus, famuli, & aliquando etiam mercenarij longiorem operam alijs locantes: hi igitur Matrimonium contrahere possunt coram Parocho illius loci, ubi morantur, qui proprius ipsorum Sacerdos est. Sanch. & alij citati: non verò illi, qui solùm ibi sunt in transitu peregrini, ac hospites, quod tamen defendit Basilius Pontius *L. 5. c.* 13. §. 1. *n.* 4. *& seqq.* sed hujus opinionem nullam speciem probabilitatis habere dicit Palao *n.* 8. cùm sit adversùs communem Sententiam, & praxin receptam, gravissimisque incommodis subjecta, si quilibet posset, fugiens domicilij Parochum, contrahere Matrimonium coram Parocho cujuslibet loci, ubi hospitatur; unde nec contrahi potest coram Parocho villæ, ad quam se aliquis contulit recreationis causâ, cùm per hoc non efficiatur talis villæ Parochianus, ut colligitur ex *c. Is, qui. De sepult. in* 6. Aliud est, si quis haberet duo domicilia in diversis Parochijs, ita ut in uno loco habitaret tempore hyemis, in alio per æstatem, ut alicubi usitatum est, nam hic contrahere potest vel coram Parocho istius, vel alterius loci, cùm utriusque Parochiæ incola sit. Sanch. *disp.* 24. *n.* 2. Dicastillo *n.* 48. Perez &c.

12. Cæterùm quando requiritur præsentia Parochi proprij, hoc non intelligendum est, quòd, si Sponsi sint è diversis Parochijs, assistere debeat Parochus utriusque, sed sufficit alterutrius, hinc si in Parochia Sponsi nuptiæ celebrentur, satis est, interesse Parochum Sponsi, & vicissim, si in Parochia Sponsæ, solus Parochus Sponsæ sufficiet, nam Parochus unius censetur esse Parochus utriusque, quia sunt quasi una persona, estque unus contractus individuus, ita ut ab uno sine altero iniri nequeat per necessariam connexionem; & in hoc quidem AA. conveniunt, quòd nempe sufficiat Parochus ille, in cujus Parochia nuptiæ celebrantur, dubitatur verò inter eos, an Parochus quoque alterius è contrahentibus assistere possit Matrimonio extra suam Parochiam, v. g. Parochus Sponsi, si nuptiæ celebrentur in Parochia Sponsæ? Navarrus *c.* 25. *Manual. n.* 144, & cum eo Basilius Pontius *L. 5. c.* 16. *n.* 4. *& seqq.* Item Zerola *in Praxi Episc. p.* 2. *V. Parochus.* §. 1. negant, sufficere talem assistentiam, atque ideo irritum arbitrantur ejusmodi Matrimonium, innixi declarationi Congregationis Cardinalium, quæ dicit: *quando Matrimonium contrahitur inter virum, & mulierem diversarum Parochiarum, sufficit Parochus viri in ejus Parochia, & Parochus mulieris in ejus Parochia*, quibus verbis supponi videtur, non sufficere Parochum unius in Parochia alterius Sponsi.

Sed profectò istud gratis asseritur, dum enim S. Congregatio dicit, sufficere Sacerdotem mulieris, quande

do contrahitur in Parochia mulieris, non eapropter negat, alterum quoque Parochum proprium esse, ac sufficere, cùm extra suam Parochiam non desinat esse Parochus alterius contrahentis, unde dicendum, etsi suadendum, & expediens sit, ut semper fiat, atque etiam plerunque observari soleat, ut is assistat Matrimonio, in cujus Parochia nuptiæ celebrantur, cùm ipsi hoc videatur majore ratione competere, loquendo tamen de valore Sacramenti, perinde est, quisquis assistat è duobus, sive Parochus Sponsi, sive Sponsæ, etiam in Parochia alterius. Ita Laym. *L. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 3.* Franc. Leo *in Thesauro fori Eccles. p. 2. c. 9. aliàs 24. n. 39. in fine* Paulus Comitolus *Respons. Moral. L. 1. q. 131. n. 2.* Sanch. Dicastillo, Perez, Coninck, Palao, Bonac. cum alijs supra citatis. Ratio est, quia Concilium solùm præscribit assistentiam Parochi, non autem exigit, ut assistat in sua propria Parochia; neque hoc necessarium est ad finem S. Concilij, qui est, ut Matrimonia clandestina vitentur; hoc autem sufficienter cavetur, ubicunque demum Parochus proprius assistat Matrimonio, sive intra, sive extra suam Parochiam in Ecclesia alterius Sponsi. Accedit, quod assistentia, quam Parochus exercet, non sit actus Jurisdictionis, ut supra dictum est; vel si etiam hoc admittamus, neutiquam tamen est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, potest proinde etiam extra territorium exerceri, atque ita non prohibetur Parochus extra suam Parochiam assistere Matrimonio. Denique declaratio allegata debile fulcrum præbet Basilio Pontio, nam ipse quoque Navarrus, quamvis in Manuali *l. c.* eidem Declarationi innitatur, postea *Consil. 4. De Clandest. desponf.* ingenuè fatetur, se accepisse quidem à fide dignis, citatam Cardinalium declarationem constare ex verbis supra relatis, sed mox subjungit: *nunc autem subaudio, præfatam Congregationem declarâsse, quòd præsentia Parochi unius contrahentium sufficit, in quacunque Parochia contrahatur*, de quo ut apertiùs constet, testatur Fagnanus in *c. Quod nobis. De Clandest. desponf.* hanc ipsissimam quæstionem fuisse propositam in S. Congregatione, cui intererant undecim Cardinales, quos nominat: quinque ex ijs pro nullitate Matrimonij statuisse, reliquos sex pro ejusdem validitate, declarantes, sufficere Parochum viri etiam in Parochia mulieris, quia Matrimonia voluntariæ Jurisdictionis sunt, & quia Concilium nihil de loco expressit, denique quia videtur Concilium voluisse præsentiam Parochi, & testium ad tollendam solam clandestinitatem, ad quod sufficit unus Parochus, sive viri, sive mulieris.

Ad-

Addit memoratus Author, Sanctissimum audita relatione opinionum Congregationis, approbâsse Sententiam sex Cardinalium pro validitate Matrimonij, ac voluisse, ut in futurum ita respondeatur, nulla habita ratione alterius decisionis editæ 15. Decemb. 1574. qua dictum fuit, sufficere præsentiam solius Parochi mulieris, si in ejus Parochia Matrimonium contrahatur; item sufficere præsentiam Parochi viri, si contrahatur in Parochia viri, ideoque si vir unius Parochiæ accesserit ad mulierem alterius Parochiæ, & secum duxerit suum proprium Parochum, ac coram eo solo Matrimonium contraxerit sine licentia, aut præsentia Parochi mulieris, vel Ordinarij, Matrimonium esse nullum: reijcitur ergo clarissimè Sententia Basilij Pontij, quæ hoc idem dicit, per ipsam declarationem Cardinalium, & prior eorundem declaratio per alteram supervenientem, ac posteriorem accipit novam interpretationem, & mitigationem, accedente Pontificis approbatione, de qua correctione mentionem quoque facit Barbosa *p. 2. De Offic. & potest. Parochi c. 21. n. 45.*

Extenditur hoc à dictis AA. ut validum sit Matrimonium, cui Parochus proprius assistit etiam in neutrius contrahentis, sed aliena prorsus Parochia absque licentia Ordinarij, vel Parochi illius loci: imò cessante scandalo juxta Sanch. *l. c. n.* 18. Palao *n.* 5. Perez *l. c. n.* 5. *&* 7. & Dicastillo, etiam licitè, & sine peccato hoc facere potest, quod est probabile, quamquam alij contrarium non improbabiliter teneant: id mihi certum cum Pirhing *l. c. n.* 16. Coninck *disp.* 27. *dub.* 2. *n.* 19. Laym. peccaturum, ac puniri posse, si Matrimonio assistat solemniter, ac publicè cum quodam quasi strepitu externo in aliena Parochia sine licentia Parochi, quia involat in alienum Officium in re gravi, unde nec benedicere potest Parochus Sponsos suos in aliena Parochia. Sanch. *l. c. n.* 19. & alij communiter.

13. Exposita hactenus necessitate tam testium, quàm proprij Parochi in contrahendo Matrimonio, ad hoc, ut illud clandestinum, ac proinde irritum non sit, celebris Controversia est, an tanta sit ista necessitas, ut semper liget incolas eorum locorum, ubi Concilium Tridentinum promulgatum, atque receptum est, adeò, ut nulla ratione eximere ab ea se possint, etiam transeundo ad locum, ubi dictum Concilium neque in usu est, nec publicatum aliquando fuit; ad quam quæstionem, quæ pxoximè attingit nostrum casum, pro varietate circumstantiarum de valore hujusmodi Matrimonij, aut invaliditate ejusdem respondendum est, ac in primis.

Dicendum, validè contrahere sine Parocho, & testibus, qui, licèt incolæ

incolæ sint locorum, ubi receptum est Tridentinum, migrant ad locum non recepti Concilij, animo figendi ibi domicilium, aut quasi domicilium, quia ex tunc censentur Parochiani talis loci, quibus licitum non est, sed validum contrahere, nec ampliùs obligantur legibus suæ patriæ, atque ita docet communis Sententia. Imò valebit, si ibi intendant habitare non alio ex fine, quàm ut ita possint contrahere, ut patet ex responso Cardinalium approbato ab Urbano VIII. de quo mox dicetur.

Quòd si verò incolæ loci, in quo viget Decretum Concilij, unicè eò accedant, ubi in usu non est, ut clandestinè contrahant, redituri deinceps ad priorem locum, adhuc validum fore Matrimonium, graves Authores docent, tum Theologi, tum Canonistæ, videlicet Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 18. n. 29.* Basil. Pontius *L. 5. c. 9. n. 4.* Perez *disp. 39. Sect. 6. n. 5.* Coninck *disp. 27. dub. 1. n. 14.* Palao *disp. 2. de sponsal. pu. 13. §. 8. n. 4. & disp. 1. de Legibus pu. 24. §. 5. n. 4.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 121.* Bonac. *q. 2. de Matrim. pu. 7. n. 2.* Hurtad. Rebellus, Præpos. & ex Canonistis Gonzalez *in c. Cum inhibitio. De Clandest. desponf. n. 10.* Zoesius *eod. tit. n. 22.* Pirhing. *eod. n. 11.* Ratio est, quia peregrini absentes à proprio domicilio, non tenentur legibus illius, si contrariæ vigeant in loco, ubi reperiuntur, sed possunt se tali loco ac commodare; neque decretum Concilij afficit personas quocunque modo, sed contrahentes in locis, ubi Concilium publicatum est: præterea in contractibus, eorumque solemnitate servandæ sunt Leges loci, n quo celebrantur. *L. Si fundus. ff. De Evictionibus*: cùm ergo Matrimonium sit quidam contractus, qui contrahunt in loco, ubi Decretum Tridentini non viget, validè contrahunt absque Parocho, & testibus, nec dici possunt in hoc ullam fraudem committere, cùm nulla lege prohibeantur exire in talem locum, nam juxta regulam 55. ff. De Reg. Jur. fraudem non facit, qui jure suo utitur, ut constat in contractu venditionis, ubi nemo prohibetur exire è loco sui domicilij, ut alibi vendat juxta formam requisitam illius loci. Nec denique invalidat Matrimonium eorundem intentio, quia intentio efficere quidem potest, ut actus aliquis peccaminosus, & illicitus sit, invalidum tamen non reddit, si aliàs seclusâ hac pravâ intentione invalidus non esset; sic ex intentione prava nulla oritur obligatio restituendi, si re ipsa damnum nullum illatum est, quanquam agat illicitè, qui Parochum corrumpit, ut suae denunciationibus se in fraudem prioris sponsæ cum alia conjungat, non tamen hoc facit invalidè: ergo quamvis intentio sic clandestinè contrahendi reddat illicitum eiusmodi Matrimonium, & peccaminosum, cùm clande-

clandestinè contrahendo etiam peccent incolæ locorum, ubi Tridentinum promulgatum non est, non tamen per dictam intentionem efficitur Matrimonium invalidum.

14. Hanc sententiam probabilem reddere possunt & rationes allatæ, & tanta doctissimorum Virorum authoritas. Dicendum nihilominus cum Illsung *tr. 1. disp. 2. a. 2. n.* 23. Tamb. *L. 8. de Matr. tr. 6. c. 2. §. 2. n.* 16. Gobat *tr. 9. cas. 18. n.* 480. Wex *Adrianes Can. p. 5. tr. 2. de sponsal. §. 4. n.* 19. Engl *de Clandest. desponf. n.* 20. König *eod. tit. n.* 27. Wiestner *eod. n.* 39. alijsque Recentioribus, etsi olim probabilissima fuerit ista opinio, de facto tamen invalidum esse eorum Matrimonium, qui se in locum conferunt, ubi Tridentinum non viget, præcisè animo clandestinè, sive aliter contrahendi, quàm S. Synodus exposcit. Ita nos docet responsio Cardinalium S. Concilij Tridentini interpretum, qua resolvunt, sic transeuntes invalidè contrahere: quæ resolutio robur accepit maximum ex Brevi Pontificio Urbani VIII. ad instantiam Archi-Episcopi Coloniensis sub dato 14. Aug. 1627. ubi cum Eminentissimi in sua responsione dixissent suam sententiam circa tria quæsita: 1. *an incolæ tam masculi, quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonij est promulgatum, retinentes idem domicilium validè possint in isto loco Matrimonium sine Parocho, & testibus contrahere?* 2. *Quid si eò præfati incolæ tam masculi, quàm fœminæ, solo animo sine Parocho, & testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes?* 3. *Quid si ijdem incolæ, tam masculi, quàm fœminæ eò transferant, habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & testibus contrahant? ijdem Cardinales ad primum, & secundum, non esse legitimum Matrimonium inter sic contrahentes cum fraude: ad tertium verò dubium hujusmodi, si domicilium verè transferatur, Matrimonium esse validum responderunt, & resolverunt &c.* Hanc responsionem Pontifex laudat, & approbat in illo Brevi, dum ait; *responsum, seu dubiorum prædictorum resolutio hujusmodi authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus.* Subjungit deinde omnes firmitates adhiberi solitas ejusmodi Brevibus, & Bullis cum derogatorijs contrariorum quorumcunque, etiamsi scienter, vel ignoranter à quoquam contingat aliquid in contrarium attentari, hocque decretum, vult, ut ubique observetur.

Cùm igitur Casus noster, quem in præsenti tractamus, in eo totus consistat, per quod invalidum reddi Matrimonium in dicto Brevi Apostolico declaratur, palam est, Matrimonium inter Gelindum, & Eduinam contractum in loco, ubi Tridentinum promulgatum non est, ad quem egressi sunt ex isto solo fine, ut possint clandestinè contrahere, nullius

esse

esse valoris, atque ideo à se invicem hos putatitios conjuges separari, aut de novo contrahere debere in facie Ecclesiæ, servatis ijs, quæ à Concilio Tridentino præscibuntur. Neque excusat ipsos, quod oppositæ sententiæ Patroni asserunt, fraudem nullam admittere, qui utitur suo jure, & per intentionem perversam non vitiari actum quoad suum valorem; nam hoc solummodo verum est, quando mala intentio nihil mutat in substantialibus à lege requisitis, prout tamen hîc contingit, ubi inter ejusmodi sponsos, qui solùm egressi sunt ad clandestinè contrahendum in loco non recepti Concilij, Decretum Urbani Pontificis etiamnum exigit præsentiam Parochi, & testium tanquam essentiale requisitum per Constitutionem Tridentini in Matrimoniali contractu, à cujus observatione istam egressionem non eximi, decidit, & confirmat hîc Pontifex; unde de facto jus nullum habent incolæ locorum, in quibus Concilium Tridentinum receptum est, exeundi ad locum non promulgati Concilij ad contrahendum clandestinè, atque eiaruit adversariorum axioma: *qui jure suo utitur, non agit fraudulenter*, nam hoc agentes post sæpiùs memoratum Breve Apostolicum non jam utuntur suo jure, sed planè agunt in fraudem Concilij, quocirca fraus, & dolus eis patrocinari non debet. *c. Sedes. De Rescript.* ne lex Concilij Christianæ reipublicæ utilissima damnum patiatur, atque per similes furtivas egressiones janua iterum aperiatur injustis raptibus, iniquis repudiationibus conjugum in tori consortium assumptarum sine ullius præsentia, qui testimonium dare possit, continuis concubinatibus, & adulterijs, alijsque innumeris, & gravissimis damnis.

15. Totum istud Breve authenticum, de quo sermo est, cujus exemplum se ex authographo illius accepisse testatur, describit Card. de Lugo in *Responsis Moralibus L. 1. dub. 36*, ubi ait, se modò contrariam Sententiam non audere ampliùs probare, & Dicastillo *tr. 10. de Matrim. disp. 3. dub. 6. n. 42.* huic resolutioni, quæ jam ipsiusmet Pontificis est, standum esse asserit. Unum in dicto responso, authoritate Pontificis firmato, dubium moveri potest, quod advertit ibidem Dicastillo, videlicet quòd, cùm declaret, non esse ejusmodi Matrimonium legitimum, adijciat illam particulam *cum fraude* (quæ tamen in quæsito non continebatur) hinc enim videri potest, fraudem requiri ad incurendam invaliditatem, atque ideo, si non adsit animus fraudulentus, sed quis existimet, hoc posse fieri, vi hujus declarationis validum fore Matrimonium. Sed fatetur tamen de hoc ipso dictus Author, rem esse valde periculosam, & dubiam. Mihi certum videtur, etiam sic nullum esse, ac irritum conjugium, cùm

dicat Pontifex, irritum, vel inane judicari, ac definiri debere, si secùs super his à quoque *scienter*, vel *ignoranter* contigerit attentari. An autem valeat in alijs casibus, quando ex alio fine, quàm Matrimonium clàm contrahendi, sed v. g. ob negotia, vel mercimonia ibi inveniuntur contrahentes, in dubio relinquit Lugo, cùm de hoc Cardinales nihil voluerint definire.

Validum fore in tali casu, etiam nunc admittunt Wiestner *de Clandest. desponf. n. 38.* & Ludovicus Engl *eod. tit. n. 20.* qui addit, & probat, validum quoque esse, si quis ex loco recepti Concilij excurrat ad locum, ubi receptum non est, ut ibi contrahat cum incola istius loci, cùm enim contractus Matrimonij sit individuus, regulatur secundùm locum unius cujuslibet ex contrahentibus: potest ergo contrahere Vir juxta eum ritum, qui validus est Sponsæ, videlicet sine Parocho, & testibus in tali loco, quemadmodum validè assistit Matrimonio quicunque Parochus, quando è duobus contrahentibus unus duntaxat vagus est, quia tunc quilibet istorum contrahentium Parochus est, teste Sanch. *L. 3. disp. 25. n. 14.* & Dicastillo *disp. 3. de Matrim. dub. 8. n. 53.*

Fateor, si attendatur allata ratio, istud evinci, an autem hoc idem dicturi essent Eminentissimi Cardinales S. Concilij Tridentini interpretes, si hac de re interrogarentur, non ausim affirmare, cùm eadem incommoda, quæ suprà dicta sunt, ex tali contractu exoriri possent, & æquè facilè alibi repudiari uxor, quàm temerè, ac leviter assumpta est in tali loco.

16. Pro coronide dicendum superest, quæ pœnæ statutæ sint in Matrimonium clandestinum propriè dictum, id est, quod sine Parocho, & præscriptis à Concilio testibus contractum est, nam quomodo puniantur ij, qui illud celebrant, omissis solùm, sed culpabiliter, denunciationibus, in casu præcedente diximus.

Prima igitur pœna est, ut, qui aliter, quàm coram proprio Parorocho, & duobus, vel tribus testibus illud celebrare præsumunt, ad sic contrahendum sint omnino inhabiles. *Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform Matr.* quamquam si propriè velimus loqui, hæc non sit pœna, sed effectus formalis ipsius irritationis, qua S. Synodus similia Matrimonia irrita, ac nulla reddit, & inhabilitatem inducit ad contrahendum, non omnino, & simpliciter, sed *ad sic*, scilicet clandestinè, additque particulam *omnino*, id est, in perpetuum, exclusa omni gratiâ, & dispensationis spe: interea si velint postmodum contrahere publicè coram Parocho, & testibus juxta ritum Ecclesiæ à Tridentino præ-

præscriptum, possunt hoc facere, quin ulla ad id dispensatione indigeant. Perez *disp.* 42. *Sect.* 1. *n.* 2. Palao *disp.* 2. *de Sponsal. pu.* 13. §. *ult. n.* 9. Sanch. *L.* 3. *disp.* 46. *n.* 2. ex declaratione Cardinalium. 2. Præcipit idem Concilium, ut graviter puniantur arbitrio Ordinarij tum contrahentes sine Parocho, & testibus, tum ipse Parochus, aliusvé Sacerdos illius loco assistens sine testibus, aut cum minore testium numero; tum denique etiam testes, qui sine proprio contrahentium Parocho, aut alio Sacerdote ab ipso licentiam habente Matrimonio interesse præsumunt, ubi notant dicti AA. peccaturum graviter Episcopum illos non punientem, quia S. Synodus eos puniri præcipit.

Denique ex decreto ejusdem Tridentini *l. c.* Parochus, & quicunque alius Sacerdos tam Regularis, quàm Sæcularis, qui ausus fuerit alienos Parochianos Matrimonio conjungere, aut benedicere sine proprij Parochi licentia, etiam sub prætextu cujuscunque privilegij, aut consuetudinis, quantumvis immemorialis, incurrit ipso facto suspensionem tam diu duraturam, donec ab Ordinario Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Wiestner *de Clandest. Desponsat. n.* 93. cum alijs suprà cit.

CASUS TERTIUS

Matrimonij à milite in hybernis contracti, in quo lis mota est de præsentia Parochi.

Agelastus exacta in castris Cæsareis æstate, cùm milites in hyberna deducerentur, cum potiore parte legionis, in qua ipse stipendia merebatur, jussus est ire in Bavariam pro Urbis Monacensis præsidio, usque dum nova imperia aliò rursus evocarent. Hîc dum moratur, familiaritatem contraxit cum Thessalina, jamque in eo erat, ut eam duceret conjugem; sed ut hoc juxta Ecclesiæ ritum legitimè fieret, dubitatum est, an nuptiæ celebrari deberent coram Parocho Urbis, an verò in præsentia Curionis Castrensis, qui tunc cum ista parte suæ legionis aderat?

Q. Quis ex duobus istis Sacerdotibus assistere potuerit, aut debuerit huic Matrimonio?

SYNOPSIS.

1. *Quinam intelligantur nomine vagorum, & eorundem Matrimonijs quis Parochus assistere possit?*

2. *An*

2. *An inter eos etiam milites numerentur?*

3. *Coram quo Sacerdote istis permissum sit contrahere Matrimonium?*

4. *An in hybernis subjaceant Parocho loci, an verò Capellano Castrensi, pro quo videtur stare praxis?*

5. *Statuitur contrarium ob specialem prohibitionem S. Congregationis Concil. Trident. & Nuntij Apostolici, ex qua deciditur dubium præsentis Casûs.*

6. *Castrenses Missionarij de facto etiam extra hanc Diœcesin non possunt ampliùs assistere Matrimonijs militum in hybernis, vel in præsidijs commorantium.*

7. *Nec satisfaciunt, qui ajunt, eos verè Parochos dici posse respectu militum; aliunde tamen hucusque excusari potuit illorum assistentia, ut pro sufficiente haberetur.*

8. *In castris sæpè contrahunt legitimè coram Curione alienæ Legionis.*

1. DEcisio hujus Casûs multùm dependet ab ea quæstione, quis Parochus assistere possit Matrimonio vagorum? quo nomine veniunt ij, qui nullam certam, & constantem sedem, ac domicilium habent, in quo habitent, sed hinc inde vagantur, etsi superst vicus, vel pagus, ubi nati, & educati sunt. Vagi item dicuntur ij, qui proprium domicilium deseruerunt, ut aliò se transferant, & ibi novam sedem sibi constituant. *L. Ejus, qui manu misit. 27. §. Celsus. ff. Ad Municipal.* quippe quamdiu in itinere sunt, omni domicilio carent, & consequenter omni Parochiâ, quod enim habuerunt, omnino perdiderunt, cùm illud animo, & facto ipso deseruerint, posterius autem nondum acquisiverunt, cùm solo animo absque facto ipso, sive actuali habitatione domicilium non comparetur: ergo donec ad locum perveniant, in quo habitare

tare constituunt, meritò vagi nominantur,

Hi igitur cùm neque Parochiam, neque Parochum proprium habeant, sicuti quicunque Parochus illorum confessiones excipere potest, aliaque Sacramenta ministrare, ita quilibet validè, ac licitè eorum quoque Matrimonijs assistet, cùm planè non sit de uno Parocho major ratio, quàm de altero. Ita docet Sanch. *L. 3. disp. 25. n. 11.* Basilius Pontius *L. 5. c. 14. n. 5.* Bassæus *V. Matrimonium 5. n. 2.* dummodo tamen, (quod necessarium est ad licitam assistentiam) de eorum statu, & habilitate ad contrahendum priùs diligenter inquisiverit, & assistendi licentiam ab Ordinario Diœcesano obtinuerit, ad quem causam priùs deferre jubetur à S Synodo Tridentina *Sess. 24. c. 7. de reform. Matrim.* propter periculum, ne uxore, quam alibi fortassis habent, temerè relictâ, ubi tunc versantur, aliam ducant, vel etiam plures eâ vivente. Alij ex opposito docent, assistere debere Matrimonio vagorum, aliaque Sacramenta ministrare eum Parochum, in cujus Parochia ejusmodi vagabundi pro tunc hospitantur, in his enim hominibus succedit actualis habitatio loco domicilij, cùm aliud non habeant, estque omnino ipsis assignandus aliquis proprius Parochus, cui incumbat eorum cura spiritualis, secùs non esset eis sufficienter provisum; nullus autem alius ipsis congruentiùs assignari potest, nisi ille, in cujus Parochia actu morantur tempore, quo Sacramenta recipiunt: ergo &c. ita Perez *disp. 40. Sect. 17.* Coninck *disp. 27. dub. 2. n. 20.* Hurtad. *disp. 5. de Matr. difficult. 12. n. 41.* Pirhing *de Clandest. desponf. n. 19.* Dicastillo *disp. 3. de Matr. dub. 15. n. 133.* Tamb. *L. 8. tr. 6. de Matrim. c. 2. §. 5. n. 12.* qui omnes priorem Sententiam agnoscunt pro satis probabili, & tuta, tutior tamen, & probabilior est secunda, atque ideo consulenda, & eligenda in praxi, siquidem illud certissimum est in omnium opinione, quòd, si adhibeatur Parochus loci, in quo de facto hospitantur, valiturum sit Matrimonium, quod tamen de quolibet alio Parocho multi negant: tutiùs igitur adhibetur Parochus loci. Quin imò hoc ipsa praxis confirmat, quia passim non alius pastor assistit vagorum conjugijs, aliaque Sacramenta ijs administrat, præterquam ille, in cujus Parochia tunc morantur, nec fieret sine scandalo, si Parochus Ecclesiæ B. V. vellet adesse Matrimonio vagi in Parochia S. Petri, aut ægrotanti ibidem extremam unctionem conferre.

Quòd si verò in aliquo loco pro vagabundis designata sit certa Parochia, certusque Parochus, quemadmodum videmus, quòd pauperes advenæ, qui hospitantur in aliquibus Xenodochijs, aut hospitalibus, habeant

habeant subinde peculiarem aliquem Parochum pro tali loco, tunc sanè, ubi hic usus viget, hic tantùm Parochus, & non alius potest assistere illorum Matrimonijs, & Sacramenta Parochis propria ijs ministrare, etiamsi alioquin illud hospitale sit in districtu pertinente ad alterius cuiuspiam Pastoris Parochiam, quia pro tunc hic solùm Parochus proprius vagabundi est, in hospitali commorantis. Dicastillo *l. c. n.* 133.

2. Quæstio nunc est, an vagis annumerari milites quoque debeant, nam istis eos accenset Lessius *in Auctario ℣. Matrimonium. cas.* 13. & Schiara *L. 6. Theol. Bellicæ difficult.* 13. *per plures numeros*, non solùm, quando in castris sunt, & actuali expeditione, sed etiam quando morantur in hybernis, aut præsidijs, nam & hic pendent à nutu Ducis, debentque semper esse parati, ut aliò proficiscantur. Totus in oppositum stat Bernardus van Espen *Iuris Eccles. universi p.* 2. *Tit.* 12. *n.* 15. *& seqq* ut suprà diximus in casu militari de Denunciationibus, negat enim simpliciter, vagorum nomine venire milites, propriumque ipsis Parochum assignat; in castris quidem Capellanum castrensem, in præsidijs verò Pastorem eius loci, quam in rem allegat concordata Belgica Ordinariorum inita 23. Jan. 1595. & denuo in Septembri anno 1628. inter Archi-Episcopum Mechlinienſem ut delegatum exercitûs, & Episcopos comprovinciales renovata, quæ etiam reperiuntur apud Zypæum *Consult.* 2. *de Offic. Ordinarij.* In istis ita habetur: *ut Parochis liberum sit administrare Sacramenta omnibus divertentibus ad suas Parochias, & sepulturas in ijs morientibus, salvis juribus: non licebit tamen Parochis assistere militibus, seu personis de exercitu Matrimonium contrahere volentibus, nisi tanquam præsidiarij in eorundem Parochorum Parochijs resideant.* Wiestner *de Clandest. desponſ. n* 52. videtur mediâ viâ incedere, ut vagis annumerentur non solùm, quando in expeditione, & castris sub papilionibus degunt, sed etiam quando sunt in hybernis, imò & in præsidijs, si proprio Curione, seu Capellano careant: ergo ubi hic præsens est, inferri poterit, eos vagabundos non esse, sed proprium sacerdotem tunc habere, propriamque Parochiam, ut ita dicam, volatilem, & mobilem è loco in locum.

3. Quidquid verò sit, an vagis annumerandi sint milites, an proprium dicantur habere Sacerdotem, certum est, si Agelastus Urbis Monacensis pro tempore præsidiarius ducere voluit incolam istius loci, validè, liciteque contrahere potuisse coram Parocho Urbis, etiam dato, quòd milites vagabundis accenseri nequeant, & præsens tunc adfuerit castrensis Curio, quia sufficit, alterutrius Parochum assistere Matrimonio, ut diximus in casu præcedente, dummodo tamen adhibita sit cautela, & inquisitio præmissa, quæ à Tridentino

præmit-

præmittenda præcipitur Parocho circa hos, qui vel vagabundi, vel ignoti sunt in tali loco, quod observari oportet etiam, quando unus duntaxat inter contrahentes vagus est. ut notat Dicastillo *l. c. n.* 137. Potuit verò, posito, quòd vagis annumerentur milites, juxta primam sententiam etiam coram alio quovis Parocho contrahere, sive incola Monacensis fuerit Thessalina, sive alienigena, quia vagi coram quocunque Parocho contrahere possunt Matrimonium ex mente Authorum pro prima sententia adductorum, & teste Sanchez, ac Dicastillo satis est, quòd unus è sponsis vagus sit: at juxta secundam sententiam contrahere necessariò debebat coram Parocho Urbis, cùm ibi Parochum sortiantur vagabundi, ubi pro tempore commorantur, ut docent AA. pro secunda sententia allegati. Quòd si dicamus denique tertium, nempe vagis annumerari milites tunc solùm, si Capellano Castrensi careant, utrumque dici poterit probabiliter, vel coram quolibet Parocho, vel coram Parocho Vrbis duntaxat contrahere ipsos posse in absentia Capellani Castrensis juxta utramque sententiam probabilem; tutius tamen erit sequi secundam, quam probabiliorem esse diximus, & praxi conformiorem.

4. Dubium porrò est, quod motum fuit Agelasto in præsente casu, an contracturi in loco præsidij, vel hybernorum Matrimonium milites, quando præsens adest eorum Capellanus castrensis, possint tunc, vel etiam debeant hunc adhibere contractui, præterito Pastore loci, ubi morantur, saltem quando Sponsa hujus Parochiana non est, ut eapropter tanquam proprius illius Sacerdos adhiberi possit, sed quando contrahendæ sunt nuptiæ v. g. cum filia militis ejusdem legionis, quæ proinde & ipsa Sacerdotem proprium habere videtur eundem Curionem castrensem, cùm jurisdictioni castrensi, etiam Ecclesiasticæ, subsint ij omnes, qui castra sequuntur, tametsi milites non sint, sed militum conjuges, liberi, servi, calones &c. ut tradit Zypæus *consult.* 14. *de Sponsal. & Matrim.*

Cardinalis de Luca *in annotat. ad S. Concil. Trid. discursu* 26. *n.* 16. dum & ipse hoc dubium movet, an coram Parocho loci validè copulentur milites, proprium castrensem Curionem habentes, dum vivunt in civitatibus, locisque habitatis tempore hyberno, vulgò in quarterijs, ut ipse loquitur, an verò potiùs etiam tunc subjaceant Capellano castrensi, tandem concludit, solutionem hujus dubij totam quantam pendere ab observantia, & tenore facultatum eidem Capellano attributarum, cui consentit Wiestner *De Clandest. despons. n.* 51. additque, usum, & praxin hodie habere, ut Curiones, sive Capellani Castrenses suorum militum Matrimonijs assistant tam in stativis,

stativis, quàm in expeditionibus, & desponsatis nuptialem benedictionem impertiant, idque ait, carere difficultate in Missionarijs Regularibus exercituum Cæsareanorum, cùm eorum Superiori Castrensi à Sedis Apostolicæ ad Sacram Cæsaream Majestatem Legato animarum cura, & Sacramentorum omnium (Confirmatione, & Ordine duntaxat exceptis) administratio committi soleat, cum peramplis prærogativis, & facultate, eas legionum Curionibus, seu Capellanis tam Sæcularibus, quàm Regularibus communicandi, ut hi legionarijs suis, sicut cætera Sacramenta, ac alia Divina ministrare, sic eorum etiam Matrimonijs assistere possint tam in castris, quàm in stativis, & hybernis: cùm igitur diuturna praxis, & observantia, quæ, ut loquitur Card. de Luca *disc. 4. de Matrim. n.* 16. optima interpres est, & interpretationum Regina, rectéque declarat, quid per indultum concessum sit, cùm, inquam, praxis, & observantia hucusque semper fuerit, ut etiam extra castra, dum more reliqui populi in civitatibus, vel locis habitatis vivunt milites in hybernis, vel in præsidijs temporaneis, eorundem conjugijs assistat Capellanus castrensis, non requisito Parocho talis loci, consequi videtur, idipsum fieri potuisse cum Agelasto, ac deinceps cum alijs quoque conjugium contracturis observari posse.

5. At verò dicendum est contrarium, postquam Ordinarius Diœcesanus obtinuit rescriptum à S. Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, & ab Illustrissimo Nuncio Apostolico Viennensi, quo prohibetur, ne similia deinceps à Capellanis castrensibus attententur, unde factum est, ut reclamârit contra conjugium Agelasti Monachij contrahendum Ordinarius Frisingensis, cui in Spiritualibus subest Monachium, juberetque, ut tum ipse, tum alij deinceps milites per suam Diœcesin in hybernis, aut in præsidijs commorantes non coram alio contraherent, quàm coram Parocho loci, invalidam declarans assistentiam Curionis castrensis. Decisio S. Congregationis Cardinalium est sequens, data jam antehac in Italia, nunc verò iterum ad propositum id ipsum dubium à Diœcesi Frisingensi.

Cùm occasione transitûs, aut stationis hybernæ in Diœcesi Frisingensi prætendant Capellani exercituum eorum militibus Sacramenta administrare in locis, ubi permanent, absque licentia Parochi, ac illorum Matrimonijs assistere absque prævijs denunciationibus, & contra dispositionem S. Concilij jam recepti in dicta

Diœcesi, Episcopatus ad occurrendum malis ex inde provenientibus, & poligamijs jam detectis, supplicat sibi subministrari remedium, ac declarari, an prædicti Capellani id peragere possint?

Die 29. Ianuarij 1707. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, dandum esse decretum aliàs hac de re editum, & signanter sub die 6. Martij 1694. in dubijs Capellanorum exercitûs tenoris sequentis, videlicet: 1. An Capellani cujusvis exercitûs, sive Regulares, sive Sæculares Catholici possint administrare militibus in præsidijs degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarij, in cujus Diœcesi exstare contigerit?

2. An assistere Matrimonijs militum cujuscunque Nationis, degentium in præsidijs cum militaribus fœminis sine dicta facultate Apostolica, & præcedente approbatione statûs liberi, ejusque recognitione coram Ordinario loci, & licentiâ Parochi, sub cujus Parochia maneant?

3. An idem cum militibus degentibus in castris, & stationibus hybernis, vel æstivis?

4. An idem cum militibus in actuali expeditione positis?

5. An idem cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed Italis Originarijs loci, seu Diœcesis, in qua reperiuntur? Sacra &c. ad primum, secundum, tertium, quartum, & quintum respondit negativè.

B. Card. Panciaticus Presbyt.
V. Petra Secret.

Huic Decisioni subnecto literas Apostolici Nuntij ad Celsiss. & Reverendiss. Principem, & Episcopum Frisingensem datas:

Illustrissime, ac Reverendissime Domine, Domine observandissime.

UT literis Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ super prætensione castrensium Missionariorum, administrandi videlicet Sacramenta suis legionibus in hybernis, aut præsidijs existentibus, ad me datis faciam satis, illud in primis innuere debeo, inanem prorsus, vanamque esse facultatem à me ipsis, aut

aut à DD. meis Antecessoribus, quod sciam, communicatam, quam perperam jactant, & opinantur. Accedit hisce, quòd, cùm mihi ex speciali Sanctitatis suæ Brevi hujusmodi inspectio tanquam Delegato Apostolico sit demandata, egoque in eam rem P. Menegattum S. I. Missionibus castrensibus Præpositum subdelegaverim, arctissimè ad mentem S. Congregationis inhibui, ne imposterum sub quovis prætextu Castrenses Missionarij in hybernis, aut præsidijs existentes, ea, quæ Pastoralis muneris essent, pro militibus suarum legionum exercere auderent, quod & datis idcirco literis præstitum, vetitumque esse ab eodem P. Menegatto intellexi. Miror itaque, his non obstantibus, eos, qui Monachij stativam habent, contraria pertentare; qua in re Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationi Vestræ, suisque Ministris liberum erit ea remedia adhibere, quæ Juribus Ordinarijs sartis, tectisque servandis utiliora videbuntur. Ego interim non deero, P. Menegatto novissima hæc significare, ut hujusmodi ausus seriò, celeriterque compescat. De reliquo Illustris. & Reverendissimam Dominationem Vestram obsequij, cultusque mei certiorem in dictis esse cupiens, ijsdem permaneo. Viennæ 2. Augusti 1710.

Illustris & Rever. Dominationis Vestræ

Obsequiosissimus Servus
J. Archi-Episcopus, Episcopus Faventinus.

Ex istis modò patet conclusio nostri casûs, videlicet Agelastum contrahere debuisse coram Parocho Urbis, aliosque deinceps facere idipsum debere coram Parocho loci, in quo ad tempus extra castra morantur, & invalidè contracturos coram castrensi Curione, saltem in Diœcesi Frisingensi, imò & in alijs Episcopatibus.

6 Utrumque ulteriùs probatur; ac primò quidem etsi forsitan negari posset, allegatam Cardinalium declarationem eandem vim habere in alijs Diœcesibus, ut ibidem quoque insufficientem efficiat assistentiam Curionum Castrensium, cùm plurimi, & graves Doctores asserant, ejusmodi Declarationes vim decisivam tantummodo habere in illo casu particulari, qui fuit S. Congregationi propositus, & respectu earum personarum tantùm, quæ proposuerunt, tunc verò primùm sortiri vim legis universalis, & datas pro uno

casu, ad alios similes extendi, quando accessit Pontificis approbatio, ut requisivit Pius V. ac manu, & Sigillo Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejusdem Congregationis signatæ sunt, quod statuit Urbanus VIII. Anno 1631. ut passim videre est apud Canonistas: ergo cùm in præsenti responso ista desiderentur, pro hac duntaxat Diœcesi eam effectum aliquem præstare, extra hanc verò castrenses Missionarios non ligare.

Dicendum nihilominus, alibi quoque extra hanc Diœcesim minimè sufficere castrensis Capellani assistentiam in Matrimonio militari, dum in hybernis, vel in præsidio morantur, sine licentia Parochi ejus loci, esto, non vi istius Declarationis, quæ data est ad interrogationem Episcopi Frisingensis pro sua Diœcesi, sed vi rescripti Apostolici Nuncij ad aulam Viennensem, quod universaliter loquitur de castrensibus Missionarijs, non facta mentione vel hujus, vel alterius Diœcesis; nam certum est, castrenses Missionarios majore potestate non gaudere, quàm quæ, & quanta ipsis concessa est; atqui Illustrissimus Nuncius ut Delegatus Apostolicus hanc potestatem ipsis solùm concedit in castris, & in exercitu, arctat verò, & adimit in hybernis, & præsidijs: ergo non habent eandem potestatem in hybernis, & præsidijs, quam habent in castris, & exercitu.

Nec obest, quod fortè parem licentiam utrobique eadem exercendi habuerint aliquando ab aliquo Nuncio prædecessore, is enim moderni Nuncij manus ligare non potuit, quò minus licentiam fortassis aliquando datam revocaret, ut patet ex *c. Innotuit. De Elect.* cùm par in parem non habeat imperium, unde cùm eadem in hoc, & prædecessore potestas resideat, sicuti potest hanc facultatem de novo concedere, ita potest aliquando datam revocare, & de facto revocavit in omnibus Missionarijs Cæsareanorum exercituum, quidquid sit de exercitibus aliorum Principum, qui ab hoc Nuncio non dependent, & fortè ab alio illorum Curiones licentiam minùs limitatam acceperunt.

7. Illud verò penitus approbare non possum, quòd aliqui ipsis hanc facultatem indisputabilem reddere conentur ex eo, quòd hi Castrenses Missionarij Parochi dici queant respectu militum sibi subditorum, qui mobilem quandam Parochiam, &, si ita loqui lubeat, ambulatoriam constituant, unde sicuti Parochus suorum subditorum Matrimonijs validè assistere potest etiam extra suam Parochiam, imò in aliena Diœcesi, quin ab hoc impediri queat ulla contrariâ protestatione, vel prohibitione juxta Sanch. Henriq. Dicastillo, & Tamb. ita hos quoque, in quamcunque Diœcesin deveniant, suorum Matrimonijs validè assistere, quidquid reclament Ordinarij. Hoc sanè

nè in primis est condere novas Parochias in Jure Canonico hucusque prorsus incognitas, nam ibi Parochus est rector Ecclesiæ Parochialis, qui in *c. Omnis utriusque. De Pœnit. & Remiss.* proprius Sacerdos dicitur, ipsæ verò Parochiæ *Can Plures. 16. q. 1.* terminationes vocantur, sive locorum termini: non igitur res vaga, & mobilis est Parochia, unde, quos isti nominant vagabundæ Parochiæ Curiones, ac proprios Sacerdotes, re ipsa nihil aliud sunt, quàm Sacerdotes subdelegati à Nuncio Apostolico ut Delegato à Sede Pontificia, qui exercitibus in rebus Spiritualibus provideat, quare majorem potestatem non habent, quàm quanta ipsis à Delegato hoc Pontificio conceditur, qui ut militibus in bello bene provisum sit, ipsis facultatem administrandi Sacramenta, & assistendi Matrimonijs concedit in castris, & in exercitu; castra autem apud Modestinum *L 3. ff. De Re militari* ex interpretatione Prateij sunt locus, ubi milites tentoria figunt in morem castri, non ubi hybernant; & exercitus non est una cohors, vel Legio, aut ala, sed numeri multi militum, ut dicitur in *L. Quòd ait Prætor. 2. §. 1. ff. De his, qui not infam.* qui adeoque dum separantur, & singillatim in præsidia, vel hyberna distribuuntur, exercitus, & castra esse desinunt, ac consequenter etiam castrenses Missionarij desinunt tunc habere ampliùs potestatem administrandi ipsis Sacramenta, & assistendi eorundem Matrimonijs, præsertim postquam accessit tam manifesta declaratio Illustrissimi Nuncii.

Interea tamen nolim dicere, invalidè contraxisse, quorum Matrimonijs hucusque etiam in hybernis adsiterunt Castrenses Missionarij, vel quia fortè reipsa collata ipsis aliquando fuit ista potestas, vel quia ex communi opinione eandem habere putabantur; posse autem validè assistere Parochum, non solùm qui titulum habet coloratum, sed etiam qui sine omni titulo est, ex communi tamen errore, ac opinione putatur esse Parochus, propriúsque sacerdos, non improbabiliter docet Basil. Pontius *l. 5. c. 20.* cùm alias gravissima incommoda, & scandala sequerentur, si acta illius omnia invalida essent; tum denique quia hanc potestatem præscriptione, ac consuetudine acquirere potuerunt, ut colligitur ex *c. Duo simul. De Offic. Iud. Ord.* & *c. Cùm contingat. De Foro compet.* præsertim cùm in diversis Diœcesibus Ordinarij hactenus non contradixerint.

8. Ex occasione hîc quæres, an valida sint Matrimonia militum, quibus, dum in castris morantur, assistit castrensis Curio alterius Legionis in absentia eius, qui huic Legioni præfectus est? quod facilè evenire potest, quando, ut plerunque fit, ad certam aliquam expeditionem non

una

una quædam integra legio, sed è diversis pluribus legionibus milites aliquot seliguntur, ut vel hosti insidias struant, vel arcem aliquam, aut commeatum hostilem intercipiant, vel fauces montium, fluviumvè occupent, ut hostium transitum prohibeant, quos unus aliquando Sacerdos comitatur, coram quo, dum in tali loco subsistunt, remoti à reliqua legionis suæ parte, & absente proprio Curione, contrahere volunt Matrimonium, qui ad diversas legiones pertinent. Ratio dubitandi de valore istius assistentiæ est, quia videtur assistere hic Missionarius ex licentia solùm tacita alterius proprij Curionis absentis, & ex præsumptione futuræ ratihabitionis, eò quòd credat, hunc contentum fore, libenterque daturum facultatem, si ea peteretur, aut peti posset in istis circumstantijs, nec optaturum aliud, quàm ut de facto assistat, quod tamen minimè sufficit, quia S. Synodus ad valorem Matrimonij coram alio ineundi, quàm coram proprio suo Sacerdote, postulat, ut id coram isto celebretur *de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia*, hoc est, ut qui assistit, actu licentiam assistendi habeat à Sacerdote proprio: is autem, qui solùm credit, gratum fore proprio Sacerdoti, si ipse hic, & nunc assistat in illius absentia, factumque ratificaturum, non habet actu licentiam, sed habiturus esset, si peteret, consequenter ob defectum actualis licentiæ invalidè assistit, quia ubi ad valorem actûs licentia desideratur, ea actum præcedere, vel in eo intervenire debet. *L. Siquis mihi 25. §. 4. ff. De Acquir. hæred.* Sed neque dici potest, haberi tacitam, & præsumptam licentiam, non de futura solùm ratihabitione, sed de præsenti, quia Sacerdos proprius defacto creditur non esse invitus; nam præterquam quòd de contractu hic celebrando proprius Curio nihil rescíat, debet tacita licentia de præsenti exprimi saltem aliquo signo externo, ex quo colligi queat, ipsum non esse invitum, sed consentire actu, ut expressè tradunt Coninck *disp. 27. dub. 3. n. 31.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 13. §. 12. n. 4.* Gobat *tr. 9. cas. 18. n. 488.* & elegantissimè *tr. 10. cas. 14. n. 549. & seqq.*

Nihilominus certum est, hæc Matrimonia esse valida, partim propter generalem conventionem Curionum castrensium, & ipsius Superioris castrensis commissionem, qui potestatem, & facultates à Nuncio Apostolico sibi concessas ipsis communicat, ut non tantummodo proprijs, sed etiam alienis legionarijs in absentia eorum Capellani tum Sacramenta ministrent, tum eorundem Matrimonijs assistant, quod etiam consuetudo confirmat, per quam sicuti, quando rationabilis est, & legitimè præscripta, acquiri potest Iurisdictio fori interni, ita eâdem etiam acquiri

potest

potest in similibus occurrentibus casibus potestas assistendi Matrimonio alienorum legionariorum, absente proprio ipsorum Curione. Wiestner *De Clandestin. Despons. n.* 73.

CASUS QUARTUS

Matrimonii à Sponsis Catholicis contracti coram Pracone Lutherano.

Monolphus miles Catholicus, dum die uno ab itinere quiescunt copiæ, in pago quodam Catholico petit contrahere Matrimonium cum Egilona coram Parocho loci, qui cùm renueret eidem assistere, neque adesset tunc Sacerdos Catholicus ipsorum Castrensis Missionarius, in alio pago cum cæteris militibus subsistens, Monolphus rectà perrexit ad Lutheranum præconem, & coram eo contraxit.

Q. 1. An Parochus loci rectè negaverit assistere huic Matrimonio?

2. An coram ministro Acatholico validè contractum fuerit?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Parochus non potest assistere vagabundorum, & aliorum ignotorum Matrimonijs, nisi præmisso diligenti examine de eorundem habilitate, & obtentâ licentiâ Ordinarij.*

2. *Quod tamen si omittat, Matrimonium ex eo non redditur invalidum.*

3. *Afferuntur argumenta pro validitate Matrimonij Monolphi coram Præcone Lutherano contracti.*

4. *Eadem reijciuntur, & deciditur, nullum fuisse hoc Matrimonium.*

1. DLura, quæ ad hunc casum faciunt, in præcedentibus fusè tractata sunt, unde ne aliàs dicta iterum repetamus, Respondeo ad primum quæsitum, Parochum istius loci benè egisse, repellendo Monolphum, imò neque assistere potuisse Matrimonio, quod erat cum Egilona contracturus. Patet conclusio ex Tridentino, quod *Sess. 24. de reform. Matr. c. 7.* præcipit Parochis, ne vagos, quibus à multis AA. annumerantur milites, conjungant Matrimonio, nisi priùs diligenter inquisiverint de eorum statu, & habilitate ad contrahendum, & rem ad Ordinarium detulerint, ejusque licentiam obtinuerint, quia periculum est, ne alibi uxore relictâ hîc aliam ducant; verba Tridentini sunt: *multi sunt, qui vagantur, & incertas habent Sedes, & ut improbi sunt ingenij, primâ uxore relictâ, & plerunque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt, cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facilè recipiant: Magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severè coërceant: Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimonijs intersint, nisi priùs diligentem requisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi.*

ciendi obtinuerint. Atqui suppono, Parocho locj neque sufficienter cognitum fuisse statum istorum, nec petere ita celeriter potuisse licentiam ab Ordinario distante, Monolpho insuper moram nullam admittente, quam iter quoque statim reassumendum excluserat: ergo assistere neque debuit, neque potuit sine gravi peccato.

2. Dico *sine gravi peccato*, quia assistens Matrimonio sine præmissa hac diligentia præscripta à Tridentino, & sine petita licentia ab Ordinario graviter violat Tridentini præceptum in re gravissima, & valde necessaria: ergo assistere sine peccato mortali non potest; quod tamen si faceret, validum nihilominus foret hoc Matrimonium, ut docet Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 25. n. 17.* Perez *disp. 40. Sect. 7. n. 9.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. n. 74.* Henriq. Filliuc. Ledesma, & alii. Ratio est, quia Concilium non prohibet Matrimonium absque ista licentia, & adhibita inquisitione sub clausula, & verbo irritante, sed tantùm præcipit Parochis, ut diligentiam præmittant, & licentiam petant: ergo illius omissio culpa erit, non tamen vitiabit Matrimonium, quia istud non annullatur per simplicem prohibitionem, nisi decretum irritans accedat. Wiestner *de Clandest. desponf. n. 50*, idemque cum alijs colligit Wagnereck ex *c. 1. De Matrim. contract. contra interd. Eccles.* ubi de quodam dicitur, quòd contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire quidem non debuerit, non tamen esse conveniens, ut ob id solum conjugij Sacramentum dissolvatur, seu Matrimonium dirimatur. Quod ulteriùs patet, quia ad eundem finem exigitur hæc diligentia pro vagabundis, ad quem ab eodem Tridentino petuntur pro indigenis denunciationes; atqui omissis denunciationibus tamen est validum Matrimonium: ergo validum quoque est omissâ hac diligentiâ, & petitione licentiæ ab Ordinario: atque ita satisfactum est quæsito primo istius casûs.

3. Ad alteram partem quod attinet, videlicet an Monolphus meritò rejectus à Parocho pagi Catholici validè deinceps contraxerit coram Ministro Lutherano? Video, dupliciter id evenire potuisse, ut istius assistentiam peteret: nec enim in facti specie, quam accepi, sufficienter expressum est, an uno, vel altero modo contigerit: nempe vel fecit hoc coram præcone, qui simul cum Sacerdote Catholico eidem Legioni præerat Pastor, aut potiùs lupus; solent enim in Legionibus, quæ à Principibus, & Civitatibus Romani Imperij constituuntur, cùm mixtæ Religionis sint, duo quandoque præfici castrenses Curiones, quorum unus Catholicus Romanæ fidei militibus Spiritualia ministret, Acatholicus alter suæ Sectæ sequacibus præ-

sit; vel, uti mihi est credidilius, quia exploratum non habeo, egit hoc coram Pastore Acatholico pagi Lutherani, qui inde, ubi tunc Legio substiterat, non multùm dissitus erat.

Si primum; videri forsitan alicui posset, validè contraxisse, quia contraxit coram Parocho proprio istius Legionis, cujus ipse erat membrum, quæ enim alia ratio afferri possit, non video, nisi coincidat cum sequentibus.

Si alterum; iterum videri potest, contraxisse validè 1. ex eo capite, quòd vagabundi non habeant proprium Parochum, eo ipso, quòd domicilio careant, & proinde possit eorum Matrimonio assistere vel quicunque Parochus, ut habet Sanch. Ledesma, Pontius, & alij; vel saltem Curio illius loci, in quo transeunter morantur, ad quem ipsos, & non ad quemvis alium, accedere debere, probabiliùs docent Dicastillo *disp. 3. de Matr. dub. 15. n. 133.* Coninck *disp. 27. dub. 2. n. 20.* Palao *disp. 2. de sponsal. pu. 13. n. 11.* Perez *disp. 40. de Matr. Sect. 7. n. 6.* & alij, ut supra vidimus: atqui Parochus istius loci, saltem putativus, & ex communi errore pro tali agnitus est Præco Lutheranus: ergo coram eo contrahere potuit.

Quòd si hæc ratio non admittatur, nec agnoscatur tanquam sufficiens præsentia Parochi Acatholici, dici poterit 2. eos validè contraxisse ex alio capite, videlicet ex eo, quòd omnino non indiguerint assistentiâ Parochi in pago hoc Acatholico, quia assistentia Parochi solùm requiritur in ijs locis, in quibus promulgatum est Concilium Tridentinum, ut apertè habetur *sess. 24. de reform. Matrim. c. 1.* ubi dicitur, Decretum Tridentinum non obligare, nisi post triginta dies, numerandos à publicatione in unaquaque Parochia; unde si v. g. Augustæ in Ecclesia Cathedrali fuisset promulgatum Decretum hoc Concilij Tridentini, annullans Matrimonia clandestina, quæ fiunt sine præsentia Parochi, in Ecclesia autem collegiata S. Mauritij non fuisset promulgata eadem constitutio, Parochiani Ecclesiæ S. Mauritij possent contrahere Matrimonium absque præsentia ullius Parochi, ut notat Gobat *Theol. Experiment. tr. 9. cas. 18. n. 455.* ubi tamen addit, censeri sufficienter promulgatum, quando est usu communi receptum: Sed in hac, alijsque Parochijs hæreticis non fuit facta ulla publicatio istius Sanctionis, cùm pleraque ista loca jam defecerint à Papa, priusquam lucem aspiceret constitutio Tridentina, nec alia assistentia usu recepta est, quàm quæ fit coram Præcone: ergo Monolphus vel nulla indiguit assistentiâ, vel saltem non aliâ, quàm Parochi Lutherani.

4. Verùm his non obstantibus, censeo; Monolphum contraxisse invalidè quocunque modo ex istis duobus id fecerit. Nam primò excusari non

non potest, si ipse Catholicus contraxit coram castrensi præcone Lutherano istius legionis; transmittamus enim, quòd hic dici possit Parochus legionis, nequit tamen sic appellari absolutè, & simpliciter, sed tantùm secundùm quid, cùm sit adjunctus à Principe non pro legione integra, sed solùm, in quantum ea dimidiam partem est Lutherana: igitur tantùm, ut esset Parochus Lutheranorum, non autem Catholicorum: ergo dicere non possumus, Monolphum contraxisse coram Parocho suo proprio: Tridentinum autem vult, ut contrahatur coram Parocho proprio, non quomodocunque accepto, sed ut hoc fiat coram Parocho proprio ipsorum contrahentium, ut colligi potest ex cit. Sess. 24. c. 1. ubi de Denunciationibus agens expressè dicit: *antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum*: ergo is quoque, coram quo contrahitur, proprius esse debet ipsorum contrahentium Parochus. Et sanè nemo facilè excusaret hominem Catholicum, qui in loco mixtæ Religionis, etiam ubi Catholici commune templum habent cum Lutheranis, præterito Catholico Parocho, contraheret coram præcone: proinde nec excusandus est noster Monolphus, quòd, præterito suo Castrensi Catholico contraxerit coram Præcone.

Neque excuso eundem, quòd contraxerit in pago Acatholico, ubi Tridentinum non est receptum; nam etsi sustineri queat, validè ipsum sic contracturum fuisse coram præcone Lutherano, vel etiam sine hoc (ut in sequente casu videbimus) si extitisset in loco penitus Lutherano, & simul à Catholicis multùm remoto, ubi Parochus nostræ Religionis haberi nequit, neque adiri in loco vicino, non tamen excusatur, cùm expectare facillimè potuerit Catholicum suum Castrensem, intra unum, alterumvé diem adfuturum, vel etiam eundem adire, non procul inde subsistentem; vel denique, cùm Legio ista transiret non procul Augustâ, ubi Sedes est Ordinarij, & aliquoties ab itinere subsisteret per unum, alterumvé diem, non difficulter obtinere licentiam ab Episcopo potuit, ut, si probasset, aliam inhabilitatem non adesse, conjungeretur indeterminatè à quodam Parocho pagi, per quem deinceps essent transituri, quæ omnia cùm non fecerit, non vana habetur de ipso præsumptio, eum ob inhabilitatem jam ante rejectum à suo Curione Castrensi, alium quempiam Sacerdotem suæ obligationis vel inscium, vel minùs observantem voluisse fraudulenter inducere, & cùm videret, hunc suum

dolum non procedere, arripuisse denique desperatum istud remedium, ut sine omni necessitate in pago hæretico conjungeretur à præcone, quod dum egit, locum utique habere debet axioma Juridicum: dolus & malitia nemini debet patrocinari. *c. Audivimus. De Collus. deteg.* Denique si ad peregrinorum privilegia quis appellare velit, quòd nempe hi possint sese accommodare incolis locorum, in quibus commorantur, consequenter, potuerint sæpiùs memorati Sponsi contrahere coram præcone more indigenarum, facilè deprehendet, quàm futile sit hoc refugium, tum ex hactenus dictis, & sensu Sacri Concilij, quod in his regionibus, ubi tam sine negotio Sacerdos Catholicus haberi potest, neutiquam permittit, ut coram ministro hæretico contrahatur, & absque Sacerdote proprio, tum argumenti inanitatem intelliget ex ijs, quæ diximus in casu præcedente de illis, qui, ut contrahant clandestinè, secedunt in locum, ubi Tridentinum receptum, aut promulgatum non est; quid verò sentiendum sit de conjugijs ipsorum Acatholicorum, quæ coram suo præcone contrahunt, sequens Casus docebit.

CASUS

CASUS QUINTUS

Matrimonij Acatholicorum contracti coram Pracone in loco mixta Religionis.

Ordonius, & Amelinda Acatholici cives Augustani Matrimonium contraxerunt in hac sua patria coram præcone Lutherano

Quæritur, an validè?

SYNOPSIS.

1. *Hæretici obligantur legibus Romanæ Ecclesiæ.*
2. *Nec ab eorum observatione eos eximit consuetudo contraria, quantumcunque diuturna sit.*
3. *Non obligantur tamen Decreto Concilij Tridentini, in contrahendo Matrimonio, ubi illud promulgatum non fuit.*
4. *An etiam Catholici contrahere possint clandestinè in partibus Hæreticorum?*
5. *Non sufficit, quod adhibeant Sacerdotem Catholicum, nisi is deputatus sit ad assistendum nuptijs Catholicorum.*

6. *Quòd*

6. *Quòd possint in ijs partibus contrahere coram præcone Acatholico, universaliter dici nequit, sed limitatione indiget.*

7. *An his temporibus valida sint Matrimonia clandestina in Gallia?*

8. *An hæretici validè contrahant coram suo Præcone in loco, ubi mixta Religio est, & promulgatum Concilium?*

Affirmativam tenent graves Authores.

9. *Alij in oppositum acriter pugnant, præsertim ob declarationes Cardinalium.*

10. *Prior Sententia videtur esse probabilior.*

11. *Respondetur ad fundamenta in contrarium.*

1. CErtum est, Hæreticos, cujuscunque Sectæ sint, nullo modo exemptos esse ab observatione constitutionum Ecclesiasticarum, quantumcunque illis resistant, atque etiam ludibrio habeant tum ipsas leges, tum earundem conditorem Pontificem, quem ore infrunito non horrent appellare Antichristum. Est hæc Conclusio communis Catholicorum, & ratio est manifesta, quia per baptismum ingressi sunt in Ecclesiam, factique illius subditi, & membra, proinde obligantur ad leges, quæ latæ sunt pro universali Ecclesia, à quarum observatione eosdem excusare nequit ipsorum pertinax inobedientia, qua pervicaciter resistunt; nisi velimus dicere, rebellem subditum, eo ipso quòd rebellis est, Superioris sui legibus non teneri, quod planè plus, quàm absurdum est, cùm nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere possit, ut habetur *L. 134. §. 1. ff. De Reg. Iur.* ipsaque pervicacia non solùm non mereatur gratiam, sed crimen, & supplicium exasperet, *cùm tanto sint graviora peccata, quanto diutiùs infelicem animam detinent alligatam*, ut dicitur in c. fin. De Consuetud. quo circa etiam inviti ad obedientiam, & SS. Canonum observationem censuris,

censuris, ac pœnis compelli possunt, quemadmodum videmus contra hæreticos gravissimas pœnas constitutas esse *toto Tit. De Hæreticis*, quos multò acriùs ad fidem compellit Ecclesia, quàm Judæos, atque Gentiles, qui subditi illius non sunt, quos proinde judicare non vult juxta D. Paulum 1. Corinth. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt, judicare?*

2. Neque dicas, leges Ecclesiasticas, etsi hoc detur, quòd aliquando hæreticos quoque obstrinxerint, de facto tamen eos non ampliùs obligare, cùm pridem contra illas præscripserint contraria consuetudine duobus ferè sæculis continuatâ, cùm ad abrogandas Ecclesiasticas constitutiones sufficiant quadraginta anni, imò ex plurium opinione decennium.

Nam contra est, quia ad hoc, ut consuetudo contraria præscribere possit contra legem, ante omnia opus est, ut rationabilis sit, & bona fide tanto tempore continuata, quantum requirunt Jura ad legitimam præscriptionem, quorum neutrum ostendere possunt hæretici, cùm eorum contrariæ consuetudines nec bona fide nitantur, nec rationabiles sint, utpote quæ destruunt disciplinam Ecclesiasticam, impediunt morum reformationem, extinguunt debitam obedientiam, peccandi licentiam subministrant, statumque universalis Ecclesiæ deformant, & introductæ sunt ex mera pertinacia, & pestifero odio erga sanctam Ecclesiam, ejusque visibile caput Romanum Pontificem, cuius potestatem legislativam divinitus ipsi concessam impiè negant, & contumaciter contemnunt, ac conculcant, cujusmodi consuetudines nunquam legitimè præscribere possunt contra legem, ut patet exc. fin. De Consuetud. *Licèt etiam longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usq; adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta*; nihil ergo est, quod eos excusare possit ab observatione legum, seu constitutionum Romanæ Ecclesiæ.

3. Dubium verò est, an ita rigorosè ista accipienda sint, ut eos etiam adstringere velimus ad observantiam Decreti Tridentini de clandestinitate Matrimonij, adeò ut, nisi contrahatur coram Parocho, & testibus, sicut præcipit S. Synodus, contractus sit invalidus, & consequenter nulla sint ipsorum Matrimonia, quæ coram Acatholico præcone contraxerunt?

Circa hanc quæstionem aliqua nobis consideranda sunt, ac 1. quidem. Certum est, Matrimonia hæreticorum esse valida, si in ipsorum Parochia Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum ita communis. Patet ex verbis ipsius Concilij: *Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia*

facta

facta numerandos: prærequirit igitur S. Synodus, ut promulgatio facta sit non solùm in Diœcesi, sed in ipsa quoque Parochia, ad hoc, ut robur suum habeat, & obligationem inducat dictú Decretum. Nec tamen necessarium est, ut semper facta sit formalis promulgatio, quia censetur esse sufficienter promulgatum, quando est usu communi receptum in tali Parochia, nam receptio supplet vices promulgationis, ut advertit Lessius *in Auctario V. Sponsalia cas. 5. n. 15.* & cum eo Gobat *tr. 9. cas 18. n. 455.*

Ex istis rectè infert modò nominatus Author subsequente *n.* 458. valere ex hoc capite pleraque Matrimonia hæreticorum, si aliud non desit, quàm præsentia Parochi, siquidem in plerisque Parochijs omni ex parte hæreticis, non fuit facta ulla publicatio istius Sanctionis, quia pleraque illa loca jam defecerant ab Ecclesia, & Romano Pontifice, priùs quàm lucem aspiceret hæc constitutio Tridentina.

4. Non solùm Hæretici, sed etiam Catholici validè contrahunt sine præsentia Parochi, & testium existentes in terris hæreticorum, ubi Concilium Tridentinum promulgatum non fuit, v. g. in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Pomerania, Saxonia, Prussia &c. in quibus regnis omnibus, & Provincijs Decretum hoc nec usu receptum est, nec aliquando publicatum, cùm Tridentinum Concilium cæperit anno 1545, quando jam pridem prædicta Regna, & Provinciæ defecerunt à fide Catholica. Patet ex ipso Concilio Tridentino, quod vult, ut Decretum hoc robur habere incipiat in unaquaque Parochia post triginta dies à facta ibi publicatione, ut paulò ante dictum est. Imò etiamsi decretum Tridentinum in aliquo loco fuerit aliquando promulgatum, ac receptum, si postmodum invalescente potentiâ hæreticorum, aliorumvé infidelium, expulsis Catholicis Sacerdotibus, ampliùs obseruari non possit, tunc, quando nullus adest Catholicus Parochus, vel ignoratur, ubi lateat, aut tutus ad eum accessus non patet, idem dicendum est, ut priùs, nimirum validè contrahi clandestinè, quia cùm Tridentinum Decretum in ijs locis observari nequeat, non est existimandum, libertatem validè contrahendi ibi fidelibus ablatam esse, ac de utroque casu ait Laym. *L. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7.* cum Sporer *Theol. Sacramental. c. 1. n. 34.* & Pirhing *De Clandestin. desponf. n. 12.* posse etiam Catholicos in talibus locis validè contrahere coram prædicante, vel etiam sine hoc, quod infra *n. 6.* examinatur.

Hactenus dicta confirmantur responsione Sacræ Congregationis Cardinalium S. Concilij Tridentini interpretum, quæ idem ferè asserit, nisi quòd in ijs locis, ubi Decretum Tridentinum aliquando promulgatum, atque receptum fuit, exigat, ut saltem testes adhibeantur in nuptiali

tiali contractu. Datum est hoc responsum Octavio Tricariensi Episcopo Belgij Nuncio Apostolico 19. Januarij 1605. circa Matrimonia Catholicorum in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ, cæterisque provincijs confœderatis, in quibus decretum Tridentini Concilij promulgatum fuit Anno 1570. antequam illæ provinciæ ab obedientia Philippi II. Hispaniarum Regis, & fide avita penitus deficerent, quod evenit 1572. Verba illius hæc sunt: *Si Parochia, in qua aliquando fuit observatum decretum, Parocho careat, & Cathedralis itidem Episcopo, & Capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id deligendi, nullusq; alius ibi sit, qui vices Parochi, aut Episcopi suppleat, Matrimonium valet absq; præsentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, formâ Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus: si verò extent quidem Parochus, & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubi sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum est tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absq; Parocho, adhibitis tamen testibus.* Ita S. Congregatio, idemque docent Arsdekin *tom. 2. p. 2. tr. 4. c. 8. §. 4.* Gobat *tr. 9. cas. 18. n. 475.* Petrus Marchantius *in Resolut. cas. 8. de Sacram. Matrim.*

5. Idem Marchantius *tom. 3. Tribunal. p. 2. tit. 7. q. 10. conclus. 5.* notat circa memoratum responsum S. Congregationis, non sufficere, quòd adsit alius Sacerdos, vel alienus Parochus Catholicus absque delegatione; hi enim, cùm pastoralem, sive Parochialem authoritatem in illo loco non habeant, nihil in hac Lege Concilij Tridentini præstare possunt. Scio quidem, Lessium *in Auctario. V. Matrimonium. Cas. 17* absolutè negare, validum esse Matrimonium, quod contrahunt Catholici in Hollandia, & Zelandia sine Parocho, eò quòd, licet nullum habeant, facilè tamen reperire possint aliquem, qui ab Ordinario potestatem assistendi habeat, vel petere dispensationem à Pontifice. Sed præhabenda est responsio Cardinalium, nec debet nos ad oppositum movere argumentum Lessij, nam neque nos aliud asserimus, nec ipsa Cardinalium declaratio, quàm valida esse Matrimonia sine præsentia Parochi in ijs partibus contracta, quando vel is, vel alius Sacerdos licentiam assistendi habens non adest, sive præsens non est in eo loco saltem moraliter, id est, in vicinia, nec tutò adiri potest, si enim facilè quispiam talis invenitur, vel sine magno periculo adiri potest, coram eo contrahi debet, secùs erit invalidum. Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 4. de Matr. dub. 8. n. 50.* Diana *p. 11. tr. 6. resol. 1.* Cur autem valida sint conjugia Catholicorum in terris hæreticorum contracta sine præsentia Parochi, ratio est, vel quia

S. Congregatio virtute suprà dictæ responsionis declaravit per epichiam, & ex æquitate aliqua hunc casum non comprehendi in Concilio Tridentino, quod suo Decreto principaliter voluit obviare malis ex Matrimonio clandestino ordinariè provenientibus, minimè verò causare voluit, quòd in plurimis integris territorijs, provincijs, ac Diœcesibus Catholici ex defectu Parochorum Matrimonio conjungi nunquam possent, sic enim in talibus locis brevi deficeret fides Catholica: vel certè summus Pontifex dictas declarationes S. Congregationis confirmando, censetur pro talibus locis hæreticis, in quibus Parochus Catholicus non est, nec ad eum tutus datur accessus, paternè dispensare, ut etiam sine præsentia Parochi contrahere valeant, prout bene ratiocinatur Anacletus Reiffenstuel *De Clandest. desponf. n. 134.*

6. Cùm verò doceant Layman, & alij quidam supra citati, posse Catholicos contrahere Matrimonium etiam coram præcone Acatholico in partibus Hæreticorum, ubi Romanæ fidei Parochus non habetur, judico, hanc doctrinam locum duntaxat habere, quando id fieri absque scandalo potest, & is Minister adhibetur præcisè velut persona politica, ut de contracto Matrimonio publicè constet, & nuptiæ illegitimæ impediantur, quamvis ex more hortetur Sponsos, ad fidem Matrimonij servandam; aut concio ab illo habeatur, vel aliquæ preces recitentur, modò nulla interna, vel externa reverentia, & veneratio habeatur illius Concioni, vel orationi, qualem hæretici præstare solent. Ut verò eundem ex voluntate Magistratûs adhibeant tanquam ministrum Ecclesiæ, ita ut censeatur hæc esse cæremonia quædam Religiosa ad Sacramenti valorem necessaria, vel ista adhibitio habeatur pro tacita quadam, vel expressa approbatione, & professione rituum hæreticorum, possintque Catholici opinari, Sponsos hoc facere animo hæretico, atque ita scandalum pati, ut & ipsi sensim inducantur in reverentiam Ministrorum, & ad suscipiendos hæreticorum ritus, & consuetudines, tunc enimverò fieri id minimè posse censeo cum Lessio *in Auctario. V. Hæreticorum cum Catholicis conversatio. casu 24. & 25.* & Coninck *disp. 15. de fide. dub. 3. n. 63.* habetque se res ferè eodem modo, sicut in frequentatione templorum hæreticorum in Anglia, quæ adiri non posse à Catholicis rescripsit super hoc dubio consultus Paulus V. cùm videretur hæc frequentatio præcipi non præcisè ad præstandam Regi Civilem quandam obedientiam, sed ad conciliandum hæresi honorem, & augmentationem, quasi Catholici eandem Sectam hoc veluti symbolo profiterentur, & approbarent; vel certè ut ad ejus professionem paulatim

tim disponerentur, quemadmodum videre est apud citatum Coninck, & Sanch. *L. 2. in Decal. c. 4. n. 27.*

7. Dubium hîc esse potest, an Sponsi Catholici possint hoc tempore contrahere Matrimonium sine præsentia Parochi, & testium in Gallia, ob non receptum ibi Concilium Tridentinum?

℟. Decretum Tridentinum non obligare non solùm, ubi id promulgatum non est, sed etiam ubi, quantumvis promulgatum sit, receptum non fuit, quamvis enim ad intrinsecam Legis constitutionem, ejusque vim obligandi non requiratur acceptatio populi, tamen si populus in non acceptatione, & usu contrario, saltem per decennium perstitit, cessat lex obligare, licèt primi legem sine justa causa non acceptantes, & non observantes, peccaverint, ut communiter traditur in Tract. De Legibus. Modò quod attinet Concilium Tridentinum, certum est, illud non solùm in Gallia, verùm in omnibus Catholicis provincijs plenè receptum esse quoad dogmata fidei, neque de hoc lis unquam fuit inter Authores; in Gallia tamen receptum non est, quoad capita reformationis, saltem aliqua, tum ex metu Hugonottorum, ne nimiùm irritarentur à S. Synodo per tot anathemata vulnerati, pluresque alias causas, ut videre est apud Card. Pallavicinum *in Hist. Conc. Trident. L. 24. c. 11. n. 4.* Hinc olim ob non receptum Concilium quoad hanc partem validè contrahebantur Matrimonia in Gallia sine præsentia Parochi, & testium, non tamen licitè, ut constat ex alibi dictis; idque duravit usque ad Annum 1602. ut judicavit Sorbona, teste D. De Val apud Lessium *in Auctario. V. Sponsal. cas. 5. in fine.* Hodie nec quidem validè contrahitur in Gallia clandestinè, nam etiam quoad ista Concilium jussu Regis Christianissimi nunc publicatum, & receptum est, quemadmodum testatur Mendo *in Epitome V. Matrimonium. n. 45.* dicens, istud se audivisse ab Episcopo doctissimo Monspelliensi, cùm illac transiret, & Gobat *tr. 9. cas. 18. in Append. Historic. ad num. 485.* ait, ex ipsa Urbe Roma se factum esse certiorem, Concilium Tridentinum ubique passim in Galliæ regno quoad hoc ita esse receptum, ut Matrimonia clandestina habeantur pro irritis, quo in negotio Henricus IV. Galliæ Rex jure jurando spopondit Clementi VIII. Pontif. Max. omnem à se operam navatum iri, ut Concilium in regnis suis integrè excipiatur, ut refert Card. Pallavicinus *l. c. L. 24. c. 10. n. 15.* & Bern. Van Espen p. 2. Juris Eccles. Universi Tit. 12. de Sponsal. & Matrim. n. 30. hac de re ita loquitur: *neque de Gallia quoad nullitatem Matrimonij ex defectu præsentiæ Parochi, & testium ulla hodie videtur vel minima dubitandi ratio ampliùs subesse*, idque omnium clarissimè testatur

ſtatur Author rerum Gallicarum peritiſſimus Joannes Cabaſſutius in Notitia Conciliorum in fine, ubi ſic ſcribit: *ad poſtremum Anno Chriſti 1615. Lutetiæ in Generali conventu Gallicani Cleri ſub regno Ludovici XIII. de novo receptum fuit communi decreto Concilium iſtud, ut ex Generalibus actis conſtat Gallicani Cleri, & ſcribit in ſuis annalibus Petrus à S. Romualdo Ordinis Fulienſium Monachus*, ut proinde attendendus non ſit Bruno Chaſſaing, qui *tr.* 1. *Privileg. Regular. c.* 1. *propoſ.* 11. mordicus tenet, Concilium Tridentinum in Gallia non eſſe receptum, cujus authoritas tantò minoris mihi eſt, quòd hic ipſe illius liber reperiatur relatus in indicem Romanum librorum prohibitorum.

8. Nunc verò an valeant Matrimonia Hæreticorum etiam in civitatibus, ubi Catholici vivunt permixti cum hæreticis, & Tridentinum Concilium promulgatum, atque receptum eſt, v. g. Auguſtæ, Ratisbonæ, & in alijs Germaniæ Urbibus, ſi ea contrahant ſine præſentia Paſtoris Catholici coram ſuo pſeudo-miniſtro, cùm tamen ijs non deſit in tali loco Parochus, aut Epiſcopus Catholicus, cui per ſe, ac de jure etiam hæretici ſubſunt in ſpiritualibus, lis eſt inter Authores, eſtque hoc dubium proprium noſtri caſus.

Affirmativam tenent non pauci, qui in Germania ſcripſerunt, viri magni nominis, & quorum doctrinam Scholæ ſuſpiciunt, videlicet Dicaſtillo *diſp.* 3. *de Matr. dub.* 10. *n.* 83. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. *n.* 122. Laym. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 9. Pirhing *n.* 12. *de Clandeſt. deſponſ.* Sporer *Theol. Sacramental. p.* 4. *c.* 1. *n.* 35. Verani *Iur. Can. tom.* 4. *Tit.* 1. *p.* 2. *de Matrim. ſecundùm ſe.* §. 7. *n.* 54. *& ſeqq.* König *n.* 4. *de Clandeſt. deſponſat. Concluſ.* 2. & ipſo teſtante plerique DD. Germaniæ, qui arbitrantur, Decretum Tridentinum ſe non extendere ad iſtum caſum, eò quòd aliàs nimis gravia damna, & incommoda publica non ſolùm in hæreticos, ſed etiam in ipſam Catholicam Eccleſiam redundarent, quibus per hoc Decretum irritans non cenſetur Pontifex voluiſſe, aut nunc velle anſam dare. Certè in noſtris partibus paſſim hæretici ita contrahunt, eaque Matrimonia communi omnium perſuaſione, & opinione valida reputantur, uti negare non poterit, qui aliquam iſtarum Regionum notitiam habet: liberi quoque ex ijs geniti habentur pro legitimis, & evehuntur non ſolùm ad ſæculares dignitates, ſed reverſi ad Romanam Eccleſiam etiam ad SS. Ordines, & Officia Eccleſiaſtica promoventur, ſine ulla ſolicitudine procurandæ diſpenſationis, qui tamen, ſi iſthæc Matrimonia eſſent invalida, ut illegitimi arceri deberent juxta *c.* 1. *De Filijs Presbyt.* Nec ſolent

lent conjuges, si fortè Catholicam fidem profiteantur, denuo juxta formam Tridentini Concilij copulari, nec est, qui ad hoc eos urgeat, aut scrupulum ullum inijciat: quæ omnia cùm fiant Pontifice sciente, nec contradicente, aut ista conjugia irrita declarante, deducitur, ea valida esse ex tacito saltem summi Pontificis consensu, vel potiùs ex tacita illius dispensatione quoad legem Tridentinam.

9. Negativam sententiam acriter defendunt Gobat *tr. 9. cas. 18. à num. 461.* & Anacletus Reiffenstuel *l. 4. Iuris Can. n. 146. de Clandest. desponf.* ubi ait, Laymannum, Tannerum, aliosque supra citatos Doctores audiendos non esse, eò quòd nullum solidum afferant fundamentum; nec enim validitatem ejusmodi conjugiorum colligi posse ex consensu Pontificis scientis, & tacentis ad similes contractus, ex quo benigna interpretatio desumi queat, nolle eum, ut Decretum Tridentinum ad hæreticos quoque extendatur ob multa incommoda inde secutura; quis enim sæcularium Principum, si valor Matrimonij ab ejus nutu penderet, tam facilem, & benignum se præberet suis subditis rebellibus, qui omni studio conarentur eundem penitus evertere: cur ergo Pontifex tam se clementem exhibeat ijs, qui omnes ipsi obedientiam contumacissimè negant, & illius approbationem neque ambiunt, nec irritationem pensi habent, sed potiùs contemnunt, & rident? mentem summi Pontificis contrariam potiùs manifestè constare ex declaratione Cardinalium, datâ ad Episcopum Tricariensem 19. Jan. anno 1605. ubi inter alia ita habetur: *hæreticos quoq; ubi decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, & præterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilij, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse.* Similem, eamque recentiorem declarationem, editam anno 1676. adducere refertur Bruno Neüsser *disp. 182. q. 2. ad finem*; quæ fortè diversa non est ab ea, cujus meminit Pignatelli *Consult. Can. tom. 9. Consult. 139. n. 71.*

Neque satisfacit, si quis dicat, habere Augustanos, & Ratisbonenses Acatholicos diversas à Catholicis Parochias, & propria templa, in quibus nunquam promulgatum fuerit Tridentinum Concilium, hujus proinde Decretis ipsos non ligari, esto, in tali Urbe facta fuerit Concilij promulgatio, cùm ipsum Concilium non obliget, nisi eos, in quorum Parochia facta est publicatio: aut verò si sermo sit de loco, in quo, ut in pluribus usitatum est, unam, eandemque Ecclesiam Lutherani frequentant cum Catholicis, tunc cum Tannero *c. l.* ita conetur quis exponere, quòd in tali loco existat quidem physicè unica Parochia, quæ tamen moraliter, & Juris fictione duplex

plex sit, scilicet vera, & falsa; in hac autem pseudo-parochia non censeri promulgatum Decretum Tridentinum, licèt revera publicatum fuerit in vera Parochia; hujusmodi, inquam, expositio neutiquam satisfaciet, quia Ecclesia tales Parochias, talesque Parochos non agnoscit: Pastoris Catholici jurisdictioni etiamnum subjecti sunt, & ad istius ovile pertinent, quamvis loco pastoris sequantur lupum errantes oviculæ; & sicut rebelles subditi non desinunt esse subditi sui Principis, eò quòd pervicaciter illius jugo se subduxerint, aliumque sibi, excusso legitimo, Superiorem constituerint, ita & Acatholici in nostris partibus ad genuinam, in qua Concilium promulgatum est, non verò ad pseudo-Parochiam spectant, & coram Pastore Orthodoxo contrahere debuerant, non coram pseudo-ministro.

10. Fateor, pensatis utrinque rationibus, & declarationibus Eminentissimorum DD. Cardinalium, difficile est, hac in re aliquid statuere; adhuc tamen malim accedere priori sententiæ, in quam denique quo, ad praxin etiam Gobat inclinat *tr. 9. cas.* 18. *n.* 471. motus authoritate tantorum virorum, qui eandem propugnant, quorum judicium, ut ipse ait, excusabit omnes, qui eos sequentur consulendo, judicando, agendo contrarium, sicut utique agere debent Parochi, Confessarijque locorum, in quibus fuit hactenus notoriè, & constanter tolerata à Magistratu Ecclesiastico Catholico praxis sententiæ Tannerianæ. Hæc Gobat. Accedit, quòd hanc eandem sententiam, scilicet, Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu politico, aut ministro Acatholico contracta, etiam in illis locis, ubi Decretum Concilij Tridentini aliquando fuit publicatum, valida esse, etsi non desit copia Parochi Catholici, & sic conjunctos ad Ecclesiam Catholicam redeuntes non esse urgendos, ut coram Parocho consensum Matrimonialem renovent, non solùm in Germania usu receptam esse, sed etiam in Provincijs confœderatis Hollandiæ, ubi Calvinistæ dominantur, à septuaginta, & ampliùs annis, testatur Bernard. Van Espen *p. 2. Iur. Eccles. univers. Tit.* 12. *de sponsal. n.* 32. additque, toto quasi orbe spectante fuisse practicatam, pro qua opinione ibidem adducit etiam Martinum à Schwaën in Academia Lovaniensi Theologiæ Doctorem, qui eorundem conjugiorum validitatem solidè defendit, idque probat ab utilitate Ecclesiæ, & salute animarum; si enim Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu politico, vel Ministro Acatholico inita essent invalida, sequeretur, nullum conjugatorum Calvinistam (vel Lutheranum) posse ad fidem Catholicam converti, nisi aut deserat uxorem hæreticam, converti nolentem, postquam cognovit, se hucusque in materiali saltem fornicatione cum putatitis

tatitia uxore vixisse, vel nisi ea consentiat de novo inire contractum conjugalem coram Parocho Catholico, quod non nisi rarissimè contingeret; hinc difficulter Calvinistæ (idem est de Lutheranis) ad fidem Catholicam converterentur; proinde ex eo, quòd ipsorum Matrimonia inita coram Magistratu politico, vel Ministro Acatholico habeantur pro validis, via aperitur hæreticis, ut faciliùs resipiscant, & reconcilientur Ecclesiæ Catholicæ.

Refert idem Martinus de Schwaën hanc rationem propositam fuisse Cardinalibus S. Congregationis Concilij Tridentini ab Episcopo Castoriensi Vicario Apostolico per Provincias confœderatas, cùm anno 1671. Romæ negotia suæ Missionis ageret, eosque respondisse: *non convenire, ut quæstio ista à S. Officio definiatur, sed statueret ipse, quod crederet animarum sibi creditarum saluti maximè expedire*, eundemque Præsulem post suum ex Urbe reditum summo deinde studio Pastoribus sibi subditis inculcare conatum esse, hujusmodi Matrimonia habenda esse pro validis: quod ulteriùs probat ex fine Decreti Tridentini; siquidem finis Concilij quoad irritanda Matrimonia clandestina fuit, ut evitarentur multa incommoda, & damna, quæ ex talibus Matrimonijs oriebantur, cùm enim in foro externo probari non possent, conjuges post aliquos annos concepto sui tædio à se invicem discedebant, sub falso prætextu, quòd non iniverint Matrimonium, sed tantùm simul cohabitaverint, ex quo sequebatur, quòd proles ab ijs genitæ pro illegitimis haberentur, & conjuges aliud Matrimonium contrahentes adulterarent; ad hæc igitur gravissima incommoda evitanda rectè concilium Tridentinum prohibuit, ac irritavit Matrimonia clandestina: atqui ista incommoda non sequuntur, quando Matrimonia contrahuntur inter Acatholicos coram Magistratu politico, vel Ministro hæretico; sic enim in foro externo per testes sufficienter probari possunt, cùm contrahantur publicè, & coram testibus, nec aliter, quàm prævijs distinctis proclamationibus, quod etiam ipsimet Acatholici observant: nulla ergo ratio est, cur observantia Decreti Tridentini, cessante illius fine, magnopere urgeri debeat, præsertim cum maximis incommodis, quæ ex urgenda hac observatione sequi possunt, maximè cùm id vix non impossibile sit, postquam tantopere crevit hæreticorum potentia.

Sed neque responsa Cardinalium, quæ Reiffenstuel allegat, contrarium plenè evincunt; nam de primo mirum non est, acriùs tunc institisse in observationem istius Decreti, quando necdum adeò invaluit hæreticorum potentia, ut ipsis permitteretur pacificum suæ Religionis exercitium, quem rigorem hodie adhibere non expedit. De altero recentiore respon-

ſponſo, quod adducitur ex Brunone Neüſſer, ut mentem meam aperiam, præterquam quòd verſetur in diverſa ſpecie facti, quàm habeat noſter caſus, quia agit de Matrimonio, quod contraxit Catholicus cum hæretica, cùm diu poſt iſtam declarationem plurimi Authores benigniorem opinionem adhuc tueantur, magnum id mihi indicium eſt, vel eam non fuiſſe univerſalem, vel denuo ob graves cauſas tacito ſaltem Pontificis conſenſu eſſe abrogatam, nam etſi ipſius tantam benignitatem non mereantur hæretici, movere tamen ipſum ad hoc potuére tum innocentes liberi, ne, quotquot ex talibus conjugijs gignerentur, omnes illegitimi eſſent, tum etiam, & maximè Catholici, quibus inter hæreticos in iſtis Partibus continuò vivendum eſt, quorum pax publica, & tranquillitas turbari poſſet hoc rigore, tum denique ut ipſis hæreticis via planior ſterneretur per hanc Pontificis indulgentiam ad ſuam converſionem, atque ſic juxta AA. ſuprà citatos, quibus inſuper adde Gamachæum *c. 28. de Matrim. ad finem*, probabilius mihi eſt, valida eſſe iſta hæreticorum Matrimonia, donec à ſummo Puntifice aliud apertiùs ſtatuatur, & conſequenter in caſu noſtro validè contraxiſſe Ordonium, & Amelindam.

CLASSIS

CLASSIS II.

Impedimentorum Dirimentium.

LIBERTAS OBLIGATA ALTERI.

Sub hac continentur quatuor Impedimenta, quæ in hac classe à nobis explicanda sunt, videlicet.

Votum, Ordo, Ligamen, Honestas.

§. I.

VOTUM.

CASUS

Regis Monachi, Sacerdotis, Mariti.

RAmirus Sanctij Aragoniæ Regis filius, Monachus Ordinis S. Benedicti, & Sacerdos, cùm Patre defuncto fratres quoque Petrus, & Alphonsus sine liberis obijssent, turbæque gravissimæ timerentur in regno, à populo evocatus è monasterio, & in solio collocatus, obtenta Pontificis dispensatione, uxorem duxit Agnetem

Comitis Pictaviensis sororem, è qua etiam suscepit filiam Petronillam, dictam deinde Urracam, quæ postea Raymundo Comiti Barcinonensi nupta, regnum paternum hæreditate sibi debitum, in ipsum transtulit. Fuit hic ipsissimus ille Ramirus II. communiter appellatus Monachus, apud Historicos famosissimus ob formidabilem campanam, quam à demessis Procerum capitibus construxit, ut ejus sonitus per totum regnum perciperetur, illique terrorem incuteret, quæ omnia de ipso memorant Mariana L. 10. c. 15. Rodericus Toletanus L. 6. c. 2. Raphaël Volaterranus, Rodericus Sancius Episcopus Palentinus, Franc. Tarapha, Lucius Marinæus Siculus, Bartholomæus de Rogatis, & alij rerum Hispanicarum Scriptores.

Q. Quale Votum sit Matrimonij impedimentum dirimens, & an in eo dispensari possit?

SYNOPSIS.

1. *Votum solemne Religiosæ Professionis, & SS. Ordinum dirimit Matrimonium, & sic contrahentes graviter puniuntur in utroque jure.*
2. *Eundem effectum habent vota simplicia post biennium emissa in Societate IESV.*
3. *Habent verò hanc vim tum ista, tum probabiliter etiam vota solemnia, ex solo jure Ecclesiastico.*
4. *Ad quod necesse est, ut sint emissa in Religione approbata, idque validè.*
5. *Potest Pontifex dispensare in voto solemni castitatis ex gravi causa propter bonum publicum.*

6. Pro-

6. *Pro contraria tamen Sententia pugnant multi Authores, fundantes se in authoritate S. Thomæ.*

7. *Sed ad hanc, & alia argumenta respondetur.*

8. *Etiam Matrimonium ratum præcedens dissolvitur per solemnem Professionem in Religione approbata, non verò consummatum; potest tamen etiam tunc quis ingredi Religionem, & in ea profiteri cum consensu conjugis.*

9. *Tunc verò etiam alter conjux debet & ipse ingredi Religionem; aliquando tamen sufficit, quando senex est, ut votum continentiæ emittat.*

10. *Sed hoc debet esse perpetuum, & non merè temporale, quamvis istud, imò & omissio voti, valori Professionis non obesset.*

11. *Post obitum professi Pars altera relicta in sæculo illicitè quidem, sed non invalidè aliud Matrimonium contrahit.*

1. VOtum aliud esse simplex, aliud verò solemne, jam alibi dictum est *Q. 2. de Impedim. impedient. §. 4. De Voto cas. 1.* unde opus non est, ut diu hîc immoremur, iterumque repetamus, in quo consistat ista solemnitas; sufficiat dicere, votum solemne esse, quod emittitur in professione Religionis, vel in susceptione sacrorum Ordinum; simplex verò, quod aliàs concipitur à quocunque pro libitu. In casu præsente agendum est de voto solemni, non de simplici, per hoc enim non dirimitur Matrimonium, etiamsi contrahendum sub lethali sacrilegio impediatur, ut de fide constat, quidquid recentiores hæretici contradicant, sive sit castitatis perpetuæ, sive Religionem ingrediendi votum, ut constat ex causa 27. q. 1. per totum, & toto Titulo *Qui Clerici, vel voventes.* At votum solemne castitatis per professionem in Religione approbata emissum, impedimentum dirimens est Matrimonij contrahendi, uti & votum solemne castitatis annexum susceptioni Ordinis sacri, ita

ita decisum est in *c. Meminimus*, & *c. Insinuante. Qui Clerici, vel voventes*, ac postea iterum in Concilio Trident. Sess 24. de Sacram. Matrim. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit*: est ergo de fide, & apud Orthodoxos omnes indubitatum, prædicta solemnia vota non solum impedire, ne Matrimonium contrahi licitè possit, verùm etiam, si post eorundem emissionem sacrilegè contractum fuerit, atque etiam consummatum, simpliciter illud dirimere, irritumque reddere: ipsi verò Religiosi professi utriusque sexûs, & Clerici in Sacris constituti, qui scienter Matrimonium contrahunt, excommunicationem ipso Iure in *Clement. unic. De Consang. & affinit* in eos statutam incurrunt; tum etiam is, qui cum Moniali scienter contrahit; & hic in Iure quoque Civili plectendus capite pronunciatur, ita enim L. 5. C. De Episc. & Cler. Iovinianus Imperator statuit: *Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantùm jungendi causâ Matrimonij Sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur*, quibus similia decrevit Iustinianus Imperat. §. *penult. in Authent De Sanctissimis Episcopis*, & *L. Vnic. C. De Raptu Virg.*

2. Eandem vim dirimendi conjugium postea contrahendum obtinent vota Religionis simplicia, emissa post novitiatûs biennium in societate IEsu, & ab ejusdem Coadjutoribus formatis, ex Constitutione Gregorij XIII., quæ incipit *Ascendente Domino*, edita VIII. Calend. Junij 1584. qua Summus hic Ecclesiæ Antistes, ut Religioni pluribus favoribus à se ornatæ consuleret adversùs sacrilegam desertorum temeritatem, injurias, & imposturas, motu proprio, & ex plenitudine potestatis personas quascunque de Societate inhabiles reddit ad contrahendum Matrimonium, quàm diu durat istud votum, & per dimissionem non solvitur, ut patet ex clarissimis illius verbis: *statuimus, atque decernimus, tria vota hujusmodi, etsi simplicia, ex hujus Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse verè substantialia Religionis vota &c. & excommunicationis majoris latæ sententiæ, & alijs apostatarum pœnis, si qui à Societate deficiant, subjacere, ac tanquam veros apostatas puniri posse, nec à quoquam, nisi per nos, & Sedem prædictam, aut Generalem Præpositum ab eisdem pœnis absolvi, nec ante hujusmodi absolutionem, & à Societate dimissionem Matrimonium contrahere, quin imò eos omnes ad contrahendum inhabiles, & contractus hujusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus.* Potuisse autem hoc constituere dictum Pontificem, extra dubium est, cùm ipsummet Concilium Tridentinum *Sess. 24. can. 3. de Sacram. Matrim.* definiat, posse Ecclesiam impedimenta Matrimonij irritantia augere, vel minuere, ubi in

in particulari agens de gradibus consanguinitatis, anathema dicit, si quis dixerit, non posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant.

Ex hoc verò deduco cum Præposito *in 3. p. D. Th. q. 7. de Imped. dirimen. dub. 4. n. 21.* & Sanch. *L. 7. disp. 48. n. 17.* excommunicationem suprà dictam incurrere quoque Religiosos Societatis IESV, qui, etsi professionem solemnem non emiserint, post simplicia vota biennij ad Matrimonium transeunt, etsi Glossa in Clement. Vnic. De Consang. ubi hæc excommunicatio statuitur in Religiosos nuptias contrahentes V. Religiosos. id exponat de solis professis: *scilicet professos tacitè, vel expressè Religionem approbatam*, nam aio, hoc addi à Glossa, quia communiter hi solùm reputati sunt veri Religiosi, per hoc tamen non excluditur, quin, si alij quoque absque solemni professione per sola vota simplicia sint veri, & propriè dicti Religiosi, sub memorata pœna comprehendantur: atqui ex Bulla Gregoriana constat, per vota post novitiatum nuncupata, etsi simplicia, homines Societatis IESV evadere veros Religiosos, ita ut sub excommunicatione latæ sententiæ istud negari, vel in controversiam revocari nequeat: ergo & ipsi incurrunt hanc censuram, quam allegata Clementina indefinitè statuit in *Religiosos* Matrimonium contrahentes.

3. Cæterùm de hoc ipso, quod Matrimonium subsequens dirimatur per vota Religionis solemnia, ita ut nullum sit, & invalidum conjugium, quando illud post eorundem emissionem contrahitur, magna est controversia inter Authores, an vis hæc dirimendi Matrimonium proveniat ex ipso Iure naturali, an verò ex solo Iure Ecclesiastico? Primum multi docent, verùm perpensis rationibus, quibus innititur eorum opinio, cum communi, & vera sententia nobis dicendum est, vota Religionis solemnia dirimere Matrimonium Iure solùm Ecclesiastico. Ita Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 6. n. 4.* Bonac. *q. 3. de imped. Matr. pu. 4. n. 3.* Coninck *disp. 31. dub. 6. n. 67. & seqq.* Perez *disp. 26. de Matr. Sect. 6.* Præpos. *l. c. dub. 5. n. 27.* Basil. Pontius *l. 7. c. 22. n. 4.* Dicastillo, Sporer &c. Citari etiam solet à plerisque Sanchez, verùm is *l. 7. disp. 26. n. 4.* contrarium tenet. Ratio nostra est, quia Professio solemnis vim irritandi Matrimonium contrahendum non habet præcisè ex eo, quòd sit votum, sive promissio continentiæ liberè facta Deo, aliàs eadem vis etiam competeret votis simplicibus, quibus promittitur vel continentia, vel ingressus Religionis: consequenter vim istam irritandi habet, non quia præcisè votum est, sed quia est votum solemne: cùm ergo tota votorum solemnitas à Iure solùm Ecclesiastico habeatur, ut patet ex definitione Bonifacij VIII. in c. Vnic.

Vnic. De Voto in 6. *Nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa &c.* quæ verba postmodum etiam inserta sunt constitutioni Gregorij XIII. *Ascendente Domino &c.* palam est, professionem Religiosam dirimere Matrimonium contrahendum solo jure Ecclesiastico. De votis autem simplicibus Societatis IESU per se patet, vim istam ea non habere ex natura sua, ut Matrimonia dirimant, cùm eam primùm acquisiverint per dictam Constitutionem Gregorij XIII. modò allegatam:

4. Ut verò prædictam vim Matrimonium consequens dirimendi habeant vota Religiosa, necesse est, non solùm, ut ea emissa fuerint in Religione ut tali à Sede Apostolica approbata, nec satis est, quòd modus vivendi duntaxat approbatus sit, nisi tanquam vera Religio ipsa Congregatio, Societas, vel communitas &c. à Sede Pontificia agnita fuerit, & approbata, ut advertit Sanch. *l. 7. disp. 25. n. 10.* sed insuper quoque opus est, ut vota Religiosa fuerint emissa validè, quòd si enim ex quacunque causa sint nulla, atque irrita, effectum nullum producunt, & Matrimonium deinceps contrahendum non modò non dirimunt, sed nec quidem impediunt, quia facta invalidè perinde sunt, ac si omnino facta non fuissent, ut patet ex *l. 4. §. condemnatum ff. De Re judic.* ubi dicitur, ex sententia nullius momenti, sive invalida non sequi ullam condemnationem. Hinc capere non possum, Dianam *p. 6. tr. 7. resol. 51.* cuipiam dicenti, professionem suam ex causa metûs fuisse nullam, atque irritam, proinde sibi nunc licitum esse certum quodpiam Matrimonium inire, respondisse, eum toto cœlo errare, quia, licèt votum castitatis, quod professionem faciens per se, & principaliter emittit, non valeat ut solemne, valebit tamen eo modo, quo valere potest, nempe tanquam simplex; pro qua sua responsione allegat *c. Placet. 12. De Convers. conjug.* item Paludanum, Sanch. & Tiberium *in Instruct. Ordinand.* sed neque Pontifex in *cit. c.* neque isti DD. idem cum ipso sentiunt, nam loquuntur in casu, qui Pontifici ibi propositus fuit, quando videlicet quis seriò, & spontè intendit profiteri Religionem, ut tunc actus valeat eo modo, quo valere potest, de quo infrà *n. 8.* quando autem Professio fit ex gravi metu, actus nullo modo valet, sed tota Professio est irrita juxta *c. Perlatum est. 1. De his, quæ vi &c.* ideoque ad nihil obligabit. Ita Wagnereck in *exegesi cit. c. Placet.* nisi tamen, ut observat Pellizarius *tom. 1. Manual. Regular. tr. 4. c. 3. n. 51.* votens intentionem habeat se obligandi ad castitatem, esto contingat, Professionem esse nullam quacunque ex causa; tunc enim Professione non subsistente, votum illud obligabit, ut omnino privatum, & simplex, non autem ut votum castitatis

stitatis Religiosæ, quod solùm habetur per Professionem validam, unde hujusmodi profitens habebit tunc quidem impedimentum, quod Matrimonium impedit, non tamen erit inhabilis ad validè contrahendum, cum ista inhabilitas solùm proveniat ex voto castitatis solemni valido. Ratio autem hujus est, quòd nempe ita se possit obligare, quia votum sumit obligationem, ejusque qualitatem ex intentione voventis, adeoque non repugnat, invalidè profitentem adhuc manere obligatum voto castitatis simplici, si ipse habuit intentionem ad id se obligandi.

5. Modò ut alterum quæsitum casûs nostri attingamus, an nempe possit Pontifex in voto castitatis solemni, quod est impedimentum dirimens, dispensare, ut licitè deinceps, atque validè contrahi nuptiæ queant, affirmativè respondendum esse, constare videtur ex ipsa facti specie hujus casûs, nam dispensavit Pontifex cum Ramiro: ergo in voto solemni castitatis Pontifex dispensare potest, cùm bona sit argumentatio ab actu ad potentiam. Nec una tantùm vice similis dispensatio obtenta est à Sede Pontificia, sed sæpiùs, ut testatur Suar. *tom. 3. de Relig. L. 6. c. 16. n. 6.* ubi non solùm refert factum nostrum, sed circa idem votum Religionis solemne dispensationem concessisse testatur etiam Alexandrum III. Nicolao Monacho Veneto ex familia Justinianorum, ut uxorem duceret ad familiam illam bello penè extinctam iterum excitandam. Addit, pari modo fuisse dispensatum cum Constantia Siciliæ Regis filia, ut nuberet Imperatori Henrico, Friderici Barbarossæ filio. Casimirus item Rex Poloniæ Monachus Cluniacensis Ordinis S. Benedicti jam professus ex dispensatione Summi Pontificis uxorem duxit, & quod recentius est, Gregorius XIII. ad eundem finem dispensavit cum fratre Cardinalis Jojosæ Galli, Sacerdote Professo, & Provinciali Ordinis Cappucinorum, ut testatur Barbosa *in c. Cùm ad Monasterium. De Statu Monachor. n. 13. in fin.* nec dubitandum est, quin id frequentiùs evenerit: verosimile autem non est, Pontifices doctissimos, & pios temerè usos fuisse sua potestate in re tam gravi: nec debet denegari authoritati Pontificiæ, quod ei absque absurditate aliqua concedi potest, & alioquin expediens est, ac necessarium ad Ecclesiæ regimen, ut sanè expedit, ac necessarium est, hanc potestatem esse in Ecclesia, cùm sæpè id expetat commune bonum alicujus regni, vel provinciæ. Præterea ex communi omnium sensu Papa dispensare potest in votis simplicibus: ergo id ipsum potest etiam in votis solemnibus, cùm, uti suprà vidimus, voti solemnitas solùm ex constitutione Ecclesiæ introducta sit:

potest

potest autem Summus Pontifex dispensare in quacunque Ecclesiastica institutione: ergo etiam dispensare potest in voto solemni. Ita præter Suar. *l. c.* docent Sanch. *L. 8 de Matr. disp. 8. n. 7.* allegans quàm plurimos alios. Palao *tr. 16. disp. 5. de oblig. statui Religios. annexis pu. ult. n. 5.* Azor *tom. 1. L. 12. c. 7. q. 1.* doctè, & eruditè id probans per tres columnas. Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. de Voto pu. 7.* Less. *L. 2. de Iust. c. 40. dub 19. n. 141. & seqq.* Emanuel Rodriq. *tom. 1. Quæst. Regular. q. 25. a. 2.* Pirhing *n. 144. de Regular.* Pellizarius *tom. 1. Man. Regul. tr. 4. c. 3. Sect. 5. n. 108.* Rebellus *p. 2. de oblig. Iust. L. 3. q. 4. n. 8.* Basilius Pontius *L. 8. de Matrim. c. 10.* innumeríque alij; communiter tamen addunt, ad dispensandum cum Professo, ut Matrimonium contrahere possit, requiri gravissimam necessitatem, seu causam urgentissimam boni publici, neque sufficere bonum privatum ipsius Professi, ut v. g. vitetur periculum probabilissimum transgrediendi votum, quia talis dispensatio fieri nequit absque aliquo statûs Religiosi detrimento: at verò est contra rectam rationem, spectari hominis privati bonum, postposito totius statûs Religiosi detrimento; & cùm frequenter accidat, ut ipsius Professi bonum privatum occurrat, ob quod concedendæ illi dispensationis justa causa existeret, hæ dispensationes quàm frequentissimè indulgendæ forent; quis autem non videt, hoc modo magnopere labefactari Religiosum statum?

6. Quamquam verò ista tum ex facto constent, tum rationibus quoque verissima esse probentur, idque de voto castitatis, quod in SS. Ordinibus includitur, concedat etiam Doctor Angelicus, cùm ijs continentia non sit essentialiter annexa, sed ex statuto Ecclesiæ, ut patet in Sacerdotibus Græcis, qui permittuntur in conjugij fœdere permanere; at quoad votum castitatis in solemni Professione Religionis objicitur nobis authoritas ejusdem Divi Thomæ 2. 2. q. 88. a. 11. in C. ubi ita loquitur: *est autem debitum continentiæ essentiale statui Religionis, per quem homo abrenunciat sæculo, totaliter Dei servitio mancipatus, quod non potest simul stare cum Matrimonio &c. & ideo in voto solemnizato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari*, quem præter alios sequuntur Sylvester *V. Votum. 4 q. 5.* Sotus *l. 7. de Iust. q. 4. a. 2. per totum*, Aragon 2. 2. *q. 88. art. 11. Versu Propter hæc argumenta.* Armilla *V. Dispensare. n. 12.* Fundant suam opinionem cum S. Doctore potissimùm in verbis c. Cùm ad Monasterium. De statu Monachor: *Custodia castitatis adeò annexa est regulæ Monasticæ, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere.* Rationem insuper afferunt, quia quod semel sanctificatum est Deo, in alios usus non potest converti: atqui Religio-

sus

sus per vota solemnia consecratus est Deo, totusque dicatus illius servitio: nequit igitur ab ista consecratione unquam recedere; & sicut Pontifex efficere nunquam potest, ut ex Episcopo fiat non Episcopus, ex Sacerdote non Sacerdos, ex baptizato non baptizatus, ita nequit efficere, ut ex Religioso evadat quis non Religiosus, atque ita per consequens, ut desinat esse obligatus voto continentiæ, quam observare statui Religioso, quem nequit unquam deponere, intrinsecum, & essentiale est.

7. Verùm hæc omnia non convincunt pro hac Sententia; nam Divo Thomæ oppono ipsummet S. Thomam, qui nostram Sententiam non modò probabilem, sed etiam probabiliorem judicat in 4. dist. 38. q 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 3. *Et ideo alij dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provinciæ exposceret, posset convenienter & in voto Continentiæ, & in voto Religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum.* Circa hoc Castropalao quidem cum alijs quibusdam asserit, Doctorem Angelicum hanc suam mentem mutâsse, istamque Sententiam correxisse, quando Summam scripsit in extrema sua ætate: Aliter verò loquitur Cajetanus illius commentator *in cit. quæst. 88.* unde authoritas D. Thomæ contra nos desumitur, Sanctum Doctorem non absolutè, sed solùm opinativè hoc sensisse propter allatum textum è Decretalibus, qui expressè dicit, quòd nec Summus Pontifex possit contra custodiam castitatis Monacho licentiam dare; quia verò ejusdem est interpretari Canonem, cujus est illum condere, addit, si Sanctus Author vidisset, Summum Pontificem declarâsse, quòd Decretalis illa intelligatur *stante Monachatu*, procul dubio nunquam suscepturum fuisse onus hujus opinionis ad defensionem illius Decretalis nondum interpretatæ, quam tamen postmodum pluries Romani Pontifices dicto modo interpretati sunt, dum dispensarunt cum multis Religiosis, ut contraherent Matrimonium. Ita Cajetanus. At neuter ex istis Authoribus mihi plenè satisfacit; nec enim ignorare potuit S. Thomas, has dispensationes à Pontificibus concessas esse, cùm earundem plures multò ante ipsius ætatem evenerint sub Benedicto IX. Alexandro III. Cœlestino III. &c. atque ipsius nostri Ramiri dispensatio obtenta est diu, antequam viveret S. Thomas, nam eum novendecim annis regnâsse constat ex Vasæo ab anno 1126 usque ad 1145. cùm S. Thomas, ut tradit Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast. natus sit 1224. obierit verò anno 1274: dicendum igitur potiùs cum Basilio Pontio *l. c. n.* 3. S. Doctorem in Summa non voluisse retractare sententiam, quam olim tenuit scribens in

libros Sententiarum, sed refutâsse opinionem quorundam asserentium, posse aliquem esse Religiosum, & tamen non obligari voto castitatis; non verò ibi negavit, posse fieri dispensationem in statu, ita, ut persona illa, cui conceditur dispensatio, extrahatur ab omni statu Religionis; atque ita cum suprà citatis AA. ad rationem, seu fundamentum Adversariorum respondeo, rem Deo consecratam non posse quidem in alios usus profanos commutari, quamdiu manet ista consecratio, fieri tamen potest, ut res consecrata, Deoque sanctificata desinat esse consecrata, ut accidit in calice consecrato, destructâ eius formâ, qui proinde in usus profanos tum adhiberi potest: simili modo non potest quidem authoritate Ecclesiæ, vel Pontificis dispensari, ut professus, manens Religiosus, votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ non sit obstrictus, cùm ista pertineant ad essentiam Religionis, potest tamen ex justa causa dispensare Pontifex, ut ex professo fiat non Professus, sive ut desinat esse Religiosus, ac votis Regularibus obstrictus, nec enim per aliud Religiosus consecratur Deo, quàm per ipsam votorum nuncupationem, in quibus dispensari potest, ut patet in voto annexo SS. Ordinibus. Quòd autem dicunt, etiam authoritate Pontificia effici non posse, ut ex Episcopo fiat non Episcopus, è Baptizato non Baptizatus, è Sacerdote non Sacerdos, penitus nihil probat, namque hoc ideo est, quia per Ordinem, & Baptismum imprimitur indelebilis character, qualis per vota Religiosa non imprimitur, quocirca nihil est, quòd impediat, ne ex Monacho effici possit non Monachus; dissoluto autem statu Religioso, poterit, qui fuit consecratus, jam deservire negotijs sæculi, uxorem ducere, & suis bonis pro libitu uti.

8. Effectum, de quo hucusque locuti sumus, ut Matrimonium deinceps contrahendum non modò impediat, sed penitus aunullet, quem habet Professio Religiosa, communem habet cum voto castitatis annexo SS. Ordinibus; in hoc verò differt solemnis in Religione Professio, quòd Matrimonium priùs initum quoque dissolvat, quando id ratum tantummodo fuit, non autem consummatum, quod non efficit susceptio SS. Ordinum, vel etiam consecratio in Episcopum, ut docet Bonac. *q. 3. De imped. Matr. pu. 4. n. 6.* cum Rebello, Perez, & alijs, & nos suprà fusè tradidimus *Sect. 1. hujus Partis. §. 4. q. 2.* quæ proinde animus non est hîc iterum repetere; id solùm adhuc examinabimus, an etiam post consummatum Matrimonium liceat alterutri conjugi Religionem ingredi, & in ea profiteri, & quæ præterea circa hoc advertenda sint?

Licitam esse, atque validam ejusmodi Professionem, communis est doctrina, si fiat cum consensu alterius conjugis; nulla autem erit, & invalida, si facta est altero ignorante, ut

ut satis patet ex *c. Quidam*, & *c. Placet. De Converſ. Conjug.* nec enim habet conjux dominium ſui corporis, quod poſſit tranferre in Religionem cum gravi injuria alterius conjugis, unde poterit Pars altera, quæ relicta eſt, iterum revocare eum, qui ſic profeſſus eſt abſque ſua licentia, ut ad ſæculum redeat, ſibique reſtituatur, quia nequit invita jure ſuo ſpoliari. Idem eſt, ſi conſenſus extortus fuerit dolo, aut gravi metu. *c. Notificaſti. 33. q. 5.* & *c. Accedens. De Converſ. conjug.* Sanch. *l. 7. diſp. 35. n. 1. & 9.* qui Author hac, & præcedente diſputatione *n. 2. & 3.* dicit, conjugem revocatum non poſſe petere debitum, teneri tamen reddere, eò quòd votum caſtitatis in ea profeſſione emiſſum habeat vim ſaltem voti ſimplicis ex præſumptione Iuris, eumque obliget in tantum, quantùm is obligare ſe potuit, nimirum ut in eo Matrimonio abſtineat à debiti exactione, & eo per mortem ſoluto ad aliud Matrimonium non tranſeat, ad quod ſe utique obligare potuit, atque hanc adfuiſſe intentionem, ait, à Iure præſumi *in cit. c. Quidam*, & *c. Placet. De Converſ. conjug.* niſi de intentione contraria conſtet, ſicuti quando impuberes Matrimonio inepti illud ineunt, præſumit Ius *c. Vnic. De Deſponſ. impub. in 6.* voluiſſe ipſos ſe obſtringere, in quantum potuerunt, ac proinde præſumit, id valere ſaltem ut ſponſalia, quæ in eorum poteſtate erat contrahere. Quòd ſi verò conjux ille votum caſtitatis emitteret non niſi dependenter à profeſſione Religioſa, illudque huic alligaret, concedit tunc ipſe quoque Sanchez, caſſatâ Profeſſione, illum ad nihil obligari, quia ſic profitens excludit votum caſtitatis, neque ad eam aliter adſtringi vult, quàm in Religione.

Illud præterea notandum eſt, quando dicitur, requiri coniugis conſenſum ad validam profeſſionem in Religione, excipi caſum, quo adeſt cauſa perpetui divortij, quoties enim è conjugibus alteruter facere poteſt propria authoritate perpetuum divortium, eo ipſo poteſt ingredi etiam Religionem, & in ea validè profiteri, aut SS. Ordines ſuſcipere, altero conjuge invito remanente in ſæculo, nam conjux innocens ob talem cauſam, v. g. ob adulterium uxoris, etiamſi in ſæculo maneat, poteſt perpetuò abſtinere ab eius conſortio; ergo ingredi quoque poteſt Religionem. Bonac. *l. c. n.* ſed neque tenetur redire revocatus ad conjugem, qui ſine eius licentia profeſſus eſt, ſi pars relicta interea commiſit adulterium, namque per hoc jus revocandi amiſit. *c. Veniens. De Conv. conjug.* dummodo de eo conſtet Profeſſo, nam ſi occultum ſit, adhuc eum poterit revocare, cùm non cogatur ſe ipſam privare ſuo jure, uſque dum alter delicti conſcius jure ſuo ipſam ſpoliet. Sanch. *l. 7. diſp 36. n. 1.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 4. n. 144.*

9. Nec verò ſatis eſt ad profitendum

dum in Religione, ut quis obtineat à conjuge licentiam hoc faciendi, sed debet insuper pars quoque altera Religionem ingredi, quando est juvenis, nec extra periculum incontinentiæ videtur esse constituta. Ita statuitur in *c. Præterea*, *c. Cùm sit*, *c. Uxoratus*. pluribusque alijs *De Converf. Conjug.*: nec sufficit, quòd inter Regulares præcisè vivat in Monasterio, ut sit remotior ab occasione, sed opus est, ut Professionem quoque emittat, quod iterum colligitur ex cit. c. Uxoratus: *& in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur.* c. Cùm sis. ibid. *Nisi uterq; ad Religionem transierit*, non dicitur autem transire ad Religionem, qui eam non profitetur, nec eam ingredi, *ut Deo ibi serviat*, qui ibi includitur, ut arceatur à vagationibus, sic enim potiùs in Monasterio detinetur velut in carcere.

Quòd si autem, qui relinquitur è conjugibus, senex sit, & extra incontinentiæ periculum positus, permittitur illi in sæculo permanere, dummodo in facie Ecclesiæ, id est, coram Episcopo, & testibus perpetuam continentiam voveat. *c. Significavit. De Converf. Conjug.* circa quod bene notandum est, hæc duo conjunctim requiri, scilicet ut senex sit, & simul talis, in quo suspicio, vel periculum incontinentiæ non sit, quia SS. Canones non attendunt ad solam ætatem, sed vel maximè, ut nullum sit incontinentiæ periculum, ut constat ex cit. c. Cùm sit: *Verùm si uxor ita senex est, & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo &c.* & c. Ad Apostolicam. ibid. *Nisi fortè sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere*: cujuscunque igitur ætatis sit conjux in sæculo remanens, si tamen de eo suspicio est incontinentiæ, non sufficit, votum perpetuæ castitatis emisisse, sed debebit transire ad Religionem, quia Canones volunt cavere periculo incontinentiæ; quando igitur etiam in provecta ætate per votum castitatis necdum sufficienter consultum est, necesse erit, ut alterum accedat, nempe ingressus in Religionem, prout iterum manifestè habetur in cit. c. Uxoratus: *Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato, à sæcularium hominum se conversatione removeat, & in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur.* Sanch. *L. 7. disp. 32. n. 9.* Simili modo non sufficit votum continentiæ, si conjux in sæculo permanens juvenis sit, etsi alioquin honestæ vitæ, ita ut nullum timeatur in eo periculum, quia juventus inconstans est, & varijs incontinentiæ periculis exposita, facileque desistit ab inceptis. Sanch. *l. c. n.* 10. Pirhing *n. 6. De Converf. Conjug.* Bonacina tamen tradit *q. 3. de Imped. Matr. pu. 4. n. 12.* quamvis non sufficiat, si in juvene propter ejus virtutem credatur abesse periculum, sufficere nihilominus, si

ætas

ætas juvenilis ex prava valetudine, seu ægritudine respondeat ætati provectæ, ut eapropter credatur abesse periculum incontinentiæ, namque infirmitate laborans rebus venereis, etsi juvenis sit, ineptus esse creditur. *L. Filium. ff. De His, qui sui, vel alieni &c. L. Si quis posthumos. ff. De lib. & posthum.* Cæterùm quænam ætas conjugum provecta, aut quinam senes dicendi sint, discrepant Authores apud Dianam *p. 4. tr. 4. resol. 73.* Probabilis, & tuta in praxi opinio est, fœminam quinquagenariam esse senem quoad hunc effectum; virum verò sexagenarium; in hac enim ætate calor, qui fovet libidinem, ejusque causa est, ordinariè censetur esse extinctus, & communiter adest terminus generandi, quia autem fœminis brevior solet esse vitæ cursus, & celerior senectutis adventus, mirum non est, quòd æquè senem æstimemus fœminam quinquagenariam, quàm virum sexagenarium, nam ea ætate æquè tepescit in illa ardor libidinis, ut in viro sexagenario, sterilisque efficitur, & libera esse creditur à suspicione incontinentiæ, ac ferè communiter senex appellatur. Ita Sanch. fusè *l. c. n. 15. & seq.* Bonac. *l. c.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 4. n. 133.* Barbosa *in c. 4. De Converf. Conjug. n. 5.*

10. Illud insuper bene notandum est circa votum, quod diximus emitti oportere à conjuge sene remanente in sæculo, quòd illud debeat esse perpetuum, & non solummodo temporale, tamdiu duraturum, quamdiu conjux professus superstes fuerit: constat hoc iterum ex c. 1. De Converf. conjug *Nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit*, & c. Ad Apostolicam. eod. *nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat*: non tamen obesset valori professionis alterius conjugis hoc votum temporaneum, imò valida foret professio, dummodo cum licentia, & libero consensu alterius facta sit, etsi, qui in sæculo remanet, se prorsus nullo castitatis voto obstringeret, non solùm quando senex est, verùm etiam, si sit juvenis, & de incontinentia suspectus, qui eapropter deberet non solùm vovere in sæculo, sed etiam Religionem ingredi, nam ista non requiruntur ad valorem professionis, sed ad licentiam, ut nempe professio alterius conjugis legitimè, & licitè fiat. Wagnereck *in Exegesi c. 1. de Converf. Conjug.* Pirhing *n. 10. & & seqq. eod. tit.* Sanch. *L. 7. disp. 33. n. 2.*

11. Illud verò magis dubium videri potest, an conjugatorum uno cum consensu alterius Religionem professo, & in ea mortuo, possit relictus in sæculo aliud deinde Matrimonium validè contrahere? quòd enim hoc illicitè facturus esset ob votum castitatis perpetuæ, evidens est; quòd autem invalidum quoque futurum

turum sit tale Matrimonium, aliqui ex eo probant, quòd, cùm Maritus, ex Uxor sibi mutuò communicent jura, & actiones juxta *can. Si quis ex uno.* 30. *q.* 4. votum conjugis relicti in sæculo solennizetur, sive evadat solemne per votum alterius emissum in Religione, sic autem eo ipso evadit votum, quod Matrimonium dirimit, ac consequenter irritum erit conjugium, quod deinceps cum alio contrahetur; idque confirmant ex eo, quòd uxor, quæ voto emisso consensit in sacram Ordinationem Mariti, post hujus obitum nequeat ampliùs inire validè ullum Matrimonium. *can. Quia sunt. can. Si se. can. Siqua vidua*, & *can. Seriatim. dist.* 32.

Verùm dicendum est, quamvis illicitè contrahat, non tamen fore invalidum hoc Matrimonium, quia conjugium dirimit, ac invalidat solummodo votum solemne, quale duntaxat est votum in Professione Religiosa, & Sacris Ordinibus, ut clarè decisum est *c. Vn. De Voto. in 6.* quòd autem solemnitas aliqua redundet ex voto conjugis professi in votum conjugis sæcularis, falsum est, & apertè negatur à Glossa *in c. Seriatim. dist.* 32. *V. Post mortem.* nec ullo alio Juris textu ostendi potest; quod enim asseritur de communicatione actionum inter conjuges ex *can. Si quis* 30. *q.* 4. huc non facit, nam ibi sermo est de actionibus, quæ non ex animi, sed corporis actu oriuntur, quemadmodum ob allegatum canonem, & *c. Martinus. De Cognat. Spiritual.* contrahitur compaternitas ab utroque conjuge, dum unus eorum levavit baptizatum è sacro fonte; hæc verò non statim sunt extendenda, ut alia quoque nuptialia impedimenta introducantur, sunt enim hæc odiosa. Æquè parùm probatur per id, quòd nequeat uxor alteri nubere post viri obitum, in cujus Sacram Ordinationem consensit, quia istud ob sacri Ordinis reverentiam specialiter à Jure est constitutum, ut neque licitè, neque validè ad aliud Matrimonium transire possit, quale statutum de casu nostro non habetur. ita Sanch. *L.* 7. *disp.* 32. *n.* 6. *& seqq.* & *disp.* 40. *n.* 2. *& 3.* Barbosa *in can. Quia sunt.* 10. *dist.* 28. *n.* 1. Wiestner *n.* 24. *& seq. de Convers. Conjug.*

§.II.

§. II.

ORDO.

CASUS

Mariti ad Ordines promoti ex falsa relatione de obitu uxoris.

HEribertus rixosam conjugem pertæsus, clàm, eâ desertâ, discessit è patria, quin diu resciretur, quò abijsset; tandem compertum est, Romæ ipsum morari inter domesticos cujusdam Cardinalis; crebris itaque literis hortati sunt eum amici, & consanguinei, ut in patriam, & ad uxorem reverteretur, sed persuaderi is non potuit. Denique ut intentatum nihil omitterent, finxerunt epistolam, qua mortem conjugis nunciarunt, eique addiderunt testimonia, quæ dubium omne poterant adimere, rogantes, ut nunc saltem rediret ad suos, postquam elatum esset, quod in ædibus suis displicere poterat. Acceptis hisce literis, & attestationibus Heribertus, lætus, obtinuisse se libertatem à conjugali vinculo, statuit vitæ conditionem mutare, breviqúe temporis intervallo patrocinio Cardinalis, in cujus familia erat, id consecutus est,

ut

ut ad Sacros Ordines, ipsumque Sacerdotium promoveretur; tum verò, petitâ ab Eminentissimo Patrono suo veniâ, voluit revisere patriam, Romam rediturus, quàm primùm de bonis suis, rebusque domesticis disposuisset. Sed aliud evénit, quàm ipse opinabatur, nam ubi patriam attigit, deceptum se deprehendit mendacibus suorum literis, & commentitijs figmentis, quamque defunctam hi testati sunt, vivam, valentemque reperit suam Xantippem.

Q. An valida fuerit hæc Ordinatio, & quid deinceps agendum Marito huic Presbytero?

SYNOPSIS.

1. *Cur Ordo Sacer specialem locum habeat inter impedimenta dirimentia Matrimonij?*
2. *Etiam antiquitus Clericis in Sacris Ordinibus constitutis illicitum erat transire ad nuptias, non tamen fuit Ordo semper impedimentum dirimens.*
3. *Hodie majores Ordines impediunt, & dirimunt Matrimonium contrahendum.*
4. *An obligatio abstinendi à nuptijs, & continentiam servandi, quam habent ejusmodi Clerici, oriatur ex voto, an ex præcepto Ecclesiæ?*
5. *Vt ordinati obligentur ad castitatem, habeantque impedimentum dirimens Matrimonij, debet Ordo validè collatus esse.*
6. *Infantes tamen, quantumvis ante usum rationis validè ordinentur, istud impedimentum non contrahunt, nec obligantur ad continentiam.*

7. *Con-*

7. *Contrarium dicendum est de ordinatis ante pubertatem post usum rationis obtentum.*

8. *Qui metu gravi, & injusto compulsus suscepit Sacros Ordines, ex multorum opinione nullum contrahit impedimentum.*

9. *Magis placet Sententia opposita.*

10. *Quo modo in istis Ecclesia Græca conveniat cum Latina, aut ab eadem discrepet?*

11. *Matrimonium priùs contractum per Sacros Ordines postea susceptos non dirimitur, in quo differt Sacer Ordo à professione Religiosa.*

12. *Potest maritus suscipere Sacros Ordines, si uxor in hoc consentiat, ubi simul examinatur, ad quid tunc ipsa obligetur, & num, si postea carnaliter cognoscatur à viro, habita inde proles sit illegitima?*

13. *Vxore dissentiente, validè quidem ordinatur maritus, sed illicitè, manetque obnoxius pœnæ Ecclesiasticæ, & potest ab uxore revocari, quo casu reddere tenetur debitum conjugale, sed petere non potest.*

14. *Respondetur ad quæsita præsentis casûs.*

1 HOc quoque impedimentum æque, ac præcedens, est ad impediendum, & dirimendum Matrimonium, non jam contractum, sed contrahendum, id enim efficit, ut qui susceptit sacros Ordines, uxorem deinceps ducere neque licitè, neque validè possit, unde, ne quid inficier, casus propositus propriè loquendo huc non pertinet, utpote qui agit non de uxore assumptis sacris Ordinibus superinducta, sed de Marito uxore vivâ, nec consentiente, sed ignarâ, ad SS. Ordines promoto; proponendum nihilominus duxi hîc præsentem casum, quem intellexi è viro fide digno

digno ante annos non admodum multos in loco mihi non incognito evenisse, ad quem, quid respondendum sit, antequam dicatur, priùs examinanda sunt, quæ ad impedimentum Ordinis spectant, in quantum illud dirimit subsequens Matrimonium, irritumque, & invalidum reddit, quæ proinde propriè ad hunc locum pertinent.

Et verò hoc ipsum impedimentum seorsim velle exponere superfluum videri posset, quippe quod jam superiùs continebatur in impedimento voti solemnis, quale est etiam illud, quod includitur in sacris Ordinibus, meritò tamen specialem sibi locum postulat, quia Authores aliqui, quos citat sanch. *l. 7. disp. 27. n. 9.* arbitrati sunt, & docuerunt, Ordinem sacrum, hoc est, Subdiaconatum, & reliquos superiores, obligare ad castitatem non ratione inclusi voti, sed ratione sui ipsius, dirimique Matrimonium, & obligari hujusmodi Clericos ad continentiam non ex prædicto voto, sed ex præcepto Ecclesiæ; imò quod votum appellatur ab AA. sacro Ordini annexum, aliud in re non esse, quàm ipsam hanc obligationem jure Ecclesiastico inductam ad non ducendam uxorem post sacros Ordines susceptos, & ad perpetuam continentiam deinceps servandam, hancque obligationem, ajunt, vocari votum continentiæ implicitum, & quidem solemne ideo, quia ad instar voti solemnis dirimit subsequentem Matrimonij contractum. Alij econtra hoc totum, quòd Clericus in Majoribus constitutus nequeat transire ad nuptias, & ad omnimodam castitatem obligetur, adscribunt voto, quod in susceptione Ordinum implicitè emittitur, qua in re multùm decipitur, qui putat, perinde esse, an quis unum, an alterum asserat, dummodo dicat, adesse obligationem ad continentiam, sive deinde ex voto hæc proveniat, sive ex præcepto Ecclesiæ, quia si aliud non adest, quod imponat hanc obligationem, quàm præceptum Ecclesiæ, tunc sanè valebit dispensatio Pontificia ad ineundum Matrimonium etiam sine causa concessa, non verò, si obligatio oriatur ex voto, quia istius dispensatio sine justa causa non solùm illicita, sed etiam invalida est. Verùm de hac quæstione plura inferiùs.

2. Certum iterea est, statim ab initio nascentis Ecclesiæ illicitum semper fuisse, post susceptos SS. Ordines Presbyteratûs, & Diaconatûs contrahere Matrimonium, ut manifestum est ex *can. 25. aliàs 27. Apostol.* & Apostolica traditione. De Subdiaconatu tamen id ipsum non constat, sed potiùs contrarium colligitur, quòd nempe non habuerit annexam obligationem non contrahendi Matrimonium, quia in primitiva Ecclesia inter Ordines *sacros*, ex obligatione continentiæ sic nuncupatos, non numerabatur, ut habetur *in c.*

A multis

A multis, De Ætat. & qualit. Ordinand. Dicastillo *disp.* 1. *de Sacram. Ord. dub.* 24. *n.* 336. Basil. Pontius *l.* 7. *c.* 24. *n.* 6. postea verò prædicta prohibitio innovata est, & extensa ad ipsos usque Subdiaconos jamin Concilio Romano sub Sylvestro habito can. 8. *Nullum autem Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus &c.* Idem rursus statutum in Sexta Synodo Generali in Trullo can. 6. apud Barthol. Carranza in Summa Conciliorum: *Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege Matrimonij mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat*, qui Canon, plerisque alijs rejectis, receptus, & approbatus est in *cit. c. A multis*, iterumque id ipsum, ut plura non adducam, præceptum est in Concilio Romano sub Innocentio II. ut habetur can. 2. dist. 28. *Decernimus, ut ij, qui in ordine Subdiaconatûs, & supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Ecclesiastico Beneficio careant.* per quas prohibitiones SS. Ordines Presbyteratûs, Diaconatûs, & Subdiaconatûs nuptias impediebant, non tamen semper etiam dirimebant juxta Rebellum *p.* 2. *de oblig. Iust. l.* 3. *q.* 12. *n.* 4. & Dicastillo *disp.* 7. *de Matrim. dub.* 18. *n.* 170. usquedum tandem hujusmodi Matrimonia fuerint penitus etiam annullata, & irrita declarata, quod quonam tempore statutum fuerit, certò dici non potest. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. D. Th. disp.* 249. *c.* 4. *n.* 37. id evenisse arbitratur sub Calixto II. qui, ut habetur *can. Presbyteris. Dist.* 27. interdixit Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis contrahere Matrimonia, & contracta disjungi præcepit, non alia ratione, nisi quia ejusmodi personas ad contrahendum inhabiles efficere voluit; separatio enim conjugum non obscurum indicium est, ex quo colligamus, Matrimonium fuisse nullum. Et ne quis putet, per hanc disjunctionem aliud non præcipi, quàm separationem à toro, ne illicitè conjuncti, peccaminosè utantur debito conjugali, quamvis de cætero ratum, validumque sit Matrimonium, quem sensum alicui fortassis ingenerare posset Glossa in cit. can. V. Disjungi. ubi ait: *quoad carnis copulam.* item: *Matrimonium non dicitur dissolvi, quod ab initio nullum fuit*, idcirco ut dubium omne eximatur, & plenè constet de nullitate talis Matrimonij, postea Innocentius *II.* in Concilio Romano verbis clarissimis ea irrita declaravit can. Ut Lex. 27. q. 1. ubi, postquam præcipit, ut in sacris Ordinibus constituti Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui Matrimonium contrahere præsumpsissent, à suis uxoribus separentur, statim subjungit istius rei causam his verbis: *hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus &c.*: supponit igitur Pontifex, per legem Ecclesiasticam jam priùs latam non tantùm fuisse vetita hæc Matrimonia, verùm etiam

etiam ita prohibita, ut nulla, & irrita essent; & quia aliud Ius, ubi irritentur, non extat, nisi ij canones; in quibus jubentur sic conjuncti à se invicem separari, evidens indicium est, ideo præcipi, ut separentur, quia ejusmodi Matrimonia nulla sunt.

3. Ex Iuribus recentioribus indubitatum hodie est, Ordinem sacrum, etiam Subdiaconatûs, dirimere Matrimonium; quisquis enim SS. Ordinum aliquo initiatur, emittit tacitè votum solemne castitatis, quod est impedimentum dirimens, proinde nuptias invalidè contrahit, ut manifestum est ex c. 1. Qui Clerici, vel voventes c. 1. De Cleric. conjug. ubi Alexander III. ita statuit: *Sed si in Subdiaconatu, & alijs superioribus Ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere, & pœnitentiam agere de commisso per suspensionis, & excommunicationis sententiam compellere procuretis.* Adhuc clariùs idem asserit Bonifacius VIII. c. Vn. De Voto in 6. *præsentis declarandum duximus oraculo Sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*, & novissimè in Concilio Tridentino Sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos &c. posse Matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit*; circa quos textus duo consideranda sunt. Primum est, hoc votum non ex Iure naturali, aut Divino, sed solùm Ecclesiastico dirimere Matrimonium, nam dicitur in adductis textibus, illud dirimere, quia, & quatenus solemne est, ut autem sit solemne, non habet ex natura sua, sed solùm ex Ecclesiæ constitutione; consequenter ex hac sola Matrimonium dirimit, ut dictum est in casu præcedente *n. 3. De Voto solemni castitatis in Professione Religiosa.* 2. Ipsum quoque Concilium Tridentinum hanc dirimendi vim, & impotentiam contrahendi Matrimonium attribuit non legi Divinæ, sed *Ecclesiasticæ*, vel *voto*, quo loco dum ait; *non obstante lege Ecclesiastica, vel Voto*, relinquit in medio, & indecisam eam quæstionem, cujus supra in *num* 1. mentio facta est, nempe an obligatio ad continentiam in Clericis oriatur ex proprio Voto, an verò ex præcepto Ecclesiæ, volentis sacros Ministros immediatè ad castitatem obligare.

4. Circa hanc quæstionem, ut modò juxta promissionem superiùs factam aliquid dicam, notandum est, votum, quod Clerici emittunt in susceptione SS. Ordinum, duo comprehendere, nimirum ut abstineant à contrahendis nuptijs; tum ut ab omni actu venereo. Ad hoc, certum est, obligare votum ex natura sua; ut verò hoc votum Clericorum inhabilem efficiat ad contrahendum

trahendum Matrimonium, initumque post susceptos Ordines conjugium irritum, nullumque reddat, id sanè, ut ex suprà allatis textibus patet, totum habetur ex constitutionibus Ecclesiæ, quæ voluit, ut istud votum esset impedimentum dirimens; nec erit, opinor, quem inter SS. Ordinum candidatos hæc observatio, praxisque Ecclesiæ latere queat, ut possit ignorantiam prætendere, seque ab onere castitatis eapropter eximere, cùm præsertim strictissimæ hujus obligationis ad continentiam diligentissimè ab Episcopo admoneantur Ordinandi his verbis: *Filij dilectissimi ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis, quòd si hunc Ordinem susceperitis, castitatem, Deo juvante, servare oportebit*: quia verò contingere posset, reperiri aliquem tantæ malitiæ, ut Sacrum Ordinem suscipiens, expressè nollet se obligare ad castitatem, talis sanè maneret Ordinatus, ponitur enim, habuisse intentionem suscipiendi Sacramentum Ordinis; maneret etiam obligatus ad castitatem, nec posset contrahere Matrimonium licitè, aut validè: sed profectò hæc obligatio tunc non proveniret ex voto, quia id neque implicitè, neque explicitè emisit: ergo datur tunc saltem hæc obligatio immediatè ex præcepto Ecclesiæ, quia autem ostendi non potest Lex aliqua Ecclesiastica, quæ specialiter lata sit pro ijs tantùm, eosque solùm obliget ad castitatem, qui vel ex ignorantia, vel ex malitia voto non adstringuntur, dicendum mihi videtur, universim omnes SS. Ordinibus initiatos obligari ad continentiam, & Matrimonium postea contractum irritum, nullumque esse, tum ratione voti, quod ex præscripto Ecclesiæ tenentur implicitè emittere, quando ordinantur, tum etiam ex Lege Ecclesiastica, specialiter lata in reverentiam Statûs Clericalis, quem oportet ab operibus carnis omnino esse sejunctum; cujusmodi præcepta extant in can. 8. dist. 27. ubi Callistus II. ita præcipit: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu Matrimonia contrahere, penitus interdicimus; contracta quoque Matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere juxta Sacrorum Canonum diffinitiones judicamus.* can. Proposuisti, dist. 82. c. A multis. De Ætate, & qualit. Ordinand. &c. Ita Palao *disp. unic. de Sacram. Ordinis pu.* 17. *n.* 5. Rebellus *p.* 2. *de Oblig. Iust. L.* 3. *q.* 12. *n.* 7. Tambur. *L.* 7. *de Ordine c.* 3. *§.* 3. *per totum.* Perez *disp.* 27. *de Matr. Sect.* 2. *n.* 9. Coninck *disp.* 10. *dub.* 13. *n.* 130. Hurtad. *tract. de Ordine. difficult.* 26. & *disp.* 16. *de Matr. difficult.* 1. *n.* 1. nec in re ipsa à nobis dissentiunt, si bene examinentur, Sanchez, Layman, Dicastillo, Sporer, & alij, qui hoc adscribere videntur soli voto in susceptione Ordinum tacitè emisso.

In

In illo autem non assentior Ægydio Coninck quòd *l. c. n.* 131. ait, Religiosum Sacris initiatum, si fornicetur, obligatum esse, utramque circumstantiam professionis, & Ordinis manifestare; nam, esto, utraque qualitas Religionis, & Ordinis Matrimonio contrahendo impedimentum præstet, & actum Venereum prohibeat, quia tamen hoc impedimentum, & hæc prohibitio eundem Religionis finem spectant, diversa peccata non sunt censenda constituere, sicuti cùm die Dominico festum alicujus Sancti ex præcepto observandum incidit, & in Quadragesima aliqua vigilia. Palao *l. c. n. 6.* Dicastillo *disp. 1. de Sacram. Ord. dub. 26. n. 404.*

5. Cæterùm ut Sacer Ordo inducat impedimentum dirimens, necesse est, ut validè susceptus sit, nam invalidè ordinatus ob defectum aliquem substantialem, v. g. quia ordinans se finxit Episcopum, ad nihil obligatur ex communiore Sententia, proinde validè potest, & licitè contrahere Matrimonium, cùm nec simplici quidem castitatis voto teneatur. Ratio est, quia iste primariò intendit SS. Ordines; vovere autem castitatem solùm intendit secundariò, & dependenter à Sacris Ordinibus; cùm igitur hi nulli sint, nullum etiam est votum, nam principali cessante, accessorium quoque cessat. *L. Cùm principalis 178. ff. De R. I.* Sanch. *L. 7. disp. 27. n. 13.* Coninck *disp. cit. dub. 14. n. 133.* Comptonus *Cursus Theol. tom. 2. disp 104. De Imped. Matrim. Sect. 1. n. 6.* Perez &c. Idem est, si adultus non haberet intentionem suscipiendi Ordines, sic enim eos revera non suscipit, quia nemo adultus validè suscipit Sacramenta, nisi ea suscipere intendat; unde cùm iste Ordines non habeat, ad servandam castitatem, & alia onera SS. Ordinum non obligatur; neque laborat impedimento Matrimonium dirimente, peccavit tamen peccato Sacrilegij propter defectum debitæ intentionis, ut per se patet. Tambur. *L. 7. de Ordine. c. 3. §. 3. n. 12.* Palao *l. c. n. 7.*

6. Major est controversia, an infans ante usum rationis, & annos discretionis SS. Ordinibus initiatus obligetur ad castitatem servandam, habeatque impedimentum dirimens, postquam pervenerit ad pleniorem ætatem? circa quod dubium suppono cum communi, solo ferè Durando, & Petro Soto exceptis, quamquam illicitè, & cum gravissimo peccato SS. Ordinibus initientur infantes, validè nihilominus ordinari; hos verò sic ordinatos non obligari ex voto, certum est, quia votum est actio personalis, ejusque obligatio non potest merè ab extrinseco imponi; puer autem ante usum rationis talis actionis capax non est; unde dissensio inter DD. solummodo est de obligatione ex præcepto, seu

seu constitutione Ecclesiæ. Et quidem, Sacrum Ordinem susceptum ante usum rationis, dirimere Matrimonium, & obligare ad castitatem, præter Paludanum, & Ledesmam affirmant ex RR. Hurtadus *disp. 16. de Matrim. difficult. 2. n. 4.* & Rebellus *l. c. n. 9.* probantque suam opinionem ex Regula Juris 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*: atqui principale hîc sunt character, & potestas Ordinis, obligatio autem ad continentiam est accessorium: ergo cùm illa validè collata sint, hæc etiam valida erit, consequenter sic ordinatus ad castitatem obligatur.

Verùm opposita Sententia communis est, & vera, quam tenent Vasq. *tom. 3. in 3. p. S. Th. disp. 246.* Sanch. *L. 7. disp. 30. n. 3.* Bonac. *q. 3. de Imped. Matrim. pu. 9. n. 14.* Coninch, Palao, Perez, Sporer, Præposit. & innumeri alij. Ratio est, quia sicuti Christus voluit, continentiam solùm esse consilij, & neminem sine suo consensu ad eam obligari, ita similiter Ecclesia neminem vult alia ratione ad eam obligare, præsertim immeritum, cui fieret injuria, si ei omnino invito tantum onus imponeretur: unde obligatio ad continentiam tunc solùm sequitur ut aliquid accessorium Sacros Ordines validè susceptos, quando hi liberè, & voluntariè suscepti sunt, quod in infante ante usum rationis ordinato factum non est. Hic igitur postquam ad annos discretionis pervenerit, potest vel in Ordine suscepto permanere, & eligere statum Ecclesiasticum, vel, si maluerit, sæcularem, & liberè uxorem ducere, atque ad hæc ipsi optio danda est: quòd si adeptus sufficiens judicium, & conscius suæ libertatis statum Ecclesiasticum elegerit, aut semel liberè actum Sacri Ordinis exercuerit, statim suscipit obligationem SS. Ordinibus annexam, nec eam Sententiam postea mutare potest; si autem voluerit contrahere Matrimonium, manet suspensus ab usu Ordinis.

7. Prædictam doctrinam plures DD. extendunt etiam in eos, qui post obtentum usum rationis ordinati sunt ante pubertatem, quos opinantur, nullum contrahere impedimentum dirimens, nec obligari ad servandam castitatem, nisi pubertatem adepti ratam habeant Ordinis sacri susceptionem. Ratio ipsorum est, quia Votum solemne Religionis citiùs emissum irritum est *c. Ad nostram. De Regular.* imò post Tridentinum Concilium *Sess. 25. c. 15. de Regular.* irrita est Professio facta ante annum decimum sextum completum: putant ergo, idem dicendum esse de voto continentiæ ordinati ante annum decimum sextum, quia eadem hîc militat ratio, scilicet levitas ingenij puerorum, qui facilè inducuntur, ut aliquem statum amplectantur, cujus eos postea

ftea pœniteat. ita Filliuc. *tr.* 10 *p.* 2. *c.* 4. *n.* 128. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Clericis malè promotis. Glossa* 2. *n.* 10. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi Alleg.* 15. *n.* 4. Pirhing *n.* 2. *Qui Clerici, vel voventes.* Sanch. *L.* 7. *de Matr. disp.* 30. *n.* 8. qui tamen hanc Sententiam *L.* 4. *Moral. c.* 35. *n.* 9. postea retractavit, cum quo proinde . . . Dicendum est, à Matrimonij impedimento dirimente, & obligatione continentiæ nullo modo excusari, qui post obtentum usum rationis Sacro Ordine initiatus est, antequam annos pubertatis attingeret, nam ex utroque titulo obligatur, videlicet tum ex præcepto Ecclesiæ, quod Ordini annexum est, tum ratione solemnis voti castitatis, quod Ordinatus tacitè emittit, ut difficulter negari potest; eo ipso enim, quòd ponitur habere usum rationis, sufficienter intellexit, in quem statum assumeretur, & quæ eidem obligationes annexæ essent: ergo reipsa has obligationes contraxit, ut teneatur ad continentiam, sitque deinceps inhabilis ad nuptias contrahendas tum ratione Ordinis validè suscepti, tum ratione voti, quod tacitè emisit, quia qui principale liberè eligit, vult etiam id, quod novit esse accessorium: sed principale est Ordo, accessorium verò est votum, & obligatio ad continentiam: ergo qui vult suscipere Ordines ante decimum sextum annum, vult etiam obligationes Ordini annexas, scilicet votum castitatis, & inhabilitatem ad nuptias.

Quod verò dicitur, talem non posse se Deo validè obligare per votum, cùm Jura Professionem quoque irritent, quæ ante pubertatem, imò ante annum decimum sextum emissa est, id nihil probat, quia non constat, pariter irritari à Jure votum continentiæ, quod Ordinis susceptioni annexum est; neque istud infertur ex irritatione Professionis Religiosæ, quia non eadem irritandi utrobique ratio est, siquidem Professio est status longè difficilior, & plura secum trahit gravia onera, puta, alia duo vota paupertatis, & obedientiæ, clausuram, magnum vitæ rigorem &c. qualia Sacer Ordo Clerici sæcularis non imponit, ideoque multò maturiore deliberatione opus est in Religione capessenda, multoque major ratio est irritandi Professionem Religiosam pro ea ætate puerili, quàm sit ad annullandum votum in Sacro Ordine. Adde, quòd quando irritatur Professio, nihil illius ampliùs remaneat, quippe Professus post factam irritationem est omnino Laicus, econtrario semel validè ordinatus retinet perpetuò Ordinem, adeoque statum, quem decet esse castitatis studiosum, & remotum à commercio carnis. Denique evenire sæpiùs potest, ut in ætate tenera, ac immatura quis in Religione profiteatur, rarissimè autem hactenus contigit, aliquem ante maturam

ætatem

ætatem ordinari, quæ autem non nisi rarò contingunt, lex non comprehendit. *L. Nam ad ea. ff. De Legibus*: nulla igitur ratio est extendendi irritationem ab uno casu ad alterum, cùm in utroque tanta diversitas sit. Ita præter Palao, Coninck, Bonac. Perez, Hurtad. docent Sotus *L. 7. de Iust. q. 2. art. 5.* Sayrus *in clavi Regia l. 6. c. 5. n. 3.* Wiestner *n. 11. Qui Clerici, vel voventes.*

8. Non minoris momenti difficultas est, an is, qui metu compellitur SS. Ordines suscipere, impedimentum hoc dirimens contrahat, & obligetur ad continentiam? qua in re quæstio non est de eo, qui ex metu sine voluntate suscipiendi Sacramentum solùm simulatè Ordines suscipit, quia talis invalidè ordinatur: nec etiam de eo, qui metu ex alia causa incusso ordinatur, ut periculum evadat, veluti si inimicus, aut corrivalis alicui machinetur mortem, & hic suscipiat Sacros Ordines, ut alter horum reverentiâ à cæptis desistat, quem certum est, teneri ad continentiam; idemque dicendum de eo, qui metu justè incusso compellitur ordinari. De eo duntaxat quæstio est: an, qui per metum gravem, & cadentem in constantem virum, eumque injustè incussum, compellitur ad SS. Ordines, contrahat impedimentum dirimens, de quo hîc nobis sermo est, & obligetur ad continentiam?

Non obligari docent Sanch. *L. 7. disp. 29. n. 5.* Azor *tom. 1. L. 13. c. 14. q. 8.* Navarr. *Consil. 2. de His, quæ vi. n. 1.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 4. n. 124.* Bonac. *l. c. n. 12.* Coninck *l. c. n. 145.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi. Allegat. 15. n. 5.* Gobat *tr. 8. cas. 20. n. 764.* Dicastillo *disp. 1. de Sacrament. Ordinis dub. 29 n. 432. & seqq.* Gobat *tr. 8. cas. 20. n. 764.* Perez *disp. 27. de Matr. Sect. 5. n. 7. & seq.* Sporer &c. juxta quos Authores, aliosque ab ijs citatos sic ordinati non tenentur ad continentiam, nec datur in ijs impedimentum dirimens Matrimonium, sed possunt, nisi velint susceptum Ordinem exercere, transire ad nuptias, pro qua sua opinione ita ratiocinantur: quia si tenerentur ad continentiam, & Ordo susceptus esset impedimentum dirimens Matrimonium, id haberetur vel ex constitutione Ecclesiæ, vel ratione voti solemnis? non ratione hujus; nam votum, in quo Clericorum Sacris initiatorum obligatio ad castitatem servandam, & inhabilitas ad Matrimonium fundatur, gravi, & injusto metu editum, ipso facto irritum, ac nullum est. *c. Perlatum est. & c. Cùm dilectus. De His, quæ vi &c*: cùm autem nolit Ecclesia subsistere vota ex metu edita, sed ea irritet, velitque carere effectu, credibile non est, eam nihilominus velle, talem ad castitatem obligare ratione Ordinis, hanc enim obligationem solùm imponit ijs, qui voluntariè, & modo ordinario, ac consueto suscipiunt Sacros Ordines, non verò, qui gravi metu ad hoc adi-

guntur : ergo ex neutro capite est obligatio.

9. Quamvis verò hanc Sententiam probabilem, ac tutam arbitrentur Authores mox citandi, nihilominus opposita videtur esse præferenda, pro qua stant Palao *disp. unic. de Sacram. Ord. pu. 17. n. 13.* Vasq. 3. *p. disp. 246. c. 3.* Basil. Pontius *L. 7. c. 29. per totum.* Tambur. *L. 7. de Ordine c. 3. §. 3. n. 13.* Paulus Comitolus *L. 1. Respons. Moral. q. 55.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q. un. de Sacram. Ord. dub. 20. n. 203.* Diana *p. 3 tr. 4. Resol. 193.* Wiestner *n. 15. Qui Clerici, vel voventes.* Imò ipse Sanchez Sententiam hanc vocat valdè probabilem; ego autem eam probabiliorem censeo, & conformiorem ijs, quæ suprà diximus. Ratio est, quia qui metu compulsus ordinatur, validè ordinatur, nam absolutè vult ordinari, cùm metus non tollat, sed relinquat simpliciter voluntarium; & coacta voluntas revera voluntas est juxta *L. Si mulier. §. 5. ff. Quod metûs causâ.* etsi voluntarium nonnihil imminuat, seu reddat involuntarium secundùm quid: dum ergo simpliciter volens ordinatur, vult etiam id, quod Ordini annexum est; huic verò annexa est ex constitutione Ecclesiæ inhabilitas ad nuptias contrahendas, & votum solemne castitatis, quod est impedimentum dirimens: utrumque igitur vult, & consequenter ex utroque titulo obligatur ad continentiam, videlicet ratione Ordinum, ac Lege Ecclesiastica, & ratione voti, quod irritum esse, & invalidum, ex suprà cit. cc. non ostenditur, nam ibi sermo est de voto solemni, quod ex metu emissum est in professione Religiosa, non verò de voto, quod est annexum SS. Ordinibus, inter quæ quia non intercedit eadem ratio, mala fit argumentatio, ut suprà dictum est *n. 7.* à professione Religiosa ad votum Ordinis, siquidem illa inducit perpetuam rerum omnium, & ipsius propriæ voluntatis abdicationem, ponitque in statu multò difficiliore, quàm Ordinatio Sacra: ergo quod de uno statutum est, non debet dici, statutum quoque esse de altero, de quo id ipsum statuendi non est eadem ratio; atque ideo sic Ordinatus verè contrahit impedimentum dirimens, & sine dispensatione nequit inire Matrimonium, quæ tamen ut illi concedatur, hic ipse metus justam causam præbet; atque ita testante Vasquez observat Stylus Romanæ Cancellariæ, quæ liberam dare solet facultatem ducendi uxorem sic ordinatis, non quòd putet, nullum esse votum, nullumque adesse impedimentum, sed quia judicat, propter metum justam causam adesse dispensandi, quam dispensationem necessariam esse, etiam Perez asserit, licèt cæteroquin contrariam opinionem propugnet, nam l. c. n. 11. expresè dicit: *si tamen velit contrahere Matrimonium, oportebit vitare*

vitare scandalum, & publicæ existimationi Ecclesiæ satisfacere, ideoq; necessarium erit à Summo Pontifice facultatem obtinere, quam facilè obtinebit.

10. Quæ hactenus diximus, intelligenda sunt de Ecclesia Latina, nam Græci in multis à nobis discrepant, quamquam in multis etiam conveniant. Primò conveniunt nobiscum, quòd Episcopi debeant esse cœlibes, quidquid enim apud illos olim usitatum fuerit, de quo videri potest Basilius Pontius *l. 7. de Matr. c. 23. n. 24.* hoc tempore ad Episcopatum ab eis nemo assumitur, qui uxorem habuerit, sed Religiosus tantummodo castitatem professus, vel qui extra Religionem castitatem perpetuò servat, & jam uxorem non habeat, ut se à viris Græcis fide dignis, cùm esset Romæ, accepisse testatur Vasq. *tom. 3. in 3. p. S. Th. disp. 248. c. 1. ad finem.* Secundò conveniunt nobiscum, quòd post susceptos SS. Ordines Presbyteratûs, Diaconatûs, & Subdiaconatûs non liceat ijs Matrimonium contrahere; estque ejusmodi Matrimonium etiam apud ipsos irritum, ac nullum ex constitutione Ecclesiæ, ut docent Azor *tom. 1. l. 13. c. 12. q. 5.* Vasq. *l. c. disp. 249. c. 4. n. 32.* Rebellus *p. 2. de oblig. Iust. l. 3. q. 12. n. 4.* Bonac. *q. 3. de Imped. Matrim. pu. 9. n. 13.* Differunt verò ab Ecclesia Latina, quòd in ista Clerici in majoribus constituti ab omni usu conjugij, etiam ante Ordines sacros contracti, perpetuò abstinent; è contrario apud Græcos conjugati quoque ad SS. Ordines promoventur, ijsque, etiam Sacerdotibus, permittitur usus conjugij ante sacros Ordines celebrati, non quidem pro omni tempore, & sine omni limitatione, sed tunc solùm, quando altaris ministerio deservire non debent; non enim quotidie singuli sacris operantur, sed Dominicis duntaxat, & festis diebus, quotidie verò extra quadragenarij jejunij tempus unum tantummodo missæ sacrificium pro universo populo faciunt, & offerunt: eo igitur tempore, quo vel ex lege, vel consuetudine quis debet sacris operari, tenetur lege castitatis, eumque oportet servare continentiam, & ab uxore abstinere, non item reliquis temporibus, cùm teste Innocentio III. *c. Cùm olim. De Cleric. conjug.* votum castitatis, quod in Ecclesia Latina emittunt Subdiaconi, Græci non acceptarint, quem morem hodiedum in ipsis tolerat Catholica Ecclesia. Wagnereck *in Exegesi cit. c.* Azor *l. c. c. 13. q. 1.* mortuâ autem hac sua conjuge non possunt validè transire ad alias nuptias. Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 4. n. 121.*

11. De Matrimonio hucusque diximus, quod ab Ordinato contrahitur, & cujus sacer Ordo, votumque solemne in eo tacitè emissum conjugij impedimentum dirimens est: non ita pariter invalidatur, ac dirimitur per SS. Ordines validè susceptos Matrimonium priùs contractum, ut

 clarè

clarè deciditur in *Extravag. Vn. Ioannis XXII. de Voto*, ubi dicitur, quòd votum solemnizatum per sacri Ordinis susceptionem dirimat quidem Matrimonium pòst contrahendum, non autem Matrimonium antea contractum, etiamsi id per carnis copulam consummatum non sit, eo quòd nec Iure Divino, neque per SS. Canones reperiatur hoc statutum; & hæc est differentia inter Ordines Sacros, & professionem Religiosam, quòd professio dissolvat Matrimonium non solùm sequens, sed etiam antecedens, si tamen consummatum non fuerit, ut in præcedentibus dictum est, Ordines verò majores dissolvant tantummodo Matrimonium, quod contrahitur post susceptionem ipsorum Ordinum. Cur autem Ecclesia potiùs statuerit, ut per ingressum in Religionem dirimeretur Matrimonium ratum, quàm per susceptionem SS. Ordinum, hæc ratio assignari potest, quòd, dum quis per professionem se totum tradit Religioni, cum ea quodammodo spirituale aliquod Matrimonium contrahat, cui meritò cedere debet carnale priùs initum; imò ut notat Engl *in Manuali Parocb. p. 3. c. 5. §. 5. de Ordine n. 3.* ingrediens Religionem censetur spiritualiter mundo mortuus, ut dicitur in *c. Placuit. 16. q. 1. junctâ Glossâ V. Mortuus.* & ab omni consortio prioris sponsæ in perpetuum separatur; non ita Clerici in sacris constituti pro mundo mortuis habentur, nam retinent propriæ voluntatis arbitrium, & bonorum suorum dominium, ac remanent in sæculo, suique juris, nec ita separantur à sua conjuge, omnemque eius curam deponunt, ut pristinus ardor non aliquando reviviscat, & exponantur tentationi mutata voluntate ad relictam uxorem revertendi.

12. Posse autem licitè valideque maritum transire ad SS. Ordines, communis est omnium sententia, quando vel ipsi licitum est facere divortium quoad torum, & cohabitationem, aut Religionem intrare etiam invitâ uxore, vel quando in hoc ultrò consensum præstat uxor; tunc verò circa illam id ipsum observandum est, quod fieri debere diximus casu præcedente, quando eâ consentiente Religionem vir ingreditur, ut nempe ipsa quoque, si fuerit juvenis, Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, aut saltem votum continentiæ in sæculo emittat, si senex fuerit, & non suspecta de incontinentia. *c. Ad Apostolicam. De Convers. conjug.* Perez *disp. 27. Sect. 9. n. 5. & seqq.* Bonac *q. 3. de imped. Matr. pu. 9. n. 18.* quo casu vir cum conjugis consensu ad sacros Ordines promotus nequit deinceps petere, aut reddere debitum conjugale, quia voto castitatis tenetur. Quòd si tamen pristino amore reaccensus ad eandem regrediatur, eamque denuò carnaliter cognoscat, grave quidem sacrilegij crimen committet contra Religionem ob circumstantiam utriusque personæ

Deo

Deo dicatæ, & specialiter Deo desponsatæ per votum, non tamen peccabit contra continentiam peccato fornicationis, quando ea vel manens in sæculo se voto castitatis solùm simplici obstrinxit, vel Monialis effecta in Religione solemniter professa est post consummatum in sæculo Matrimonium, neutro enim casu tunc Matrimonij vinculum dissolvitur, sed integrum perseverat, unde accessus ille non est ad non suam, sed ad propriam conjugem, ac proinde nulla committitur fornicatio, liberique ex tali congressu geniti in rigore, & ex natura rei non illegitimi, sed naturaliter, ac civiliter legitimi sunt, consequenter hæreditariæ successionis, aliorumque jurium, & honorum capaces; in Jure tamen Canonico, paternam incontinentiam, & sacrilegium abominante, habentur quodammodo pro illegitimis, & instar illorum irregulares sunt, ita ut sine Sedis Apostolicæ licentia ad SS. Ordines, & beneficia Ecclesiastica promoveri nequeant, ut docent Laym *in c. Literas. de filijs Presbyt. n. 1. & 2.* Perez *cit. disp. Sect. 10. n.* 1. Sanch. *l. 9. de Matr. 38. n. 7.* & elegantissimè Suarez *disp. 50. de Censuris Sect. 2. n. 4. & 5.* Aliter dicendum est, quando uxore consentiente ipse transivit ad SS. Ordines, & ea Religionem professa est, priusquàm Matrimonium consummarunt, sic enim per solemnem professionem uxoris solutum est Matrimonium etiam quoad vinculum, idcirco si deinceps eam carnaliter cognoscat, verè accedit ad non suam, idemque peccatum committit, ac si cum quavis alia moniali peccaret, prolesque inde genita non solùm illegitima est, sed spuria, utpote ex damnato coitu generata. Wiestner *n.* 24. & alij Canonistæ passim in Titulo *Qui filij sint legitimi.*

13. Quòd si verò uxore ignorante, vel invitâ ad SS. Ordines maritus transeat, validè quidem eos recipiet, semper tamen mortaliter illicitè, ut iterum communis est sententia, sive id fiat post Matrimonium consummatum, sive solummodo ratum, sicque ascendens ad sacrum Ordinem sine uxoris licentia suspensionem, & irregularitatem incurrit, ut definitur in *cit. Extravag. Vric. De Voto*, unde neque in Ordine suscepto ministrare potest, nec ad superiorem promoveri, nec Beneficium, aut officium Ecclesiasticum, quantumvis modicum, atque etiam minoribus Ordinibus deputatum, obtinere; potestque ab uxore relicta revocari sic ordinatus, etiamsi ad ipsum Pontificatum evectus esset, ut habet Sanch. *l. 7. disp. 38. n. 12.* & Bonac. quo casu tenetur reddere debitum uxori petenti, cùm ea sine culpa, & voluntate sua privanda non sit suo jure, petere tamen ipse non potest, eo quòd per votum castitatis sacris Ordinibus adnexum se obligaverit ad abstinendum ab omni actu venereo, nec obest congressus hic conjugalis soboli inde generatæ, quò

quò minus ea legitima sit, nam licèt Ordines validè suscepti sint, quia tamen id factum est illegitimè contra Iuris dispositionem, idcirco non possunt Matrimonio, aut soboli quidquam officere, siquidem id verum Matrimonium est, quapropter proles in eo genita legitima est, etiam tunc, quando pater contra obligationem suam, & votum debitum conjugale non tantùm reddidisset, sed petijsset cum peccato gravi, ac sacrilegio, adhuc enim nascitur proles in vero Matrimonio. Suar. *l. c. n.* 4.

14. Ex istis modò clarè patescit, quid in casu præsente de Heriberto sentiendum sit; nempe dicendum, validè ipsum fuisse ordinatum, imò & licitè. De priore sufficienter constat. Alterum inde patet, quia ea de morte conjugis habuit testimonia, ut de illius certitudine prudenter dubitare non potuerit, licitè igitur, sublato, uti credebat, Matrimonij vinculo, jam liber effectus, & solutus ab omni ligamine Sacros Ordines petere, eosdemque Episcopus eidem impertire potuit, neque contraxit hoc facto ullam irregularitatem, hæc enim in ejusmodi casu imponitur ut pœna, proinde culpam præsupponit, ut per se evidens est, & non obscurè colligitur ex eo, quòd sæpius citata Extravag. Joannis XXII. utatur verbo *non præsumat*, & statim: *quòd si secus à quoquam forsitan attentatum fuerit*: punit igitur Jus Pontificium solummodo *præsumentem*, vel *attentantem* ascendere ad Sacrum Ordinem, & ad pœnam hanc incurrendam dolus requiritur, & malitia quædam, qua temerariè quis ausit ad SS. Ordines ascendere; ab ea verò excusat ignorantia, quæ affectata non est, & cum ingenti temeritate conjuncta, ut docet Sanch. *L. 7. disp. 49. n. 2.* Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 159. unde licèt, dum conjugi viventi cohabitare cogitur, ab Ordinis exercitio abstinere debeat, cùm indecens sit, eum in Sacris ministrare, & rei uxoriæ simul operam dare: conjuge autem mortuâ redire poterit ad exercitium suj Ordinis, à quo transiper suspensus fuerat, non per suspensionem, quæ pœna sit, sed quia hoc usitatum est, & exigitur in Ecclesia ob dignitatem, & decentiam statûs Clericalis, & Sacri Ministerij, cùm alij, qui temerariè, ac culpabiliter promoti sunt ad SS. Ordines, invitâ, vel ignorante uxore, non solùm durante Matrimonio, sed etiam eo soluto in Ordine suscepto ministrare nequeant, aut ad Superiorem provehi, vel ad Officium aliquod, aut beneficium promoveri, hæcque suspensio, & irregularitas, quamvis soluto Matrimonio, teste Bonacina *disp.* 3. *de suspensione pu.* 5. §. 1. *n.* 13. est reservata Pontifici, nisi contingat ipsum in Religionem ingredi, & in ea profiteri, tunc enim dispensare cum eo Episcopus poterit, ut habetur in dicta Extravag. junctâ Glossâ V. *Diœcesanus*, & *singulis præmissorum*. Rebellus *p.* 2. *de oblig Iust. L.* 3. *q.* 12. *n.* 13.

§. III.

§. III.

LIGAMEN.

CASUS DUPLEX

Contracti Matrimonij in diuturna absentia Mariti, qui eapropter mortuus credebatur.

Vilenia uxor Alarici hunc maritum suum amisit olim in Hungaria, ubi militem egit, & interfuit pugnæ, qua infeliciter pugnatum est contra Turcas, & è qua nec ipse redijt, nec quò devenerit, compertum est; ita Vilenia pluribus annis mansit orbata viro, & ob hoc infelicior, quòd affirmare non posset, se esse viduam. Tandem post annos octodecim præterlapsos testatur ipsi sub juramento Leobinus, se audivisse ex Hisichio, Alaricum, cui comes iste fuerat in expeditione bellica, cecidisse in prælio, ejusque sepulturæ, finitâ pugnâ, se ipsum adstitisse. Hoc intellecto contraxit ipsa novum conjugium cum Landulfo, eique pacificè convixit per biennium, duarum prolium mater effecta, quo tempore adest Alaricus è captivitate reversus, quam integris viginti annis sustinuit inter Turcas. Ex simili causa ad novas nuptias

nuptias adſpirat Emerentia, probabiliſſimè ſibi perſuadens, maritum ſuum eſſe mortuum; quippe cùm is maniâ graviter laborâſſet, ne violentas ſibi manus inferret, quod ſæpè attentaverat, opus fuit eum alligare catenis; ex his tamen elapſus, domo profugit, neque jam ampliùs viſus eſt, aut quidpiam de eo cognitum ab octo annis.

Q. An hæc, vel illa potuerit tranſire ad ſecundas nuptias; & quid de ſecundo marito Vileniæ, liberiſque ex eo genitis ſentiendum ſit?

SYNOPSIS.

1. *Quid ſit impedimentum Ligaminis, & quanto tempore expectari debuerit in dubio de morte conjugis, ut poſſent contrahi ſecundæ nuptiæ, ſecundùm Jus Civile?*
2. *Hæ Leges à Jure Pontificio correctæ ſunt, quod, nullâ habitâ temporis ratione, moralem certitudinem poſtulat.*
3. *Nec ſufficit ſola probabilitas.*
4. *Quid intelligatur per certitudinem moralem, & num ad hanc ſufficiat unus teſtis, ſaltem de viſu?*
5. *Teſtes de auditu etiam plures, imò & fama publica, non probant ſufficienter, niſi alijs adminiculis fulciantur.*
6. *Sufficiunt tamen ad plenam probationem duo teſtes de viſu.*
7. *Sed hi teſtari debent non ſolùm de morbo lethali, verùm de morte.*
8. *Atteſtatio Parochi, vel alia authentica Magiſtratûs, plenam fidem facit, nec opus eſt tunc recurrere ad Ordinarium.*

9. In

9. *In dubio autem res ad eundem referenda est.*

10. *Qui stante dubio nec ipse quidem licentiam concedere potest ad secundas nuptias transeundi.*

11. *Respondetur ad geminum casum hîc propositum.*

12. *Datur responsio ad ejusdem casûs secundum quæsitum, quid faciendum sit novis conjugibus viro priore superstite superveniente, & num legitimæ sint proles ex tali Matrimonio genitæ, si bona fide id contractum fuerit?*

13. *An conjux in secundo Matrimonio dubitans de vita prioris conjugis petere possit, aut reddere debitum?*

14. *Quid agendum, si prior maritus mortuus est primùm post nuptias celebratas?*

1. IMpedimentum ligaminis continet hic duplex casus, quo nomine aliud non intelligitur, quàm ipsum Matrimonium ritè contractum, per quod conjux ligatur, ne possit, eo durante, aliud Matrimonium inire; quamvis enim Iudæis olim ex speciali privilegio permissa fuerit polygamia à Deo, ut populus Israeliticus, populus Dei electus, ac fidelis, ex quo oriturus erat Messias, tunc temporis valde exiguus, multiplicaretur; certum tamen est, eandem concessionem à Christo postmodum fuisse revocatam, qui Matrimonium ad primam suam, & naturalem institutionem reduxit, uti ex Evangelio constat *Matth.* 19. ubi Christus dicit, eum, qui uxore dimissâ aliam ducit, mœchari, & esse adulterum. Quare nunc minimè permissum est, ut quis, stante cum una Matrimonio, aliud conjugium cum alia ineat, ut etiam ex Iure novissimo Concilij Tridentini patens est contra Lutherum sic definientis Sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege Divina esse prohibitum, anathema sit*: consequenter illicitum est Christiano, transire ad secundas nuptias, eæque nullæ

 sunt,

sunt, nisi prioris Matrimonij vinculum solutum sit, hocque impedimentum non solùm Iure Ecclesiastico, sed etiam Divino statutum est. Quia verò non ratò evenire solet, præsertim hoc Martiali tempore, quo bellum ubique ardet, ut conjux conjugem amittat, & ad alium torum aspiret, utiliter examinatur, quanto temporis spatio alteri conjugi expectandum sit, aut quantam certitudinem habere debeat de morte conjugis, ut ad secundas nuptias transire queat ?

In Iure Civili diversa hac super re olim Decreta prodierunt, nam *L. Vxores. ff. De Divortijs* uxori dubitanti de morte conjugis absentis concessa est licentia nubendi, si virum expectâsset quinquennio, quod tempus deinde restrictum est ad quadriennium. *L. Vxor C. De Repudijs*, sed hoc ipsum postea correctum, & aliud prorsus oppositum decretum fuit per *Authenticam. Hodie. C. Eod.* ubi statuitur, ob nullam absentiam, nisi alia mortis certitudo adsit, licere alteri conjugi aliud Matrimonium inire, imò etsi uxor audiverit, virum in bello obijsse, adhuc ipsi interdicuntur nuptiæ, usquedum priùs per se, vel per alium adeat belli Ducem, ipseque juret obijsse, & aliorum testimonia recipiat; & tunc insuper jubetur expectare per annum, quod si verò, istis non observatis, nubere ausa fuerit, statuitur, tam ipsam, quàm qui eandem duxerit, velut adulteros puniendos esse.

2. Has leges omnes correxit Ius Pontificium, quod unum in causis Matrimonialibus est attendendum. Priores quidem, dum nullo præfinito tempore, quo possit iniri secundum Matrimonium, absolutè, & simpliciter præcipit *c. In præsentia. De Sponsal. & Matrim.* ad hoc, ut possit conjux secundum Matrimonium contrahere, debere ipsum certum esse de morte prioris conjugis, nam novi Matrimonij contractus cedit in præjudicium illius, si fortè adhuc in vivis est, & absentia, quantumvis diuturna, solùm facit vitam illius dubiam, non verò mortem certam; in dubio autem præsumendus est vivere, quamdiu contrarium non probatur, unde meritò à secundis nuptijs arcetur conjux, quamdiu mortem absentis conjugis non probat, quantocunque annorum spatio abfuerit; nec juvat eum vel ætas juvenilis, vel imbecillitas carnis, & incontinentiæ periculum, ut in *cit. n.* expressè advertit Pontifex Clemens III. cùm in alijs quoque casibus sæpè eveniat, ut conjux absque sua culpa privetur usu Matrimonij, veluti si alter incidat in gravem, & diuturnum morbum, si fiat furiosus, aut impotens &c. neque tamen propter periculum incontinentiæ in istis dissolvitur Matrimonium: ergo neque hic ad aliud conjugium transitus conceditur, nisi de dissolutione prioris Matrimonij per mortem conjugis constiterit; habitâ verò hac certitudine, ulteriore diligentiâ, & annua expecta-

ctatione, alijsque solemnitatibus, quæ in citata Authentica præscribuntur, porrò opus non est, sed statim potest contrahere novas nuptias, unde per Jus Canonicum, cujus est circa Matrimonium disponere, hæc quoque lex Civilis sublata est, ita ut contra illius dispositionem agens nullius pœnæ reus sit. Sanch. *l. 2. disp. 46. n. 2.*

3. Dixi, debere *certum esse de morte conjugis*, nec enim sufficit habere moralem probabilitatem, seu causam rationabilem credendi, conjugem probabiliter obijsse, ut aliqui docent apud Sanch. *l. c. n. 5.* nitentes textu c. Quoniam. §. Porrò. Ut lite contestata: *Si autem de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur*, & c. Cùm per bellicam 34. q. 2. *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit*, ex quibus textibus deducunt, sufficere verosimiles mortis præsumptiones & excusari secundò nubentem ob credulitatem mortis sui viri. Nec audiendi sunt Sylvester *V. Matrimonium* 8. *q.* 13. *dicto* 2. *&* 4. Philiarchus *tom* 1. *p.* 2. *L.* 2. *c.* 9. & alij, ubi existimant, ad contrahendum propria auctoritate Matrimonium sufficere moralem probabilitatem de morte conjugis; ut verò hoc fiat auctoritate Ecclesiæ, aut Iudicis Ecclesiastici, debere hunc de morte prioris conjugis non solùm habere probabilem credibilitatem, verùm moralem certitudinem, cùm nequeat Ecclesia conjugem, quem sua auctoritate in Matrimonium conjunxit, liberum declarare ad novum conjugium ineundum, quin ei constet, prius dissolutum esse; hæc, inquam, doctrina mihi non satisfacit, cùm nimis apertè in Iure Canonico requiratur non solùm probabilitas, sed certitudo; ita enim hac super re consultus Pontifex respondet in c. Dominus. De secundis nuptijs: *ut nullus amodò ad secundas nuptias transire præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux eius*, ubi benè notanda est vox *constet*, quæ certitudinem importat, nam juxta Barbosam in dictionibus usu frequentioribus dict. 66. n. 1. *constat* illud significare dicitur, quod caret omni dubitatione. Idem habetur c. In præsentia. De sponsal. ubi ita legimus: *non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*; quo loco iterum bene notandum est, id ipsum exigi utrobiique, in contrahentibus nempe, & Iudice Ecclesiastico, ut habeant *certum nuncium* de morte prioris conjugis, tum ut Ecclesia eos contrahere permittat, tum ut ipsi contrahere possint, proinde inutilis est illa distinctio, quam faciunt Philiarchus, ac Sylvester, & canones ab ijsdem citati non loquuntur de qualicunque verisimilitudine, ac probabilitate, sed ut Jura juribus concordent, intelligendi

di sunt ij textus juxta *cit. c. In præsentia*, ut ea tantùm verisimilis præsumptio, & existimatio mortis dicatur sufficere, quæ habetur per certum nuncium, vel alias æquivalentes probationes, ut exponit Barbosa in *cit. can. Cùm per bellicam. n.* 4. cum Hostiensi, Wiestner *n.* 6. *De secund. nupt.* & Coninck *disp.* 25. *de Matr. dub.* 3. *n.* 19. non sufficit igitur sola probabilitas, sed requiritur certitudo, quia cùm in secundo Matrimonio contrahendo sit periculum gravis peccati, & injuriæ erga priorem conjugem, si fortè adhuc vivat, sine habita certitudine ineundum non est, maximè cùm in dubio sit melior conditio prioris mariti, pro quo stat possessio.

Sufficit tamen, adesse certitudinem moralem, quia majorem in omni alio genere humanarum rerum, & actionum plerunque non requirimus, cùm major vix aliquando haberi possit, atque ita præter citatos Sententiam hanc amplectuntur Sanch. *L.* 2. *disp.* 46. *n.* 6. Palao *disp.* 4. *de Sponsal. pu.* 13. §. 1. *n.* 3. Perez *disp.* 35. *de Matr. Sect.* 5. *n.* 3. Bonac. *q.* 3. *de Imped. Matr. pu.* 10. *n.* 12. Dicastillo *disp.* 7. *de Matr. dub.* 61. *n.* 710. *& seq.* Wagnereck *in Exegesi c. In præsentia. Not.* 3. *&* 4. Pirhing *n.* 132. *De Sponsal.* Tannerus &c. idque confirmat praxis Consistoriorum Episcopalium, quæ sine indubitata certitudine, quæ moraliter dari potest de morte alterius conjugis, facultatem de novo nubendi concedere non debent, à qua receptissima, & communissima DD. Sententia, ut benè monet Laym. *L.* 5. *tr.* 1. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 2. recedendum non est in causa tam ardua, qualis est Matrimonialis, etsi fortassis unus, aut alter Author minorem certitudinem admittat.

4. Si quæras, quid ergo intelligatur per certitudinem moralem? Respondeo cum Sanch. *L.* 2. *disp.* 45. *n.* 4. certitudinem moralem dici, qua vir prudens, attentis circumstantijs, certus redditur, vel, ut explicat Lessius *L.* 2. *de Iust. c.* 10. *n.* 39. moraliter certum esse id censetur, quod prudenter ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile; quia verò sic quoque adhuc difficile est determinare, quantum requiratur, ut talis indubitata certitudo habeatur, possitque eapropter permitti transitus ad secundas nuptias, idcirco communiter ferè docent AA. ut videre est apud Sanch. *l.* 6. *disp.* 46. *n.* 7. id relinquendum esse arbitrio prudentis judicis, spectatis circumstantijs. Fuerunt tamen, qui judicarunt, sufficere unius testimonium, dicentis, conjugem esse mortuum, attentâ ejusmodi testis qualitate, personâ, & an per verba verosimilia deponat, ut ei, his circumstantijs omnibus consideratis, fides haberi queat: ducuntur autem ad hoc dicendum textu præcit. c. In præsentia; *non permittas eos contrahe-*

re;

re, donec certum nuntium de morte recipiant: si ergo satis est certus nuntius, sufficiet unus testis. ita Hostiensis, Angelus, & alij apud Sanch. *l. c. n.* 10. Sed dicendum est cum eodem Authore, Perez, Wagnereck, Engl, Barbosa, Bonac. Sporer &c. hîc vocem *nuntium* non esse masculini, sed neutrius generis, & significare certam probationem, vel denunciationem, cui in judicio fides haberi possit, vulgò gewissen Bericht; unde ex hoc non probatur, sufficere unum testem, etiam oculatum, & de visu, unicus enim testis certum nuntium afferre non potest, cùm clament Jura, vocem unius vocem esse nullius. *L. Iurisjurandi. V. Simili modo. C. De Testib. & c. Veniens. De Test. & attest. in fine*: cùm ergo certum nuncium afferre nequeat, qui solus, & unus testatur, nequit is etiam in masculino genere certus nuncius dici, cùm testimonium unius, nisi alijs conjecturis adjuvetur, non plenè probet, sed semiplenè, nec generet judicium certum, sed solùm probabile: ergo unus testis etiam oculatus non sufficit, præsertim cùm ejusmodi testimonium sæpissimè fallacem auctorem habere soleat, ut experientia docet. Sed hoc nihilominus limitant Sanch. Coninck, Bonac, Palao, Perez, & Tannerus *tom.* 4. *disp. 8. q.* 4. *n.* 107. ut, quando locus nimiùm distat, ut aliæ probationes haberi vix possint, tunc aliquando sufficere queat asseveratio unius testis, considerata qualitate personæ, quæ credi possit esse fide digna, quæque certum deponere ex ipso modo deponendi præsumi queat, quod Judicis arbitrio, & prudenti judicio committendum est. Addunt meritò Bonacina *l. c.* & Rebellus *p.* 2. *de oblig. Iust. L.* 3. *q.* 13. posse mulierem, secluso scandalo, contrahere Matrimonium, si de morte sui mariti certa sit, quamvis eam probare nequeat, quia fortè sola in ejus obitu interfuit, tunc enim cessat periculum adulterij, & nullitatis Matrimonij: in foro tamen externo ad nuptias non admittetur, nisi mortem probare queat, de quo num. seq. ad finem.

5. Sed neque plures testes sufficiunt, si sint solummodo testes de auditu, hi enim nullo modo rem certam reddunt; neque sufficiens est ipsa fama de morte conjugis, nam & hæc, utpote orta plerunque ab incerto auctore, & sæpè fallaci, certitudinem moralem non præstat, nisi tamen cum uno teste de visu, vel pluribus testibus de auditu, vel etiam cum fama concurrant alia adminicula, verisimilia mortis indicia, & conjecturæ non leves, quæ prudentis arbitrio moralem certitudinem faciant, qualia sunt, quòd maritus jam senex, aut æger, cùm posset, & prout fortè promisit, longo tempore non redierit; quòd bellum secutus, vel navigationem periculosam ingressus sit, & navis, in

qua

qua erat maritus, verosimiliter dicatur esse submersa, aut tota cohors ab hoste deleta; quòd moratus fuerit in loco, ubi pestilentia grassabatur, qua constat plurimos perijsse: hæc & similia si concurrant cum dictis in diuturna absentia, moralem dubitationem excludunt, & mortaliter certam probationem faciunt. ita tradunt AA. supra citati cum Tamburino *L.* 8. *tr.* 1. *c.* 10.

Rectè etiam è Marchantio, & Mascardo advertunt Sanch. *cit. n. 16.* & Palao *l. c. n. 8.* Primò, ad hoc, ut fama aliquid probet, debere ipsam priùs probari per testes omni exceptione Majores, qui deponant, se audivisse à fide dignis. 2. Necesse est, ut fama hæc orta sit ex causa rationabili, qualis est, si is, de cujus morte agitur, mare navigavit, & tempestate suborta, expectatus congruo tempore, atque etiam per diversa loca diligenter quæsitus, neque ipse, neque navis, qua vehebatur, comparuit &c. talem, aliásve similes causas, ex quibus fama ortum habuit, testes exprimere debent, ut Judex discernat, an sint probabiles, an vana vulgi vox. 3. Ut testes deponant, se audivisse publicè, id est, à majore, seu digniore parte populi illius loci, in quo mortuus esse perhibetur, nominando illos, à quibus audiverunt, & à quibus fama ortum habuit. Si tamen fama confirmetur probabilibus conjecturis, aut de fama testentur septem, vel octo testes, opus non est dicere, unde fama ortum habuerit, aut à quibus audiverint. 4. Denique ut testes de fama asserant, se credere, esse veram; ad juramentum tamen compellendi non sunt testes de fama deponentes, sed absque hoc, quòd jurent, valet eorum dictum. Mascardus *De probat. conclus.* 750. *n.* 38.

6. Uti hactenus recensita per se, ac ordinariè nullam certitudinem probant, ita è contrario mortem conjugis moraliter certam reddunt alia per se, & absque hoc, quòd adminiculis fulciri debeant; ita nimirum habetur. 1. certitudo moralis, quando de obitu deponunt duo testes de visu, nam regulariter in alijs quoque sufficiunt duo testes ad plenam fidem faciendam per *L. Vbi numerus. ff. De Testib.* & *c. In omni. De Testib. & attestat.* ipseque Christus id approbat Matth. 18. ubi ait, quòd *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Dicuntur autem testes de visu non solùm, qui morientem, aut mortuum viderunt, sed etiam, qui ejus sepulturæ, exequijs, septimo, trigesimo; aut anniversario interfuerunt, aut qui viderunt ejus sepulchrum, vel consanguineos pulla veste eum lugentes, ac audiverunt, talem maritum, seu talem hominem sepultum esse, lugeri &c. Gobat *Theol. Experiment. tr.* 9. *cas.* 14. *n.* 312. Wiestner *de secundis nuptijs n.* 9. Mascardus *de Probat.*

Probat. conclus. 1077. Menoch. *De Adipisc. possess. Remed.* 4. *à num.* 674, qui ultimi duo etiam consanguineos admittunt ad testimonium perhibendum de alicujus obitu. Imò alijs præferendos esse tradit quoque instructio Clementis X. pro examine testium Matrimonialium, quæ habetur ad finem *tractatûs* 10. *cas.* 23. apud Gobat, quia præsumi potest, consanguineos præ alijs meliùs scire mortem suorum consanguineorum; uxorem tamen illius, cujus mors probanda est, pro teste non admittendam esse, meritò censuit idem Gobat *loc. sup. cit. n.* 310. quia in propria causa nemo idoneus testis est. *L. Nullus. ff. De Testibus*: esse autem hanc propriam causam mulieris, palàm est, hoc ipso, quòd ejus emolumentum ex eo pendeat, ut cum alio contrahere permittatur, quemadmodum causam propriam describit Ulpianus *L. I. §. 11. ff. Quando appellandum sit*, patetque hoc ex ipso usu, & communi experientia, uxores, quæ coram Judice deponunt, maritum suum obijsse, idcirco istud agere, ut potestas ipsis fiat, transeundi ad alium torum: quæruntigitur suum emolumentum: & ejusmodi mulierem, pergit docere memoratus Gobat *n.* 311. etiamsi juramento confirmare velit, conjugem suum, se vidente, atque præsente, tali tempore mortuum, atque sepultum fuisse, absque alijs testimonijs, vel indicijs, quæ semiplenam probationem faciant, audiendam non esse, cùm juramentum suppletorium probationis nec deferendum sit, nec admittendum absque semiplena probatione, ut est communis omnium.

7. Illud insuper annoto circa testes, non suffecturum, nisi alia insuper adminicula accedant, ipsorum testimonium, si dicant, vidisse se conjugem lethaliter decumbentem, & quidem ita periculosè, ut nequeant credere, quòd superaverit istam infirmitatem, & porrò supervivat; siquidem superiùs allegata Instructio Clementina *n.* 12. exigit testimonium non de morbo lethali, sed de morte, prout idem requirunt *c. In præsentia. De sponsal.* & *c. Dominus. De secundis nupt.* quibus insistens Synodus Diœcesana Mechliniensis anno 1609. Tit. 9. c. 10 ita decrevit: *cùm ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, & mors non præsumatur, sed probanda sit (quilibet enim vivere præsumitur) ad secundas nuptias convolare desiderans, Matrimonio non jungatur, nisi habitâ priùs legitimâ certitudine de morte prioris conjugis, etiamsi non septem tantùm, ut multis persuasum est, sed etiam viginti, triginta, & plures annos continuos eum abfuisse constiterit.* ita Synodus Mechliniensis apud Bernardum Van Espen *Iuris Eccles. p.* 2. *Tit.* 15. *c.* 8. *n.* 6. ubi iterum vides, requiri testimonium non aliud, quàm quod de *morte* certitudinem præbeat, nec sufficit de solo morbo: atque ita testatur Gobat 319. fuisse quandam mulierem,

mulierem, quæ facultatem petierat alteri nubendi, ab Illustrissimo D. Nuntio Apostolico rejectam, quòd certum nuncium de morte mariti non haberet, quamvis adesset idoneus testis, qui juratus assereret, fuisse virum illum à se visum maximè infirmum, & morti vicinum, nec aliud respondit Navarrus in casu ferè simili *Consilior. L. 4. Consil. 2. De secundis nuptijs*, se, si judex foret, non ausurum dare licentiam contrahendi.

8. Plena fides, & certitudo moralis ulteriùs obtinetur, si de morte, vel quòd à se sepultus sit, testetur Parochus, quia hic est quasi Notarius publicus in ejusmodi negotijs, & propterea ejusdem liber, sive Regestum in quæstionibus de baptismo, ætate, nuptijs, & similibus plenam fidem facit. Pax Jordanus *tom. 3. Tit. de fide Instrument. n. 48.* Reiffenstuel *eod. tit. n.* 127. Wiestner, Gobat &c. Idem est, si de obitu legitimus Magistratus sive Ecclesiasticus, sive politicus, sive denique militaris, vel Notarius publicus, aut alia similis persona, in publica authoritate constituta fidem faciat per scripturam. Reiffenstuel *n.* 11. *De Secundis nuptijs*, & alij citati. Talis certitudo moralis si habeatur, vel per testes de visu, vel per Parochum, aut per authenticam scriptam attestationem personæ in publica authoritate constitutæ, ut modò dictum est, potest Parochus, nullâ petitâ licentiâ Ordinarij, & absque illius præscitu, Matrimonio assistere, eoque novos conjuges licitè copulare. Eman. Rodriq *p.* 1. *Summæ c.* 233. *n.* 2. Reiffenstuel *l. c. n.* 19. Ratio est, quia in casu, quo moralis certitudo adest, ipsa Jura superiùs allegata facultatem nubendi tribuunt, consequenter licentia Ordinarij ampliùs necessaria non est, eumque qui certus est, ac rei cujuspiam moraliter indubitatam notitiam habet, certiorari ulteriùs non oportet juxta *c. Eum, qui. De R. I. in 6.* nisi in Diœcesi aliud præscriptum sit, ut universim sine præscitu Ordinarij, & ab eo obtentâ licentiâ tales non admittantur ad secundas nuptias, quemadmodum expressè præcipitur Parochis in constitutionibus, seu Decretis Synodi Diœcesanæ Constantiensis p. 1. Tit. 16. de Matrim. & Imped. Matr. n. 20. *Multorum hactenus fuit persuasio, si intra septennium de morte, vel vita prioris conjugis nihil audiverint, licitè se ad alia vota convolare posse; quod cùm juri contrarium sit, nec sufficiat absentem conjugem per septennium tantùm expectare, sed ea certitudo juxta leges, & canones requiratur, quam Iudex æquus arbitrabitur, volumus, & curatis omnibus seriò injungimus, ne deinceps hujusmodi personas ad alias nuptias sic transeuntes Matrimonialiter conjungant, nisi priùs causa coram Officiali nostro cognita, & licentia contrahendi in scriptis impetrata fuerit.*

9. Si verò Parochus, aut contrahere

here volentes dubitant, an adsit sufficiens certitudo moralis, Ordinarium consulere, & ejus responsum expectare debent, ad hunc enim pertinet, attentis circumstantijs, in dubio judicare, an adsit sufficiens certitudo de morte conjugis, nec ne? Laym. *L. 5. tr.* 10. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 1. *V. Sed facilis*; qua de causa Ritualia quædam Diœcesana rectè admonent Parochos, ne facilè ad contrahendum Matrimonium admittant vagos, & peregrinos, aut qui incertas sedes habent, non habitâ priùs Ordinarij licentiâ: neque item eos, qui antea conjugati fuerant, ut sunt uxores militum, & captivorum, vel aliorum, præsertim peregrinantium, nisi habitâ certâ notitiâ de morte prioris conjugis; aut in casu, quo non adsunt indubitata mortis testimonia, causa ad Ordinarium deferatur, ejusdemque judicium, & consensus requiratur, ne alioquin ex incentivo libidinis, ac postposito Dei timore faciliùs contingat, secundas nuptias iniri, absente conjuge adhuc in vivis superstite.

10. Quòd si ipse quoque Ordinarius dubitat de certitudine morali, aut probabilem solùm præsumptionem adesse judicat, licentiam concedere non potest ad secundas nuptias transeundi, ut satis constat ex allegatis texibus Juris Canonici, qui exigunt, *ut constet, certus nuncius*, id est, certitudo habeatur de morte conjugum, ipseque Iudex Ecclesiasticus, seu Ordinarius bonum publicum Ecclesiæ præferre debet privato commodo: si autem in tali casu licentia secundi Matrimonij denegetur, solùm timeri potest periculum incontinentiæ, quod is, vel ea, quæ novas nuptias urget, cum Dei gratia aliter vitare potest; si verò licentia concedatur, maius periculum imminet publici scandali, irreverentiæ Sacramenti &c. si fortè prior maritus adhuc vivat. Ita fusè Laym *l. c. n* 2 Reiffenstuel, Gobat, qui in *Appendice tr.* 9. *cas.* 14. *lit. t.* meminit alicujus Decreti Sacræ Inquisitionis Romanæ, ut, quando similes casus eveniunt, in quibus de morte conjugis omnimoda certitudo non habetur, non det Ordinarius licentiam transeundi ad secundas nuptias, nisi priùs monitâ Sacra Congregatione, & expectato illius judicio. Verùm de hoc Decreto in Germania nihil rescitur, & pateretur illius observantia maximas difficultates, tum quia tales vidui, aut viduæ sæpiùs sunt valde pauperes, tum præcipuè propter nimiam Româ distantiam. Hinc quando Ordinarius opinatur, adesse certitudinem, non tamen sine omni timore de opposito, eò quòd probationes non usque adeò perfectæ videantur, potest, & solet conjugi deferre juramentum, quòd neque sciat, nec credat, conjugem ampliùs esse in vivis. Anacletus Reiffenstuel *cit.* Engl *in Manual. Paroch. p.* 3. *c.* 5. *§.* 5. *Sect.* 9. *de ligamine. n.* 5.

11. In casu nostro gemino credideriim, paucos ex Ordinarijs daturos fuisse facultatem ad alia vota transeundi, præsertim in casu secundo, cùm de morte mariti aliud non habeatur, quàm sola probabilitas, & conjectura, quòd obierit, quia, dum in amentia, & furore profugit domo, & modò per octennium de ipso nihil rescitum est, probabiliter putatur, eum vitâ functum esse: sed hæc movere Iudicem non possunt, neque debent ad impertiendam licentiam secundi Matrimonij, quem Iura volunt non procedere ex probabilitate, & conjecturis, verùm ex certitudine, ut alias jam sæpè dictum est, qualis tamen certitudo hîc non habetur, nam fieri facillimè potuit, ut maritus in hac sua amentia ad locum longè dissitum devenerit, ubi cùm prorsus incognitus sit, mirum non est, quòd nihil de eo nunciatum fuerit; & fortè ibi talia signa furoris edidit, ut fuerit rursum innexus catenis. Sed neque ex eo sufficienter argui potest eius obitus, quòd octo anni interim elapsi sint à tempore, quo fugam domo arripuit; nam spatium annorum hîc non attenditur, nisi alia insuper adsint, quæ præbeant mortis moralem certitudinem; amentia autem, etsi summa miseria sit, quæ homini potest evenire, per se tamen morbus lethalis non est, nam novimus complures ejusmodi amentes, ac furiosos in hac sua infirmitate cæteroquin ita valuisse, quin morbo alteri subjecti fuerint, & viribus pollentes ultra triginta annos carceri, aut catenis inclusos vitam produxisse.

De casu priore vix aliud videtur esse dicendum; cùm neque ibi plus aliquid habeatur, quàm verosimilis probabilitas, maritum obijsse; hac verò nec SS. Canones, neque instructio Clementina contenti sunt, ut possit propterea Iudex Ecclesiasticus potestatem facere, cum alio Matrimonium contrahendi, quippe indubitatam certitudinem & illi, & ista petunt, ubi *n.* 12. in fine tamen additur: *si tamen hujusmodi testimonia* (videlicet per scripturam authenticam) *haberi non possunt, sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, & sufficientes*; per quæ verba Pontifex in ista sua instructione permittit, ut in defectu omnino plenæ certitudinis attendi valeat ad circumstantias, & alia adminicula, quæ simul sumpta possint præbere saltem moralem certitudinem, etsi eandem singula seorsim accepta non præstent: ad hanc autem, ut vidimus, non sufficit unus testis etiam de visu, qualis datur in isto casu, de quo insuper dubitari potest, an fuerit omni exceptione major, & vera elocutus sit. Nec robur addit alter testis juratus de auditu, cùm aliud non referat, quàm quæ audivit ab uno hoc ipsissimo teste oculato, cujus testimonium non prorsus insuspectum est. Sed neque fama determinatè nunciavit quidpiam de

de morte hujus conjugis, aut specialem stragem illius cohortis, in qua is militaverat; nam solùm constat in genere, cum Turcis infeliciter pugnatum esse, evenire autem potuit, ut ex infausto hoc prælio Alaricus fugâ elapsus aliò delatus sit, vel in captivitatem abstractus, quod re ipsa contigisse, eventus docuit: novimus verò experientiâ, complures plurimis annis inter Turcas, & Tartaros in summis miserijs asperrimæ captivitatis supervixisse, non solùm plebeios duris assuetos, sed nobiles quoque molliter educatos, quin possent unquam ad suos nuncium mittere de suo infortunio: cur igitur non potuerit hic miles belli asperitatibus induratus vitam diutiùs protrahere in ærumnis, quæ alios magis delicatos fortassè citiùs confecissent? imò in quibus ipsi quoque non infrequenter perdurarunt? unde crediderim, multos ex Ordinarijs, urgente instructione Clementinâ, non facilè daturos fuisse facultatem Vileniæ ad novas nuptias transeundi, nisi alia adhuc accederent, v. g. nisi obtinerentur litteræ à Duce illius legionis, sub cujus signis militaverat Alaricus, quibus testaretur, à multis annis de isto homine nihil constare, passimque ab ejus commilitonibus, qui adhuc supersunt, credi, eum occubuisse in infelici illo prælio, cùm post acceptam stragem, cui interfuerat, ampliùs non comparuerit, ut fieri tunc posse, & in simili factam esse potestatem, tradit Gobat *tr. 9. cas. 14. n. 338. & in Appendice lit. r.* apud quem legi merentur alii quoque casus, quos eo loco affert de hac materia.

12. Cæterùm si fortè contigit, Vileniam, aliámve similem mulierem ob conjecturas admodùm probabiles, non tamen præstantes sufficientem certitudinem, admissam esse ad secundas nuptias à Parocho loci, non requisitâ, nec obtentâ licentiâ ab Ordinario, per quod sanè egit contra instructionem Clementinam, & fortè etiam contra constitutiones suæ Diœcesis; aut si ipsemet Ordinarius ob magnam quidem probabilitatem, conjecturas, & indicia mortis, quæ putabantur esse sufficientia, re ipsa tamen omnino certa non erant, secundum Matrimonium permisit, separari deinceps non debent tales conjuges, qui bona fide, & sine dolo conjuncti sunt, quamdiu non constat, priorem maritum adhuc vivere, vel nisi deprehendatur, quòd intercesserit mala fides, aut non nisi levissimæ, ac ridiculæ conjecturæ de facto mariti adfuerint, aut defacto adsint. Gobat *l. c. n. 305.* & 354. Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 3. n. 2.* qui id desumit ex *c. Cùm per bellicam. 34. q. 1.* De eo autem nemo est, qui jure dubitet, quin, si

post Matrimonium etiam optima fide ab utroque conjuge contractum acquiratur notitia, aut certitudo moralis, virum priorem esse superstitem, & adhuc vivere, abstinendum tunc sit à toro conjugali, & omni carnali commercio, cùm hoc secundum Matrimonium nullum, & invalidum sit; proinde debet uxor, relicto hoc secundo, reverti ad priorem conjugem, eique denuo cohabitare, & si resistat, excommunicatione, alijsque gravibus pœnis ad hoc compelli potest, ut constat ex c. Si Dominus. De Secundis nuptijs, ubi dicitur: *Quòd si post de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur* can. Si Virgo. & can. Cùm per bellicam. 34. q. 1. & 2. *Sin autem aliquæ mulieres, ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium, meritò sunt notandæ, ita ut etiam Ecclesiastica communione priventur.* Si autem prior maritus eam nolit recipere, secundi torum nihilominus deserere debebit, & vitam cœlibem agere. Basil. Pontius *L. 7. de Matr. c. 53. n. 7.* proles interea, si quæ ex putatitio hoc secundo Matrimonio, in facie Ecclesiæ præmissis denunciationibus celebrato, procreatæ sunt, in utroque foro habentur pro legitimis propter bonam fidem utriusque parentis; imò etiam, si unus duntaxat eorum bona fide contraxit cum ignorantia impedimenti, nam in favorem liberorum potiùs attendunt Jura bonam unius, quàm alterius malam fidem. *c. Cùm inter. 2. & c. Ex tenore. 14. Qui filij sint legitimi.* Navarrus *in Manuali c. 22. n. 53.* Paulus Comitolus *L. 1. Respons. Moral. q. 132. n. 2.* Gonzalez *in cit. c. Cum inter. n. 4.* Wiestner *De Secundis nupt. n. 22.* atque ita habetur responsio ad alterum quæsitum præsentis casûs.

13. Quæres, quid si verò non certitudo, sed dubium solummodo habeatur de vita conjugis, num fortè adhuc superstes sit?

℟. Cùm dubium hoc possit vel præcedere contractum Matrimonij, vel jam contracto supervenire, duplex responsio danda est. Si unus conjugum, stante dubio de morte conjugis, alter verò bona fide contraxit, tenetur ille, qui cum dubio, & consequenter mala fide Matrimonium inijt, alteri cohabitare, & reddere debitum, petere autem non potest, nisi dubium prudenter deponat, nam se exponeret periculo adulterij. Patet clarissimè ex c. Dominus. De Secund. nupt. ubi Lucius III. Pontifex ad casum initi Matrimonij sine sufficiente certitudine de morte conjugis ita rescribit: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, quæ sibi nupsit;*

nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se noverit nullatenus exigendum, ex quo textu sat manifestè colligitur, Matrimonium cum dubio, consequenter cum mala fide unius, initum, non esse invalidum, ut putat Basil. Pontius *l. c. n. 6.* casu quo prior conjux revera obijt, etsi à dubitante id certò non sciatur, nam hoc ipso, quòd Papa dicat, dubitantem in tali casu debere reddere debitum, qui est actus Matrimonij, supponit Matrimonium esse validum, aliàs redditionem debiti, qui actus non nisi conjugibus licitus est, concedere haud posset. Sanch. *L. 2. de Matr. disp. 42. n. 5.* Navarr. *in Manuali c. 22. n. 54.* Anacletus Reiffenstuel *l. c. n. 22.* Gobat *tr. 9. cas. 14. n. 286.* Barbosa *in c. 2. De Secundis nuptijs n. 3.* ubi plures citat pro hac Sententia.

Si ambo conjuges, stante dubio de vita prioris conjugis, & sic per consequens mala fide contrahunt, neutri permissum est, ut vel reddat, vel petat debitum conjugale, quamdiu dubium prudenter non deponunt, ac rationabiliter judicant, prioris conjugij consortem decessisse, priusquam posterius inirent. Sanch. *n. 7.* cum alijs supra citatis, Wiestner *n. 17. De Secundis nuptijs*, quia si uterque mala fide contrahit, nulli suffragatur possessio, consequenter nullus habet jus ad debitum conjugale. Si verò dubium oriatur primùm post Matrimonium ab utroque bona fide contractum, illudque superveniat vel utrique, vel uni tantùm, tenetur dubitans inquirere de veritate, & interim abstinere à petendo debito, quamvis illud reddere possit bona fide petenti. Quòd si uterque dubitet, utrique abstinendum est à debito tam petendo, quàm reddendo, donec de veritate diligenter inquirat, quo facto si dubium adhuc vincere nequeat, uterque non solùm reddere, sed etiam petere poterit, cùm in alijs quoque hæc universalis doctrina sit, bonæ fidei possessorem, quando incipit dubitare, num res sit aliena, si post adhibitam diligentem inquisitionem dubium deponere nequeat, posse rem retinere, & ea etiam uti: idem ergo dicendum est de possessione, & usu Matrimonij. ita citati.

14. Denique dubitari potest, quid sit agendum conjugibus, qui bona fide celebrarunt secundas nuptias, quòd certò crederent, priorem maritum è vivis excessisse, qui tamen tunc temporis reipsa vivus erat, si modò ipsis certò constet, eum interea obijsse?

℟. Adhuc deserendus est torus, quia vivente priore conjuge secundum Matrimonium fuit invalidum, & juxta regulam Juris 18. in 6. *non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*: nec tenebuntur hi conjuges

juges ullo jure secundum Matrimonium novo consensu validare, neque ad hoc compelli possunt. Si tamen suscepta esset una, vel plures proles, tunc sanè convenit, ut confirmetur illud Matrimonium, nam facit hoc ad melior em educationem prolis, & multas tricas evitandas, etsi ad eam legitimandam id necessarium non sit, nam prolmen atam ex Matrimonio bona fide putato legitimo, ac publicè contracto, in utroque foro legitimam esse, suprà dictum est *n.* 12. Sporer *Theol. Sacrament. p.* 4. *c.* 1. *Sect.* 1. *n.* 53. Gobat *l.* 6. *n.* 325.

§. IV.

PUBLICA HONESTAS.

CASUS

Sponsalium mutuo consensu solutorum, ac postea contractorum cum consanguinea prioris Sponsæ.

DRusilla Harduini Sponsa de futuro, priusquam conjugium actu contraheretur, cepit graviter ægrotare, infirmitate primò incognitâ, in phthisin postmodum degenerante, unde & ipsa incepit à conjugio abhorrere, & Sponsus jam non ampliùs optare conjugem, quæ, si diutiùs superviveret, continuò cum ægritudine conflictatura, vel, si malo invalescente,

tente, celeriùs consumeretur, nimis citò se viduum destitutura esset; facilè igitur conventum est, ut Sponsalia legitimè contracta mutuo consensu dissolverentur. Ne porrò prorsus recederet Harduinus à familia sibi exoptata, novam paulò post Sponsam elegit Anagildam, Sponsæ prioris consobrinam, utpote ex ejus matertera genitam, factamque mutuò futurarum nuptiarum promissionem sequetur proximè contractus de præsenti; præoptasset tamen Harduinus habere uxorem Philippinam Drusillæ sororem, nisi certò credidisset, inter se, & istam consistere Matrimonium non posse ob nimiam hujus propinquitatem cum priore Sponsa.

Q. An cum sorore, vel consanguinea prioris Sponsæ contrahi hoc casu validè possit Matrimonium, an verò utrobique eodem modo obstet Impedimentum publicæ honestatis?

SYNOPSIS.

1. *Quid sit impedimentum publicæ honestatis?*
2. *Non extenditur ad affines alterius Sponsi, sed ad solos illius consanguineos, sive legitimi sint, sive illegitimi.*
3. *Jure antiquo oriebatur etiam ex Sponsalibus invalidis usque ad quartum gradum inclusivè.*
4. *Jure novo Concilij Tridentini mitigatus est iste rigor, quando impedimentum oritur ex Sponsalibus de futuro.*
5. *At quando oritur ex Matrimonio rato, adhuc locum habet Juris antiqui dispositio.*
6. *An oriatur etiam ex Matrimonio clandestino?*

7. *An*

7. *An ex Sponsalibus mutuo consensu dissolutis?*

Proponitur opinio negantium, è Sponsalibus sic dissolutis superesse impedimentum publicæ honestatis.

8. *Statuitur Sententia contraria.*

9. *Confirmatur per declarationem Cardinalium oppositam alteri declarationi, quam Adversarij pro se allegant.*

10. *Deciditur præsens casus, & novum aliud dubium de hac materia proponitur.*

1. AD casum præsentem dico, potuisse Harduinum contrahere validè cum Anagilda prioris suæ sponsæ consobrina; invalidum verò futurum fuisse Matrimonium cum Philippina sponsæ prioris sorore celebratum. Utrumque ostendam suo loco, ubi priùs, servatâ hactenus methodo, alia examinata fuerint, quæ de isthoc impedimento scitu tum utilia, tum necessaria sunt.

Igitur per *impedimentum publicæ honestatis* aliud hoc loco non intelligitur quàm propinquitas quædam, quæ jure Ecclesiastico introducta est, oriturque ex sponsalibus, vel Matrimonio rato tantùm inter sponsum ex una parte, & consanguineas sponsæ ex altera, & vicissim inter sponsam ex una, & consanguineos sponsi ex altera parte. Vocari etiam solet hoc impedimentum *justitia publicæ honestatis*, eò quòd videatur justum, & æquum, ac decentiæ, honestatique publicæ congruum, ut sponsus cum consanguineis suæ sponsæ, vel sponsa cum consanguineis sui sponsi non contrahat Matrimonium, & cum ijsdem commisceatur. De hoc impedimento ita loquitur S. Thomas p. 2. in supplem. q. 55. art. 4. *Sicut sponsalia non habent perfectam rationem Matrimonij, sed sunt quasi præparatio ad Matrimonium, ita ex sponsalibus non contrahitur affinitas, sicut ex Matrimonio, sed aliquid affinitati simile, quod dicitur publicæ honestatis justitia, quæ impedit Matrimonium, sicut affinitas, & consanguinitas.*

2. Ex

2. Ex quibus verbis colliges, quòd hæc propinquitas, quæ ex sponsalibus, & Matrimonio rato oritur, etsi similitudinem quandam habeat cum affinitate, affinitas tamen non sit, nam hæc non oritur nisi ex corporũ conjunctione per carnalem copulam, at verò propinquitas, de qua hîc loquimur, ex sola animorum conjunctione inter sponsos sine ulla alia commixtione exurgit. Præterea bene notandum est, quòd hoc impedimentum dicatur intercedere cum consanguineis alterius sponsi, cùm quibus impedit contrahere Matrimonium, contractumque dirimit, quem effectum non habet cum illius affinibus, cùm nullo Juris textu ostendi possit, quòd ad affines quoque se extendat, unde conjuges non arcentur à Matrimonio cum affinibus alterius conjugis, atque ita validè contrahit, qui post sponsalia facta cum Bertha contrahit Matrimonium cum affine Berthæ, v. g. cum ea, quæ fuit uxor fratris Berthæ. Sanch. *L. 7. disp. 68. n 3.* Bonac. *q. 3. de Imped. Matrim. pu. 11. n 2.* De consanguineis autem alterius Sponsi perinde est, an illegitimi sint, vel omnino spurij, an verò ex legitimo toro nati, esto, quòd illi ad aliquos juris civilis effectus non attendantur, nec reputentur ut filij. *Auth. Ex complexu, C. De Incest. nupt.* in constituendis tamen Matrimonijs honestas naturalis, & pudor inspicienda sunt. *L. Adoptivis, §. Serviles. ff. De Ritu nuptiar.* cùm igitur illegitimi quoque sint veri naturales consanguinei, pudori, & naturali honestati adversatur, ut cum ijs Matrimonia contrahantur; quod ex eo insuper confirmatur, quia consanguinitas, ac affinitas, uti etiam cognatio spiritualis æquè contrahuntur cum consanguineis illegitimis, ac legitimis, cur ergo non idem dicendum erit de publica honestate? Sanch. *l. c. n. 4.* Covarr. *4. Decretal. p. 2. c. 6. §. 2. n. 1.*

3. Jure antiquo istud impedimentum sive ex Sponsalibus, sive ex Matrimonio extendebatur ad consanguineos usque ad quartum gradum inclusivè, & inter hos dirimebat Matrimonium, nascebaturque etiam ex Sponsalibus nullis, ac invalidis, dum fortè aderat impedimentum aliquod dirimens v. g. affinitatis, consanguinitatis, impotentiæ, Religiosæ professionis, vel Ordinis sacri, dummodo tamen Sponsalia non fuissent invalida ex defectu consensûs, v. g. si alteruter fictè tantùm, vel gravi metu adactus, vel errando in persona consensisset, quo casu deficiente consensu, deficiebat etiam vera animorum conjunctio in Ordine ad Matrimonium, & consequenter etiam publica honestas, quæ ex ista conjunctione nascitur. c. Unic. De Sponsal. in 6. & c. Sponsam. de Sponsal. & Matrim. ubi dicitur: *Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo potest sibi Matrimonio copulare*, quamvis autem in textu certus gradus non exprimatur, ad

ad quem usque se istud impedimentum extendat, sed sine limitatione inter Sponsæ, vel Sponsi consanguineos dicatur intercedere, tamen ultra quartum gradum non extendi, communis interpretatio est, maximè quia post Innocentium III. in c. *Non debet. De Consang. & Affinit.* consanguinei reputantur solum intra quartum gradum, eorum verò, qui ultra hunc sunt, nulla ampliùs ratio habetur, unde consequens est, ad consanguineos duntaxat intra quartum gradum, & non ultrà, impedimentum hoc extendi.

4. Hunc Juris antiqui nimium rigorem Concilium Tridentinum dupliciter mitigavit, ac correxit Sess. 24. de reform. Matrim. c. 3. ubi ita statuit: *publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Duo igitur sunt, in quibus justitiam publicæ honestatis S. Concilium restrinxit. Primum est, ut jam non ampliùs contrahatur prædictum impedimentum ex Sponsalibus quacunque ex causa invalidis. Alterum, ne extendatur deinceps ultra primum gradum consanguinitatis in linea tum recta, tum transversa, unde non potest Sponsus contrahere validum Matrimonium sive vivente, sive mortuâ suâ Sponsâ cum ejusdem Matre, sorore, & filia, cum alijs verò omnibus illius consanguineis sive ascendentibus, sive descendentibus, sive collateralibus potest, & vice versa nequit contrahere validè Matrimonium Sponsa cum Patre, fratre, aut filio sui Sponsi; cum alijs verò illius consanguineis nullum ipsi impedimentum intercedit.

Dixi *sive vivente, sive mortuâ*, quia impedimentum istud perpetuum est, & morte alterius Sponsi non extinguitur. *can. Si quis desponsaverit*, & *Can. Si quis uxorem. 27. q. 2.* Sanch. *L. 7. de Matr. disp. 68. n. 20.* Unde à fortiori non cessat, quando Sponsalia dissoluta sunt, qua v. g. unus Religionem professus est, aut Sacro Ordine initiatus, vel propter fornicationem, aliamvé justam causam ab ijsdem resilijt, nec enim efficaciùs solvi possunt Sponsalia, quàm morte alterius Sponsi: si ergo nec tunc quidem desinit hoc impedimentum, ut ostensum est ex textibus Juris, minùs illud cessabit in his eventibus. Perez. *disp. 8. de Matr. Sect. 2. n. 5.* Wiestner *n. 278. de Sponsal.* An verò tollatur, quando Sponsalia ex mutuo consensu Sponsorum dissolvuntur infrà dicetur; illud interea certũ est, Sponsalia, ut hoc impedimentum inducant, debere esse vel *absoluta*, vel si conditionata sunt, qualia sunt: *si mille aureos in dotem attuleris, si parentes consenserint &c.* tunc debet conditio esse impleta, priusquàm ineatur Matri-

Matrimonium cum sorore, Matre &c. prioris sponsæ, quia nondum impletâ conditione nequeunt absolutè vocari sponsalia, ac consequenter, quamdiu pendet conditio, non potest inde oriri impedimentum publicæ honestatis, atque ita si sponsa moriatur ante eventum conditionis, soror, vel alia ex consanguineis licitè, & validè in uxorem duci poterit. *c. Vnic. De Sponsal. in 6.* Gobat *tr. 9. cas. 15. n. 369.* Engl, &c.

5. Hæc moderatio, novumque Decretum Concilij Tridentini locum solummodo habet in sponsalibus *de futuro*, non item in sponsalibus *de præsenti*, seu Matrimonio rato nondum consummato, quamvis enim Authores aliqui apud Palao *disp. 4. de sponsal. pu. 10 n. 5.* restrictionem à Sacra Synodo factam intelligendam esse censeant non solùm de sponsalibus, sed etiam de Matrimonio rato, quibus Card. Toletus accedit, dum *Lib. 7. Summæ. c. 10.* expressè docet, Matrimonium ratum inducere impedimentum publicæ honestatis tantummodo usque ad primum gradum, quemadmodum nunc observatur circa sponsalia de futuro, certum nihilominus est, à S. Concilio quoad Matrimonium ratum non esse factam ullam restrictionem, sed etiamnum observari Jus antiquum; ita peculiariter declaravit S. Pius V. in Decreto hac de re edito 1. Iulij 1568. quod incipit: *Ad Romanum Pontificem spectat*, & habetur in Bullario Cherubini *tom. 2. Constit. 62.* dicti Pontificis, ubi dicit sua Sanctitas, ad aures suas pervenisse, quòd dubitetur à multis, an Decretum Tridentini Concilij, quo statuitur, ut deinceps impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tollatur, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat, an, inquam, hoc Decretum intelligatur de sponsalibus de futuro; an verò etiam de Matrimonio per verba de præsenti contracto, non tamen consummato? ad quam dubitationem ita respondet, & declarat: *motu proprio Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio, sic, ut præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus.* Ex qua declaratione clarè patet, impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex Matrimonio rato, non minùs hodie quoque, ac olim ante Concilium, extendi usque ad quartum gradum inclusivè, ita, ut qui contraxit cum aliqua de præsenti, mortua uxore ante conjugij consummationem, non possit postea ducere ullam ex ejus consanguineis usque ad quartum gradum,

dum, & vicissim mortuo marito non potest uxor superstes nubere ulli ex cõsanguineis sui conjugis intra quartum gradum. Patet præterea, impedimentum publicæ honestatis oriri etiam hodie ex omni Matrimonio rato per verba de præsenti contracto, non tantùm valido, sed etiam invalido. Ratio est, quia non est recedendum à Jure antiquo, nisi aliter decernatur in Jure novo: sed in antiquo *c. Sponsam. De Sponsal. & c. Accessit. De Desponf. impub* impedimentum publicæ honestatis consurgebat ex Matrimonio invalido, dummodo non esset invalidum ex defectu consensûs, & Jure novo non est aliter statutum: ergo nunc quoque oritur istud impedimentum ex Matrimonio invalido, modò id irritum non sit ex defectu consensûs, prout ex hoc defectu invalida sunt Matrimonia contracta ab amentibus, plenè ebrijs, pueris ante plenum usum rationis, inita ex gravi metu, vel cum errore personæ &c ex quibus proinde impedimentum hoc non oritur: econtra exurgit publicæ honestatis impedimentum è Matrimonio aliunde invalido, veluti ex impedimento voti, Sacri Ordinis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, criminis &c. & qui contraxit invalidè cum simili impedimento, non potest deinceps contrahere cum consanguinea prioris uxoris putatitiæ, neque illa vicissim cum consanguineis talis viri intra quartum gradum. Sanch. Bonac. Laym. & communis aliorum, paucis exceptis, qui procul dubio, id ipsum dicturi fuissent, si advertissent ad memoratam declarationem Pij V.

6. Sanchez *L. 7. de Matr. disp. 70. n. 13.* Præpos *in 3. p. S. Th. q. 7. de imped. Matr. dub* 14. *n* 123. Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 7. n.* 224. quibus accedit Coninck *disp. 32. dub. 5. n 70.* putant, huc revocari debere etiam Matrimonia clandestina, quæ post Concilium Tridentinum, ubi id publicatum, ac receptum est, irrita, & nulla sunt, ex quibus publicæ honestatis impedimentum, docent, non oriri, sicut non oritur ex Matrimonio invalido ob defectum consensûs, nam & hîc, inquiunt, deest consensus, qualem requirit Tridentinum, nempe qui præstitus sit coram Parocho, & testibus. Sed dicendum est cum Perez *disp. 33. de Matr. Sect. 3. n. 2.* Bonac. *quæst. 3. de Imped. Matr. pu. 12 n. 18.* Basilio Pontio *L. 7. c. 35. ad finem.* Hurtad. *disp. 21. de Matr. difficult. 2. n. 7.* Tamb. *L. 8. de Matr. tr. 1. c. 11. §. 3. n. 4.* Palao *disp. 4. de Sponsal pu 10. n. 3.* Diana *p. 9. tr. 6. resol. 53.* ex Matrimonio clandestino, contracto sine Parocho, & testibus oriri impedimentum publicæ honestatis, quia tale Matrimonium non est invalidum ex solo defectu consensûs, ex quali duntaxat irrito Matrimonio honestas publica non oritur; nec enim in Matrimonio clandestino deficit omnis consensus, sed solùm non adest consensus legitimus

legitimus, quia est inter personas inhabiles ex lege, & statuto Concilij Tridentini ob defectum solemnitatis præsentiæ Parochi, & testium, unde non est nullum Matrimonium ex defectu consensûs, sed ex defectu legitimitatis, solemnitatis, & formæ ab Ecclesia præscriptæ: cùm ergo nullum sit tale conjugium ex alio impedimento, quàm ex defectu consensûs, ex ipso minùs orietur istud impedimentum, quàm ex alijs Matrimonijs, quæ aliunde, quàm ex defectu consensûs nulla sunt, & invalida; atque ita apud Rebellum in Appendice ad Lib. 4. de Oblig. Justit. n. 102. declarâsse fertur Congregatio Cardinalium in hæc verba: *præsuppositâ declaratione per constitutionem S. D. N. Pij V. super hoc Decreto, censuit Congregatio, oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex Sponsalibus per verba de præsenti, etiam nulliter contractis, omissâ formâ Decreti Concilij Tridentini c. 1. huius Sess.*

7. Potissima controversia, ad quam devolvitur totus hic præsens casus, consistit in eo, an ex sponsalibus de futuro, mutuo consensu dissolutis, istud impedimentum oriatur? sive an, si sponsalia semel validè contracta, mutuo deinde consensu dissolvantur, impedimentum publicæ honestatis esset? Pro parte affirmativa, quæ docet, ex dissolutis mutuo consensu sponsalibus, nullum permanere impedimentum, stant multi, & gravissimi Authores, nempe Palao *disp. 4. de sponsal. pu. 10. n. 9.* Basil. Pontius *L 7. c. 36. n. 9.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4. n. 109.* Hurtad. *disp. 21. de Matrim. diffic. 1. n. 5.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q 7. de Imped. Matr. dub. 14. n. 122.* Pax Iordanus *tom 1. l 3. Tit. 7. n 307.* ubi testatur, se incontingentia facti consultum, dedisse responsum pro hac sententia. Barbosa *de offic. & potest. Episc. Alleg 51. n. 188.* Engl *in Manual. Paroch. p. 3. c. 5. §. 5. n 3* Eman. Sa *V. Matrimonium. De Imped. dirim. n. 12.* Diana *p. 3. tr. 3. resol. 222. & p. 11. tr. 5. resol. 12.* Rebellus à pluribus allegatus ob declarationem Cardinalium mox adducendam. Ratio eorum est, quia ex una parte Concilium Tridentinum *l. c. c. 3.* noluit, ut impedimentum hoc deinceps induceretur ex sponsalibus quacunque ratione invalidis, ex altera verò parte sponsalia, quæ mutuo consensu dissolvuntur, invalida sunt, ut declaravit Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum apud Rebellum in suprà citata Appendice *n. 99.* ubi dum verba illa Tridentini *quacumque ratione valida non erunt*, declarat, ac interpretatur, postmodum pronunciat: *Si sponsalia solvuntur de consensu, Congregatio censuit, esse invalida*: ergo nullum è sponsalibus mutuo consensu dissolutis oritur impedimentum publicæ honestatis, istamque sententiam in praxi secutos esse Archipresbyterum Sambacensem, & Episcopum

pum Agrigentinum legimus apud Tambur. *L. 8. de Matr. tr. 1. c. 11. §. 2. n. 7.* dum permiserunt, ut sine dispensatione vir quispiam duceret in uxorem sororem natu minorem illius fæminæ, cum qua paulò antè inierat sponsalia, quæ mutuo deinde consensu fuerant dissoluta. Nec aliter in casu simili ex ipsa Polonia consultus respondit Gobat *tr. 9. cas. 15. n. 372. & seqq.* qui etiam testatur, fuisse post ejus responsionem Matrimonium illud, de quo consultus fuerat, approbatum, & à Judicibus agnitum, propter sponsalia cum sorore uxoris suæ priùs celebrata, sed mutuo consensu iterum dissoluta, nullum ampliùs intercedere impedimentum publicæ honestatis.

8. Sed omnino tenendum est, impedimentum publicæ honestatis, sicut ex quacunque alia ratione non cessat, quando sponsalia fuerunt valida, sic etiam non tolli per hoc, quòd ista mutuo deinde consensu fuerint iterum dissoluta, sed, facta ejusmodi dissolutione, nihilominus perpetuò perdurare. Ita docent Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 9. n. 3.* Perez *Disp. 8 de Matr. Sect. 2. n. 4.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 39. n. 406.* Sanch. *l. 7. disp. 68. n. 21.* Piasecius *p. 2. praxis Episcopal. c. 4.* Anaclet. Reiffenstuel *l. 4. Decretal. Tit. 4. de sponsa duorum n. 16.* Wiestner *de sponsal. n. 279. & seq.* Sporer præter alios infrà citandos. Ratio est, quia ex Jure tam antiquo, quàm etiam novissimo Concilij Tridentini nascitur hoc impedimentum è sponsalibus validè contractis, hoc est, quæ aliquando valida fuerunt (hoc enim considerat Concilium, an à principio valida sint) & sicut alia impedimenta Matrimonij, sic etiam istud non pendet à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia; sive ergo sponsalia aliquando legitimè contracta ex mutua voluntate iterum dissolvantur, sive non, semper perseverat adesse impedimentum publicæ honestatis, nam quando sponsalia validè contracta sunt, tunc jam ab initio statim ortum fuit istud impedimentum; quod autem impedimentum semel verè exortum est, minimè pendet à voluntate sponsorum, ut pro eorum libitu vel maneat, vel cesset, sed ex Ecclesiæ constitutione perpetuum est, ut ostendunt sacri Canones supra citati *n. 4.* videlicet *can. Si quis uxorem & can. Si quis desponsaverit. 27. q. 2.*: ergo non tollitur factâ ex mutuo consensu sponsalium dissolutione; aut dicam, cessare quoque impedimentum publicæ honestatis per mortem alterius sponsi, cùm tamen in modò allegatis cc. Gregorius IV. & Iulius I. contrarium disertis verbis decreverint.

Scio equidem, prioris sententiæ Patronis hanc argumentationem efficacem non videri: *impedimentum istud non tollitur morte: ergo nec dissolutione per mutuum consensum*, nam ideo, inquiunt, morte non tollitur, quia

is,

is, qui ante mortem non revocavit consensum, censetur illi immortuus, ac post mortem quoque perseverare quasi in voluntate standi promissis; at de contrario constat, quando mutuo consensu fit dissolutio, sic enim cessat talis voluntas, & evanescunt sponsalia immediatè, ac ratione sui, & e sponsis viventibus unus desinit ad alterum pertinere; è contra sponsalia, quæ morte alterius dissolvuntur, desinunt solùm mediatè, & ex defectu subjecti ac, quamdiu vixerunt sponsi, unus pertinuit ad alterum: mirum ergo non est, quòd ex his, utpote perpetuis, & nunquam retractatis, semperque validis in perpetuum hoc oriatur, non verò ex illis, quorum obligatio mutuo consensu sublata est, eaque hoc modo tantummodo facta sunt irrita, ac nulla, ex quibus consequenter jam nullum ampliùs impedimentum esse potest.

Hæc verò responsio parùm roboris habet, quia inprimis sponsalia etiam per mortem evanescunt, imò magis, namque per mortem perpetuò dissolvuntur, at dissoluta per mutuum consensum contrahi rursum possunt, & per novum consensum restabiliri. Immediatè etiam, & ratione sui per mortem evanescunt, quia immediatè evanescit omnis consensus, & radix illius, nempe vita humana, unde sicut, sponsis viventibus, unus desinit ad alterum pertinere per mutuum consensum, ita multò magis mortuo altero: non est ergo peculiaris ratio, aut speciale discrimen. Nec obstat, quod dicunt, vi Tridentini ex sponsalibus *quocunque modo invalidis* non provenire impedimentum publicæ honestatis; Congregationem verò Cardinalium declarâsse, sponsalia mutuo consensu dissoluta, esse invalida; plus enim ista dicere non voluit, quàm factâ ex mutuo consensu dissolutione, nulla jam ampliùs superesse sponsalia, quod est verissimum, sicut nulla ampliùs adsunt sponsalia, uno è sponsis mortuo; ex hoc autem non sequitur, impedimentum ex his, vel illis sponsalibus ortum pariter cessare, quia hoc non pendet à voluntate contrahentium, sed ex constitutione Ecclesiæ, & Tridentinum de illis duntaxat sponsalibus invalidis locutum est, quæ ab initio fuerunt invalida, ex his enim nulla unquam oritur propinquitas, adeoque nec ullum publicæ honestatis impedimentum, non autem loquitur S. Synodus de illis, quæ ab initio valida, postea autem ex aliqua causa, aut mutuo consensu fuerunt dissoluta.

9. Ne porrò hac in re ullum dubium superesse possit, roboro, & confirmo hactenus dicta recentiore, quàm quæ ab Adversarijs affertur, eaque authenticâ declaratione Cardinalium, editâ anno 1658. & ab Alexandro VII. approbatâ, quam refert Fagnanus in c. Ad audientiam. De Sponsalib. n. 29. Jacob Pignatellus

tellus Consult. Canonicar. tom. 5. Consult. 50. n. 7. Gobat, & alij, in qua hæc habentur: *Iubente Sanctissimo Domino nostro, propositum fuit in sacra Congregatione Concilij, an sponsalibus validè initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum publicæ honestatis? & dubio pluries proposito, & maturè examinato, tandem sub die sexta Iulij 1658 Eminentissimi Patres in antiqua eiusmodi Congregationis sententia consentientes censuerunt, non esse sublatum. Cujus sententiæ unà cum rationibus hinc inde deductis, & recentibus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua die 10. ejusdem mensis prædictæ Congregationis probavit conclusionem, eamq; jussit in dubium deinceps non revocari.* Hoc ipsum jam antea quoque declaraverat eadem Congregatio 13. Iunij 1654. ut videri potest apud citatum Pignatellum *n. 8.*

Ex hoc verò patet, quòd declaratio ab Adversarijs allegata vel legitima non fuerit, vel si fuit legitima, per subsequentem, & à Pontifice approbatam declarationem infirmata, vel certè quia ex illa multa dubia exorta sunt, quæ in contrariam opinionem plures Authores abduxerunt, ut dicerent, nullum post dissoluta sponsalia impedimentum publicæ honestatis superesse, ex hac recentissima declaratione, quæ præcedentem paulò obscuriorem ad mentem Pontificis meliùs explicat, nostra doctrina clarissimis verbis nunc stabilita habeatur, ut dubium deinceps nullum superesse debeat; unde ob hanc novissimam declarationem dicit Gobat *l. c. n. 376.* nequaquam se jam responsurum id, quod ante notitiam istius declarationis aliquando responderat, in quo suo responso *n. 361.* ingenuè fatetur, se errâsse cum alijs magnis viris: Bonacina autem *l. c. n. 7.* ait, in prima editione priorem sententiam sese existimâsse valde probabilem, & tutam in praxi, suppositâ Cardinalium declaratione, quam allegat Rebellus, sed modò non videri sibi eam ad praxim revocandam post novam Cardinalium declarationem. Denique Iacobus Pignatellus *l. c. n. 2.* & 7. asserit, hanc nostram sententiam hodie pro certa tenendam esse. Nec aliter sentit P. Iacobus Wex *Ariadnes Carolino-Canonicæ p. 5. tr. 2. n. 42.* à tempore hujus declarationis postremæ desijsse rem esse controversam, priorémque opinionem, quantumcunque illi adhæserint sat multi Authores, quos bona fides excusat, nunc carere omni probabilitate, & Tamb. *l. c. n. 6.* testatur ex Aversa, præter memoratam Cardinalium declarationem istud probare etiam Stylum Romanæ Curiæ, per quem in ejusmodi casu dispensatio obtineri soleat.

10. Opinione hac ita stabilitâ, patet nunc, quid dicendum sit in casu nostro, nempe Harduinum non potuisse contrahere validè cum Philippina sorore Drusillæ, priùs sibi legitimè, valideque desponsatæ, cùm enim dissolutio

solutio sponsalium ex mutuo consensu facta, ut vidimus, impedimentum publicæ honestatis non tollat, sed hoc dissolutione illâ non obstante, etiamnum perseveret, planum est, non potuisse subsistere Matrimonium cum consanguineis priorem sponsam in primo gradu attingentibus, Quia verò Concilium Tridentinum, juris antiqui mitigato rigore, noluit, ut hoc impedimentum deinceps ulteriùs extenderetur, iterum manifestum est, sine ulla petita dispensatione potuisse eundem Harduinum uxorem postea ducere Anagildam è sponsæ prioris matertera prognatam, Drusillæ consobrinam, cùm ipsa primum consanguinitatis gradum jam egressa sit, eamque attingat in secundo, ac proinde à Tridentina Synodo huic impedimento non ampliùs censeatur esse obnoxia.

At verò occasione eorum, quæ diximus *num. præcedente*, novum hîc dubium oriri potest, videlicet an scrupulus movendus fuisset Harduino, si inscius hujus novissimæ declarationis Matrimonium contraxisset cum Philippina sorore prioris suæ sponsæ, secutus judicium virorum doctorum, arbitrantium, validè hoc posse fieri, ubi sponsalia præcedentia mutuo consensu fuerunt dissoluta, ob allegatam à Rebello, alijsque S. Congregationis declarationem, & effata doctissimorum hominum, qui hac de re consulti pro cessatione impedimenti, & consequenter pro Matrimonij valore responderunt, quos inter, ut diximus, sunt etiam Episcopi, nimirum Pax Iordanus Episcopus Traguriensis, & alter Episcopus Agrigentinus, qui in Sicilia 1634. in simili casu de facto id fieri permisit, motus præfata Cardinalium declaratione.

Hanc quæstionem qui ex instituto tractaret, vidi neminem præter Gobat *l. c. n.* 377. &, qui eundem sequitur, Sporerum *l. c. n.* 57. *ad finem.* Hi arbitrantur, scrupulum movendum non esse ijs, qui ita contraxerunt, cùm juxta *L. Barbarius. ff. De Offic. Prætor.* valeat quilibet contractus, adeoque etiam Matrimonialis, ex allegata, prudenterque credita authoritate legis: sed qui ex resolutione illorum Episcoporum, & tantorum Doctorum sic Matrimonium contraxerunt, fecerunt id ob allegatam, prudenterque creditam authoritatem legis clarissimè loquentis, etsi revera talis non fuerit; pro validis igitur habendi sunt contractus illi, maximè quia & leges, & DD. omnes passim toti sunt in tuendo valore Matrimonij bona fide contracti, ne ex coniugiorum dissolutione gravissima incommoda oriantur; & talia connubia, ait citatus Gobat, arbitrari se, nunquam fuisse usitatum, ut vel dirimerentur, vel infirmari mandarentur, quæ fuerant sancita ex sensu tot, tamque gravium Doctorum, prudenter nitentium authoritate ipsiusmet S. Congregationis. Quia autem præfatus Author

thor, quæ ibi dixerat, deinde *tr.* 10. *caſ.* 21. *n.* 744. videtur intellexiſſe ſolùm de Matrimonijs ante ultimam declarationem bona fide celebratis, quòd putaretur, hoc poſſe fieri ob præcedentem declarationem, quæ Matrimonia affirmat ſubſiſtere, nec eſſe poſt noviſſimam declarationem revalidanda ob allegatam *L. Barbarius.* & quia tot inſignium DD. opinio, tametſi falſa, tamen teſtis eſt, legem ſtatuentem impedimentum non fuiſſe receptam in eo rigore, quem poſtea declaravit Pontifex, ſi autem non fuit recepta in eo rigore, per conſequens à parte rei non obligavit, ut colligitur ex *can.* 3. *diſt.* 4. *&* L. *De quibus. ff. De Legib.* ob hanc, inquam, expoſitionem, quam hoc poſteriore loco tradere videtur, magnum mihi relinquitur dubium, an eſſet pro valido habendum conjugium, celebratum cum prioris Sponſæ ſorore poſt diſſoluta ex mutuo conſenſu Sponſalia ab eo, qui ultimam hanc declarationem ignoravit, ſicque validè contrahi poſſe arbitratus eſt ob tot inſignium Doctorum, & prioris declarationis authoritatem. Ratio mea dubitandi hæc eſt, quia invalidè contrahit, qui contrahit cum conſanguinea, vel affine in gradu prohibito, etſi de conſanguinitate, vel affinitate ſibi non conſtet, aut neſciat, hoc ſibi vetitum eſſe, vel qui contrahit clandeſtinè, eo quòd falsò exiſtimet, in ſua Parochia Tridentinum non fuiſſe promulgatum, ut oſtenſum eſt ſuprà *§. 5. De Clandeſtinitate. caſ.* 2. *n.* 3. neque qui proficiſcitur in locum, ubi Tridentinum in uſu non eſt, præcisè animo ibidem ſine Parocho, & teſtibus contrahendi, ignarus Conſtitutionis Urbani VIII. quæ talia Matrimonia annullat, ut videri poteſt in *cit. caſu à n.* 14: hi omnes cùm propter ſuam ignorantiam non excuſentur, ut eapropter validè contrahant, profectò neque hîc excuſare poterit ignorantia poſtremæ declarationis, quam eſſe verè authenticam, & vim Legis Pontificiæ authoritatem habere, ita ut in utroque foro, tam interno, quàm externo ſortiatur vim obligandi, pluribus eleganter oſtendit W ex *Ariad. Canonicæ p.* 5. *tr.* 2. *§.* 6. *à n.* 41. unde quoad hoc punctum inclino in contrarium, niſi tu prudens lector hoc mihi dubium exemeris,

CLASSIS

CLASSIS III.

Impedimentorum Dirimentium.

NIMIA CONJUNCTIO.

Hîc iterum examinanda sunt quinque impedimenta; *Cognatio*, quæ triplex est, *naturalis*, *sive carnalis*, *aut sanguinis*, quæ dicitur *Consanguinitas*, *Spiritualis*, & *Legalis*; deinde *Affinitas*, ac denique *scelesta criminis conjunctio.*

§. I.

CONSANGUINITAS.

CASUS PRIMUS

Nefandi Matrimonij.

Nefarius Sacerdos cum duabus mulieribus nefariam consuetudinem habuit, è quarum una filium, ex altera genuit filiam.

liam. Filius, & filia, ut adolescentiam attigerunt, omnis consanguinitatis penitus ignari inter se se inceperunt amare, atque de nuptiarum fœdere agere. Consanguinitas eorum Patri duntaxat nota, qui tunc eorundem Parochus erat. Hic ex Decreto Concilij Tridentini palàm edicit in templo, parari nuptias inter Lucretiam, & Franciscum, si cuipiam de Paræcia exploratum aliquod esset impedimentum, istud denunciaret. At impedimentum, ut dictum est, noverat solus Parochus, verus futurorum conjugum Pater.

Q. An ulla ratione in hoc impedimento dispensari potuerit?

SYNOPSIS.

1. *Quid sit Consanguinitas, & quale discrimen inter agnatos, & cognatos apud Civilistas?*
2. *Exponitur, quid sit, & quotuplex linea consanguinitatis, ejusdemque gradus.*
3. *Ad dignoscendum, quo gradu distent inter se consanguinei, statuuntur regulæ pro linea tam recta, quàm collaterali, æquali, & inæquali.*
4. *Aliter consanguinitatis gradus numerat Jus Civile, verùm in Matrimonijs attenditur computatio Iuris Canonici.*
5. *Est Consanguinitas impedimentum dirimens, olim ex Jure Ecclesiastico usque ad septimum gradum, hodie ad quartum inclusivè.*
6. *Iuxta multos in linea recta extenditur in infinitum, & dirimit Matrimonium jure naturali inter quoscunque consanguineos.*

7. *Certum*

7. *Certum hoc est in primo gradu lineæ rectæ.*

8. *In alijs gradibus impedimentum istud dirimit ex solo jure Ecclesiastico, neque extenditur ultra quartum gradum.*

9. *In linea obliqua multi docent probabiliter, etiam in primo gradu non irritari Matrimonium jure naturæ.*

10. *Præplacet tamen Sententia contraria.*

11. *Datur responsio ad quæsitum præsentis casûs.*

12. *Examinatur aliud dubium, an cum hæreticis ad fidem conversis dispensari debeat, si antecedenter contraxerunt in tertio, vel quarto gradu?*

13. *Item an Consanguinei lineæ collateralis inæqualiter distantes à communi stipite, debeant mentionem facere utriusque gradûs, remotioris nempe, & propinquioris, dum petunt dispensationem?*

1. CAsum hunc non fictum, sed factum, in responsis suis moralibus his ferè ipsissimis verbis recenset Paulus Comitolus *L. 1. q. 112. n. 3.* quæsitum tamen aliud ibi ponitur, videlicet, num impedimento sacrilegæ propinquitatis tacito, potuerit memoratus Parochus jungere suum filium, atque filiam? ad quod respondet dictus Author negativè, sed opus fuisse, ut Parochus adiret Episcopum, & apud eum testaretur, sibi certam notitiam esse impedimenti, quod illi Matrimonio obstaret, quamvis probare id non possit; Episcopum verò illius testimonium juratum repellere non potuisse, quia licèt unico testi ordinariè fides non habeatur, frequenter tamen casus aliquos evenire, in quibus ipsi credendum sit, præsertim quando agitur de peccato, vel Matrimonio haud legitimo impediendo. Ita ille. Quid verò ad quæstionem à nobis positam respondendum esse videatur,

tur, tunc dicam, postquam, quæ ad impedimentum hoc pertinent, priùs exposuero.

Definitur Consanguinitas communiter: *vinculum, sive propinquitas personarum ab eodem, eoq; propinquo stipite per carnalem generationem descendentium.* Addidi cum Laymanno *L. 5. tr. 10. p. 4 c. 4 n. 1.* Bonac. *q. 3. de Imped. Matr. pu. 5. n. 3.* Filliuc. Gobat, Aridekin, & alijs *propinquo*, ut esset definitio clarior, cùm ab alijs hoc saltem debeat subintelligi, ne aliàs, quia ab Adamo, ceu stipite, omnes descendimus, omnes dicendi simus consanguinei, cùm tamen experiamur, pro consanguineis, & cognatis passim non ampliùs reputari, qui inter sese distant remotiùs, v. g. decem, aut duodecim gradibus, sed solùm eos, qui se propinquiùs contingunt, ita ut in ijs detur quædam quasi *unitas sanguinis*, quod indicat vox consanguinitas, in lingua vernacula Bluts-Verwandtnuß / Bluts-Freundschafft / unde *& cognati* dicuntur, id est, ex uno, & communi sanguine nati.

Hæc porrò cognatio naturalis, seu consanguinitas est vel naturalis tantùm, vel naturalis, & civilis simul. Prior est inter illos, qui ab eodem stipite per carnalem propagationem illicitam proveniunt; de qua sic dicitur in L. Non facilè. §. 2. ff. De Gradib. *Naturalis cognatio per se sine civili cognatione intelligitur, quæ per fœminam descendit, quæ vulgò liberos peperit.* Naturalis, & civilis simul intercedit inter illos, qui ex legitimis nuptijs ab eodem stipite proveniunt, de qua iterum cit. *L. utroque Iure consistit cognatio, cùm justis nuptijs contractis copulatur.*

Adhuc aliud discrimen inter consanguineos faciunt Jurisperiti, dum alios *agnatos* nominant, alios appellant *cognatos.* Agnati dicuntur, qui per masculinam lineam, seu per virilis sexûs cognationem conjuncti sunt, sive mares sint, sive fœminæ, v. g. Titius, ejusdemque filij, ac filiæ, nepotes &c. agnati nuncupantur, junguntur enim per lineam paternam, eandemque sequuntur familiam, idem nomen gentilitatis, & eadem insignia habent, verbo agnati dicuntur, qui, ut in vernacula loquimur, die eines Nahmens / Geschlechts / Schild / und Helms seynd. Cognati vocantur illi, qui per fœminas tantùm conjunguntur, quales sunt fratres, aut sorores uterini tantùm, scilicet, qui ex eadem Matre, sed ex diversis Patribus nati sunt; item consobrini, amitini, avunculus, matertera, & quotquot sibi sanguine junguntur ratione matris: De his ita rursum habetur L. Jurisconsultus. §. 2. ff. De Gradibus: *Cognati sunt, quos & adgnatos Lex duodecim tabularum appellat, sed hi sunt per patrem cognati ex eadem familia; qui autem per fœminas conjunguntur, cognati tantùm nominatur,* & §. 1. Instit.

Instit. De Legitima Adgnat. Success. *sunt autem adgnati cognati per virilis sexûs personas conjuncti, quasi à Patre, connati; itaque ex eodem patre nati fratres adgnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur, nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & invicem is illi adgnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles, id est, qui ex duobus fratribus procreati sunt.* Cæterùm hæc differentia in materia Matrimoniali non observatur, quia impedimentum dirimens inducit quælibet consanguinitas, sive ex hac, sive ex altera linea proveniat, si intra eos gradus sit, qui ab Ecclesia attenduntur.

2. Divisio consanguinitatis, quæ hîc attenditur, est ea, quâ dividi solet in lineas, & gradus, per quæ consanguinei inter se distinguuntur. Per lineam intelligitur *ordinata connexio, sive series personarum, ab uno communi stipite originem ducentium, & consanguinitatem inter se habentium.* Per stipitem verò intelligimus personam illam, quæ est initium, & caput cognationis, & à qua personæ cæteræ, de quarum conjunctione quæritur, immediatè, vel mediatè ortum trahunt, sive mas sit, sive fœmina; ita Pater, vel Mater est communis stipes respectu duorum fratrum; avus, vel avia respectu duorum patruelium, vel consobrinorum &c.

Linea consanguinitatis duplex est, *recta*, & *obliqua*, seu *transversa*, aut *collateralis*, diversis enim nominibus appellatur. Recta dicitur ea, in qua collocantur illæ personæ, quarum una ab altera originatur, sive in qua plures personæ ita ab uno stipite mediatè, vel immediatè carnali generatione descendunt, ut una sit ab altera genita, veluti filius à patre, nepos à filio &c. quæ linea dividitur in ascendentium, & descendentium; nam licèt re ipsa sit una, eademque linea, eâ tamen ratione distinguitur, quòd linea ascendentium dicatur, quâ à genitis ad progenitores rectà sursum progredimur, illorum stipitem quærendo, dum nempè rectà ascendimus à persona generata ad personam generantem, ut à filio, & filia ad patrem, & matrem, inde ad avum, & aviam, proavum, & proaviam, abavum, & abaviam. Linea descendentium dicitur illa, qua à progenitoribus rectà deorsum descendimus, ut à patre, vel matre ad filium, & filiam, inde ad nepotem, & neptem, pronepotem, & proneptem, abnepotem, & abneptem.

Linea collateralis, seu transversa, aut obliqua est illa, in qua collocantur eæ personæ, quæ ab uno quidem stipite mediatè, vel immediatè proveniunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt; sic duo fratres, duæ sorores constituunt inter

inter se collateralem lineam, quia unus frater non descendit, aut genitus est ab altero, sed ambo immediatè proveniunt ab ipso patre, velut ab uno stipite, seu communi principio, communique sanguine; sic duo patrueles proveniunt ab eodem avo.

Hæc linea transversalis rursum dividitur, ac duplex est. Una *æqualis* dicitur, quæ est inter personas æqualiter, seu pari gradu distantes à communi stipite, ut sunt duo fratres, duæ sorores, frater, & soror, quorum uterque uno tantùm gradu à communi stipite, videlicet à patre distat. Altera est *inæqualis*, in qua existunt personæ, quæ inæquali gradu à communi stipite distant, dum unus eorum remotior, alter eidem propinquior est; sic inæqualiter à communi stipite distant patruelis, & patruus, scilicet patruelis secundo gradu à suo avo, patruus autem, utpote filius hujus avi, tantùm in primo gradu.

Gradus deinque aliud non est, quàm certa distantia unjus personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis, quatenus plures, vel pauciores personæ sunt, quibus pervenitur ad communem stipitem, à quo consanguinitas, & ejusdem sanguinis origo derivatur. Dicuntur autem gradus ad modum, & similitudinem scalarum, quas ita ingredimur, ut à gradu ad gradum proximum transeamus. Laym *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 4. n. 3.* Pirhing *n. 4. de Consang. & affinit.*

3. Ut verò cognoscatur, quo gradu consanguinei sese contingant, aut quoto gradu inter se distent, triplex regula assignari solet. Una pro linea *recta*, & duæ pro linea *collaterali*, alia nempe pro linea transversa *æquali*, alia pro *inæquali*.

Regula prima pro linea *recta* tam ascendentium, quàm descendentium est hæc: *tot gradibus unus ab altero distat, quot sunt personæ, unâ demptâ*, sive ut eam tradunt Palao, & Dicastillo; *quot generationibus unus ab altero descendit*, quia igitur filius, & pater sunt duæ personæ, quarum unâ demptâ superest altera tantùm, idcirco differt à patre in primo gradu, sive, ut clariùs dicamin pluribus exemplis: filius à Parre una generatione distat, nepos ab avo duabus, pronepos à proavo tribus, abnepos ab abavo quatuor, atque idem dicendum est in consanguinitate, quæ habetur ex parte Matris.

Secunda regula est pro linea *transversa æquali*, quando scilicet utraque persona distat æquali gradu à communi stipite: *quot gradibus personæ singulæ à communi stipite distant, totidem etiam inter se distant*: hinc frater, & soror distant inter se uno gradu, sive sunt in primo gradu consanguinitatis in linea transversa, quia in linea recta uno tantum gradu à Patre, & Matre distant; patrueles, & consobrini sunt in secundo gradu lineæ transversæ, quia in linea recta à communi stipite, avo nempe, & avia distant duobus gradibus,

gradibus; deinde filij, & filiæ patruelium, & consobrinorum junguntur in tertio gradu, quia in linea recta distant tribus gradibus à proavo, vel proavia communi ipsorum stipite; nepotes autem patruelium, vel consobrinorum in quarto gradu invicem juncti sunt, quia in linea recta à communi stipite suo abavo, vel abavia quatuor gradibus remoti sunt.

Tertia regula est pro linea transversa *inæquali*, quando nimirum duæ illæ personæ, de quibus quæritur ab eodem communi stipite, in quo conveniunt, distant inæqualiter: *quot gradibus persona, quæ remotior est, à communi stipite distat, totidem gradibus personæ distant inter se*; sic Petrus cum filio sui fratris, aut sororis est in secundo gradu, quia hic tanquam remotior à stipite, Patre videlicet Petri, in quo conveniunt, duobus gradibus distat: vel ut ponam adhuc aliud exemplum; Cajus habet duos filios, Titium, & Sejum; rursum Titius habet filium, ac nepotem; si jam quæratur, in quoto gradu sit nepos Titij cum Sejo? dicendum est, esse in tertio gradu, nam eo gradu sunt inter se, quo alter, qui magis remotus est, distat à Communi stipite: sed nepos Titij à communi stipite, id est, à Cajo, in quo conveniunt, & sese invicem contingunt, tribus gradibus distat: ergo sunt in tertio gradu inter se. Ratio autem hujus regulæ est, quia, cùm propinquitas collateralium desumatur, seu habeatur ratione communis stipitis, non possunt esse conjunctiores inter sese, quàm sint ijdem cum communi stipite; quo gradu igitur conjuncti sint, desumi debet ab eo, qui à communi stipite remotior est, nam si desumeretur ex propinquiore, essent conjunctiores inter se, quàm cum communi stipite, sic enim distans à communi stipite in secundo gradu, esset conjunctus in secundo gradu etiam cum eo, qui distat à communi stipite in quarto, quod dici nequit.

4. Cæterùm hæc computatio graduum procedit in Jure Canonico; nam paulò aliter gradus in consanguinitate numerat Jus Civile, nec enim hac triplici regulâ, sed unicâ solâ utitur, in linea tam recta, quàm obliqua, nempe istâ: *tot gradibus consanguinei inter se distant, quot inter ipsos intercedunt generationes*, sive totidem gradus sunt, quot sunt personæ, dempto stipite, vel quot sunt personæ collaterales; sic duo fratres in computatione civili sunt in secundo gradu, quia sunt duæ personæ collaterales, nam Pater, qui est in linea recta, & communis stipes utriusque, non numeratur, in qua quidem regula cum Jure Canonico convenit Jus Civile quoad gradus lineæ rectæ, dissidet verò in linea transversa tum æquali, tum inæquali; unde si quæstio sit de recta linea, quoto gradu distet Pater à suo pronepote, id deprehendes numerando generationes hac ratione: Pater genuit filium; filius nepotem; nepos pronepotem;

quæ sunt tres generationes, proinde inferes: ergo Pater à pronepote distat in tertio gradu. Similiter si quæratur, quoto gradu filius distet ab Abavo? iterum numerabis generationes: filium genuit Pater; patrem Avus; avum Proavus; proavum Abavus: igitur inter filium, & Abavum sunt quatuor generationes, ac consequenter totidem gradus consanguinitatis, atque ita Ius Civile in linea recta non discrepat à Iure Canonico, quod numerat eodem modo juxta regulam primam superiùs traditam. At verò in linea transversali dissidet, quia dum Ius Canonicum duas iterum diversas regulas constituit, pro linea obliqua æquali unam, & aliam pro inæquali, eidem suæ unicæ regulæ utrobique inhæret Ius Civile, solùmque attendit generationes, vel personas, v. g. si quæstio sit, quoto gradu frater tuus distet à te? numera generationes hoc modo: Pater meus genuit me, & idem genuit fratrem meum: intercedunt igitur inter me, & fratrem meum duæ generationes: ergo & duo gradus. At si quæratur, quoto gradu distet à te fratris tui filius? rursum numera generationes: Pater meus genuit me; idem Pater genuit frattrem meum, & frater meus genuit filium: sunt ergo tres generationes, atque ideo filius fratris mei à me distat in tertio gradu. Hæc conputatio graduum Juris Civilis attenditur quoad hæreditarias successiones, tutelas &c. at quando agitur de Matrimonio, servanda est computatio graduum Iuris Canonici, cùm circa Matrimonium Ius civile disponere nihil possit, sed in materia spirituali Leges Civiles SS. Canonibus assurgere debeant, ut loquitur König §. 6. *de Consang. & Affinit. n. 14.*

5. Consanguinitas hactenus explicata, sive ex licita, sive ex illicita propagatione oriatur, impedimentum est dirimens Matrimonium, saltem jure Ecclesiastico, & quidem olim impedimentum istud extendebatur, ac Matrimonia inter consanguineos contracta nulla reddebat, atque irrita usque ad septimum gradum in utraque linea, ut patet ex *can. Nullum, can. De Consanguinitate*, & *can. Nulli. 35. q. 3.* item *can. Ad sedem. 35. q. 5.* Hodie tota vis dirimendi reducta est ad quartum gradum inclusivè, & ultra eum jam non extenditur, ut habetur in *c. Non debet De Consang. & affinit.* desumpto ex Concilio generali Lateranensi, ubi ab Innocentio III. præfata antiquiora jura correcta sunt, & illorum prohibitio, ac annullatio usque ad quartum gradum inclusivè reducta est. Rationes autem, cur ab Ecclesia Matrimonia inter consanguineos interdicta fuerint olim usque ad septimum, hodie usque ad quartum gradum inclusivè, Castropalao *disp. 4. de sponsal. pu. 7. n. 6.* & Bellarminus *tom. 3. l. 1. de Matrim. c. 29* adducunt sequentes secuti S. Thomam 2. 2. *q. 154. art. 9.* quòd Matrimonium, sicut alia omnia, referri debeat

beat ad fovendam charitatem, ad quem finem maximè expedit Matrimonium inter consanguineos interdicere, ut sic homines obligentur cum non consanguineis contrahere, & hac viâ respublica in charitate, & amore fundetur; quippe consanguinei satis erant amore, & familiaritate conjuncti titulo consanguinitatis, ac proinde non indigebant Matrimonio ad charitatem fovendam: expediebat ergo, Matrimonium, quod vinculum est amoris, ad eos tantùm extendere, qui prædicto titulo amicitiæ carent. Præterea actus conjugalis quandam ex se indecentiam habet, & sine turpitudine exerceri non potest, quæ dedecet reverentiam consanguineis debitam. Deinde cùm consanguinei summam inter sese familiaritatem habeant, se invicem crebrò invisant, vel etiam in eadem domo cohabitent, & assiduè diu, noctuque simul morentur, ut ista intima consuetudo innoxia esset, oportuit inter ejusmodi personas coniugia interdicere, quæ aliàs nimis facilè, ac nimis citò, & temerè conciliarentur cum plurimis, maximisque incommodis: ad hæc istorum pudicitia periclitaretur, si inter illos Matrimonia contrahi possent, & maxima præberetur incestibus occasio; faciliùs enim peccata committuntur cum eis, cum quibus jus est Matrimonij contrahendi, quàm cum alijs; ac tandem usus conjugalis redderetur immoderatus, si amori sanguinis accederet conjugalis amor. Cur autem ultra quartum gradum hodie non ampliùs extendatur istud impedimentum (quod de obliqua linea omnes concedunt) ratio est, tum quia secundùm moralem æstimationem in ulterioribus gradibus vix æstimari nunc solet consanguinitas, adeò, ut tepescente charitate vix sit, qui se alterius consanguineum ultra quartum gradum agnoscat; tum quia adeò nunc propagatâ hominum multitudine, & concupiscentiâ, ac negligentiâ adeò prævalente, periculosum erat, ejusmodi prohibitionem ulteriùs extendere, tum denique, quia cùm non ultra quartam generationem homines vivere soleant, ulterioris gradûs memoria facilè aboletur. Tannerus *tom. 4. disput. 8. q. 4. dub. 4. n. 52.*

6. Dixi, impedimentum istud dirimere Matrimonium *jure saltem Ecclesiastico*, nec enim extra dubium est, an non ex ipso jure naturæ aliqua consanguinitas Matrimonium dirimat. Profectò multi, gravissimique Authores sunt, qui affirmant, non solùm in uno, alteróve gradu lineæ rectæ, sed in quocunque Matrimonium contractum inter consanguineos ipso jure naturali irritum, atque invalidum esse inter ascendentes, & descendentes in infinitum; ex quo proinde inferunt, si Adam hodie resurgeret, non posse ipsum ullam in uxorem ducere, cùm sit communis generis humani parens. ita

ita Bellarminus *Tom. 3. L. de Matrim. c. 28.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 2.* Coninck *disp. 32. dub. 1. n. 16.* Rebellus *L. 3. de Oblig. Iust. q. 5. n. 12.* Hurtadus *disp. 17. de Matr. difficult. 4 n. 9.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 22. n. 212.* Præpos. *q. 7. de imped. dirim. dub. 8. n. 67.* & ex Canonistis recentioribus Pirhing *n. 9. de Consang & affin.* Reiffenstuel *eod. tit. n. 27.* præter antiquiores innumeros tam Canonistas, quàm Theologos citatos à Sanch *L. 7 disp. 51. n. 12.* Fundant se isti AA. in textu Juris L. Nuptiæ. ff De Ritu nuptiarum: *Nuptiæ consistere non possunt inter personas, quæ in numero Parentum, Liberorúmve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradûs sint usque in infinitum.* & L. ult. ff. Eod. *Iure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit*, quæ leges naturali honestati admodùm conformes cùm per Jus Canonicum non sint correctæ, servandæ sunt etiam in foro Ecclesiastico juxta *c. 1. de Novi op. nunciat.* Hisce textibus permotus P. Jacobus Wiestner accedit & ipse suo modo huic Sententiæ cum Ludovico Engl *n 24 & seq. de Consang & affinit.* docens, conjugia inter consanguineos lineæ rectæ in infinitum irrita esse jure positivo, etiam Ecclesiastico. Rationem dant paulò antè insinuatam, tum quia omnes ascendentes respectu descendentium habent veram rationem principij, veniuntque nomine progenitorum, seu Parentum, & hi ab illis in suo esse dependent: ergo eadem ipsis reverentia, quæ Patri, & Matri, debetur, cum quibus jure naturæ Matrimonium irritum esse, nemo negat, cùm actus conjugalis reverentiæ, & subjectioni Genitoribus debitæ, ac naturali honestati nimiùm quantùm præjudicet; & quamvis in remotioribus gradibus sit minor sanguinis propinquitas, ac proinde minor indecentia conjugij appareat, quàm inter Parentes, ac liberos, est tamen major inæqualitas ætatis, & consequenter major indecentia ratione illius, atque ita per hanc inæqualitatem defectus ille propinquitatis compensatur.

7. Dicendum tamen, in primo quidem gradu lineæ rectæ, scilicet inter Patrem, & filiam, Matrem, & filium jure naturæ irritum esse Matrimonium, & consequenter ab Ecclesia indispensabile, non tamen in alijs ulterioribus gradibus ita quoad utramque partem Sanch. *l. c. n. 19.* Bonac. *de Imped. Matr. q. 5. pu 5. §. 1. n. 8.* Filiuc. *tr. 10. p. 2. c. 5 n 177. & seqq.* Basilius Pontius *L 7. de Matr. c. 31. n. 4. & 6.* quem perperam citat Dicastillo pro parte contraria. Perez *disp 28. Sect. 3 n. 3. & Sect 4. n. 4.* Palao *disp. 4. de Sponsal pu 7 n 9.* Bassæus *V. Matrimonium 7. n. 23.* Eman. Sà *V. Matrimonij impedimenta dirimentia. n. 4.* Franc. Sylvius *in supplem. q 54. art.*

3. Wagnereck *in Exegesi c. Non debet. de Consang. & Affinit. Not. 2.*

Probatur prima pars, quòd scilicet irritum sit Matrimonium jure naturæ in primo gradu lineæ rectæ, ex eo, quia maxima reverentia debetur Parentibus, cui nimiùm repugnat actus Matrimonialis, cùm habeat conjunctam turpitudinem, & irreverentiam alterius ad alterum, quam ipsa natura dictat esse cavendam, quemadmodum id eleganter expressit S. Ambrosius epist. 48. ad Paternum his verbis: *Ne pater filiam suam accipiat in uxorem, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis.* Quod autem S. hic Doctor de Patre, & filia dixit, pari, imò & potiori jure de Matre, & filio dictum puta, plus enim videtur habere indecentiæ, ac turpitudinis, Matrem nubere filio, quàm filiam Patri, nam in his nuptijs filiæ cum Patre non adeò invertitur naturalis ordo reg minis, quia filiæ, & uxoris est, patri, ac marito subijci; in illis autem filij cum Matre funditùs everti ur iste ordo, quia cùm Matris sit, præesse filio, hujus verò eidem obedientiam, reverentiam, subjectionemque exhibere, deberet filius præesse Matri, quia maritus illius esset, ad quem pertinet in regendo præesse; Mater verò deberet filio subijci, & obedire, utpote illius uxor, quod ipsi naturæ adversatur; hinc Levit. 18. dicitur: *turpitudinem Patris tui, & turpitudinem Matris tuæ non discooperies*, id est, filia non cum Patre, & filius non cum Matre coibit, atque ideo monstrosum ab omnibus, qui improbi non essent, judicatum est Matrimonium Henrici VIII. Angliæ Regis cum Anna Bolena ipsius ex adulterio filia, ut scribit Sanderus *De Schismate Anglicano L. 1. in Vita Henrici*, omnesque gentes ejusmodi nuptias dictante ipsa naturali ratione pro nefandis semper habuerunt, semperque abominatæ sunt, aut siqui populi connubia inter proximos consanguineos admiserunt, quod de Persis dicitur, ij ab alijs feri, ac barbari judicabantur, quos eapropter etiam reprehendit Tertullianus *in Apologet. c. 9.* Quin imò tantam antiqui rationem habuerunt reverentiæ Parentibus debitæ, ut teste Valerio Maximo *L. 2. c. 1. §. 7.* nec quidem fas esset, filium puberem simul cum Patre eodem balneo lavari, ne se invicem nudos conspicerent; ipsæque etiam belluæ hujusmodi conjunctiones fugere, & ab illis abhorrere consueverunt ex naturali instinctu. Certè ex Aristotele *L. 2. Hist. Animal. c. 47.* & Plinio *L. 8. Nat. hist. c. 4[illegible].* habemus, camelos, & equos non posse adigi, ut cum matribus commisceantur. Adde, quòd Matrimonium ordinetur ad hoc, ut duo fiant una caro; at verò qui se contingunt in primo gradu, jam sunt una caro, non quo-

quomodocunque ſed immediatè per carnalem conjunctionem : ergo ex ijs, cùm non ſint duo , non poteſt per Matrimonium fieri una caro.

8. Probatur nunc etiam altera pars , quòd Matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium in primo tantùm gradu invalidum ſit jure naturæ, in cæteris verò, id eſt, ſecundo, tertio , & quarto ſolo jure poſitivo Eccleſiaſtico , quia in primis negari non poteſt, participationem ſanguinis , quæ provenit à ſtipite , & in deſcendentes transfunditur , debiliorem reddi , quò pluribus ſucceſſivè communicatur, & quò aliquis à ſuo principio magis diſtat, eò minùs illi eſſe conjunctum, minoremque illi reverentiam deberi, ac conſequenter minùs inhoneſtum eſſe , rectæque rationi contrarium , illi in Matrimonium jungi , quàm ſit indecens , quòd conjungatur conſanguineo in primo gradu, à quo ipſa natura abhorret: ergo ex reverentia Majoribus debita non probatur, eodem modo eſſe irritum jure naturæ conjugium cum omnibus deſcendentibus in linea recta, quemadmodum eſt irritum in primo gradu. Præterea Avus , & cæteri aſcendentes non ſunt principium nepotum per ſe , ſed per accidens ,quia ad rationem filij, ut filius eſt , ſolùm deſideratur , ut à parentibus originem trahat , per accidens verò eſt , quòd ſuus Pater etiam patrem habuerit, nam filij Adami carentes Avo ita veri filij fuerunt , ac illum habentes, proinde reverentia debita Avis à nepotibus , non eſt debita neceſſariò, ac per ſe, ſed merè per accidens, utpote quæ in ſola ratione principij, & cauſa per accidens fundatur: ergo hæc reverentia , & ſuperioritas per accidens non cauſat eodem modo impedimentum jure naturali inter eos , ut illud eodem jure irritet. Adde, quòd Avus reſpectu nepotis rigoroſè loquendo non habeat rationem genitoris , ſed ſolam rationem cauſæ quaſi applicantis genitorem : at cauſa applicans aliam cauſam ſuo effectui, non eſt per ſe, ſed per accidens cauſa illius effectûs : ruit igitur potiſſimum fundamentum adverſæ partis, quòd jure naturæ irrita ſint conjugia cum conſanguineis ultra primum gradum contracta, propterea, quòd reſpectu deſcendentium habeant rationem principij , atque ita dicendum eſt, in ſolo primo gradu jure naturæ irrita eſſe Matrimonia , in cæteris autem tribus gradibus uſque ad quartum incluſivè , & non ultrà ſolo jure Eccleſiaſtico per *c. Non debet. De Conſang. & affinit.* & ex hac ratione docent citati Authores, Matrimonium contractum ab infidelibus in ſecundo , tertio, & quarto gradu lineæ rectæ validum eſſe , dummodo non initum fuerit contra proprias leges, & conſuetudines illud irritantes, & converſos ad fidem non eſſe ſeparandos, prout decernitur

cernitur in *c. Gaudemus. De Divortijs.* Ratio est, quia infideles ex una parte impedimentis jure Ecclesiastico inductis non afficiuntur, ex altera parte Matrimonium in secundo, tertio, & quarto gradu jure naturæ irritum non est, si enim adversaretur juri naturæ tale Matrimonium, Pontifex non ità respondisset, nam sic conjuges separari deberent.

Quòd verò patroni contrariæ Sententiæ dicunt, *c. Non debet. De Consang. & affinit.* non loqui de gradibus lineæ rectæ, sed solùm de transversæ, id gratìs asseritur, nam loquitur dictum capitulum de consanguinitate indefinitè, atque, impedimentum dirimens non extendi ultra quartum gradum, quin faciat ullam distinctionem inter rectam, aut obliquam lineam, ubi autem Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Minùs evincitur per allegatas Leges Juris Civilis, quia solùs Juris Canonici est, inter fideles Matrimonij impedimenta decernere, nec refert, Ius Civile statuisse hoc impedimentum in linea recta in infinitum, nisi hæc Iuris Civilis constitutio expressè in Iure Canonico approbetur, quod tamen nuspiam factum est, sed potiùs fuit reprobata in dicto *c. Non debet.* Interea tamen non negaverim, talia Matrimonia inter consanguineos ultra quartum gradum nihilominus adhuc in se continere aliquam indecentiam naturalem, repugnantem reverentiæ ex communi opinione consanguineis etiam in illis gradibus debitæ, si ineantur absque justa causa, non tamen tantam, ut eapropter fiant irrita, sed fortè irritari deberent, nec passim fore licita, aut culpâ caritura, ut notant Sanch. *l. 7 disp. 52. n. 20.* Bonac. *l. c. n. 8. ad finem*, Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 5. n. 180.* Hæc de linea recta.

9. Si modò loquamur de gradibus lineæ tranversæ, conveniunt Doctores, consanguinitatem in secundo, tertio, & ulterioribus gradibus obliquæ lineæ non jure naturali, sed solo jure Ecclesiastico dirimere Matrimonium; an verò in primo saltem gradu inter fratrem, & sororem jure naturæ irritum sit Matrimonium; magna inter AA. controversia est. Sunt qui id negant etiam in primo gradu, juxta quos proinde etiam inter fratres, & sorores non est invalidum Matrimonium jure naturæ, quod probant tum ex auctoritate scripturæ Genes. 20., ubi legimus Saram Abrahæ sororem simul, & uxorem fuisse: *aliàs autem, & verè soror mea est, filia Patris mei, & non filia Matris meæ, & duxi eam in uxorem* Idem patet ex Lib. 2. Reg. c. 13. ubi cùm Amnon impatientiâ amoris, & ardore ductus pudicitam sororis suæ Thamar attentaret, ut ipsi hoc facinus ista dissuaderet, dixit: *noli frater mi opprimere me; loquere potiùs ad Regem, qui non negabit me tibi*: non ergo inusitatum erat, ac nefas existimatum connubium inter fratres, & sorores, nam frustra

frustra aliàs hæc verba protulisset Thamar, si conjugium inter eos consistere non potuisset jure naturali. Rationem insuper assignant dicti Authores, quia cùm frater, & soror non sint directè una caro, quemadmodum sunt Pater, & filia, nec habeant inter se immediatam conjunctionem, sed solùm ratione parentum, non intercedit inter ipsos tanta observantia, & reverentia, ut ei ex jure naturali adversetur conjugium. Hujus sententiæ præter alios sunt Bas. Pontius *l. 7. de Matr. c. 32. n. 3. & seqq.* Perez *disp. 28. sect. 5. n. 4.* Palao *disp. 4. de sponsal. p. 7. n. 11.* Hurtad. *disp. 17. difficult. 5. n. 12.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 23. n. 222.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 93.* & *p. 8. tr. 1. resol. 70.* Eman. Gonzalez *in c. Qued super. 5. de Consang. & Affin. n. 11. & seq.* Wiestner *n. 28. eod. tit.* Magis etiam in hanc sententiam inclinat Coninck *disp. 32. dub. 1. n. 19.* & recentissimè Ludovicus Nogueira *in Quæstionib. singular. disp. 1. q. 50. n. 6.* ubi dicit, hanc opinionem hodie esse communem, & probabiliorem.

10. Quamvis verò istam assertionem etiam Sanchez, Tannerus, & alij existiment, esse valde probabilem, opposita n hilominus mihi præplacet, quam tenent allegatus Sanch. *l. 7. disp. 52. n. 11.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4 dub. 4. n. 60.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 3.* Bonac. *q. 3. de imped. Matr. pu. 5 §. 1. n. 11.* Rebellus *p. 2. de oblig. Iust. l. 3. q. 5. n. 13.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 5. n. 182.* Petrus de Ledesma *q. 54. de Matr. art. 3. difficult. 3. conclus. 1.* Præposit. *q. 7. de imped. Matr. dub. 9. n. 73.* qui malè citatur à Dicastillo in contrarium. Iac. Pignatelli *Consult. Canonic. tom. 7. consult. 22. n. 3. & 5.* Pirhing. *de Consang. & affinit. n 10.* & alij plures ab his citati, cum quibus dicendum, Matrimonium in primo consanguinitatis gradu lineæ transversalis initum inter fratrem, & sororem, sive ex utroque, sive ex altero solùm parente, jure naturæ esse irritum; pro quo pugnant ferè eædem rationes, quæ suprà allatæ sunt pro gradu primo consanguinitatis rectæ lineæ, nam inter fratres quoque, & sorores est quidam innatus pudor, & reverentia naturalis, cui adversatur actus conjugalis, quocirca gentes non prorsus barbaræ, sed paulò cultiores, licèt cæteroquin infideles, solo lumine naturali ductæ ab hujusmodi conjugijs semper abstinuerunt; nec alia de causa Abraham *Gen. 20.* suasit Saræ, ut dissimulans se uxorem ipsius esse, diceret, se esse sororem, quasi compertum genti illi barbaræ supponens, eam, quæ soror esset, non posse fratris uxorem esse; nec enim Sara, quemadmodum Adversarij contendunt, revera Abrahæ soror erat, sed consanguinea, videlicet neptis ex Aran fratre Abrahami progenita, ut constat ex *c. 11. Genes.* ubi Thare genuit Abraham, Nachor, & Aran. Aran verò genuit Melcham, & Iescham, quæ alio nomine Sarai vocabatur

tur teste Josepho *l. 1. Antiq. c.* 14. sicut igitur ipsissimus hic Abraham *Gen.* 13. Loth filium præfati Aran fratrem suum nominat, & *Gen.* 26. Isaac Rebeccam vocat sororem, & Tob. 8. dicit Tobias *non luxuriæ causâ accipio sororem meam uxorem*, cùm tamen Sara, quam ibi uxorem duxit, non fuerit illius soror propinqua ex eadem stirpe cognationis, ex eadem gente, & Tribu prognata, filia Raguelis, qui erat patruelis Tobiæ senioris, ut videre est apud Cornel. à Lapide, Ant. Escobar de Mendoza, & Nicol. Serarium *in cit. c.* 8. *Tobiæ*, ita prorsus, & non aliter hanc suam consanguineam, ac neptem Abraham appellavit sororem, more scripturarum, addiditque: *filia Patris mei*, cum neptis respectu Avi etiam filia dici possit, & quia Aran Pater Saræ obijt ante Avum, ut legimus *Gen.* 11. illa non alium tunc patrem agnoscebat, quàm Avum, atque ideo Abraham quoque sororem illam appellare solebat, ut fusè, & eleganter ostendit Bellarminus *tom.* 3. *l.* 1. *de Matr. c.* 28. *in solut. ad* 2. Confirmatur hæc sententia, quia cùm fratres, & sorores ab incunabulis simul cohabierent, valde inflammarentur ad concubitum, nisi persuasum haberent, conjugia sibi prohibita esse ab authore naturæ. Denique Ecclesia nunquam hactenus dispensavit in isto gradu, etsi id aliquando petitum fuerit, ut communiter omnes advertunt, si solum excipiamus Sylvestrum, qui *V. Papa. q.* 17. ex Archidiacono refert Martinum V. dispensasse cum aliquo, qui cum sua germana contraxerat, & consummaverat, habito consilio cum peritis Theologis, & Canonistis, propter mala, & scandala aliàs inde eventura, licèt aliqui dicerent, eum hoc non posse. Sed hujus facti cùm alij Authores nullam mentionem faciant, nescio, quam fidem mereatur Sylvester, cùm suprà allegatus Nogueira, etsi contrariam opinionem teneat, in suis quæstionib. Singular. nuper editis expressè moneat, pro dispensatione hujus Matrimonij ad Summum Pontificem non esse recurrendum, quia jam requisitus, nunquam voluit dispensare; quis verò credat, factum Martini V. Authores passim omnes, tum veteres, tum Recentiores, rerum illarum solertissimos indagatores latere potuisse præter unicum Sylvestrum, & Archidiaconum? hos quoque cæteri legerunt, quia tamen cum ijsdem in hac re non consentiunt, indicium mihi est, agnovisse ipsos, assertionem hanc carere solido fundamento.

Id, quod de Thamar sorore Amnonis afferunt, inefficax est, nam vel existimavit puella in ijs angustijs deprehensa, ac perturbata, permissum esse, ut fratri cuberet, vel ut nefas incestuosæ violentiæ à se amoliretur, fratrisque impetum retardaret, ad hoc effugium recurrit, ut eì

potiùs nuptias suaderet, quamvis non ignoraverit, fieri non posse, quod suadebat.

Neque obstat, quòd ab initio mundi filij Adami duxerint suas sorores, nam hoc vel factum est ex singulari Dei concessione, vel etiam dici potest, opus tunc temporis non fuisse Divina dispensatione, sed fieri id licitè potuisse ob defectum aliarum fæminarum, quippe cùm tunc non essent alij, quàm fratres, & sorores, qui generationi vacare possent, præponderabat præceptum fortius de conservando genere humano, concurrentibus enim duobus vinculis, quod fortius est, ligat.

11. Disputatis hucusque, quæ de consanguinitate in quæstionem venire possunt, respondendum nunc est ad quæsitum casui nostro appositum, an ulla ratione in hoc impedimento dispensari potuerit? quia autem, ut vidimus, duplex sententia est, & utraque earum probabilis, idcirco qui primam tenent, docentes, non implicare Matrimonium jure naturæ in gradu primo lineæ collateralis, sed solo jure positivo Ecclesiastico, probabiliter dicunt, posse à Summo Pontifice inter fratrem, ac sororem dispensari ex justa causa, ut Matrimonio conjungantur: fatentur tamen sententiæ istius patroni, in primo gradu lineæ transversæ vix aliquando, aut omnino nunquam posse ad dispensationem impertiendam justam causam adesse, ut videri potest apud Dicastillo *l. c. n. 226.* & Basil. Pontium *l. c. n. 14. ad finem.* Contrarium dicendum est ijs, qui defendunt sententiam oppositam, docentes, jure naturæ dirimi Matrimonium, quod mutuò contrahunt frater, & soror, quæ probabilior mihi videtur, atque ideo, meo judicio à Sede Pontificia in hoc gradu dispensari nequit; in qua opinione me confirmant tum ipsi adversarij, fatentes, ut paulò antè dictum est, ad dispensandum in primo gradu lineæ tranversæ vix aliquando, vel omnino nunquam dari posse justam causam; tum Tridentinum Concilium, quod dum *Sess. 24, De reform. Matr. c. 5.* dicit, ut in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes ob publicam causam, de primo autem gradu nullam penitus mentionem facit, videtur supponere, in primo gradu dispensari non posse.

12. Duplex nunc restat nobis dubium adhuc examinandum. Primum est, cùm dictum fuerit superiùs *n. 8.* conjuges infideles consanguinitate conjunctos, si convertantur ad fidem, separandos non esse, dummodo se non contingant in primo gradu, an idem ipsum dicendum sit de Hæreticis quoque ad fidem orthodoxam redeuntibus, si, cùm adhuc in hæresi existerent, Matrimonium contraxerunt in tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, cujus in pluribus locis modicam considerationem habent?

Resp.

Resp. Etsi aliqui affimare videantur apud Gobat *tr. 9. cas. 1. n. 33. & 54.* validum esse Matrimonium in tertio, vel quarto consanguinitatis, aut affinitatis gradu, vel cum cognatione spirituali ab hæreticis contractum, nec opus esse conversis ad fidem Pontificia dispensatione, contrarium tamen dicendum est cum citato Authore, quia hæretici nequaquam liberi sunt ab obligatione legum Ecclesiasticarum, nec constat etiam de tacita conniventia Apostolicæ Sedis quoad istud impedimentum, quemadmodum eam connivere, alibi diximus, in Matrimonijs hæreticorum coram præcone celebratis: Imò contrarium potiùs desumitur ex ijs, quæ asserit Bonagratia *in Summulla selectar. Quæst. Regular.* dum *V. Missio. n. 9.* testatur PP. Cappucinis Provinciæ Helveticæ à S. Congregatione Cardinal. de propaganda fide concessum esse privilegium ad quinquennium semper duratorum, & eo elapso iterum revalidandum, ut possint dispensare cum conversis ad fidem Catholicam in tertio, & quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis simplici, & mixto quoad præterita Matrimonia; & in præfictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam: ergo supponit S. Congregatio, veram adesse necessitatem dispensationis. Nec aliter loquitur Jacobus Pignatelli *Consult. Canonicar. tom 3 Consult. 63.* qui dum decidit, posse à Summo Pontifice dispensari cum abjurantibus hæresim in radice Matrimonij, jam ante abjurationem contracti cum impedimento secundi gradûs, advertit, intelligendum hoc esse quoad effectus merè civiles, puta, legitimationem, & similia, non autem ut ipsum Matrimonij Sacramentum, quod ab initio non constitit, vel convalescat unquam, vel valuisse censeatur, fictiones enim, & effectus retroactivi in Civilibus admittuntur, non autem in Sacramentis, quæ si ab initio non valuerunt, per supervenientem ex post facto dispensationem nulla ratione possunt confirmari, atque ideo quando Matrimonium ob aliquam inhabilitatem est irritum, ad hoc, ut convalescat, & fiat validum, requiritur necessariò consensus amborum conjugum, qui debent scire, prius Mamonium fuisse invalidum: nulla igitur sunt, atque irrita Matrimonia hæreticorum in gradu prohibito contracta, & debent ea, obtentâ priùs Pontificis dispensatione, denuo revalidari.

13. Secundum dubium, quod nascitur ex regula tertia superiùs tradita pro linea transversa inæquali, consistit in eo, an consanguinei, vel affines, qui inæqualiter distant à communi stipite, v. g. li al er distet in secundo, alter verò in tertio gradu, quando volunt contrahere Matrimonium, atque ideo dispensationem petunt, necessariò debeant mentionem facere non solùm remotioris,

tioris, sed etiam propinquioris gradûs, cùm non hic, sed remotior conjunctionis gradum constituat, atque propinquiorem imbibat, & ad se trahat?

Circa hoc dubium videri potest, sufficere, quòd exprimatur gradus remotior, qui, quia propinquiorem ad se trahit, solus attenditur juxta *c. fin. De Consang. & Affin.* Ita sentiunt Sanch. *L. 8. de Matrim. disp. 24. n. 25.* Tambur. *L. 8. de Matr. tr. 2. c. 9. §. 7. n. 3.* Basilius Pontius *L. 8. c. 17. §. 5. n. 26. & 27.* Perez *disp. 46. Sect. 5. n. 7.* Engl *p. 3. Manual. Paroch. c. 5. §. 5. n. 10.* Gobat *tr. 9. cas. 7. n. 161.* & *cas. 22. n. 620, & seqq.* nam quamvis in quodam motu proprio olim Pius IV. præceperit, ut in petitione ejusmodi dispensationis, ubi gradus diversi sunt, non solùm remotior exprimatur, sed etiam propinquioris expressa mentio fiat, alioquin nullius roboris, ac momenti fore dispensationem, sed habitum iri pro subreptitia, tamen postea S. Pius V. hanc Constitutionem Pij IV. prædecessoris sui ex parte revocavit in Constitutione, quæ incipit, *Sanctissimus &c.* edita 26. Augusti 1566. & ad Jus pristinum commune reduxit, juxta quod sufficit, si mentio fiat gradûs remotioris, cujus expressionem etiam ipse voluit deinceps esse sufficientem, quin ob gradûs propinquioris omissionem literæ dispensationis obtentæ pro subreptitijs haberi debeant, dummodo postmodum obtineantur literæ declaratoriæ, proximiorem gradum non obstare, quas quidem literas declaratorias, ajunt citati AA. non esse necessarias ad validè dispensandum, sed ut vitetur scandalum, poterant enim aliàs hinc aliqui arripere ansam scandali, videntes, non esse dispensatum in gradu propinquiore, atque ideo existimantes, Matrimonium esse irritum, cujusmodi scandali, si nullum est periculum, neque ad licitè dispensandum literæ declaratoriæ juxta eosdem requiruntur.

Quoad hanc verò quæstionem certum est 1, id, quod etiam allegati Authores non negant, vel negare possunt, necessariò exprimendum esse gradum propinquiorem tunc, si cum remotiore concurrat primus gradus, ita ut duo conjuncti sint in primo, & secundo, vel in primo; & tertio, quia circa hoc S. Pontifex Pius V. nihil revocavit; imò quando declarat, dispensationem obtentam non posse subreptione notari ex defectu expressionis gradûs propinquioris, addit expressè in sua Bulla: *dummodo primum nullo modo attingat, cùm in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat.* Certum est 2. Etiam hodie adhuc petendas esse literas declaratorias, quòd gradus propinquior Matrimonio huic non obstet, ita rursum exprimitur in Bulla

Bulla Pij V: *obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratorijs*, quæ declaratio dari potest vel per literas Pontificias separatas, vel, prout hodie, teste Tamburino, communiter dari solet, in ipso Brevi dispensationis.

Cæterùm an literæ declaratoriæ ita necessariæ sint, ut ijs non petitis, vel obtentis, contractum Matrimonium invalidum futurum esset, nova Controversia est? Sanchez, ut suprà innuimus, nullam agnoscit earum necessitatem *l. c. n. 29.* cùm jam supponant actum perfectum factæ dispensationis, ac consequenter non importent conditionem. Mihi cum Anacleto Reiffenstuel *in Appendice de dispensatione super imped. §. 4. De ijs, quæ necessariò exprimi debent in supplicatione, ne dispensatio sub- vel obreptitia, consequenter invalida sit. n.* 172. dicendum videtur, cùm verba ista in Ablativo absolutè posita sint, importare modum, ac conditionem, hoc enim indicant similes Ablativi, ut non obscurè colligitur ex *L. Si debitor. §. 1. ff. Quib. modis pign. vel hypoth.* & *L. A Testatore. ff. De Condit. & demonstrat.* modus autem, & conditio necessariò implenda sunt, unde non valet dispensatio, donec eæ literæ impetrentur, & sic conditio impleatur. Illud verò, quod ait Sanchez, negatur absolutè, literas declaratorias supponere actum totaliter jam perfectum; nam quamvis jam supponant gratiam à Papa factam, seu validas dispensationis literas, vel mandatum de dispensando commissum alicui delegato, tamen non supponunt ipsam dispensationem jam factam, consequenter neque actum, vel gratiam omnino perfectam, eò quòd Papa vi illarum ipsemet non dispenset, sed tantùm alicui delegato mandatum, & potestatem tribuat, ut authoritate Papæ dispenset, unde cum præfato Anacleto Reiffenstuel, qui hanc quæstionem fusè; & doctè tractat, censeo, quamvis omissio gradûs propinquioris non vitiet, nec subreptitias reddat literas dispensationis à Curia Romana obtentas, tamen illas nec licitè, neque validè exequi posse deputatum Executorem, nisi priùs obtineantur, & ipsi exhibeantur literæ declaratoriæ significantes, propinquiorem gradum non obstare, ut proin Ordinarius, vel alius, cui committitur dispensationis executio, non tantùm graviter peccet, sed etiam invalidè agat, ac nulliter dispenset, consequenter Matrimonium invalidum sit, si hoc faciat, non priùs habitis præfatis literis declaratorijs, casu, quo ante contractum Matrimonium scit, oratores in gradu inæquali conjunctos esse: proinde cùm dictæ declaratoriæ, tantopere necessariæ, obtineri non possint, nisi gradus propinquior in dispensationis petitione exprimatur, omnino necessarium est, ut hujus quoque mentio fiat. Ita planè etiam docet

docet Pyrrhus Corradus in Curia Romana summè practicus *in Praxi Apostolic. Literar. L. 7. c. 7. à n. 71.* dicens, ab hac praxi non esse recedendum, atque ita fateri Practicos Curiales, seque pluriès observasse, Matrimonia fuisse declarata nulla, quæ contracta fuére vi dispensationis sine memoratis literis factæ: & sic re ipsa Urbanus VIII. in Brevi edito nono Calend. Nov. 1624. quod integrum habetur apud cit. Reiffenstuel, & Barbosam *L. 1. Votor. Decisiv. Voto 3. n. 16.* declaravit, Officialem Tyrnavienum, cui fuerat demandata executio, invalidè dispensâsse, & personas Consanguineas invalidè contraxisse, quia scivit eas conjunctas esse in secundo, & tertio gradu, & solum expressisse gradum remotiorem, non facta mentione propinquioris, neque habere literas declaratorias, *secundum non obstare.* Idem decidit ad similem casum Innocentius X. in Bulla, quam integram iterum referunt Corradus, & Reiffenstuel, qui consuli possunt; ex quo posteriore pro coronide adjungo, dicta procedere de solo foro externo; nam si petatur dispensatio pro foro tantùm interno, propinquioris gradûs expressio necessaria non est, nec literæ declaratoriæ, testantes *illum non obstare*, quia ut gradus propinquior exprimatur, atque ita obtineantur literæ declaratoriæ, eum non obstare, pro solo foro externo opus est, ut scandala evitentur, quod locum non habet, nec necessarium est, quando dispensatio petitur pro solo foro interno, & quando gradus ille proximior esset prorsus occultus.

CASUS

CASUS SECUNDUS

Matrimonij malè accusati.

Timoclea diu petita in conjugem ab Isandro, rejecto hoc, nupsit Antimacho, non sine gravi alterius offensa, ubi primùm, auditis denunciationibus, intellexit, spem sibi ademptam optati conjugij; unde nec minis abstinuit, nisi hæc, quam sibi putabat fuisse irrogatam, injuria pecunijs à Timoclea compensaretur. Ipsa interea Marito suo pluribus annis pacificè convixit, dum tandem turbæ moventur ab Isandro, qui scriptis ad Episcopum literis, eidem significavit, impedimentum dirimens consanguinitatis inter hos conjuges intercedere. Antimachus, & Timoclea objecta diluunt adducto Parentum utriusque conjugis, & Consanguineorum testimonio.

Q. 1. An Isander ad accusandum potuerit admitti, an verò debuerit reijci, & ex quibus capitibus?

2. An diuturnitas temporis impediat accusationem in Matrimonio?

3. An accusatio, unius aliunde legitima, sufficiat ad dissolutionem Matrimonij?

4. An

4. An testimonia Consanguineorum possint movere suspicionem dubiæ fidei in causis Matrimonialibus ?

SYNOPSIS.

1. *Separatio conjugum propter impedimentum non debet fieri auctoritate propria, sed per Judicem, non qualemcunque, præsertim sæcularem.*
2. *Imò neque per Parochum, vel alium Judicem Ecclesiasticum, sed per solum Ordinarium, vel illius Vicarium.*
3. *Quinam rejciantur ab accusando Matrimonio; per quod habetur responsio ad primum, & secundum quæsitum hujus Casûs.*
4. *Debet accusatio fieri personaliter ab ipso accusatore, etiamsi persona Illustris sit, nisi ex speciali privilegio id possit scriptò facere.*
5. *Non sufficit dictum unius testis, quando fit accusatio ad dissolvendum Matrimonium; per quod satisfit tertio quæsito.*
6. *Respondetur ad ultimum quæsitum.*

1. Pro resolutione istius casûs prius advertendum est, quòd sicuti non est licitum, ut conjux propria sua auctoritate ob quodcunque impedimentum Uxorem suam dimittat sine Sententia Judicis, quamvis etiam notoria consanguinitas post initum Matrimonium appareret inter conjugatos, ut statuitur *c. Porrò. 3. De Divortijs*, vi cujus canonis etiam quando de facto uxorem suam dimisit, eam recipere cogitur, sicut, inquam, hoc non est licitum, ita separatio, seu Matrimonij dissolutio non à quocunque Judice peti potest, sive

sive hoc Matrimonium proprium sit, sive alienum accusetur.

Atque in primis certum est, causas Matrimoniales ad Judices sæculares non pertinere etiam tunc, quando non tractatur de valore Matrimonij, sed solùm de separatione quoad torum, & cohabitationem. ita Pirhing *n.* 16. *Qui Matrim. accus. possint.* Covarr. *in 4. Decretal. p. 2. c. 8. §. 12. n. 1.* Zerola *in Praxi Episcopali p. 1. V. Matrimonium §. 16.* Martha *de Iurisdict. p. 2. c. 8. à princip.* estque hoc definitum in Concilio Trident. Sess. 24. Can. 12. ubi statuitur: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit*; cujus ratio est, quia cùm Matrimonium sit Sacramentum novæ legis, est res Spiritualis, consequenter Judici Ecclesiastico, & non sæculari subjecta, nisi tamen sit quæstio facti, v. g. si agatur de punitione adulterij, incestûs &c. hæc enim crimina sunt mixti fori, unde potest ea punire ille Judex, qui prævenerit, Ecclesiasticus, vel Sæcularis.

2. Imò neque ex ipsis Ecclesiasticis quisque obvius competens Judex est in causis Matrimonialibus, sed pertinet istud judicium ad Ordinarium, seu Episcopum, vel illius Vicarium, nec possunt Decani, Archi-Diaconi, vel Parochi cognitionem talium causarum Matrimonialium de jure sibi vindicare, prohibente id Concilio Tridentino *Sess. 24. de reform. c. 20.* quare si aliquando post publicationem factam impedimentum aliquod Matrimonij detegatur, potest quidem Parochus Matrimonium interdicere, de eo tamen impedimento non debet cognoscere, sed rem deferre ad Ordinarium, cùm ipse potestatem non habeat judicandi. *c. Fin. De Clandest. desponf. & c. 1. De Consang. & affin.* junctâ Glossâ *V. Potestatem.* solent tamen Episcopi nonnunquam in Diœcesibus Archi-Diaconis satis amplam concedere potestatem in certo aliquo districtu judicandi de causis Matrimonialibus, reservatâ sibi tantummodo appellatione, ne Partes magnis sumptibus, temporisque dispendio semper cogantur ad Episcopale Consistorium accedere.

3. Hoc prænotato, dicendum est. 1. Isandrum hac in parte bene egisse, rem deferendo non ad quemcunque, sed competentem Judicem, videlicet ad Episcopum. Dispiciendum verò est, an accusatio ejusdem apud Episcopum facta pro legitima haberi potuerit? Circa hoc censeo, Isandrum ad accusandum admitti nec debuisse, nec potuisse. Ratio est 1. quia ad accusationem Matrimonij admitti non debent, de quorum accusatione præsumi potest, quòd sit malitiosa: sed talis præsumptio meritò habetur de Isandro, nam ponitur in casu fuisse offensus, quòd se rejecto Timoclea nupsisset alteri; quin imò neque à minis abstinuit,

ſtinuit, niſi injuria compenſaretur pecunijs: ergo præſumitur hanc accuſationem ſolummodo intendiſſe in vindictam, & quæſtum, à qua fuiſſet deſtiturus, ſi obtinuiſſet pecunias: tales autem accuſatores *c. Significante, 5. Qui Matrim. accuſ. poſſunt &c.* reijciuntur, ne malitijs hominum indulgeatur, ut habet textus, & quia, qui accuſat propter quæſtum, præſumitur, falsò, & malitiosè accuſare juxta Vivianum in *cit. c.* ergo repelli Iſander debuit. Secunda ratio eſt, quia tempore debito non accuſavit, namque audivit denunciationes, ut in caſu ponitur, & tunc nihilominus tacuit; atqui ſi poſt contractum Matrimonium appareat aliquis accuſator, qui non prodierit in publicum, quando banna, hoc eſt, denunciationes, ſeu promulgationes ſecundùm conſuetudinem in Eccleſijs edebantur, is poſtea tanquam ſuſpectus eſt repellendus, ut ſtatuitur in *c. fin. Qui Matrim. accuſare poſſunt,* ergo &c. Tertia. Quamquam diuturnitas temporis non obſtet accuſationi in Matrimonio, quod eſt ſecundum quæſitum hujus caſûs, cùm, ut benè dicit Engl *in Manual. Paroch. L. 1. p. 3. c. 5. §. 8. n.* 12. Matrimonium ab initio invalidum tractu temporis non convaleſcat, neque impedimentum tollatur mediante præſcriptione, quia præſertim accuſator non intendit accuſare contractum ante complures annos initum, ſed conjugum præſentem ſtatum, nihilominus adhuc repellendus eſt Iſander, quia in accuſatione debitum modum non obſervavit, cùm Jura præſcribant, accuſationem fieri debere à præſente, ac perſonaliter, ſcriptas autem in chartula, vel epiſtola nullius eſſe momenti ad Sententiam proferendam, niſi alia legitima adminicula ſuffragentur. *c. A nobis. Qui Matr. accuſ.* Vivianus in *cit. c.*

4 Dices 1. In pluribus locis ex ſpeciali privilegio, & longâ obſervantiâ receptum eſt, ut perſonæ Illuſtres, ac nobiles non cogantur perſonaliter accedere Judicem ad perhibendum teſtimonium, ſed ſatis eſt, ſi per ſcripturam ſub fide ſua abſque corporali juramento deponant, & depoſitionem propria manu ſubſcriptam, & obſignatam Judici transmittant, cùm in iſtis perſonis ceſſet præſumptio fraudis, aut perjurij, eorumque Sigilla, & propriæ manûs ſubſcriptio accipiantur loco juramenti: ergo ex hac ratione Iſander ab accuſatione excludi non debuit, quòd eam ipſe non præſens perſonaliter inſtituerit.

Reſp. In primis in caſu non exprimitur, quòd Iſander perſona Illuſtris, vel nobilis fuerit; tum etiam, quia hoc in aliquibus locis ex ſpeciali privilegio talibus perſonis conceditur, oſtendere debet Iſander, ſibi quoque

quoque vel personaliter concessum esse idem privilegium, vel esse affixum loco, atque ibi vigere, & in usu esse, ubi accusatio instituitur, quod nisi faciat, Jus Commune manet in sua possessione, & vera permanet Sententia, quòd non sufficiat, si accusatio scriptò fiat, ut *in supra cit. c. A nobis n.* 1. docet Barbosa, & cum eodem Lanfrancus, Covarruv. Rebuffus, Vivianus, Mascard. Farinac. & plures alij, atque hoc, ait *n.* 2. dictus Barbosa, adeò verum esse, ut neque valeat depositio testis à se in scriptis redacta, & ad judicem transmissa, etiamsi prius in judicio juraverit, nisi hoc admittatur ob privilegium, vel longam observantiam, quo modo testatur Gail *Practicar. Observat. L.* 1. *Observat.* 101. *n.* 13. *&* 14. in regno Bohemiæ, & Archi-Ducatu Austriæ ex singulari privilegio, & longa observantia receptum esse; nam Nobiles, & Illustres personæ non tenentur ibi personaliter comparere ad perhibendum testimonium, sed per scripturam sub fide sua, absque corporali juramento deponunt, & depositionem obsignatam Judici examinis transmittunt, quod in Bavaria quoque observatur in Civilibus quoad Comites, Barones, aliasque Personas Illustres, Prælatos, Nobiles, Doctores, & Patricios antiquiores, non verò in ijs, qui corrasis ex opificio, vel nundinatione pecunijs nobilitatis deplomata heri mercati sunt, ut videre est in Jure Bavarico *ad Processum Summarium Tit.* 7. *art.* 15. & apud D. Baronem Schmid *in eundem locum n.* 2.

5. Dices 2. Quid si Isander juramentum calumniæ deponat, & sub juramento affirmet, sibi istud impedimentum priùs notum non fuisse?

Resp. Ob præcedentes circumstantias, videlicet offensionem, minas, petitam compensationem pecuniariam &c. suspicionem, & præsumptionem contrariam vix diluet. Deinde esto, hoc ipsi permittatur, necdum tamen ipsius accusatio sufficiet, cùm fiat ad dissolvendum Matrimonium, nam quamvis ad Matrimonium impediendum sufficiat dictum unius testis, plures tamen requiruntur, nempe duo, vel tres jurati, omni exceptione Majores, quando agitur, ut Matrimonium contractum dissolvatur. *c. Ex literis. De Consang. & Affinit. c. Super eo.* 22. *De Testib.* Zoësius, Covarruv. & alij; hoc tamen non negaverim, accusationem Isandri, præsertim factam cum juramento calumniæ, ansam præbere posse Judici, ut ex Officio indaget rei veritatem.

6. Cæterùm nullum adesse impedimentum, Antimachus, & Timoclea optimè ostendunt adducto testimonio suorum Parentum, & Consanguineorum, quamvis enim in causis crimi-

criminalibus, & contractibus non admittatur testimonium Patris pro filio *L. 9. ff. de Testibus*, in causis tamen Matrimonialibus, ubi magna disparitas inter conjuges non intercedit, quæ possit præbere suspicionem, Parentes, & Consanguinei admittuntur in testes *c. Videtur. 3. Qui Matrim. accus. poss.* imò alijs præferuntur, cùm supponantur habere majorem genealogiæ suæ notitiam; optimè autem ij recipiuntur, qui meliùs sciunt, quàm alij.

§. II.

COGNATIO SPIRITUALIS.

CASUS

A pluribus in dubium vocatus.

Cleria uxor Adelelmi levavit è Sacro fonte Rodomiram Theobaldi filiam; post octennium cùm huic rursus nasceretur filius, rogavit Adelelmum, ut vellet ipse nunc patrinum agere, adjunctâ in idem Officium hac ipsâ suâ filiâ Rodomirâ, ut in baptismate infantem unà cum illo sustineret; quod duplicatum obsequium Cleriæ, & Adelelmi occasio fuit, ut inter utramque familiam arctissima amicitia, atque familiaritas intercederet, adeò quidem, ut, cùm post aliquot annos diem suum obijsset

obijsset Cleria, nollet deinceps Adelelmus aliam uxorem ducere, quàm Rodomiram, factam interea nubilem.

Q. 1. An fieri hoc potuerit, an verò intercesserit impedimentum dirimens cognationis Spiritualis, vel ratione Cleriæ, quæ tenuit in baptismo Rodomiram, vel ratione ultimi facti, dum hæc, & Adelelmus idem munus simul exercuerunt?

2. Num hæc octennis puella potuerit esse Matrina, & quidem proprij fratris?

SYNOPSIS.

1. *Quid sit Cognatio Spiritualis, quæ per constitutionem Ecclesiæ oritur ex Baptismo, & Confirmatione, non item ex alijs Sacramentis?*

2. *Quotuplex ea olim fuerit, & inter quas personas intercesserit Jure antiquo; quid deinde circa eandem immutatum sit Jure novo Concilij Tridentini?*

3. *Inter ipsos susceptores nulla est cognatio Spiritualis, nec prohibentur contrahere invicem Matrimonium.*

4. *Vt contrahatur inter alias personas, plures Conditiones adesse debent. Prima est, ut Baptismus, & Confirmatio validè conferantur, & non solummodo suppleantur solemnitates, quæ in Baptismo privato omissæ sunt.*

5. *Ex Baptismo privatim collato in necessitate oritur cognatio spiritualis in baptizante; parens tamen in necessitate baptizans non privatur jure petendi debitum.*

6. *Tenentes infantem in simili necessitate, aut baptismo non solemni, probabiliùs cognationem nullam contrahunt.*

7. *Secunda*

7. *Secunda conditio est ad contrahendam cognationem spiritualem, ut, qui baptizat, vel suscipit è Baptismo, baptizatus, & patrinus in Confirmatione sit ipse confirmatus.*

8. *Tertia est, ut in Baptismo non sint plures patrini, quàm ad summum unus, & una; in Confirmatione autem unus tantùm admittitur.*

9. *Hæc Conditio quando non observatur, illicitè quidem agitur, sed nihilominus omnes cognationem contrahunt, quotquot baptizatum simul tetigerint, quando plures sunt designati, aut omnino nullus.*

10. *Qui tactus debet esse physicus, quæ est quarta conditio, nec sufficit sola assistentia, aut deportatio infantis ad Ecclesiam.*

11. *Sufficit tamen, ut baptizatus suscipiatur per procuratorem, quo casu non procurator, sed principalis cognationem contrahit: Contrarium evenit, quando Parochus baptizandi munus alteri committit.*

12. *Postrema conditio est, ut habeatur intentio munus patrini subeundi, certa tamen ætas in suscipiente non præscribitur.*

13. *Respondetur ultimatò ad quæsita in hoc casu proposita.*

1. Cognatio spiritualis communiter describi solet, quòd sit propinquitas quædam personarum consurgens ex Ecclesiæ statuto propter collationem Baptismi, & Confirmationis, vel susceptionem baptizati, aut confirmati: ex qua definitione duo colligi possunt. 1. Cognationem hanc spiritualem oriri ex solo jure Ecclesiastico, non autem ex Jure naturali, vel Divino positivo, quippe hæc Sacramenta nullum in jure naturali fundamentum habent, sed ex sola Christi institutione cæperunt: ergo cognatio ex ipsis consurgens nequit esse de jure naturali. Quòd autem neque in jure positivo Divino fundetur, inde patet, quòd nullus in sacris literis inveniatur locus, ubi de illa mentio fiat; sed neque constat ex ulla traditione Ecclesiæ, aut definitione alicujus

cujus Concilij, Christum, qui Baptismatis, & Confirmationis Author est, uti & reliquorum sacramentorum, alterutri eorum annexuisse hujusmodi cognationem, quæ Matrimonij impedimentum dirimens sit: igitur illa provenit ex solo jure Ecclesiastico. 2. colligitur in dicta definitione, ex alijs Sacramentis, præter Baptismum, & Confirmationem nullam oriri cognationem Spiritualem, quæ Matrimonium aut dirimat, aut impediat, ut expressè definit Bonifacius VIII. *c. fin. De Cognat. spirit. in 6.* Cur autem Ecclesia istam cognationem constituerit in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, neque voluerit, ut ea in alijs quoque Sacramentis contraheretur, fundatur in aliqua congruentia, & similitudine cum cognatione naturali; sicut enim per generationem naturalem contrahitur cognatio naturalis, ita per generationem spiritualem factam in his duobus Sacramentis contrahitur cognatio spiritualis, & sicuti cognatio naturalis dirimit Matrimonium propter reverentiam debitam consanguineis, ita conveniens est, ut Matrimonium pariter dirimatur per cognationem spiritualem inter certas personas, quia recipiens ab alio esse spirituale non minùs illi reverentiam debet, quàm alius debeat reverentiam ei, à quo accepit esse naturale. Quòd autem Symmachus Papa c. Omnis. 30. q. 1. dicat: *omnes, quos in Pœnitentia accepimus, ita filij nostri sunt, ut in Baptismate suscepti*, & Cœlestinus in ead. quæst. c. Si quis Sacerdos, & seq. mulierem pœnitentem appellet Confessarij filiam spiritualem, & carnale delictum cum fœmina admissum, cujus confessionem Sacerdos excipit, aliquando incestus nominetur, ista nihilominus movere non debent, ut eapropter dicamus, etiam ex Sacramento Pœnitentiæ, alijsque oriri cognationem spiritualem; dicuntur enim ista ad exaggerandam gravissimam irreverentiam, quæ Sacramento Pœnitentiæ infertur per tale peccatum, cùm possit Sacerdos per aliquam analogiam, & similitudinem pœnitentis pater spiritualis appellari, & illa vicissim filia, non tamen ita propriè, ut usurpatur hæc appellatio in Baptismate, & Confirmatione nam quamvis in Pœnitentia quoque esse spirituale gratiæ conferatur, tamen id non confertur per modum generationis, sed sanationis, & reconciliationis, ut in Eucharistia per modum alimentationis: at per Baptismum primò regeneramur ad vitam spiritualem, ac postea ad instar prolis jam extra uterum positæ, in ea per Confirmationem roboramur: est ergo major ratio, cur dicatur, oriri per constitutionem Ecclesiæ ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis cognationem spiritualem, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonij, quàm sit convenientia, ut hoc idem de alijs quoque Sacramentis dicatur.

2. Hujus

2. Hujus cognationis, seu propinquitatis spiritualis triplex olim dabatur species, videlicet, *Paternitas*, *Compaternitas*, & *Confraternitas*. Paternitas jure antiquo iterum duplex erat, directa, & indirecta. Directa intercessit inter baptizantem, vel Confirmantem, & inter baptizatum, vel confirmatum, tum etiam inter patrinos, seu suscipientes in baptismo, vel confirmatione, & inter baptizatum, vel confirmatum. *can. De eo. caus. 30. q. 1. can. Omnes ibid. & can. Ita diligere 30. q. 3.* Indirecta contrahebatur à baptizato cum uxore patrini, vel cum marito Matrinæ, modò ante susceptionem Matrimonium consummatum fuerit *c. Nedum inter. De Cognat spirit. in. 6.* Cur autem ista propinquitas vocaretur *Paternitas*, convenientissima ratio est quia baptizatus, vel confirmatus respectu baptizantis, vel confirmantis, atque etiam respectu patrini, vel susceptoris habet rationem filij spiritualis; susceptor autem, vel confirmans, aut baptizans respectu suscepti, baptizati, aut confirmati habet rationem patris spiritualis. *Compaternitas* iterum vel erat directa, vel indirecta. Directa intercessit inter baptizantem, aut confirmantem, item inter susceptorem in baptismo, vel confirmatione, & inter Parentes carnales, id est Patrem, & Matrem baptizati, aut confirmati, sive ab his parentibus suis esset genitus ex legitimo Matrimonio, sive non. Hi proinde carnales Parentes erant compatres baptizantis, sive cum baptizante, vel confirmante, & cum patrinis, seu susceptoribus. *c. Pervenit. 30. q. 1. c. Veniens. De Cognat. spirit. c. 1 eod. in 6.* Quòd si baptizans, aut Confirmans, vel susceptor uxorem haberet jam aliquando à se cognitam, seu cum qua Matrimonium consummâsset, in hanc quoque transfundebatur ista spiritualis cognationis species, seu compaternitas indirecta, vel, ut eam appellat Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 4. n. 65.* spiritualis Affinitas, eò quòd uxor cum marito una caro sit, quocirca sicut ejus maritus erat spiritualis pater respectu baptizati, vel confirmati, ita & ipsa erat respectu ejusdem spiritualis mater, & cum illius carnalibus parentibus spiritualis commater. *c. Martinus. De Cognat. spirit.* Denique *Confraternitas* intercessit inter baptizatum, vel confirmatum ex una parte, & inter filios baptizantis, vel confirmantis, aut patrini ex altera, siquidem istorum filiorum ille baptizatus, aut confirmatus erat spiritualis frater, & illi vicissim ejus fratres spirituales. *c. Non oportet. 30. q. 3. c. Pitacium. ibid.*

Iure novissimo Concilij Tridentini prædicta cognatio spiritualis plurimùm restricta est, ac partim etiam ablata. Sess. 24. c. 2. de reform. Matr. *Sancta Synodus à cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit, ut unus tantùm, sive vir, sive mulier juxta SS. Canonum instituta, vel ad summum unus, & una*

una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatiq; Patrem, ac Matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur &c. ex quibus verbis patet in primis, totaliter ablatam esse confraternitatem spiritualem, unde jam nihil impedit, quò minùs baptizatus possit contrahere Matrimonium cum baptizantis, aut patrini filia, nec enim ampliùs, ut olim, censetur esse illius spiritualis frater. Paternitas quoque, & compaternitas spiritualis per dictam Synodum multùm restricta est, cùm sola nunc attendatur paternitas, & compaternitas directa, indirectæ autem nulla hodie observantia sit, & in uxorem patrini, vel baptizantis, aut in Maritum Matrinæ ampliùs non transfundatur; unde iterum nihil obstat, quò minùs consistere possit Matrimonium inter baptizatum, & baptizantis, si laicus fuerit, uxorem, vel inter eundem baptizatum, & conjugem sui patrini, sed tota, & adæquata spiritualis cognatio stat modò inter personas sequentes, nimirum inter baptizantem, & baptizatum, tum inter baptizantem patremque, & Matrem baptizati. Similiter inter patrinos, & baptizatum, ejusdemque patrem, & matrem; & eodem prorsus modo inter confirmantem, vel patrinum, sive suscipientem ex hoc Sacramento, & confirmatum, ejusdemque patrem, & matrem.

3. Hallucinantur autem ij, & plurimùm errant, qui arbitrantur, uti mecum aliquando contendit non nemo, cæteroquin non illiteratus, qui multis annis, & tunc quidem actu adhuc Parochiæ præfuit, non posse Matrimonium consistere inter ipsos patrinos, quando vir unus, & una fæmina infantem simul è Baptismate suscipiunt; falluntur, inquam, isti plurimùm, cùm nullo iure antiquo ostendi possit, quòd inter has duas personas cognatio oriatur, vi cujus nequeant inter se Matrimonio jungi. Sed neque Tridentinum voluit cognationem hanc protendere, sed coarctare, quare dum loc. cit. dicit, ut *ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum cognatio contrahatur*, non est sensus illius particulæ *inter quos*, quòd inter ipsos patrinos cognatio oriatur, sed inter illos, & alias personas ibi enumeratas, nempe inter ipsos ex una parte, & baptizatum, ejusq; parentes ex altera parte. ita Sanch *l. 7. de Matr disp. 54. n. 12.* Bonac. *de Imped. Matr. q. 3. pu. 5. §. 2. n. 6.* Engl *in manuali Paroch p. 3. c. 5. § 5. n. 2.* Perez *disp. 29 de Matr. Sect. 1 n. 5* Tannerus *tom. 4 disp. 8. q. 4. dub. 4. n. 65.* Basil. Pontius *l. 7. c. 39 n. 6.* Wagnereck *in cc. fin. De Cognat. spirit in 6. Not 3.* Pirhing *§ 5. n. 32. de cognat. spirit.* & communis aliorum, idque satis clarè habetur in Bulla Pij V. apud Cherubinum, quæ incipit: *Cùm illius vicem &c.*, ubi S. Pontifex decernit, atque declarat,

nullum ampliùs impedimentum ratione cognationis spiritualis subesse, quò minùs inter maritum, vel uxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis, quàm baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium liberè, & licitè contrahi possit. Imò si etiam maritus, & uxor simul de sacro fonte levent alienum infantem, eos propterea, non privari jure petendi debitum conjugale, cùm ijs neque prohibeatur talis susceptio, neque per eam inter sese ullam cognationem contrahant, apertè constat ex can. fin. 30. q. 4. ubi ita Urbanus II. *quòd autem uxor cum marito in baptismate simul non debeat suscipere puerum, nulla authoritate reperitur prohibitum, sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe, & infamia conservetur immunis, dignum esse decernimus, ut utrique in simul ad hoc aspirare minimè præsumant*: igitur ut hoc agant, indecens quidem est, ut ex cit. can. observat Layman *l. 5. tr. 2. c. 9. n. 3.* ubi id consuetudo non cohonestat, hoc tamen agentes minimè peccant juxta Sanch. *l. 7. disp. 57. n. 5.* Navarr. *Manual. c. 22. n. 39.* Tannerum *l. c.* Barbos. *in cit. can. Quod autem &c.* contra Suarez 3 *p. q. 67. art. 8* putantem, esse peccatum veniale. Nec aliud à nobis diversum dicit Innocentius III. L. 2. Epist. in epistola ad Rossanensem Archi-Episcopum: *Quamvis etiam vir, & uxor alienum puerum teneant in Baptismo, nulla tamen inter eosdem contrahitur compaternitas, cùm una caro sint per copulam conjugalem, & ideo reddere sibi debitum minimè prohibentur*: Cùm igitur inter susceptores cognatio spiritualis non intercedat, potest patrinus sine scrupulo, ulloque impedimento contrahere Matrimonium cum ea, cum qua simul suscepit alienum filium, nisi aliunde prohibeatur.

4. Porrò ut etiam inter illas personas, quæ in Concilio Tridentino designatæ sunt, spiritualis cognatio contrahatur, aliquæ conditiones requiruntur. Prima est, ut Baptismus, & Confirmatio verè, ac validè conferantur; hinc si vel ex defectu materiæ, formæ, aut intentionis hæc Sacramenta invalidè collata sunt, nulla oritur cognatio spiritualis, ita communis. Ratio est, quòd, cùm ex Baptismo nulliter collato nulla fiat regeneratio spiritualis (idem est de Confirmatione) nulla quoque consurgere possit *paternitas*, vel *compaternitas*, aut *filiatio spiritualis*, quia quod nullum est, nullum producit effectum. c. Illud 8. De Iure patronat. & juxta regulam Juris 52. in 6. *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Addo, quòd accessorium sequatur suum principale, consequenter quando vel confirmatio, vel Baptismus, tanquam principale, nullus est, nulla quoque erit cognatio tanquam accessoria. c. *Accessorium.* 42. *De R. I. in 6.* Ex hoc etiam sequitur, nullam

cog-

contrahi spiritualem cognationem, si quis semel validè baptizatus, aut confirmatus iterum baptizetur, aut confirmetur, quia hæc iterata collatio, ac susceptio baptismi, & confirmationis invalida, ac nulla est. Debet præterea, ut contrahatur cognatio spiritualis, baptismus non solùm validè, sed etiam verè collatus esse; hinc quando domi privatim confertur, & postea in Ecclesia adhibentur duntaxat solemnitates, ac prætermissæ cæremoniæ supplentur, baptismo minimè iterato, etsi tunc etiam adhibeantur patrini, nullam isti cognationem contrahunt cum baptizato, ejùsve parentibus. Sanch. *l. 7. disp. 62. n.* 1. Tannerus, Dicastillo, sicque declaratum esse à S. Congregatione testatur Iac. Pignatellus *Consultation. Canonicar. tom 7. Consult. 93. n.* 4. Ratio est, quia non suscipiunt infantem è baptismo, qui domi jam fuit privatim collatus; & quod nunc in Ecclesia suppletur, Sacramentum non est, sed Sacramentale; cognatio autem spiritualis, & impedimentum non oritur ex Sacramentalibus, sed ex Sacramentis.

9. Quæstio autem non levis est, an ex baptismo valido privatim collato, & inter quas personas cognatio spiritualis oriatur? circa quod dubium DD. quoad hoc conveniunt, baptizantem etiam privatim, & in extrema necessitate, sive Clericus, sive laicus sit, sive vir, sive fœmina, contrahere veram cognationem spiritualem, quæ dirimat subsequens Matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, vel illius parentes, nam ubi est vera spiritualis generatio, est etiam spiritualis cognatio: sed etiam in privato, & in necessitate collato baptismate datur vera spiritualis generatio: ergo exinde etiam consurgit vera cognatio, *Paternitas* nempe, *Compaternitas*, & *Filiatio spiritualis*: quapropter Ius quoque Ecclesiasticum *in c. final. De Consang. & Affinit.*, alijsque pluribus textibus semper indefinitè, ac universaliter loquitur de vero baptismo, quin faciat ullam distinctionem inter baptismum solemnem, & privatum, publicè, vel in necessitate domi collatum, neque excipit ullùm baptizantem, quiscunque ille sit. Quare si quando Authores aliqui excipiunt maritum, qui in necessitate baptizat conjugis suæ, vel utriusque communem sobolem, non volunt per hoc dicere, quòd is, cognationem spiritualem non contrahat, sed quòd non contrahat hujus cognationis impedimentum, id est, quòd ei contracta spiritualis cognatio non obsit, neque ullum ponat impedimentum ad petendum debitum conjugale juxta *c. Ad limina. 30. q.* 1. cùm tamen, si sponsus de futuro prolem è sua sponsa genitam, vel alius è concubina susceptam in necessitate baptizet, cum neutra amplius possit contrahere Matrimonium sine obtenta dispensatione propter cognationem, quæ oritur ex tali baptismo ad diri-

mendum subsequens Matrimonium; Ecclesia enim non vult, ut inter personas novo hoc amicitiæ vinculo, & arcta conjunctione inter sese obstrictas, consistere possit conjugium, easque ad hoc reddit inhabiles. At verò si maritus in conjugio actuali existens, propter baptismum proli uxoris suæ, vel utrique communi collatum in necessitate, quando vel nemo alius adest, qui baptizet, vel saltem non æquè aptus, ita ut periculum sit, ne infans sine Baptismo, saltem ritè collato, decedat, si, inquam, maritus propterea privaretur jure petendi debitum conjugale, hoc ipsi imponeretur per modum pœnæ, & difficillimum ei gravamen injungeretur, quod fieri non debere, decidit Ioannes VIII. in *cit. can. Ad limina. 30. q. 1.* quia, ut rationem ibidem dat memoratus Pontifex, *inculpabile judicandum, quod necessitas intulit*, & æquum non est, ut qui à culpa immunis fuit, suæque satisfecit obligationi, Baptizans prolem, ne æternùm periret, id damnum sentiat, ut sibi interdicatur petitio debiti, cùm nemo Jure suo debeat sine sua culpa privari, ut dicitur in *c. Discretionem. De eo, qui cognovit consang.* Sanch. *L. 7. de Matr. disp. 62. n. 12. & L. 9. disp. 26. n. 2.* Perez, Dicastillo Bonac. Licèt verò ab hoc impedimento Maritum excusent Authores, non tamen pariter eum eximunt à cognatione Spirituali, ut videri potest apud dictum Sanchez, Engl. *l. c. n 8.* Dominicum Sotum *in 4. dist. 42. q. 1. art. 1.* ubi clarissimè id dicit: *igitur si quis, exempli gratiâ, suæ conjugis filium tempore necessitatis Baptizaverit, licèt cognationem Spiritualem cum ea subinde contraxerit, potest tamen & debitum petere, & reddere, quia necessitas, ut caret lege, ita & à pœna legis excusat*, quibus similia habet Barbosa in cit. can. Ad limina. n. 7. *Quamvis autem inter ipsos conjuges oriatur etiam cognatio Spiritualis, quæ si Matrimonium præcederet, ipsum dirimeret, ubi eorum alter in necessitate baptizaverit filium communem, nimirum suum, & alterius conjugis* (vel solius uxoris, ut paulò post dicit) *minimè tamen interdicitur petitio debiti, ut expressè deciditur in hoc textu &c.* Addit præterea, idem dicendum fore, si parens, quando infans censetur esse in præsentissimo mortis periculo, miseratione commotus, ne absque Baptismo decedat, animo penè indeliberato accurrit, quamvis adessent alij, qui id munus præstare possent. Item si conjux jam ad fidem conversus, uxorem, quam infidelitatis tempore duxerat, baptizet in occurrente simili necessitate.

6. Ex ijsdem ferè argumentis, quæ afferuntur pro baptismo in necessitate collato, idem judicium, quod de baptizante, plurium Authorum est de eo, qui baptizatum tenet

net in baptismo privatim, & in necessitate collato; hunc enim, arbitrantur, æquè cognationem contrahere, ac baptizantem, quia ut iste verè baptizat, ita hic verè, ac propriè è Sacro fonte suscipit, proinde pariter, ut iste, cognatus evadit. Accedit, quòd sicuti de baptizante, sic etiam de susceptore indiscriminatim Jura loquantur, quin ullam distinctionem faciant, an publicè, an privatim quis baptizatum susceperit: idem igitur utrobique judicium esse debet, quin admittatur aliqua distinctio. ita Laym. *L. 5. tr. 2. c. 9. n. 9.* Coninck *disp. 32. dub. 2. n. 39.* Navarr. *in Manuali c. 22. n. 40.* Basilius Pontius *L. 7. c. 40. n. 5.* Paulus Comitolus *L. 1. Respons. Moral. q. 137.* Escobar *Theol. Moral. p. 2. L. 11. Sect. 2. c. 3. n. 533.* Less. *in opusculis c. 10. de Sacram. Matrim. dub. 7. n. 173.* Zambran. *de Bapt. c. 1. dub. 18. n. 4.* & ex Canonistis Wiestner *n. 21. de cognat. Spirit.* & Pirhing *n. 36. eod. Tit.* plerique tamen hoc ita limitant, ut tunc solùm velint cognationem Spiritualem contrahi, si baptizatum teneat non solùm materialiter ad majorem commoditatem baptizantis, sed formaliter, cum animo nempe, & intentione munus patrini obeundi, & subeundi ejusdem obligationem, quibus sub hac limitatione accedunt etiam Suarez *3. p. q. 67. art. 8. dub. ult.* & Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4. n. 67.*

Quantum ad hoc punctum attinet, certum est, quod asserunt isti Authores, nullam oriri Spiritualem cognationem, si is, qui baptizandum tenet, hoc solùm agat materialiter, ut infans commodiùs baptizetur, quia materialis illa tentio non sufficit, ut aliquis fiat verè susceptor, aliàs cùm baptizans ipse communiter infantem teneat, is quoque evaderet illius susceptor, quod falsum est: hoc autem plerunque ferè contingit, ut ista levatio non nisi materialis sit, nam solent infantes baptizari interdum quidem in cunabulis, non rarò autem in ulnis propriæ Matris, vel alterius personæ, ut oportuniùs, atque commodiùs ablui possint. Cæterùm non solùm in istis circumstantijs, sed absolutè tanquam probabilius dicendum videtur, in baptismo privato, & in casu necessitatis collato, nullam unquam contrahere cognationem, qui baptizandum suscipit, etiamsi ut patrinus adhibeatur, & ad hoc munus designatus fuerit. ita Sanch. *L. 7. disp. 62. n. 14.* Perez *disp. 29. Sect. 3. n. 9.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 304.* Bonac. *l. c. n. 11.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 5. n. 197.* Hurtad. *disp. 18. de Matr. difficult. 6. n. 20.* Palao *tract. 19. disp. unic de Baptismo pu. 11. §. 2. n. 12. & seq.* Bassæus *V. Matrimonium 7. n. 29.* Diana *p. 5. tr. 3. resol. 7.* Engl *l. c. n. 7.* Sotus *l. c. ad finem §. Profectò rationes.*

Ratio est, quia designatio, & adhibitio

hibitio patrini est cæremonia ab Ecclesia instituta non pro quocunque baptismo, sed pro solemni, nam pro baptismo privato nullum Ecclesia patrinum exigit: ergo munus Patrini, & impedimentum ex eo proveniens solùm in baptismo solemni locum habet, cùm in privato baptizatum sustinens verè, ac propriè patrinus non sit; quod etiam ex communi modo loquendi constat, & opinione vulgi, nec enim vulgò vel compatres, vel patrini existimari, & appellari solent tenentes infantem in tali casu, nec inscribuntur in libro, sed ij duntaxat, qui hoc Officium in baptismo solemni obeunt, quorum nomina Parochus jubetur diligenter annotare, eosque docere, quam cognationem contrahant in Trident. *Sess. 24. c. 2. de Reform. Matrim.* Neque obest, quòd privatim baptizans cognationem contrahat æquè, ac qui baptizat solemniter, nam quomodocunque baptismus conferatur, an privatim, an publicè, ac solemniter, semper verus baptismus est, unusque ab altero non nisi accidentaliter, & in extrinsecis cæremonijs differt; verus proinde utrobique baptizans datur; at in baptismo privato verus susceptor non datur, hunc enim Ecclesia instituit solummodo pro baptismo solemni: mirum ergo non est, quòd hic non pariter, ac baptizans cognationem contrahat. Sed neque illud obest, quòd is, qui in baptismo privato tenet, intendat exercere munus patrini, hæc enim intentio non facit, ut munus veri patrini obeat, & contrahat cognationem spiritualem, namque hæc non contrahitur, nisi munus istud exerceatur eo modo, quo ab Ecclesia præscribitur ad cognationem spiritualem contrahendam: Ecclesia verò in solo solemni baptismo id constituit, non verò in privato, nec est in voluntate susceptoris positum, ut extra baptismum solemnem solemni ritu suscipiat infantem, quia id impossibile est: manet igitur probabilius, in baptismo privato nullam à susceptore cognationem contrahi: nec opus erat, ut hanc opinionem defensam à Dominico Soto Comitolus *loco citato* vocaret *errorem tanto Theologo planè indignum, quo nihil potuit dici absurdius*, eandem enim Sententiam propugnat non Sotus duntaxat, sed alij Authores plurimi, ut suprà vidimus, & in Scholis nominatissimi, cum quorum pluribus, nescio, an Comitolus in censum deducendus sit, nec sunt tam levia argumenta, quæ stant pro hac Sententia, ut dicere meritò potuerit Basilius Pontius *l. c.* Sotum sic docuisse *sine ullo prorsus fundamento.*

7. Secunda conditio est, ut qui baptizat, vel levat è baptismo, sit ipse baptizatus, alioquin capax non est cognationis Spiritualis ab Ecclesia inductæ, quia non baptizatus, etsi catechumenus sit, Ecclesiæ, ejusque

ejusque legibus non est subjectus: nequit ergo cognationem contrahere, quæ Lege Ecclesiastica constituta est. Sanch. *L. 7. disp. 60. n. 7.* Coninck *disp. 32. dub. 2. n. 25.* Perez *disp. 29. Sect. 2. n. 3.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 2.* Tannerus, Dicastillo &c. Imò etsi postea, qui adhuc infidelis baptizavit, vel tenuit in baptismo puellam, convertatur ad fidem, ne tunc quidem cum illa, ejusve parentibus cognationem contrahet, neque habebit impedimentum, quò minùs hanc puellam, vel ejus Matrem in uxorem ducere possit. ita rursus Sanch. *cit n. 1.* Laym. *l. c.* Bonac. *q. 3. de Imped. Matrim. pu. 5. §. 2. n. 21.* Rebellus *p. 2. de Oblig. Iust. L. 3. q. 6. n. 7.* Pirhing *n. 35. de Cognat. Spirit.* alijque contra Toletum *L. 2. Summæ c. 23. in fine*, & Henriq. L. 12. c. 11. n. 2. quibus accedit ex parte Tannerus, dum ait, non posse contrahere cum puella, quæ filia ejus Spiritualis est, etsi licitè contrahat cum ejus Matre. Ratio autem assertionis nostræ est, quia ex baptismo, dum is conferebatur, non poterat oriri cognatio, cùm baptizans tunc non fuerit ejusdem capax, utpote Ecclesiæ, & ejus legibus non subjectus: sed neque postmodum ea exoritur, quia baptismus jam non ampliùs existit, & quod ab initio nullum fuit, tractu temporis nequit convalescere. *c. Non firmatur. De Reg. Iur. in 6.* & *L. Quod ab initio. ff. De R. I.*

Major difficultas esse videtur in Confirmatione, an cognationem Spiritualem contrahat fidelis, qui munus patrini in Confirmatione exercet, si ipse nondum confirmatus sit? hoc enim multi judicant non obesse, quia cum baptizatus sit, Ecclesiæ membrum est, ejusque Sanctionibus subditus: non ergo militat eadem ratio contra ipsum, quæ pugnat contra infidelem, seu non baptizatum, ita Rebellus *l. c.* Eman. Rodriq. *in Summa p. 1. c. 225. n. 10.* Sà *V. Matrimonium n. 5. de imped. dirim.* idemque probabilius esse judicat Dicastillo *disp 7. de Matr dub. 26. n. 254.* Sed contrarium tenendum esse, videlicet susceptorem in Confirmatione debere esse confirmatum, ut contrahat cognationem Spiritualem, in Jure decisum est. can. In Baptismate 102. De Consecrat. dist. 4. ubi dicitur: *in Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus*; & ne quis dicat, per hoc solummodo prohiberi, ne in hoc Sacramento adhibeatur patrinus, qui ipse confirmatus non est, quin clarè dicatur, eum cognationem non contrahere, id luculenter declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum in una Licensi 13. Iunij 1654. *non confirmatum non contrahere cognationem Spiritualem* apud Iac. Pignatellum *Consult Canonicar. tom. 1. Consult. 10. n. 3.* idemque docent

Barbosa

Barbosa *in cit. Can. n.* 1. Sanch. *disp. cit. n.* 20. Coninck *L. c. n.* 32. Bonac. *n.* 21. Filliuc. *l. c. n.* 195. Perez &c.

8. Tertiò requiritur, ut in Baptismo vel sit tantùm unus suscipiens, uti antiquitùs præscriptum erat. Can. 101. disp. 4. De Consecrat. *Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quàm unus sive vir, sive mulier; in Confirmatione quoque idipsum fiat.* & c. fin. de Cognat. Spirit. in 6. quod erat valde rationi consonum, quia cùm munus susceptoris sit baptizatum instruere, oportuit unum solum susceptorem adhiberi, ne, multis instructoribus existentibus, altero in alterum reijciente, onus instruendi penitus negligeretur: vel potest esse Jure novo Concilij Tridentini *Sess.* 24. *c.* 1 *de reform. Matr.* sive unus tantùm, aut vir, aut mulier, vel ad summum unus, & una, qui baptizatum de baptismo suscipiant, quod permittitur à Concilio, ut generatio Spiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duæ matres reperiuntur, sed unus pater, & una mater; quare non possunt munus patrini obire duo viri, vel duæ fæminæ, sed quando adhibentur duo, debent esse diversi sexûs, quod etiam declarâsse Congregationem Cardinalium refert Sanch. *L.* 7. *disp* 57. *n* 4. & cùm Concilium Leodiense Provinciale duos viros, vel duas mulieres in patrinos admisisset, Gregorius XIII. id non approbavit apud Iac. Pignatellum *Consult. Canonic. tom.* 7. *Consult.* 93. *n.* 2. Unicus casus excipitur, ut declaratur apud eundem Authorem *n.* 12. à Sacra Congregatione Concilij in una Veronensi, quo duo viri possunt suscipere puerum de Baptismo; si nempe unus hoc faciat pro se, alter verò ut procurator mulieris; aliàs verò nec Episcopus quidem potest concedere licentiam, ut duo viri loco viri, & mulieris aliquem de Baptismo suscipiant. Tannerus *disp. cit. n.* 69. Barbosa *de offic. & potest. Episc. Alleg.* 30. *n.* 41. Peccat etiam Parochus mortaliter, plures in baptismate, quàm duos admittens, quod ex eo colligitur, quòd Tridentinum Concilium plures admittentem puniri velit arbitrio Ordinarij, quod non præciperet ob culpam levem, ut existimant Palao *tr.* 19. *disp. unic. pu.* 11. §. 2. *n.* 1. Coninck *q.* 67. *de Sacram. art.* 7. *in fin.* Barbosa *l. c. n.* 44. Desiderat nempe sacra Synodus omni modo cavere, ne nimiùm multiplicentur cognationes spirituales, & Matrimonij impedimentum: rursumque absolutè non potest Episcopus quoad numerum dispensare, ut plures duobus patrini adhibeantur, quia in præcepto Pontificis, aut Concilij Generalis Episcopus dispensare non potest, nisi ea facultas sibi expressè concedatur, aut semel, atque iterum urgente necessitate sit impeditus ad Papam aditus: nullo autem

autem modo, ut plures sint patrini, urget necessitas, vel utilitas, nec ullibi invenitur ista facultas ad dispensandum Episcopis concessa esse, & si alicubi viguit ea consuetudo, eam Concilium Tridentinum abolevit, ut denuo habetur declaratio S. Congregationis in Tergestensi apud Pignatellum n. 11: *non obstante quacunque consuetudine, sive potiùs corruptelâ, nunquam tertius patrinus est adhibendus.*

In Confirmatione quoque duos patrinos adhiberi posse, virum, & fæminam, docet Sanch. *cit. disp. 57. n. 9.* quem sequitur Perez *Sect. 5. n. 22.* sed probabilius est contrarium, videlicet unum duntaxat adhibendum esse patrinum in Confirmatione, prout statutum est *c. fin. De Cognat. spirit. in 6.* Barbosa *l. 6. n. 43.* Tambur. *l. 3. de Confirm. c. 4. n. 4.* Palao *tr. 20. disp. unic. de Confirmat. pu. 10. n. 2.* Bonac. Tannerus &c. quia quòd Tridentinum Concilium unum, & unam admittat in baptismo, id non extenditur ad Confirmationem quoque, nam Confirmationis sacrum Concilium nullam mentionem facit: cùm ergo hæc Synodalis sanctio sit correctoria Juris antiqui, restringi debet, non autem extendi ultra terminos clarè expressos, atque ita etiam hodie manet in suo vigore Ius antiquum, quod unum duntaxat in Confirmatione patrinum admisit.

9. Debent verò patrini ad hoc officium designari à parentibus, aut ab ijs, quibus incumbit cura illius, qui baptizatur, ita innuitur in ipso Tridentino l. c. *Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat;* nec possunt, si ritè unum, vel duos designârunt, ijdem à Parocho reijci, & alij designari, nisi adfuerit justa causa, v. g. quia sunt notoriè excommunicati, vel non baptizati, aliòve defectu laborant, ob quem reijciendi sunt, quòd si verò Parentes, aut Curatores vel omnino nullum constituerint, vel malè, ac illegitimè plures duobus, vel duos viros, aut duas fæminas, tunc designatio ad baptizantem, nempe Parochum, pertinet, quia ipsi incumbit, ut baptismus legitimè, & cum præscripta solennitate celebretur, quod non fieret absque patrino: debet igitur tunc ipse designare vel è pluribus unum, aut duos seligere, qui isto munere fungantur. An verò, si vel ex negligentia, vel oblivione Parentum, aut ipsius Parochi nulli designati fuerint, & quispiam se ultrò ad hoc officium intrudat, vel plures simul, qui tunc præsentes sunt, baptizatum suscipiant, à nemine designati, an tunc hi omnes contrahant cognationem, dubium est. Contrahere omnes, dummodo baptizatum tangant, opinantur Hurtadus *disp. 18 diffic. 4 n. 16* Sà *V. Matrimonium. n. 5. de imped. diriment.* Præpos.

in 3. p. S. Th. q. 7. de imped. dirim. dub. 6. n. 52. Rebellus *p. 2. de oblig. Iust. l. 3. q. 6. n.* 5. Bonac. *q. 3. de imped. Matr. pu.* 5. §. 2. *n.* 25. saltem si tangant simul, & non successivè, sic enim solùm primus cognationem contraheret, quia is solus susceptor est, nam quando cæteri accedunt ad suscipiendum, sive tangendum, jam absolutum est ministerium suscipiendi: non ergo isti, sed primus duntaxat effectus est patrinus, & per hoc cognatus spiritualis. Ex opposito Sanch. *l. 7. disp 57. n.* 12. Perez *disp. 29. Sect. 5. n 9.* Coninck *disp. 32. n. 29.* Dicastillo *disp.* 7. *de Matrim. dub. 28. n. 280.* alijque docent, nullum eorum contrahere cognationem spiritualem, sive successivè, sive simul teneant; idemque tradunt etiamsi unus tantùm suscipiat, qui ultrò se intrudit, à nemine designatus. Ratio est, quia deficiente designatione nullus est verè patrinus, nam Tridentinum exigit designationem ab ijs fieri, quibus istud incumbit: eâ igitur deficiente, non sunt, nec agnoscuntur à Concilio tanquam patrini, atque ideo non contrahunt cognationem: verba Concilij sunt: *quod si alij ultra designatos baptizatos contigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant*, quod inde confirmatur, quia alioquin hujus cognationis multiplicatio non vitaretur, sicque mens S. Concilij frustraretur, quod omni modo hanc multiplicationem vitare intendit. Addit præterea Tridentinum dicto loco: *omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*: cùm ergo personæ ibi contentæ, quæ hujus cognationis participes fiunt, nominentur patrini designati ad hoc munus obeundem, aliæ personæ omnes, quæ designatæ non fuerint, illius minimè capaces sunt; atque hæc opinio, attendendo illius rationes, valdè probabilis est, & fortè probabilior videri potest. Adhuc tamen accedendum est priori sententiæ ob declarationem Cardinalium, quam allegat Rebellus Sect. 4. n. 95. in appendice ad lib. 4. p. 2. ubi ait: *Congregatio censuit, si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, si non constat, quis primò tetigerit, si plures sunt electi, vel nullus: si unus est electus, ille tantùm contrahit*, cui declarationi standum esse ait Pirhing *n. 30. de Cognat. spirit.* cum Tan *l. c. n. 69.* quia à Jure antiquo recedendum non est, quando aliud non statuitur jure novo; concilium verò Tridentinum *l. c.* solùm loquitur, quid sentiendum sit, & qui cognationem contrahant, quando adsunt patrini designati, & præter hos alij non designati, & tunc, ait, hos non contrahere, sed solùm designatos, non autem mentionem ullam facit, aut aliquid definit, quando nullus est designatus, sed ultrò non rogati unus, vel plures accedunt: igitur in tali casu standum est juri antiquo c. finali De Cognat. spirit. in 6., juxta quem textum omnes tenentes cog-

cognationem contrahunt. Ita præter supra citatos docent Basil. Pontius *l. 7. c. 39. n. 11.* & Palao *tr. 19. de Sacram. Baptis. disp. unic. pu. 11. §. 2. n. 9.* quia non est credibile, voluisse concilium Baptismum solemniter celebrari sine patrino, & cùm in tali casu è duobus unus contingere debeat, ut vel Baptismus solemnis celebretur absque patrino, vel omnes suscipientes patrini sint, potiùs est præsumendum, velle Ecclesiam hoc secundum, ne Baptismus solemnis sine patrino celebretur contra receptam, & antiquissimam consuetudinem ab ipsis Apostolorum temporibus hucusque constanter observatam.

Porrò ex hoc capitulo, & memorata Cardinalium declaratione constat à fortiore, quid dicendum sit, quando contra præscriptum à Tridentino numerum plures sunt designati à Parentibus, vel duo mares, aut duæ fæminæ; si enim simul omnes tangant, omnes cognationem contrahunt; si successivè, solus ille, qui primus baptizatum suscipit, atque ita si hæc conditio non observetur, ut unus tantùm, vel unus, & una baptizatum suscipiant, non excusatur quidem à gravi peccato Parochus plures admittens, actusque fit illicitè, validus tamen est, quia lex Tridentini prohibet quidem hoc ita fieri, actum tamen non irritat, ut rursum constat ex declaratione Cardinalium apud Rebellum *n. 96. quòd si plures sint designati, qui omnes baptizatum tenuerunt, qui omnes fuerunt admissi, nec constat, quot ex decreto Concilij fuerint designati ad compaternitatem, omnes contraxerunt cognationem Spiritualem, qui tetigerunt, punito tamen Parocho. c. ult. De Cognat. Spirit. in 6.* Basil. Pontius *n. 12.* Palao *n. 11.*

10. Magis est necessaria ad contrahendam cognationem Spiritualem quarta conditio, quæ est, ut patrinus vel actu teneat infantem, dum aqua super illum affunditur à baptizante, vel confirmatum, dum confirmatur, vel certè eundem recipiat è manu ipsius baptizantis, aut confirmantis, siquidem Jura dum passim utuntur his, aut æquivalentibus verbis: *sucipit, accipit, levat, tenet, tangit*, indicant tactum physicum, quod non verificatur in eo, qui solùm assistit; neque satisfacit suo muneri suscipiens sine hoc tactu, nec contrahit cognationem, ut docet communis, & habetur de hoc declaratio S. Congregationis in Abulensi apud Pignatellum L. c. n. 16. edita 1. Sept. 1588. quæ ita sonat: *Congregatio Concilij censuit, mulierem, quæ adstiterit tantùm, & non tetigerit infantem, non contrahere cognationem Spiritualem, quamvis tales mulieres ex consuetudine loci vocentur commatres:* sufficit verò, quòd baptizandus tangatur medijs vestibus, involutus linteo, vel positus in disco. Sanch. *L. 7. disp. 56. n. 6.* Advertunt etiam Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 27. n. 263.*

& Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 7. de Imped. Matr. dub. 6. n. 39. V. Quòd si n.* commatrem non contrahere cognationem, quando suscipit infantem de manibus compatris, quia sic non censetur suscipere ex Baptismo, sed requiri, ut ipsamet immediatè suscipiat saltem de manibus baptizantis, contrarium tamen testatur Gobat *tract. 2. cas. 17. n. 540. & seqq.* observari in praxi in aliquibus Diœcesibus, velut in Curiensi, & Constantiensi, ubi commater tradit infantem Sacerdoti mox baptizaturo, eundem verò recipit ipsa non à baptizante, sed jam baptizatum è manibus patrini, & quidem non ad baptisterium, sed juxta altare, aitque, Magistratum Ecclesiasticum illius loci improbaturum, & fortè etiam dissoluturum Matrimonium, si quod vel attentaretur, vel contractum esset cum ejusmodi Matrina, & patre baptizati, quas Diœceses, ait, quoad hoc damnandas non esse, cùm, ut sequente *num. 543.* testatur ex Barbosa in Tridentinum *Sess. 24. c. 2. de reform. Matrim. n.* 36. allegante Aldanum, hoc ita declaraverit Sacra Congregatio Concilij 27. Sept. Anno 1601. quòd nempe sufficiat, si commater tradat infantem Sacerdoti jam jam baptizaturo. Econtra dictam cognationem non contrahit mulier, licèt quoad hoc quoque citatus Gobat in partem affirmativam inclinet *tr. 9. cas. 8. n.* 171. quæ ex antiqua consuetudine loci defert è domo puerperæ infantulum, usque ad templum, traditque ad fores Ecclesiæ designato patrino, quin postea circa infantem ullum ampliùs ministerium ipsa exerceat, etiamsi ex vi ejusdem consuetudinis referaturtanquam vera matrina in librum baptizatorum, pro quo rursum adducit Pignatellus *l. c. n. 17.* declarationem Eminentissimorum DD. Cardinalium his verbis: *dubitatum fuit in Sacra Congregatione super Episcopis, an ex quo Laura de Ferdinando adduxit ad Ecclesiam filium Fabricij ad baptizandum, & inde ad domum iterum reportavit, sit propterea orta inter eos cognatio Spiritualis, adeò, ut non possit contrahi inter illos Matrimonium, stante consuetudine illius loci, in quo tales mulieres asportantes filios ad Ecclesias commatres vocantur, & à Parocho in libro baptizatorum describuntur ut tales, etiamsi dictos filios non teneant; unde ex hoc intrare videbatur impedimentum cognationis Spiritualis? Sacra Congregatio re maturè discussa, & Clementi VIII. relatâ, decrevit, eisdem concedendam esse dispensationem; sed quòd Episcopus declarare debeat, quòd imposterum ex hoc nullum oriatur impedimentum per c. 1. & c. Super eo. De Cognat. Spirit. ibique Gloss. die 9. Nov. 1592.*

11. Cæterùm contactus iste, quem necessarium esse diximus ad contrahendam cognationem spiritualem, opus non est, ut personaliter fiat, sed potest exerceri per procuratorem, unde potest quis alium

alium levare è baptismo per procuratorem, quo casu non procurator, sed qui eundem misit, patrinus dicitur, & cognationem spiritualem contrahit. Huic assertioni duplex aliorum opinio adversatur. Prima est Toleti *L. 7. Summæ. c. 4.* Eman. Rodriq. *p. 1. Summæ. c. 225. n. 9.* Petri de Ledesma. *q. 56. de Matr. art. 3. §. ex resolutione huius dubij*, qui dicunt, non eum, qui mittit, sed ipsum procuratorem, qui baptizatum tenet, cognationem Spiritualem contrahere, sufficienter enim hoc indicari per ipsa verba *suscipit, tenet &c.* quibus jura utuntur, requiri actionem personalem. Altera dicit, neque à procuratore, neque ab ipso mittente contrahi; non ab hoc, quia non ipse suscipit de Sacro fonte, nam absens infantem nec tangit, nec suscipit; non ab illo, quia is non intendit se constituere patrinum, ac tenere proprio nomine, neque ad hoc designatus est. Ita Filliuc. *tr. 10. c. 5. n. 192.* Sanch. *L. 7. disp. 59. n. 4. & 11.* Reginald. *L. 31. n. 156. &c.* Communior tamen, & neutiquam deserenda est nostra assertio, quæ apud potiores est receptissima. Ratio illius solida est, quia quælibet actio per procuratorem exerceri potest, nisi expressè prohibeatur, ut constat ex *l. 1. §. usus. ff. De Procurator.* atqui Ecclesia nullibi prohibet, ne quis ad munus patrini exercendum procuratorem mittat, nam passim videmus, hoc in praxi fieri, præsertim apud Principes, aliosque Magnates, qui hoc munus obire solent per procuratores, quod sanè non permitteretur, si istud non sufficeret, quia sine ratione administraretur Baptismus absque omni patrino contra præceptum Ecclesiæ, & nulla exigente necessitate, gravissima, & antiquissima hæc cæremonia omnino omitteretur, & solùm ridiculè simularetur: ergo per procuratorem validè hoc munus exerceri potest, non minùs, quàm validè contrahitur Matrimonium per legatos, & Procuratores: quod si aliquando admittitur, tunc sanè admitti quoque debet, non procuratorem, quia ipse verus susceptor non est, sed instrumentum susceptoris, & nomine non suo, sed alieno agit, non hunc, inquam, verùm ipsummet principalem, sive eum, à quo mittitur procurator, cognationem contrahere, quia juxta Regulam Juris 72. in 6. *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum.* Coninck *disp. 32. dub. 2. n. 40.* Palao *tr. 19. disp. unic. de Baptis. pu. 11. §. 2. n. 16.* Bonac. *q. 3 de Imped. Matrim. pu. 5. §. 2. n. 34.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 4. & 5.* Perez, Sporer, Tannerus, Hurtad. Dicastillo, Pirhing, quibus accedunt Franc. Leo *p. 2. Thesauri fori Ecclesiastici c. 23. n. 64.* & Barbosa *de offic. & potest. Episc. Alleg. 30. n. 50.* Præpositus &c. qui testantur, hoc declaratum esse à sacra

Con-

Congregatione Concilij, atque etiam à Rota Romana. Extat talis declaratio apud Rebellum in cit. appendice n. 90.: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.* & n. 92. *qui levat, aut tenet Procuratoris nomine, nullam contrahit spiritualem cognationem, ea quoque cognatio inter levatum, & filium levantis nullum est impedimentum.*

Nec obest, quòd dicant, constituentem procuratorem, ut suo nomine baptizet, nullatenus cognationem spiritualem contrahere: ergo neque eum, qui procuratorem mittit ad suscipiendum, cùm eadem in utroque casu ratio sit; hoc, inquam, nihil evincit, quia maxima est disparitas, nam qui baptizat, etiamsi id faciat ex licentia, vel commissione alterius, non baptizat nomine illius, eum repræsentans, & ut ipsius procurator, sed sustinet immediatè personam Christi, & constituitur verus minister baptismi, ac baptizat proprio nomine, consequenter ipse contrahit cognationem: at procurator, quamvis ipse immediatè teneat, non tamen tenet suo nomine, sed alieno, atque ideo non ipse dicitur patrinus, nec evadit spiritualis cognatus.

12. Ultima denique conditio est, ut hæc susceptio non merè materialis sit, sed formalis, id est, ut fiat cum animo, & intentione vel expressa obeundi munus susceptoris, vel saltem implicita, & confusa exercendi cæremoniam ab Ecclesia præscriptam, quare si quis sustineat solùm gratiâ commoditatis, ne baptizatus humi jaceat, vel ut Parentibus rem gratam præstet, vel ut juvet patrinum seniculum, non verò ut ipse fungatur munere patrini, nullam cognationem contrahit. Ratio est, quia sicuti qui baptizat absque intentione baptizandi, aut faciendi, quod facit Ecclesia, non verè baptizat, neque cognationem contrahit, ita qui suscipit infantem absque animo suscipiendi, seu faciendi officium patrini, vel exercendi illam cæremoniam ab Ecclesia præscriptam, non dicitur suscipere de sacro fonte, vel esse patrinus, aut cognationem contrahere. Sanch. Bonac. & communiter alij. Ex hoc defectu non contrahit cognationem obstetrix, si quando infantem ipsa immediatè accipit è manu baptizantis, ut eum pannis rursum obtegat, porrigatque Matronæ, vel Patrino, quia non habet intentionem suscipiendi, ut patrini solent. Gobat tr. 2. cas. 17. n. 544. posito autem, quòd aliquis velit verè tenere, ut fungatur patrini officio, vel saltem, ut exerceat illum actum, tanquam cæremoniam ab Ecclesia præscriptam, tunc extra dubium est, quòd contrahat cognationem Spiritualem, quamvis ignoret, eam ex hoc actu nasci, sicut qui fit affinis, aut Sacros Ordines suscipit, impedimentum contrahit, sive sciat, hoc annexum esse, sive nesciat. Sed neque

que per hoc eam subterfugit, quòd intendat cognationem non contrahere, quia hæc non dependet ab ipsius voluntate, sed ab Officio patrini, illique annexa est ex statuto Ecclesiæ: eo ipso igitur, quòd quis exerceat munus patrini, eandem contrahit, cùm in ejus potestate non sit, effectum statuti hujus Ecclesiastici, ac consequenter dictam cognationem huic actioni ab Ecclesia inseparabiliter annexam impedire. Bonac. *q. 3. de Imped. Matrim. pu. 5. §. 2. n. 15.* Palao, Coninck, Dicastillo *ll. cc.*

Porrò ut hæc intentio haberi possit, necesse est, ut qui futurus est patrinus, assecutus sit usum rationis, ut per se patet: præterhoc verò certa ætas à jure non præscribitur; quare audiendus non est Abbas *in c. Debitum. De Baptis. n. 3.* ubi in patrino exigit octodecim annos, & Ancharanus, qui apud Sanch. *L. 7. disp. 61. n. 2.* in eodem requirit saltem quatuordecim, in qua nempe ætate pubes est, ut pater esse possit, nam ista gratis requiruntur, quidquid enim exigatur in generatione naturali, vel paternitate legali adoptionis, in regeneratione Spirituali in Christo, quæ per baptismum fit, nulla habetur ratio ætatis, sed potest quilibet effici pater Spiritualis baptizati, sive pubes sit, sive impubes, sive ætate excedat, sive baptizato inferior sit, quis enim negabit, Judæum jam grandævum validè baptizari ab adolescente? validè igitur etiam suscipit è baptismo, qui ætate inferior est, dummodo doli capax sit, & eum habeat usum rationis, qui sufficiat ad culpam lethalem contrahendam, possitque habere intentionem faciendi, quod alii patrini faciunt; atque ita si etiam in puero septennio minore accelleretur usus rationis sufficiens ad mortale peccatum, erit hic quoque legitimus patrinus, & veram cognationem Spiritualem contrahet. Sanch. *disp. cit. n. 4.* Bonac. *l. c. n. 17.* Perez, Dicastillo.

13. Ut modò respondeamus ultimatò ad quæsita in casu præsente proposita, revocanda sunt in memoriam, quæ supra diximus *n. 2. & 3.* Ex priore constat, post Tridentinum Concilium jam non transfundi ampliùs paternitatem indirectam in conjugem illius, qui aliquem è baptismo suscepit, unde per hoc, quòd Cleria uxor Adelelmi è Sacro fonte levaverit Rodomiram, nulla contracta est Spiritualis cognatio inter hanc, & Adelelmum, quæ Matrimonium post mortem Cleriæ impediret, contractumque dirimeret. Ex *num. 3.* deinde manifestum est, quòd neque ij impedimentum habeant, qui simul susceptores sunt; unde ex hoc quoque capite non erat quidpiam, quod prohiberet Adelelmum accipere in tori sociam Rodomiram, quam priùs sociam habuerat in munere patrini;

patrini : solùm ergo superest, ut huic dubio satisfiat, potueritné Rodomira velut Matrina suscipere è Sacro fonte proprium fratrem? nam quòd ætatis teneritudo octennem puellam ab hoc Officio excludere non potuerit, novissimè ostensum est in num. præcedente. Totum, quod adhuc restat, dubium optimè solvit Tambur. *L. 3. de Confirmat. c. 4. à n. 11. per plures subsequentes*, cujus ipsissima verba pono. ibi dum quæstionem instituit, an frater in Sacramento Confirmationis possit esse susceptor sui fratris, ita respondet: *Sà, aliq; ajunt, licitum esse in necessitate: si ergo id solùm necessitati concedunt, negare videntur extra illam. Sed profectò id nimis jejunè dictum est. Quare oportebit & id clariùs explicare, & alias dubitationes hinc emergentes dissolvere, quod jam facio. Quæro enim primò. An peccet frater suscipiendo fratrem extra necessitatem? Quæro 2. An contrahat cognationem, spiritualem, ita ut, si frater v. g. tenuerit sororem, deinde cum illa inhonestè agendo, debeat in confessione explicare tum cognationem sanguinis, tum spiritualem? Quæro 3. per hanc occasionem, si frater fratrem suscipiat in baptismo, idemné in prædictis duobus dicendum, quod in Confirmatione? Respondeo: volui non paucos Doctorum libros revolvere, & recolere totam distinctionem quartam, & quintam de Consecr. & causam 30. in quibus de hujusmodi argumento tractatur, & nullibi inveni prohibitionem; solùm in prædicta verba Sà, & Bonacinæ incidi, valdè, ut vidistis, arida, eaq; sine ulla ratione, sine ulla Juris citatione, sine ulla paritate prolata; quare, donec aliud certius effulgeat, dico ad primam quæstionem, fratrem posse suscipere fratrem, vel sororem sine ullo peccato, quia non sunt imponenda præcepta, si de illis non constet. Dico ad secundam, contrahere cognationem, quia nulla ratio apparet non contrahendi; unde utraq; cognatio erit Confessori aperienda, si casus propositus eveniat. Dico ad tertiam, idem esse dicendum in baptismo, quia pari modo res se in eo habet.* ita Tamburinus, ex quibus habetur sufficiens solutio.

§. III.

§. III.

COGNATIO LEGALIS.

CASUS

Ætate nostra rarus.

Anolinus, cùm prole careret è sterili conjuge, successorem verò magnopere desideraret, in quem amplissimas opes cum nomine suæ familiæ transfunderet, in filium adoptavit Evagrium, juvenem optimis naturæ dotibus instructum. Ab hoc modò cupit, ut assumpto familiæ nomine stemma, cæteroquin interiturum, propagetur. Iste cùm in hunc finem uxorem sibi inquireret, conjecit oculos in Filauram, nobilem virginem, in qua non datur reperire, quod reprehendi mereatur. Unicum tantùm est, occultum quidem alijs, & vixdum ulli cognitum, sed quod Evagrium non latet, redditque vehementer solicitum: est nempe Filaura illegitimo toro genita è fornicatione, quam olim, priusquam Matrimonio jungeretur, commisit Anolinus: veretur igitur Evagrius, ne adsit impedimentum, ob quod validè uxorem ducere nequeat illam, quæ Patrem naturalem habet eundem, cujus ipse adoptivus est filius.

Q. An hîc intercedat impedimentum dirimens cognationis Legalis ?

SYNOPSIS.

1. *Quid sit cognatio Legalis, Quid Adoptio ?*
2. *Quotuplex sit Adoptio ?*
3. *Quis adoptare, & adoptari possit ? ubi de conditionibus adoptantis.*
4. *Cognatio Legalis causat impedimentum dirimens.*
5. *Probabiliùs tamen hoc solùm nascitur ex Adoptione perfecta, sive Arrogatione, non autem ex imperfecta.*
6. *Ad quas personas cognatio Legalis extendatur, & quò usque impedimentum inducat ?*
7. *Enumerantur personæ, quas hoc impedimentum non afficit.*
8. *An inter adoptatum, & filiam illegitimam Adoptantis intercedat Legalis cognatio ? Datur solutio hujus casûs.*
9. *Ex unione prolium nullum impedimentum nascitur.*

1 Omino casum hunc ætate nostra rarum, quia Adoptio, ex qua impedimentum cognationis Legalis oritur hisce temporibus admodùm rara est; quare opus non erit, ut huic materiæ tantùm immoremur, quantùm fuimus immorati præcedentibus, sed tamen prorsus intacta relinquenda non est.

Dicitur igitur Cognatio Legalis *propinquitas personarum ex adoptione proveniens.*

veniens. Primò introducta est hæc cognatio à Jure Civili, quod communi usu loquendi nomine *Legum* intelligitur, unde hoc habet dicta cognatio, quòd *Legalis* appelletur, & aliquando *Legitima*, vel *Civilis*. *L. Non facilè* 4. §. 2. ff. De Gradibus, ad differentiam cognationis naturalis. Inventa à Jure Civili deinde per Sacros quoque Canones recepta est *c. Vnic. De Cognat. Legali*, quod est desumptum ex responsis, quæ dedit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum Anno Christi 858. Pontificatûs sui nono, cùm Michaël Bulgarorum Rex fidem Catholicam amplexus, & cum majore regni sui parte baptizatus esset.

Adoptio, quæ hanc cognationem parit, communiter definitur: *personæ extraneæ in filium, aut filiam, nepotem, aut neptem legitima assumptio.* Dicitur *personæ extraneæ*, hoc est, quæ non est una ex descendentibus, & consequenter extra adoptantis potestatem, sive cæteroquin consanguinea sit, sive non. Dicitur *Legitima*, id est, secundùm formam Legum, ut scilicet observentur ea, quæ à Jure in adoptione servanda præscribuntur, de quibus inferiùs *n. 3.* Denique dicitur *assumptio*, id est, electio, cùm enim magna homini insita sit propensio ad suam successionem ulteriùs propagandam, Jure introductum est, ut naturalibus liberis orbati, possent suæ Successioni consulere, adoptantes alios in liberos, quare adoptio dici potest quædam *Legalis generatio*, Jure naturam quodammodo supplente, ut is, qui per naturam filius non erat, possit per Legem effici filius adoptantis.

2. Duplex verò est adoptio, perfecta, & imperfecta. Perfecta vocatur *Arrogatio*, per quam adoptatus sui juris existens, auctoritate, vel rescripto Principis transit in potestatem, & familiam adoptantis, fiique hæres necessarius illius ex testamento in quarta bonorum parte, ut filius naturalis. Dicitur verò *Arrogatio*, quia in ea à Principe rogari solet adoptans, velitne adoptatum in filium legitimum sibi habere, & Adoptatus, an id fieri consentiat? *L. 2. ff. De Adoption.* Alia est adoptio imperfecta, sive simplex, ac specialis. Fit ista sine rescripto Principis, auctoritate Magistratûs, vel Judicis inferioris, per quam persona extranea in Patris sui potestate existens ab alio in filium, vel filiam assumitur, ita tamen, ut naturalis Patris, vel Avi potestate non egrediatur, nec debeat succedere ut hæres necessarius ex testamento, quemadmodum arrogatus, sed solùm est hæres necessarius ab intestato.

3. Porrò ut adoptio legitimè fiat, plures conditiones requiruntur. Prima est, ut adoptans sit sui juris, & major viginti quinque annis, nam usque ad vigesimum quintum annum de Jure communi non habet admini-

administrationem bonorum, exceptis bonis castrensibus, & quasi castrensibus. 2. Debet adoptans esse vir, nam fœminæ, cùm neque naturales liberos in sua potestate habeant, adoptare non possunt absque privilegio Principis, in solatium amissorum liberorum specialiter concesso. §. *fœminæ. Instit. De Adoption.* 3. Ut habeat potentiam naturalem ad generandum; est enim adoptio instituta ad supplendum filiorum defectum, ideoque illis tantùm conceditur, qui naturaliter generare possunt: hinc adoptare nequeunt frigidi, qui naturaliter sunt impotentes, possunt tamen, qui secti sunt gladio, aut facti eunuchi per morbum, nam hi sunt impotentes tantummodo ex accidente, non ex defectu naturali. Similiter Sacerdos potest adoptare, quia naturaliter non est impotens ad generandum. 4 Denique debet adoptans esse ætatis adeò provectæ, ut excedat adoptatum decem & octo annis, possitque ratione ætatis esse pater carnalis adoptati, quia ad similitudinem filij carnalis adoptio inducta est: quin imò si adoptionem perfectam, seu arrogationem facere intendit, necesse est, ut annum quadragesimum ætatis compleverit, His positis conditionibus quilibet adoptare potest, & adoptari, & quidem adoptari etiam fœmina, dummodo præsens sit, nam absens adoptare nequit, nec adoptari, etiam per procuratorem, ut constat ex *L. Neque.* & *L. Post mortem. §. neque. ff. De Adoptionib.*

4. Cognationem legalem causare impedimentum dirimens Matrimonij, extra controversiam est, debetur enim propter adoptionem specialis quidam amor, reverentia, ac submissio adoptanti ab adoptato, & ferè non minor, quàm Parenti suo carnali liberi debeant; huic autem adversatur conjugalis copula: inter liberos quoque adoptantis, ejusque uxorem, & adoptatum specialis amor, conjunctio, & familiaritas intercedit, ut, nisi spes conjugij inter ipsos præcisa fuisset, & Matrimonium interdictum, facilè in libidinem prolaberentur: cùm igitur tam magna inter personas istas necessitudo, & conjunctio intercedat propter cognationem legalem, meritò Ecclesia Matrimonium inter eas prohibuit, voluitque, ut contractum irritum esset, ac invalidum, non minùs, quàm inter consanguineos, & affines; quod à Romanis quoque jam olim observatum fuisse constat ex *L.* 17. & 55. *ff. De Ritu Nuptiar.* & colligitur ex c. Ita diligere. 30. q. 3. *quandoquidem nec inter eos, qui naturâ, & eos, qui adoptione filij sunt, venerandæ Romanæ leges Matrimonia contrahi permittunt.* Notandum verò est, hoc solùm procedere in adoptione, in qua servatur forma legibus præscripta, si enim hac non servatâ privatim quispiam adoptaretur, coram

ram vicinis, aut alijs honestis personis, non interveniente Magistratu, corrueret actus, nullumque inde impedimentum exsurgeret, quia cùm forma det esse rei, ut patet ex *c. Tua. De Sponsal.* & *c. Quia propter. De Election.* deficiente forma, deficit actus.

5. Cæterùm an sola perfecta adoptio, seu Arrogatio, an verò quævis etiam imperfecta, sive simplex istud impedimentum pariat, magna inter Authores controversia est. Affirmant etiam de imperfecta Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 9. n. 9.* Basilius Pontius *L. 7. c. 41. n. 1.* Hurtad. *disp. 19. de Matrim. difficult. 2. n. 3.* Rebellus *L. 3. p. 2. q. 7. n. 15.* Præposit. *in 3. p. S. Th. q. 7. de imped. dirim. dub. 13. n. 109.* cum pluribus Antiquioribus, & ex Canonistis Covarruv. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 5. n. 2.* Barbosa. *de Offic. & potest. Episc. Alleg. 51. n. 189.* Gonzal. *in c. Vnic. de Cognat. Legali. n. 10.* Anaclet. Reiffenstuel *in eund. Tit. n. 10.* quia Jura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens Matrimonium, loquuntur de Adoptione absolutè, & absque ulla distinctione: adoptio autem imperfecta, quamvis sit imperfecta, est tamen absolutè, verè, ac propriè adoptio: non debent proinde Jura restringi ad solam cognationem legalem, quæ oritur ex adoptione perfecta, seu Arrogatione.

Sed probabilior est Sententia negativa, quam defendunt Sanch. *L. 7. disp 63. n. 3.* Tannerus *Tom. 4. disp. 8. dub. 4. n. 74.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub 32. n. 321.* Perez *disp. 30. Sect. 2. n. 6.* Conink *disp. 32. n. 44.* Bassæus *V. Matrimonium 7. n. 33.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 3.* Illsung *tr. 6. disp. 9. n. 72.* Diana *p. 9. tr. 6. resol. 54.* & ex Canonistis Pirhing. *n. 4. de Cognat. Legali. Not. 5.* Wiestner. *eod. tit. n. 9.* Engl, & alij plures, cum quibus dicendum, etsi prior Sententia valde probabilis sit, præsertim ob authoritatem DD. eandem defendentium, probabilius tamen esse, quòd ex adoptione imperfecta, sive simplici legalis cognatio nulla oriatur, quæ Matrimonium vel dirimat, vel impediat. Ad probationem inverto argumentum adversæ partis, quia simplex, & imperfecta adoptio, non est simpliciter, & omnino propriè dicta adoptio: ergo, cùm impedimenta Matrimonij, utpote odiosa, restringi debeant, leges statuentes hoc impedimentum, strictè debent intelligi, & consequenter de sola adoptione perfecta, non verò extendi etiam ad imperfectam. Præterea impedimentum cognationis legalis inductum est ad vitandam fornicationem, quæ facilè posset evenire inter personas in eadem domo familiariter commorantes, quæ ratio cessat in simpli-

ci

ci adoptione, cùm per eam adoptatus non traducatur in domum, & potestatem adoptantis; consequenter tanta conjunctio personarum, quæ est in arrogatione, tantumque incontinentiæ periculum non datur. Quòd autem Jus non distinguat inter arrogatum, & simpliciter adoptatum, sed indistinctè loquatur, nihil refert, nam satis est, quòd ratio Juris distinguat, quæ est cohabitatio, ut ait Sylvester *V. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dicto* 4. *in fine.*

6. Triplicem verò communiter DD. speciem assignant cognationis legalis, quæ oritur ex adoptione. Prima consistit in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, huiusque descendentes. Secunda est in linea transversa, inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Tertia est per modum cujusdam affinitatis legalis tum inter adoptantem, & uxorem adoptati, tum inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Ex vi primæ datur impedimentum dirimens Matrimonij inter Adoptantem, & Adoptatum, huiusque filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, nam adoptato patre, adoptantur etiam filij, & nepotes, qui sunt in potestate adoptati, consequenter impedimentum etiam ad hos extenditur, idque semper, & in perpetuum permanet, etiamsi adoptio dissoluta fuerit, v. g. per emancipationem adoptati, nam neque tunc quidem contrahere nuptias validè potest adoptans cum adoptati filia, vel nepte, ut expressè, habetur §. *Ergo non omnes. Instit. De Nuptijs*, & extenditur hoc impedimentum usque ad quartum gradum, ut docent Bonac. *q.* 3. *de Imped. Matr. pu.* 5. §. 3. *n.* 4. Rebellus *de Oblig. Iust. p.* 1. *l.* 3. *q.* 7. *n.* 6. Perez *disp.* 30. *Sect.* 4. *n.* 2. Basil. Pontius *l.* 7. *c.* 41. *n.* 3. Tertia species, quam diximus, esse instar affinitatis cujusdam legalis, cum prima in hoc convenit, quòd & ipsa perpetuò duret, etiam postquam adoptio sublata est: non poterit proinde adoptatus, etiam adoptione per mortem adoptantis dissolutâ, ullo unquam tempore hujus relictam viduam ducere in uxorem, vel adoptans post mortem adoptati hujus relictam conjugem, semper enim adhuc perseverat reverentia, propter quam Matrimonium inter tales personas interdicitur, quæ sibi per adoptionem loco parentum, & liberorum esse ceperunt. Sanch. *disp. cit. n.* 23. Bonac. & communis aliorum, idque exprimitur, addita ratione in L. Adoptivus, ff. De Ritu nuptiar. ubi sic habetur: *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ Patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia Novercæ locum habet. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurûs loco est, nec quidem post emancipationem filij, ducere poterit, quoniam aliquandò nurus ei fuit.* Secunda species in linea transversa reddit invalidum Matrimonium inte-

ter filios & filias carnales adoptantis, & adoptatum, vel adoptatam; inter hos tamen Matrimonium non dirimitur in perpetuum, sed solùm quamdiu durat adoptio, & quam diu sub potestate Adoptantis existunt, tunc enim sunt veluti fratres, & sorores inter se, quæ fraternitas legalis, & interpretativa quia cessat, cessante adoptione, cessat tunc etiam prohibitio Matrimonij: quapropter quando vel morte adoptantis, vel adoptati emancipatione, factâ ex forma legum, desinit adoptio, non prohibetur adoptatus tunc ducere filiam naturalem adoptantis. Palao *disp.* 4. *de sponsal. pu.* 9. *n.* 15. Bonac. & alij citati.

7. Huc usque dicta, qui bene observaverit, non difficulter deprehendet, inter plures personas non dari hoc impedimentum, qui primo intuitu civiliter, sive legaliter cognati poterant videri: sic enim 1. inter adoptantem, & filij adoptivi Parentes naturales nulla contrahitur cognatio, quia ad tres prædictas species cognationis Legalis hi non pertinent, nec ullum jus eos velut cognatos legales agnoscit, proinde potest inter illos consistere Matrimonium. Sanch. *disp. cit. n.* 26. 2. Integrum est filijs legitimis contrahere cum adoptivis Matrimonium post patris adoptantis obitum, quia tunc jam cessarunt adoptio, & patria potestas; Idem quoque licitum est, si aut filij legitimi, aut adoptivi jam sunt emancipati, quamvis Pater adhuc superstes sit, quia cognatio transversa inter hos consistens his modis solvitur, ut *num. præced.* dictum est. 3. Potest filius adoptantis naturalis contrahere Matrimonium cum filia adoptati, quia non est cognatio inter illos. Bonac. Dicastillo. 4. Quando plures sunt adoptati ab uno, & eodem, v. g. juvenis in filium, & puella in filiam, possunt hi adoptati inter se Matrimonium contrahere, quia nullo jure inter eos est statuta cognatio; quod ex eo quoque confirmatur, quia inter filios spirituales ejusdem Patris Spiritualis, qui tamen magis conjuncti sunt, quàm Legales, potest consistere Matrimonium: ergo à fortiore inter legales. Idem dicendum de liberis duorum adoptivorum, quia hi nullo cognationis nexu inter se vinciuntur. Sanch. & alij citati. 5. Nulla datur cognatio, atque ideo Matrimonium potest consistere inter patrem adoptantem, & filiam filiæ adoptivæ. Perez *disp. cit. Sect.* 4. *n.* 4. Ratio est, quia cum mulier neminem habeat in sua potestate §. *fœminæ. Instit. De Adoption.* filia mulieris adoptatæ non transijt in potestatem illius, qui ejus Matrem adoptavit, unde non fuit illa simul adoptata, neque contracta aliqua cum ipsa cognatio.

8. Difficultas esse potest, an filius adoptivus ducere possit in uxorem filiam naturalem illegitimam adoptantis, in quo versatur noster casus, aut

aut vicissim filia adoptiva nubere possit filio naturali adoptantis illegitimo? Non posse, ex eo videri potest esse probabile, quia filius illegitimus non potest contrahere cum consanguineis sui Patris: ergo neque cum filijs ejus adoptivis. ita præter complures Antiquiores, quos citat Sanchez, è RR. tenet Basil Pontius *L. 7. c. 41. n. 8.* sed rationem, cur hoc asserat, nullam ipse affert; unde dicendum, inter hos nullum esse impedimentum, ob quod contrahi nequeat ab ijs Matrimonium. Ratio est, quia filius, aut filia illegitimi non transeunt in patriam potestatem. *§. ult. Instit. de Nupt.* si ergo solutâ patriâ potestate cessat cognatio inter filios legitimos, & adoptivos, ut diximus, multò magis inter illegitimam, & adoptivum, vel adoptivam, & illegitimum, quia nunquam transivit, sed semper fuit extra patriam potestatem. Unde adducta ratio in contrarium nihil probat, quia filius illegitimus est conjunctus vinculo naturalis consanguinitatis cum Patre, & sic cum ejus consanguineis; at verò cum adoptivis nullum est vinculum naturale, sed tantùm civile, quod tam diu inter fratres durat, quam diu durat patria potestas, ideo non contrahitur inter eos, qui nunquam transeunt in patriam potestatem, qualis in casu præsente est Filaura filia illegitima Anolini; unde nihil impedit, quò minùs inter hanc, & Evagrium ejusdem adoptivum consistere possit Matrimonium, cùm nulla detur inter has duas personas cognatio. ita Glossa *in Summa 30. q. 3. V. Quod autem.* Sanch. *disp. cit. n. 30.* Bonac. *l. c. n. 8.* Palao *l. c. n. 15.* Filliuc. *tr. 10. c. 5. n. 203.* Perez, Dicastillo, Pirhing, Wiestner &c.

9. Eadem ferè quæstio, quæ de Adoptione, institui potest de unione, seu parificatione prolium, quæ in Germaniæ quibusdam locis moribus inducta est, & vulgò appellatur ein Kinoschafft. Contingit ea tunc, quando viduus ducit viduam, & ambo ex alio priore Matrimonio liberos habent, quos deinde per unionem conjungunt, inito inter se pacto, ut dicti liberi æqualiter in bonis tam paternis, quàm maternis succedant. Convenit ista unio in multis cum adoptione, nam quemadmodum in adoptione ficti liberi pro naturalibus, & veris habentur, ita & hîc, debetque similiter unio prolium fieri coram Magistratu, vel Præfecto loci, præcedente causæ cognitione, præsentibus Tutoribus, Curatoribus, & amicis, seu consanguineis: factâ quoque discussione, quæ sint bona, & facultates eorum, quorum nomine parificatio prolium petitur, quas omnes solemnitates exactè recenset Andreas Gail *Practicar. observation. L. 2. observat. 125.*

Cùm

Cùm igitur in multis ita conveniat ista unio cum adoptione, dubitari meritò potest, an eundem quoque effectum sortiatur, quem Adoptio, ut nempe inter ejusmodi liberos impedimentum intercedat, ne Matrimonio sibi jungi valeant? Qua in re respondeo cum Engl. *p. 3. Man. Paroch. c. 5. §. 5. n. 15.* & Roberto König *n. 10. de Cognat. Legali*, nullum inter tales liberos impedimentum legalis cognationis oriri, esto enim, in aliquibus cum adoptione conveniat dicta unio, tamen non omnis etiam Adoptio, ut suprà dictum est, causat impedimentum; num autem per hanc patificationem proles eodem modo transeant in patriam potestatem, ut fit per arrogationem, non expedita quæstio est, de qua multùm disputat Gilckenius *De Vsucap. p. 3. c. 3. à n. 64.* Quidquid autem de hoc sit, id certum est, de hac unione prolium Leges nihil constituisse, cùm sit in Jure scripto incognita, & tantùm consuetudine introducta; sine textu autem expresso aliquod impedimentum statuere, inconveniens est. *Authent. Consideremus. De Triente, & semisse*: poterunt igitur Matrimonium inter se contrahere sine impedimento, quod solùm adest in cognatione Legali strictè dicta.

§. IV.

AFFINITAS.

CASUS PRIMUS

Patris, & filij, ducentium Matrem, & filiam.

Mevenno viro nobili post obitum uxoris unicum restabat solatium Ermengaudus filius, spei optimæ juvenis, amplissimarum facultatum futurus aliquando hæres. Hinc peregrè morantem, ut suam viduitatem præsentiâ filij solaretur, revocavit in patriam, nec multò pòst eidem prospexit de nuptijs. In hunc finem adjecit animum in Theodoram nobilis, & opulentæ familiæ virginem, nec difficulter eandem impetravit pro filio à Melania vidua, virginis Parente. Evénit autem, dum hoc agens, ædes istius sæpiùs frequentat, ut Sponsam filio quærens Melaniæ filiam, ipse vicissim in maritum expeteretur à Matre; neque abnuit. Uterque igitur Sponsus, Pater, & filius, uno, eodemque die nuptias celebrarunt, ille cum Matre, iste cum filia.

Q. An ijs non obfuerit impedimentum affinitatis?

SYNOP.

SYNOPSIS.

1. *Quid sit Affinitas, & unde oriatur?*
2. *Vt hæc consurgat, requiritur copula perfecta, & consummata.*
3. *Jure antiquo triplex erat genus Affinitatis, hodie attenditur sola affinitas directa.*
4. *Neque extenditur ea in Jure novo ad tot gradus, ut olim extendebatur.*
5. *Traditur regula pro cognoscendis, & computandis gradibus Affinitatis.*
6. *An Affinitas Matrimonium dirimat Jure naturali? ubi de ea, quæ orta est ex copula fornicaria, simpliciter negatur pro quocunque gradu.*
7. *In linea quoque transversa affinitas, orta ex copula conjugali, non irritat conjugium jure naturæ.*
8. *Verùm in linea recta id graves Authores affirmant probabiliter quoad primum gradum.*
9. *Sed præferenda est Sententia negativa.*
10. *Respondetur ad fundamenta Sententiæ contrariæ.*
11. *Datur ultimata decisio præsentis casûs.*

1. AFfinitas, in quâ versatur præsens casus, tam à Theologis, quàm Juris utriusque peritis, communiter definiri solet *propinquitas personarum ex carnali copula proveniens.* Vocatur autem affinitas quasi à finium propinquitate, quia unus quodammodo trahitur ad fines alterius; nam sicut agri dicuntur affines, quia finis unius est proximus fini alterius, ita consanguinei unius conjugis affines sunt alteri conjugi, quòd duæ cognationes

nes diversæ per consummationem Matrimonij inter sese copulentur, & altera ad alterius fines accedat, ut explicat Jurisconsult. *L. Non facilè, §. 3. ff. De Gradib. & Affinit.* dum enim duo, nempe vir, & mulier, se invicem carnaliter cognoscunt, fiunt veluti una caro, & sanguis unius dicitur tangere sanguinem alterius, atque ita, qui consanguinei sunt unius, trahuntur ad fines alterius, fiuntque eidem affines. Oritur verò hæc affinitas non solùm ex copula conjugali, sive concubitu legitimo, juxta illud Matth. 5. *erunt duo in carne una*, sed etiam ex fornicario extra Matrimonium habito, vel alio illicito, v. g. adulterino, ut colligitur ex verbis Apostoli 1. Corinth. 6. *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*; estque perinde, sive carnalis copula exerceatur cum volente, sive cum invita, metuque, aut vi coacta, vel oppressa, sive cum dormiente, aut ebria, vel insana, sive cum sciente, & advertente; sive denique illa copula sit occulta, sive publica. *c. Discretionem, De eo, qui cognov. consang. &c.* Sanch. *L. 7. disp. 64. n. 16. & seqq.* alijque communiter, quia per quamcunque ejusmodi copulam verè fit commixtio, & una caro, unumque principium generationis; nec cessat ista affinitas post mortem illius, qui ejus contrahendæ causa fuit, sed perseverat in consanguineis ejusdem defuncti cum altero superstite, nam licèt tunc persona deficiat, quæ fuit origo, & principium affinitatis, non deficit tamen subjectum affinitatis ortæ, & inductæ, & terminus illius, Henriq. *L. 12. c. 10. n. 1.*

2. Ut verò contrahatur affinitas propriè dicta, & quæ inducat impedimentum, debet ea provenire ex copula perfecta, & consummata, ex qua, per se loquendo, nisi sterilitas personarum, aut aliquid simile obstet, sequi possit generatio prolis, per hanc enim duntaxat, & non per aliam, vir & mulier una caro efficiuntur. ita rursus communiter DD. Unde in primis clarum est, ex Matrimonio rato, sed nondum consummato, nullam oriri affinitatem verè, ac propriè dictam, sed impedimentum publicæ honestatis. Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 34. n. 358.* Coninck *disp. 32. dub. 4. n. 46.* Neque ex copula imperfecta, aut solùm inchoata, neque ex solis tactibus, quantumcunque impudicis, aut ex pollutione extra vas generationi deputatum, nec ex præpostero congressu cum fæmina; Verbo: requiritur talis copula, in qua commisceantur vir, & fæmina, & semen illius immissum, atque receptum fuerit intra vas naturale fæmineum.

Hic verò oritur novum, & non inutile dubium, an saltem omnino necessarium sit ad contrahendam affinitatem, ut in carnali congressu fæmina

mina quoque seminet, an verò sufficiat sola seminatio viri intra vas mulieris? Lis hac de re magna est inter AA. Utramque seminationem requirit Perez *l. c. n. 5.* Hurtad. *l. c. n. 5.* Diana *p. 4. tr. 2. resol. 43.* & *p. 5. tr. 13.* resol. 54. quia juxta Galenum, & Avicennam etiam seminatio fæminæ est necessaria ad generationem, ut fusissimè probat Paulus Zacchias *in Quæst. Medico-Legal. l. 7. Tit. 3. q. 1. n. 16. & seqq.* & *l. 9. Tit. 11.* neque ad aliud videtur semen muliebre à natura esse institutum; ergo necessarium quoque est ad contrahendam affinitatem, quæ oritur ex copula apta ad generationem. Atque hanc sententiam, ait Gobat *tr. 9. cas. 16. n. 390.* posse aliquando tollere multos scrupulos in diversis casibus occurrentibus tum circa hanc ipsam materiam de affinitate, tum in explicando impedimento publicæ honestatis proveniente ex Matrimonio rato, tum in divortio Matrimonij rati faciendo ob ingressum Religionis, aut per potestatem Pontificiam, tum in materia de petione debiti conjugalis vetita Marito, qui cognovit consanguineam uxoris, tum denique in materia irregularitatis, ubi tractatur de bigamia, unde existimat dictus Author, sententiam hanc Confessarijs bene cognitam esse debere, & pro re rata deducendam in praxin.

Alij econtra asserunt, ad contrahendam affinitatem requiri, & sufficere solam viri seminationem. Ita Bonac. *q. 3. de imped. Matr. pu. 12. n. 12.* Basil. Pontius *l. 7. c. 33. n. 2.* Sanch. *l. 7. disp. 64. n. 21.* pluribus citatis. Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 15. dicto 2.* Eman. Rodriq. *pu. 1. Summæ c. 227. n. 1.* Petrus de Ledesma *q. 55. de Matr. conclus. 2. in solutione ad 4.* Armilla *V. Matrimonium n. 26.* Bassæus *V. Matrimonium 7. n. 70.* Tambur. *l. 8 de Matr. tr. 1. c. 12. §. 4. n. 8* Pirhing *de Consang. & Affinit. n. 22.* Dicastillo *disp. 7. dub. 46. n. 479.* Gobat &c. eo quòd ex sententia Aristotelis, & plerorumque Philosophorum, atque Theologorum semen fæmineum ad generationem necessarium non sit, esto, adjuvet, quam sententiam plerique vocant communiorem, & probabiliorem; quin imò Anacletus Reiffenstuel *n. 45. de Consang. & affinit.* usque adeò vult eam esse probabiliorem, ut oppositam sequi, quam tamen Sanchez quoque, etsi contrariam teneat, dicit, esse probabilem, arbitretur ipse, omnino esse illicitum, eo quòd agatur de valore Sacramenti Matrimonij, quod per Affinitatem dirimitur, & invalidum evadit, quando autem agitur de valore Sacramenti, nullatenus licet sequi sententiam probabilem, relicta probabiliore, ut constat ex Decreto Innocentij XI. contrariam opinionem, quæ est ordine prima inter propositiones ab hoc Pontifice prohibitas,

hibitas, proscribente & damnante.

Sed ego, ut verum fatear, si abstrahamus ab alijs, quæ mox dicturus sum ex anatomicis modernis, eam soliditatem in hac opinione non invenio, quæ usqueadeò eandem reddat probabiliorem, ut dici debeat, priorem sententiam sequi nec quidem licitum esse, præcisè ex principijs, quibus istius Patroni innituntur: id enim, à quo tum Sanchez, tum alij potissimùm moti sunt, est Aristotelis auctoritas, dicentis, semen fæmineum ad generationem necessarium non esse, quam tamen assertionem solidis deinceps rationibus probare non multùm laborârunt; pro altera autem sententia memoratus Paulus Zacchias argumenta solidissima affert, quibus Peripatetica fundamenta evertit, & præter Medicorum Principes Hippocratem, & Galenum ultra quadraginta, plerôsque Medicos, citat, qui eandem opinionem tuentur, quibus in hac parte magis credendum est, quàm Theologis. Unde non video, cur Anacletus Reiffenstuel suam sententiam usque adeò præferat, ut alteram, velut minùs probabilem, atque ideo veluti hîc illicitam, reijciat. Efficaciùs fortsitan hanc suam opinionem tueretur, si modernorum Anatomicorum placitis vellet insistere, qui generationis ordinem multò diversum recensent, quàm eum sibi Veteres olim persuaserant, & de emissiione seminis in eo sensu, quo Veteres eandem exigebant, non multùm sunt soliciti: nam tradunt, generationes omnes, quæ in orbe fiunt, ovis mediantibus fieri, atque adeò etiam generationem hominis, fæminâ totam materiam subministrante, nempe ovulum quoddam ex ovario, quod deinde virile semen fæcundet, & vivificet, id est, proxi. disponat ad infusionem rationalis animæ (ita enim intelligendi sunt, & explicandi, ne contra sanam Philosophiam loquantur, & in absurda impingant) atque ita juxta hunc modernorum discursum dici potest, opus non esse commixtione seminum, prout eandem necessariam esse prior sententia tradit. De hoc videri possunt Petri Dionis *Anatomia corporis humani*. Io. Helfrici Jungken *Fundamenta medicinæ modernæ*. Steph. Blanckardus, Philipqus Verheyen, I. Case Medicus Londinensis, & apud hunc Hervæus, alijque Anatomici recentiores. Cæterùm an istorum recèns inventa historia generationis tantopere præponderare debeat, ut propter eam recedendum sit à doctrina antiquiorum, quia hæc expositio nova est, & fortè in ea pluribus non aliud magis placet, quàm ipsa novitas, id ego lectori judicandum relinquo; mihi satis est indicâsse, secundam sententiam non usque adeò certam esse, ut aliqui sibi imaginantur, nisi velint his Anatomicorum recentium principijs insistere, quæ tamen

tamen neque ipsa indubitatæ fidei sunt. Certè ex Anatomicis quoque recentioribus hujus ovarij non meminit, sed verum semen admittit in fœminis insignis Anatomicus Thomas Bartholinus in sua *Anatomia reformata*, nec Paulus Zacchias inter antiquos Medicos reponendus est, utpote qui Quæstiones suas Medico-Legales edidit anno 1651. ubi pro sua sententia, superiùs relata, non solùm antiquos, sed ex recentioribus quoque plurimos allegat Medicos, Medicus ipse præstantissimus, & constitutioni humani corporis non ignarus.

3. Circa dictam porrò Affinitatem in pluribus discrepat Ius novum à Iure antiquo; quippe antiquitùs affinitatis triplex genus erat, quod Matrimonium subsequens dirimebat. Primum intercessit inter personam copulâ licitâ, vel illicitâ cognitam, ejusque consanguineos, & vicissim inter personam cognitam, & consanguineos cognoscentis, uti constat ex tota *Tit. de Eo, qui cognov. consang.* & hæc est Affinitas *directa*. Secundum erat inter verum Affinem, & maritum, vel uxorem sui Affinis, v. g. Titius ex priore Affinitatis genere erat affinis Berthæ uxoris sui fratris; quòd si, defuncto fratre, Bertha iterum alicui nupsisset, etiam cum hoc secundo viro contraxit Titius affinitatem secundi generis. Tertium denique genus erat cum marito, vel uxore illius secundo affinitatis genere conjuncti, ut in exemplo posito, si vir ille posterior Berthæ per hujus obitum viduus effectus, rursus aliam duxit, hæc quoque erat conjuncta Titio in tertio Affinitatis genere: atque hæc duo genera constituebant *Affinitatem* quandam *indirectam*, vel, ut eam appellat Laym. l. 5. tr. 10 p. 4. c. 5. n. 4. *affinitatem per accidens*. Utriusque istius generis mentio fit in *c. Porrò*, & *c. De propinquis. 35 q. 3.* omnia verò tria affinitatis genera eleganter, & dilucidè exponit Glossa *in c. Non debet. De Consang & Affinit. V. In secundo, & tertio.* Quamquam verò olim tam lata fuerit affinitas, tamen hoc tempore illa multò contractior est, siquidem Innocentius III. secundum, & tertium Affinitatis genus ex toto sustulit in Concilio generali Lateranensi, allegato in *cit. c. Non debet*, quocirca hodie superest sola affinitas *directa*, quæ intercedit ex una parte inter virum, & cognatos, cognatasque mulieris, cum qua ipse veram, perfectamque copulam habuit, & vicissim ex altera parte inter fœminam, & cognatos, cognatasque viri, cum quo ipsa perfectam copulam habuit; non autem mutuò inter consanguineos viri, & mulieris, ut ex *cit. c.* constat. Affinitas quoque *indirecta* nihil omnino ampliùs curanda, ejusque ulla ratio habenda deinceps non est, Sanch. *L. 7. disp. 67. n. 1. & 2.* Gobat *l. c. n. 397.* Basilius Pontius, Perez &c.

4 Magis

4. Magis etiam extendebatur olim impedimentum Affinitatis, quàm tempore moderno extendatur, nam jure antiquo dicta affinitas cum consanguineis alterius carnaliter commixti irritum reddidit, atque diremit Matrimonium eodem modo, ut consanguinitas cum proprijs consanguineis usque ad septimum gradum inclusivè utriusque lineæ, ut constat ex *c. Nullum*, & *c. Æqualiter. 35. q. 3.* At Jure novo, ut denuo patet ex *c. Non debet. De Consang. & Affinit.* ea restricta fuit usque ad quartum gradum, & quamvis in utroque Jure, tam veteri, quàm novo sermo tantummodo sit de Affinitate orta ex copula conjugali, nihilominus tamen idem intelligi debet de alia quoque Affinitate ex copula fornicaria, cùm ex *c. Discretionem. De Eo, qui cognovit Consang.* palam sit, etiam ex copula fornicaria oriri Affinitatem, quæ sit impedimentum dirimens, sicut ex conjugali; unde conclusere DD Affinitatem ex copula fornicaria in ijsdem gradibus dirimere, in quibus dirimit orta ex conjugali. Sanch. *L. 7. disp. 67. n. 3.* Basilius Pontius *L. 7. c. 33. n. 4.* Perez *disp. 31. Sect 6 n 5.* Dicastillo &c. sed hoc solùm de Jure antiquo usque ad tempora Concilij Tridentini, quod postmodum istam Affinitatem restrinxit ad secundum gradum inclusivè Sess. 24. de reform. Matr. c. 4. ubi ita habet: *præterea Sancta Synodus eisdem, & alijs gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter Affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restringit, in ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi Affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere*: unde qui fornicatus est cum aliqua, potest hodie contrahere Matrimonium cum ejus consanguinea in tertio, vel quarto gradu, cùm ultra secundum gradum modò post Tridentinum Concilium Affinitas ex fornicatione orta Matrimonium non tantùm non dirimat, sed neque etiam impediat, ut declaravit Pius V. in constitutione, quæ incipit: *Ad Romanum Pontificem.* Illud præterea advertendum est, quòd Concilium Tridentinum, quando restrinxit Affinitatem ortam *ex fornicatione*, nomen fornicationis acceperit generaliter pro omni concubitu non conjugali, & illicito, videlicet stupro, adulterio, incestu &c. Sanch. *l. c. n. 6.* Perez, Engl. Similiter fornicationem habitam cum Affine, Affinitate orta ex fornicatione, in tertio, vel quarto gradu, non esse incestum, certum sibi videri dicit idem Sanch. *n. 8.* & Eman. Rodriq. *p. 1. Summæ c. 208. n. 2.*

5. Cæterùm ut agnoscatur, quo gradu quisque distet ab Affine suo, tradunt Theologi, & Canonistæ passim

passim hanc regulam generalem: *quo gradu quisque est consanguineus mariti, vel illius, qui aliam carnaliter cognovit, eodem gradu Affinis est uxoris, aut personæ carnaliter cognitæ*, & vicissim, *quo gradu aliquis est consanguineus uxoris, aut personæ carnaliter cognitæ, eodem est affinis mariti, vel carnaliter cognoscentis.* Attenditur verò in Affinitate, sicut in consanguinitate, linea tam recta, quàm transversa; & quemadmodum inter consanguineos alij sunt ascendentes, alij descendentes, ita & hîc. In linea ascendente recta sunt Pater, & Mater, Avus, & Avia Mariti, vel Uxoris &c. Vitricus item, & Noverca proprij, diciturque Pater Mariti, vel Uxoris respectu alterius Socer, vulgò Schwächer / Mater verò Socrus Schwiger: cùm igitur Pater, & Mater uxoris sint hujus consanguinei in primo gradu lineæ rectæ, idcirco sunt in eodem gradu viro affines; Avus verò, qui in secundo gradu ejusdem lineæ est consangnineus uxoris, in eo gradu viro est affinis, & sic de alijs loquendo. Descendentes sunt Gener, id est, maritus filiæ meæ, Tochter-Mann / & Nurus, id est, uxor filij, Sohns-Frau / vel Schnur; Privignus, & Privigna. Est privignus in primo gradu affinis Vitrico, quia in primo gradu est consanguineus Matris, quam Vitricus duxit uxorem; similiter gener in primo gradu est affinis, quia filia mea, quam habet conjugem, in primo gradu est mihi consanguinea: Progener, id est, maritus neptis, Avo affinis est in secundo gradu, quia hæc in eodem gradu ipsi est consanguinea, & sic de alijs. In linea transversa, sive obliqua constituuntur ij, qui uni su[illegible] consanguinei in linea transvers[illegible] enim in eodem prorsus gradu alu[illegible] affines sunt, videlicet fratres, & sorores, consobrini &c. sic v. g. si Titius cognoscat Bertham conjugem, quæ fratres habet, & sorores, quia isti sunt Berthæ consanguinei in primo gradu lineæ transversæ, in eodem gradu Titij affines sunt; sic consobrini, qui consanguinei sunt in secundo gradu, in eodem gradu attingunt alterum affinitate, atque ita de reliquis, quæ omnia facilè videri poterunt in arbore consanguinitatis, quam passim exhibent AA. ut juxta consanguinitatis gradus mensuretur Affinitas.

6. Nunc verò quæstio consurgit non modica, utrùm Affinitas, saltem in aliquo certo gradu, Matrimonium dirimat Jure naturæ? quòd enim turpe sit, ac peccaminosum, & indecentiam quandam naturalem includat, absque legitima causa contrahere Matrimonium cum Affinibus, vix erit, qui negare præsumat; an verò tales nuptiæ ita repugnent Juri naturali, ut eodem Jure etiam irritæ sint, in certo saltem gradu, non ita expeditum est, ut non difficultates plures patiatur.

De affinitate quidem, quæ nascitur ex copula fornicaria, pro certo habet Palao *disp. 4. de sponsal. pu. 8. n.* 10. cum Sanch. *l. 7. disp. 66. n. 3.* Laym. *l. 5. tr.* 10. *p. 4. c. 6. n. 6.* & Rebello *p. 2. de oblig. Iust. l. 3. q. 15. n. 9.* etiamsi Matrimonium reddat illicitum, in nullo tamen gradu illud irritare; hinc inhonestum quidem est, atque illicitum jure naturali, nisi ex gravi causa cohonestetur, ut Matrimonium filius contrahat cum Patris concubina, ob quandam naturalem indecentiam, ac turpitudinem, validum tamen est jure naturæ tale Matrimonium. Bonac. *q. 3. de imped. Matr. pu.* 13. *n. 7. & 8.* Cur autem hæc affinitas conjugia non dirimat jure naturali, ratio est, quòd sit affinitas minùs perfecta, nec ullo Jure probari possit, tantam illam esse, ut Matrimonio impedimentum præstet, quò minùs validè, & ob justam causam etiam licitè contrahatur. Accedit, quòd sciamus sæpè in hac affinitate Pontificem in sacra Pœnitentiaria dispensare, quod nullatenus fieret, si jure naturæ ea affinitas irritaretur. Testatur etiam Rebellus *l. c.* à Pio V. concessam fuisse Henrico Cardinali Lusitaniæ facultatem dispensandi in affinitate cujuscunque gradûs, proveniente ex fornicatione occulta: cùm igitur affinitas præcedens ex copula fornicaria Jure naturæ non reddat irrita Matrimonia, indagandum modò est, an ea saltem affinitas, quæ ex legitimo toro consurgit, ipso Iure naturæ Matrimonium dirimat in aliquo gradu lineæ vel rectæ, vel transversæ?

7. Quod ad lineam transversam attinet, communior sententia Authorum est, nunquam in ea irritari Matrimonium ipso Iure naturali; aliqui tamen pauci affirmarunt, irritum esse, quod contrahitur in primo gradu inter maritum, & uxoris defunctæ sororem, vel inter uxorem, & mariti defuncti fratrem: ita ex Antiquioribus docuerunt S. Antoninus, & Paludanus; id ipsum deinde mordicùs propugnarunt Sectarij nostri temporis, ut defenderent nefarium factum Henrici VIII. Angliæ Regis, qui Catharinam Ferdinandi, & Elisabethæ Regum Hispaniæ filiam, uxorem defuncti Fratris sui Arthuri, obtentâ Pontificis dispensatione, sibi Matrimonio junxerat, quam postea repudiavit, eaque adhuc vivente duxit Annam Bolenam, frivolè obtendens, Summum Pontificem non potuisse dispensare, ut priorem conjugem duceret. Pro fundamento suæ assertionis obtendunt textum è sacris Litteris Levitic. 18. ubi id claris verbis prohiberi legitur: *turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis* quasi dicat Scriptura: indecens est, & repugnans naturæ, carnaliter conjungi cum uxore fratris sui propter conjunctionem, & reverentiam erga fratrem. Similiter *Matth.* 14. & *Marci* 6. Ioannes Baptista acriter reprehendit Herodem, quòd uxorem fratris

fratris sui duxisset: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*, & tamen Herodes, quia gentilis erat, Mosaicis legibus non adstringebatur; si igitur hoc Matrimonium ipsi erat prohibitum, & omnino irritum, ut ex Joannis Baptistæ reprehensione deducitur, irritum reddebatur Jure naturali, quo tenebatur etiam Herodes. Verùm hæc argumenta facilè dissolvuntur, nam ad primum constat contrarium ex Lib. Deuteron. c. 25. ubi uxori permittitur contrahere Matrimonium cum fratre Viri sui, qui semen non reliquerat: *quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui*: non igitur hoc repugnabat Legi naturali, sed Lex illa positiva *Levit.* 18. tunc solùm prohibebat conjugium cum uxore defuncti fratris, quando iste prolem reliquerat, nunc autem in novo Testamento Lex illa ampliùs non obligat. Ad alterum argumentum, irritum utique, ac nullum fuit jure naturæ Herodis Matrimonium cum Herodiade, quia rapuit eam, & accepit in uxorem fratre suo adhuc vivente, ut tradit S. Thomas in illum locum Matthæi, Beda, & alij, nam duxit eam sub annum decimum quintum Tiberij Cæsaris, tunc enim prædicare cæpit Joannes, ut patet ex c. 3. S. Lucæ: Philippus autem frater Herodis mortuus est anno vigesimo Tiberij, uti affirmat Josephus *L. 18. c. 6.* atque ita vixit cum illa non in conjugio, sed in perpetuo incestu, & adulterio. Vel si dicamus cum alijs, fratrem Herodis tunc jam fuisse mortuum, dicendum nihilominus, non potuisse habere uxorem sui fratris, quia licèt è gente Judaica non esset, sed ipse, & Pater ejus Idumæi, proselyti tamen erant, & ad Judaismum conversi, cujus Religionem sectabantur, ut regnum illud faciliùs lucrifacerent, sicuti eleganter docet Nicolaus Serarius *tom. 1. in opusc. De Herode*, proinde adstringebatur Lege Mosaica, quæ conjugium cum uxore defuncti fratris solùm tunc permittebat, quando is liberos non reliquisset, Philippus verò reliquit filiam Herodiadem saltatricem: ergo ex adductis textibus parùm, aut nihil probatur.

Unde dicendum cum communi, Matrimonium initum cum Affinibus transversæ lineæ naturalem quidem indecentiam aliquam continere, nisi justa causa cohonestet, & eapropter illicitum esse, non tamen dirimi, etiam in primo gradu, attendendo præcisè jus naturæ, sed solo Ecclesiastico jure irritari. ita Sanch. *L. 7. disp. 66. n.* 11. Palao *disp. 4. De Sponsalib. pu. 8. n.* 11. Basil. Pontius *L. 7. c.* 34. *n.* 3. Tannerus *tom. 4. disp.* 8. *q.* 4. *dub. 7. n.* 125. ubi hanc vocat Sententiam certam. Jac. Pignatelli *Consult. Can. tom. 7. consult. 22. n. 6.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 7.*

de impedim. diriment. dub. 11. *n.* 92. Bellarmin. *tom.* 3. *L.* 1. *de Matr. c.* 28. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6 *n.* 7. Perez, Bonac. Dicastillo, Gonzalez *in c. fin. De Divortijs n.* 8. Pirhing, Wiestner, & innumeri alij Theol. & Canonistæ. Probatur authoritate ipsius Ecclesiæ, quæ in eodem primo gradu lineæ transversæ sæpius dispensavit: nam ita dispensavit Alexander VI. cum Emanuele Lusitaniæ Rege, ut acciperet in uxorem sororem defunctæ conjugis; Julius II. cum Henrico VIII. ut duceret viduam defuncti fratris Arthuri, quam dispensationem legitimam fuisse, in speciali Bulla postmodum pronunciavit Clemens VII. consultis, & dictum Matrimonium approbantibus ferè totius Christiani orbis Academijs. Intercessit verò hîc potiùs publica honestas, quàm affinitas, quia Arthurus obijt, priusquàm Matrimonium consummaret, & Catharina in thalamum Henrici virgo translata est, ut ostendit Nicolaus Sanderus *De Origine, & progressu Schismatis Anglicani. L.* 1. *in Henrico ad sextam objectionem de tuli dispensatione.* Similiter dispensavit Clemens VIII. cum Rege Poloniæ Casimiro, ut duceret uxorem fratris sui demortui Uladislai, & novissimè nostris temporibus Innocentius XII. cum Francisco Parmensi Duce, ut acciperet in conjugem Dorotheam Sophiam, Philippi Guilielmi Electoris Palatini filiam, fratris sui Odoardi III. relictam viduam, plureſque ejusmodi dispensationes diversis concessas, qui volet, inveniet apud Dianam *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 68. idque ulteriùs probatur ex *c. fin. De Divortijs*, ubi permittit Innocentius III. Livoniensibus, ut, quæ in infidelitate contraxerunt cum fratre Mariti defuncti, post factam conversionem in eo Matrimonio permaneant: igitur tale Matrimonium Jure naturæ subsistit, atque validum est, alioquin necessariò debuerant separari, cùm Pontifex in impedimento Juris naturæ dispensare nequeat.

8. Major difficultas est de linea recta, nam multi, & graves Authores affirmant, prohiberi, atque irritum esse Matrimonium jure naturali in primo illius gradu inter privignum, & novercam, Vitricum, & privignam, Socerum, & nurum; Socrum & generum. ita Bellarmin. *tom.* 3. *L. de Matr. c.* 28. *post initium*, Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *pu.* 3. *Versu Tertiò controversia est.* Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 123. Coninck *disp.* 32. *dub.* 4. *n.* 53. Covarruv. 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 6. §. 10. *n.* 19. Pirhing *n.* 32. De Consang. & Affinit. Navarrus alijque plures. Probant hanc suam opinionem ex *c. De Propinquis*, & *c. Æqualiter* 35. *q.* 3, & *c.* 1. *De Consang. & Affinit.* ubi docetur, eodem modo abstinendum

abstinendum esse à nuptijs inter affines, & inter consanguineos: sed inter consanguineos jure naturali prohibetur, & irritatur Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ut dictum est *in casu 1. De Consang. n. 7.* ergo similiter etiam inter Affines. Idem probatur ex S. Paulo 1. Cor. 5. ubi, dum agit de similibus personis, sic ait: *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat*: si ergo Gentiles solo lumine naturæ ducti existimabant, nefas esse uxorem Patris sui ducere, id utique jure naturæ interdictum erit. Similiter Levit. 20. annumeratur fornicatio commissa cum affine in primo gradu gravissimis criminibus Sodomiæ, & bestialitatis, ijsdemque pœnis subijcitur, *qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam Patris sui, morte moriantur ambo: si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt &c.* Deuteron. 27. pronunciantur eædem maledictiones in eum, qui dormierit cum noverca, vel socru sua, quæ dicebantur in peccata gravissima contra Legem naturæ, v. g. idololatriam, bestialitatem, homidicium proditorium, & similia: signum igitur est, talem concubitum juri naturæ gravissimè repugnare. Probatur denique etiam ex ratione reverentiæ, quia eadem ferè, quæ exhibenda est Parentibus, debetur reverentia istis personis, quæ nobis parentum loco sunt, quales sunt Vitricus, Noverca, Socer, & Socrus. §. *Affinitatis. 6.* & §. *Sacrum. 7. Instit. De Nuptijs. L. Quia parentis. 16. ff. Soluto Matrim.* cùm enim vir, & uxor per copulam conjugalem fiant veluti una caro, hinc Vitricus est quasi pater privignæ, & noverca est quasi mater privigini; eademque est ratio Soceri, & Socrûs, respectu quorum Gener, & Nurus quasi filiorum loco censentur; nurus enim per conjugalem copulam facta est veluti una caro cum suo viro, qui est filius: eandem igitur reverentiam debet suo Socero, quam debet ipse maritus ejusdem filius, idemque dicendum de Genero respectu Socrûs, cujus per carnalem commixtionem cum filia quodammodo filius effectus est. *c. Si vir. 35. q. 3.* Denique nunquam auditum est in Ecclesia, quòd Pontifex aliquando dispensaverit in primo Affinitatis gradu lineæ rectæ: ergo signum est, jure naturæ interdictum esse conjugium in illo gradu. Atque istam Sententiam ipsemet Sanch. *disp. 66. n. 6.* vocat valde probabilem.

9. Probabilius verò videtur, si dicamus, ejusmodi Matrimonia affinium in primo gradu lineæ rectæ, videlicet privigni cum noverca, vitrici cum privigna, soceri cum nuru, & è converso, illicita quidem esse jure naturæ, si contrahantur, non subsistente aliquâ justâ causâ, cùm Gentes quoque non omnino barbaræ, sed civiles, ac hone-

honestæ ex dictamine, & pudore naturali semper aversatæ fuerint conjugalem congressum privigni cum noverca, & rationi valde dissonum sit, iniri tale conjugium pro libitu privatorum, sine perculiaribus circumstantijs illud cohonestantibus ob justam aliquam, & honestam causam, Iure tamen naturæ irrita, & invalida non esse, sed solo jure positivo Ecclesiastico. Ita Perez *disp.* 31. *de Matr. Sect.* 3. *n.* 5. *&* 6. Sanch. *l.* 7. *disp.* 66, *n.* 7. Bonac. *q.* 3. *de imped. Matr. pu.* 12. *n.* 7. *& seqq.* Basil. Pontius *l.* 7. *c.* 34. *n.* 5. Fagundez *tom.* 2. *in præcepta Decal. l.* 6. *c.* 6. *n.* 11. Hurtad. *disp.* 20. *de Matr. difficult.* 4. *n.* 13. Gonzalez *in c.* 1. *de consang. & Affinit. n.* 9. Rebellus, Præpos. Wiestner &c. Et eandem Sententiam videtur etiam tenere S. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. & Cajet. *in eundem locum.* Facit pro hac opinione authoritas Conciliorum, ac primò quidem Agathensis, quod refertur in *can. De incestis.* 35. *q.* 2. *&* 3. ubi conjugia inter affines primi gradûs velut incestuosa quidem prohibentur, simul tamen additur, ante hanc prohibitionem contracta, non esse dissolvenda: supponit ergo manifestè Concilium, jure naturali valere. Apertiùs idem habetur ex Concilio Aurelianensi III. *can.* 10. & extat *tom.* 2. *Concilior.* ubi decernitur, ejusmodi Matrimonia in infidelitate contracta post susceptum Baptismum non esse dissolvenda. Idem confirmant sacræ, & profanæ historiæ, nam constat *ex lib.* 3 *Reg c.* 2. Adoniam in conjugem sibi copulari petijsse Abisag relictam Patris sui David uxorem, quam utique non postulâsset, si jure naturæ fuisset irritum hoc Matrimonium: Eodem modo Seleucus Rex Stratonicem uxorem suam filio Antiocho in conjugem dedisse perhibetur à Valerio Maximo *l.* 5. *c.* 7. cujus ipsa erat noverca. Probatur verò etiam ratione, quia licèt ista conjugia valdè indecentia sint, atque ideo extra casum gravissimæ necessitatis non permittenda, ut meritò etiam in Iure civili prohibitum fuerit Matrimonium cum privigna, noverca, nuru, socru &c. *L.* 17. *C. De nuptijs. L. Adoptivus. §.* 4. *ff. De ritu nuptiarum. §. Affinitatis, & §. Socrum, Instit. De nuptijs.* quia tamen v. g. noverca, etsi cum Patre sui privigni una caro effecta sit, non tamen habet respectu huius rationem principij, cùm hic ab ea esse suum non acceperit, idcirco non datur in illa ea superioritas, neque debetur ipsi eadem, ac tanta reverentia, quanta debetur consanguineis in primo gradu rectæ lineæ, cui ista conjunctio usque adeò adversetur, ut jure naturali conjunctio conjugalis cum ea, alijsque ejusmodi affinibus irrita, ac nulla sit in quocunque eventu. Et sanè scimus, ut advertit Perez *l. c.* Summum Pontificem non rarò dispensâsse pro foro conscientiæ in dicta affinitate lineæ rectæ in primo gradu,

gradu, orta ex copula fornicaria, ut posset filius contrahere Matrimonium cum ea, quæ à Patre extra Matrimonium carnaliter cognita fuerat, & tamen hæc pari modo cum Patre una caro effecta est, in quo stat potissimum fundamentum contrariæ sententiæ, quod per hoc planè corruit.

10. Unde ad rationes, & argumenta opposita respondeo. Quoad primum nego, esse eandem indecentiam, atque irreverentiam in conjunctione affinium primi gradûs lineæ rectæ, quanta est in conjunctione cum consanguineis ejusdem gradûs, & lineæ, ob modò dictam rationem, cùm v. g. noverca, etsi fuerit per copulam facta una caro cum Patre, non tamen sit principium naturale filij, unde non tanta reverentia debetur novercæ, aut vitrico, quanta à filio debetur Matri; aut Patri naturali à filia, sed solùm reverentia quædam fundata in respectu externo, & politico. Canones verò ibidem allegati aliud non probant, quàm abstinendum esse eodem modo à nuptijs in gradibus prohibitis, sicut in gradibus consanguinitatis, attento Iure Ecclesiastico, quod eas irritat, non autèm attento Iure naturali.

Ad secundum. Textus è S. Paulo allatus non probat intentum, nam ibi Apostolus loquitur de incestuoso Corinthio, qui novercam cognovit vivente patre, & renitente, cui proinde injuriam intulit etiam in Gentibus inauditam, ut colligitur ex verbis Apostoli 2. Corinth. 7. *Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est, sed ad manifestandam solicitudinem meam*: irrogavit ergo injuriam Patri adhuc viventi, nec enim propriè intulisset ipsi injuriam, si illius demortui uxorem cognovisset, cùm per mortem vinculum Matrimoniale fuisset solutum, ac proinde nulla subfuisset caussa injuriæ.

Textus *Levitici c.* 20. & *Deuteron.* 27. etiam plus non probat, quàm commixtionem cum noverca, vitrico &c. etiam in Lege Mosaica fuisse prohibitam, & gravissimè punitam, quod ultrò concedimus, eamque reputamus inter gravissima scelera, & morte digna; imò plus dicimus, etiam lege naturali esse illicitam; negamus tamen, esse invalidum tale conjugium jure naturæ, ita ut nunquam justâ, & honestâ causâ possit cohonestari, & in his gradibus dispensari.

Ad tertium abundè responsum est in probatione nostræ sententiæ. Quod verò additur, Pontificem nunquam in istis gradibus dispensâsse, non ideo factum est, quòd dispensare non potuerit, sed quia dispensare noluit ob ingentem deformitatem, & quia rarissimè datur honesta causa dispensandi in dicto gradu.

11. Nunc

11. Nunc verò postquam, quæ circa affinitatem dubia esse poterant, fusè explicata sunt, non difficulter patescit, quid circa dubium præsentis casûs judicandum sit: videlicet per hoc, quòd Ermengaudus duxerit Theodoram, nullum penitus adfuisse impedimentum, ob quod Mevennus Pater Ermengaudi contrahere nuptias nequiverit cum Melania matre Theodoræ, atque ita Pater, & filius sponsi evadere Matris, atque filiæ. Ita clarissimis verbis decidit Innocentius III. in c. Quod super his. De Consang. & affinit. *Super eo, quòd Pater, & filius cum Matre, & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, Avunculus, & nepos cum duabus sororibus contrahunt Matrimonia, taliter tibi duximus respondendum, quòd, licèt omnes consanguinei uxoris sint veri affines, inter consanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorundem, scilicet viri, & uxoris, conjugio nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.* Diximus nempe suprà *n. 4.* quamquam olim plures fuerint Affinitatis species, divisæ in *directam*, & *indirectam*, hoc tamen tempore Affinitatem indirectam nihil omnino ampliùs curandam esse in ulla materia, nec ejus vel in Confessione, vel in foro interno, externóve habendam esse ullam rationem; sed potest servire pro regula universali tritum illud, & vulgare dictum, quòd ex Affinitate nulla oriatur affinitas. Hinc filia uxoris ex alio Matrimonio habita, aut ex fornicatione cum altero, potest nubere filio, aut fratri viri; potest frater mariti ducere sororem uxoris, & duæ sorores possunt nubere duobus fratribus; item potest quis in uxorem accipere relictam à fratre propriæ Uxoris. Plura exempla videri possunt apud Sanchez *L. 7. disp. 67. n.* 2. Tannerum *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 7. n. 118.* Gobat *tr. 9. cas. 16. n. 492. &c.*

CASUS

CASUS SECUNDUS

Affinitas incognita.

Olibius aliquot annis pacificè cohabitavit Isabellæ, Matrimonio suo, uti putabat, felicissimus, quòd aliquot ex ea liberos genuisset: angit econtra istud conjugium vehementer Adenulphum fratrem Olibij, cùm sciat impedimentum dirimens intercedere, fratri quidem suo ignotum, & ab Isabella non apprehensum; nam ipse multò antè, quàm inter se isti contraherent, carnaliter peccavit cum eadem Isabella, unde solicitus interrogat Confessarium, an teneatur impedimentum hoc manifestare, ut putatitij isti conjuges à se invicem separentur, aut obtentâ Pontificiâ dispensatione de novo contrahant?

Q. An ad hoc obligandus sit Adenulphus à Confessario?

SYNOPSIS.

1. *Affinitas oritur solùm ex copulâ perfectâ, quapropter in hoc casu consideranda est tum ætas personarum, tum actus ad invicem exercitu*

2. *Suppositâ completâ copulâ videri potest, manifestari debere ortum inde impedimentum.*

3. *Sed eligitur Sententia negativa, & rationes oppositæ dissolvuntur.*

4. *Confirmatur casu rarissimo; huic nostro non multùm absimili.*

5. *Respondetur ad aliud quoddam dubium.*

1. Oquimur hîc de casu facto, qui occurrere sæpiùs potest, ad cujus solutionem revocanda sunt in memoriam, quæ diximus in casu præcedente *n. 2.* non ex quacunque commistione carnali oriri impedimentum Affinitatis dirimens Matrimonium, sed ex sola, & unicâ illâ copulâ, quæ apta est generationi, uti cum Sanch. *L. 7. de Matr. disp. 64. n. 8. & seqq.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu 8. n. 2.* Coninck *disp. 22. n. 46.* Basil. Pontio *L. 7. t. 33. n. 2.* Perez, Laym. Tamb. Gobat, & alijs docet communis, solo ferè Medina excepto apud Sanch. quia tota ratio, ob quam ex copula oritur Affinitas, est, quòd per eam vir, & fæmina una caro efficiantur, ac proinde consanguinei unius fiant affines alterius, ut patet ex *c. Fraternitatis 35. q. 10*: at non efficiuntur una caro, nisi per copulam perfectam, atque sufficientem ad prolis generationem, ut iterum manifestum est ex *c. Extraordinaria. 35. q. 3.* ubi Urbanus II. ait, pollutionem non impedire Matrimonium cum consanguineis mulieris pollutæ, nisi in naturalibus admissa sit: ergo ad contrahendam Affinitatem vera, & perfecta copula carnalis requiritur, quæ apta sit generationi.

Unde 1. sat certum est, quòd, si Adenulphus rem habuit cum Isabella etiamnum puer duodecim, aut tredecim annorum, cùm dicat, se multò ante initum hoc Matrimonium cum eadem peccâsse, quod jam duravit per plures annos, sive ea æqualis, sive majoris ætatis fuerit, sat, inquam, certum est, nullam inde affinitatem emersisse inter Isabellam, & Olibium; hæc enim ex sola copula perfecta oritur; pueri autem in ea ætate non solent semen emittere: ergo nec copulam perfectam habere, ut notat Gobat. 2. Pariter certum est, etiamsi adeptâ jam plena

na pubertate, in statu ad generandum habili cum ea exercuerit actus quantumcunque turpissimos; imò etiam copulam Sodomiticam, neque inde affinitatem aliquam ortam esse, unde solicitus esse debeat de nullitate istius Matrimonij, aut manifestando impedimento, quia affinitatem, quæ possit esse impedimentum dirimens, inducit sola perfecta copula, & quidem, si licita est, sive in toro legitimo exercita; usque ad quartum gradum inclusivè, illicita verò usque ad secundum ex jure novo Tridentini *Sess. 24. c. 4. de reform. Matr.*

2. Ponamus autem; Adenulphum veram exercuisse copulam cum Isabella, unde frater ipsius Affinitatem contraxerit; ita ut inter ipsum, & Isabellam stare Matrimonium nequeat; tenebitúrne Adenulphus manifestare hoc casu istud impedimentum, ut conjuges, qui revera tales non sunt, à se invicem separentur, vel obtentâ impedimenti dispensatione, de novo inter se contrahant?

Quòd teneatur, videtur inde posse suaderi, quia quisque, quantùm commodè potest, tenetur impedire peccatum proximi, continuam scilicet fornicationem; tum quia tenetur quilibet obedire Superiori justè præcipienti: atqui Ecclesia præcipit, ut, qui norunt, adesse impedimentum, id aperiant, & quidem sub mortali, uti cum alijs ostendit Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 13. n. 2.* eapropter enim institutæ sunt Denunciationes: ergo tenebitur Adenulphus hoc aperire.

3. His tamen non obstantibus, dico: etsi Adenulphus, priusquàm contraheretur hoc Matrimonium, omni meliore modo impedire illud debuerit, saltem nisi ex detectione occulti impedimenti timeri poterat valde magnum scandalum, uti advertit idem Sanch. *disp. cit. n. 4.* in casu tamen nostro, postquam hoc Matrimonium jam est contractum, & aliquot annis pacificè cohabitarunt, ad manifestationem impedimenti obligandus non est, sed potiùs hoc ipsi dissuadendum. Ratio est, quia si esset manifestandum, fieri istud deberet vel ratione conjugum, vel ratione liberorum, vel ratione præcepti Ecclesiastici, uti insinuant argumenta contraria. Non ratione conjugum, aut liberorum, quia nec his, nec illis obest hoc Matrimonium; illi enim optima fide contraxerunt, impedimenti ignari, ipsumque impedimentum ita occultum est, ut prudenter putetur, nunquam revelandum; nec est periculum ullum peccati ob ipsam hanc bonam fidem, qua utrinque contractum est, & licèt filij reipsa nati sint ex Matrimonio nullo, tamen ubique habebuntur pro legitimis, utpote suscepti bona conjugum

gum fide, & ex Matrimonio in facie Ecclesiæ contracto: ergo nec ratione Parentum, nec liberorum necesse est manifestare impedimentum.

Demus autem, manifestari ab Adenulpho dictum impedimentum, fidemne habebit Olibius fratri hoc asserenti? sanè docet Navarrus *in Manuali c. 22. n.* 82. quòd conjux non teneatur credere uni testi, quamvis jurato, & amico, dicenti, subesse impedimentum Matrimonij dirimens, nisi id demonstret; quomodo autem hoc demonstrabit Adenulphus? an propriam suam turpitudinem revelando? Quid si autem tunc ipsi objiciatur notum axioma Juridicum ad L. Transactione. 2. C. de Transact. *eum, qui turpitudinem suam allegat, audiendum non esse*, saltem nisi alleget excipiendo, quod hîc non fieret. Quid si insuper neget Isabella, rem sibi cum ipso fuisse? nunquid is juramento firmabit? at metuo, ne etiam sic pro suspecto habeatur, quòd Matrimonium non tunc accusaverit, & indicaverit impedimentum, quando sunt factæ denunciationes, quas minimè ignoravit Adenulphus: repelli igitur poterit juxta *c. Cùm in tua. Qui Matr. accus. possint &c.* saltem nisi juramento ostendat, non ex malitia se tacuisse tanto tempore. Profectò etiam ad accusandum admissus vix aliquid evincet, etsi centies juret, impedimentum intercedere, si turpe factum Isabella pertinaciter pergat negare; nam juramentum, quod ipse præstabit, suppletorium est, proinde necessariò vestitum esse debet semiplena probatione, quam vix afferre poterit, iterum negante Isabellâ.

Dicam ulteriùs: quòd si hæc etiam fateatur, quodnam erit emolumentum ex ista impedimenti detectione? Orietur summum periculum, ne ex hac manifestatione eveniant gravissima dissidia, rixæ, inimicitiæ &c. non tantùm inter conjuges, sed fortè inter integras familias, innumeraque incommoda, forsitan eruptura in cædes.

Denique etiam ultimum argumentum nihil probat, quòd nempe teneatur obedire Ecclesiæ præcipienti, ut is, qui novit impedimentum, id manifestet; nam Sanch. *l. c.* & alij AA. dum obligant sub mortali ad manifestandum impedimentum, loquuntur de Matrimonio impediendo, ne contrahatur, non verò, ut bona fide contractum dissolvatur. Ut Matrimonium contrahendum impediatur, sufficit, unum de impedimento testari, saltem ad hoc, ut Ordinario via aperiatur ad inquirendum; ut verò contractum Matrimonium dissolvatur, unius testimonium nequaquam est sufficiens, ut clarè patet ex c. Super eo. De Testib. ubi in fine ita legitur: *si verò Matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi.*

4. Cons

4. Confirmo hactenus dicta decisione Pauli Comitoli, quam dedit ipse in casu non multùm absimili, imò longè difficiliore, & intricatiore, & quo abstrusiorem de hac materia vix legere est in ullo Authore: ita ab ipso proponitur *in Responsis Moral. L. 1. q. 112.* Nobilis fæmina à filio rata ancillæ suæ cubile noctu iniri, clàm in eo se cubili collocat, ancillâ pulsâ. Filius de Matre nihil suspicans, ad famulæ lectum statâ horâ accedit, Matrem pro serva comprimit; gravida Mater compressu illo efficitur, Interea filius domo in longinquas terras divertit, illicque negotiandi causâ plùs decem annos commoratur. Dum abest filius, filiam parit Mater, eamque domi alit, ac curat sedulò: domum revertitur filius; in ea puellam offendit pulchellam, & jam nubilem: eam adamare incipit; è Matre scisciitari, quænam ea, & unde sit? Mater miserrima conditione infantem, ac pietatis ergò illius se curam suscepisse. Filius cùm puellæ amore quotidie magis inflammaretur Matri denunciat, velle se sibi virginem in Matrimonium collocari. Pernegat Mater, quòd nuptiarum conjunctio totam familiam dedecoraret, cùm virgo nullis opibus, nulla nobilitate esset; quæ omnia cùm frustra filio obtruderentur, ducit illam uxorem, Ecclesiæ ceremonijs ritè servatis, nubitque filia, ac soror suo fratri, veroque, ac naturali Patri. Multos annos, susceptis liberis, amicissimè, ac conjunctissimè vivunt; Mater interea incesti conjugij conscia, cùm diutiùs conscientiæ aculeum ferre non posset, suo prodendo crimine Matrimonij accusationem meditatur, neque enim sine suæ salutis æternæ exitio nuptias illas dissimulari posse credebat.

Super hoc casu non ficto, sed facto, literis ad se Venetias missis, consultus est Comitolus, ut ferret sententiam, possétne de Consanguinitate inter virum, & uxorem silere Mater, quin Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum accusaret, respondit ipse affirmativè, ut nihil moliretur contra hoc Matrimonium; eò quòd neque conjugibus, nec proli quidquam noceret: Non conjugibus; quia fide optima copulati erant, & justâ facti ignorantâ laborabant, Non proli, quia ob eandem fidem legitima ab Ecclesia censebatur. Præterea quia cuncti Matris conatus futuri essent inanes ad Matrimonij firmitatem labefactandam, cùm enim Ecclesia sine certis probationibus publica, & solemni ritu inita connubia non dissolvat, istud non dirempturam, cui ab accusatrice Matre nihil posset opponi, præterquam quòd ipsa Mater de suo scelere confessa, tanquam imprudentissima, & ignominiæ sordibus contaminatissima ab Iudice Ecclesiastico exploderetur: denique monuit, imprudentiâ Matris conjugum bona fide violatâ, non nisi maxima incommoda expectanda

randa fore, istique Sententiæ, ait Comitolus, viros in hoc doctrinæ genere pereruditos subscripsisse; interea reipsa evenisse omnia, quæ ipse prædixerat, postquam inani mulieris religione, & precibus perterrefactus Parochus factum ad Judicem Ecclesiasticum hortante muliere detulit. Si ergo in hoc casu silere potuit, & debuit Mater, cùm tamen ageretur de connubio inter duas personas, quarum altera erat pater, & frater, altera soror, & filia, nulla non modò necessitas, sed nec consultum quidem est, ut Adenulphus quidquam moveat ad dissolvendum conjugium inter Olibium, & Isabellam Affines.

5. Visum tamen aliquibus est, facturum meliùs, si quis accepta occasione alterutrum ex his conjugibus suum impedimentum edoceret, & ad petendam in occulto Pontificiam dispensationem hortaretur, aut illius loco eandem ipse à Pontifice peteret, ut eâ impetratâ invalidum hactenus Matrimonium revalidari queat: Cui consilio me non oppono, si hoc cum fructu fieri, & sine magna difficultatate, & incommodis possit; quamquam si loquamur de casu P. Comitoli, frustraneum futurum sit, Româ dispensationem petere circa impedimentum indispensabile, quale est consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ inter Patrem, & filiam, in quo nec Pontifex potest dispensare, ut dictum est in impedimento Consanguinitatis: hac viâ igitur omissâ, meliùs consuletur istis coniugibus, si, quando id quidem fieri sine alio graviore incommodo potest, & absque periculo alterius magni damni, ijsdem persuadeatur, quod consultus de simili Matrimonio per ignorantiam contracto inter virum quempiam, & filiam ejusdem illegitimam consuluit Ludov. Nogueira *in Quæstionib. Singular. disp. 1. De Sacramentis. q. 49. §. 1. n. 2.* ut occurratur putaticio huic conjugio, quod est contractum in facie Ecclesiæ cum impedimento occulto, separandos esse quoad torum, non tamen quoad cohabitationem, secretum inter se observantes, in exteriori verò mutua sibi conjugatorum obsequia præstantes, ne scandala exoriantur, sicque invicem vivant ut Pater, & filia, qui nequeunt simul vivere ut conjuges juxta *c. Consultationi*, & *c. Laudabilem. De Frigid. & Maleſ.* idem ergo consuli hîc quoque poterit, ut vel petatur dispensatio, vel sibi cohabitent tanquam frater, & soror, separati à toro, quando hoc fieri sine alio gravi incommodo potest; Si verò timeatur, ne magnæ difficultates, rixæ, scandala, aliavé incommoda exoritura sint, & plùs creditur obfutura, quàm profutura manifestatio, quia vel conjugem putatitiam non facilè derelinquet maritus, etiam cognito impedimento,

to, vel aliæ gravissimæ turbæ consequentur, quod ex circumstantijs colligi debebit, tunc enimvero prudentiùs aget, qui tales conjuges relinquet in bona fide, etiamsi ut in casu præsente, facilè cæteroquin dispensatio impetrari posset, quia etiam habitâ dispensatione adhuc necesse erit, habere novum consensum; fortassis autem erit perquam difficile, ut iste obtineatur, nam ipsa illius petitio movere poterit alteri conjugi mille suspiciones de nullitate Matrimonij, ut hanc velit sibi apertiùs prodi; quid autem, si prodi nequeat sine gravi infamia, & inde consecuturo odio, rixis continuis, & forsitan ipsa occisione vel putatæ conjugis, vel ejus, cum quo ipsa ante contractas nuptias carnaliter congressa est? aut si hæc non eveniant, quid si pars innocens, videlicet alter conjux, ex petitione novi consensûs nullitatem Matrimonij subolfaciens, de novo consentire nolit, quæ scandala, quæ mala hinc eventura sunt? hæ ergo, similesvé difficultates, quales in casu nostro non paucæ videntur adesse, sufficiunt ad hoc, ut re totâ dissimulatâ permittantur conjuges in sua bona fide, quod non obscurè insinuat Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 7. §. 3. n. n. 444. & §. 6.* agens de renovatione consensûs, juxta quem, si casus similis tibi obtigerit, attentis circumstantijs, decide.

§. V.

§. V.

CRIMEN.

CASUS PRIMUS

Occisionis Conjugis sine adulterio, ubi simul etiam exponitur impedimentum ex cæde conjugis cum adulterio.

Theclam nobilem virginem deperijt Walericus, movitque omnem lapidem, ut eam consequeretur uxorem, nec erat ipsa invita habere maritum juvenem omnibus naturæ dotibus instructum, amænæ simul, & generosæ indolis, sed votum utriusque evertit cupiditas Parentis, præoptantis habere generum auro, & opibus, quàm meritis abundantem. Filiam suam conjunxit Bassiano viro diviti, sed deformi, atque moroso. Non intermisit verò etiam tunc dilectam suam sæpiùs invisere Walericus, plures horas cum ea sermocinando absumens, palàm tamen, & plerunque non extra oculos domesticorum, quos, quia erat honestatis observantissimus, non fugiebat habere arbitros eorum, quæ gerebantur. Sed hoc ipsum non

tatis

satis erat, ut vir Zelotypus non judicaret, amorem sibi debitum in alium averti, nec eximebant atræ menti has nubes obtestatio conjugis, nec testimonia domesticorum de ejus fide, atque integritate asseverantium. Hos arguebat lenocinij, lupam, & thalami contaminati proditricem illam appellabat, nec abstinebat à verberibus, & dira omnia minabatur uxori, per Superos, inferosque jurans, ut primùm se ferret occasio, procum hunc toro suo insidiantem dolori suo victimam casurum. Thecla cùm loqui jam ampliùs non auderet Walerico, missâ eidem epistolâ significat, quàm durè à Viro habeatur ex suspicione illiciti cum ipso commercij, monétque, ut sibi ipse, vitæque suæ caveat, a suspicioso marito neci devotæ. Walericum acerbè pupugit, cùm intelligeret, tanti se sceleris insimulari cum Thecla, quod neuter unquam attentâsset, imò nec cogitâsset quidem, ac vitâ quoque periclitari innocentem. Quare, ut erat ardentis genij, & ad arma parati, statuit injuriam hanc vindicare, & imminens sibi periculum ipsus prævenire, idque re ipsa præstitit, occiso Bassiano, suæque deinceps saluti fugâ consuluit, exul è patria; donec post aliquod tempus, rebus compositis, & impetratâ veniâ eàdem denuo reversus, Theclæ Parentem usque adeò novit sibi demereri, ut filiam anteliac denegatam, ultrò in conjugem obtulerit Walerico.

Q. An istud homicidium fuerit impedimentum, dirimens hoc Matrimonium?

SYNOPSIS.

1. *Quid, & quotuplex sit impedimentum criminis?*
2. *Est introductum solo Jure Ecclesiastico, nec dirimit quodcunque Matrimonium, sed solùm inter personas criminosas.*

3. *In crimine occisionis perinde est, sive machinatio mortis fiat in uxorem, sive in Maritum.*

4. *Debet verò hæc machinatio esse efficax, ut ex ea mors consequatur, nec sufficit sola ratihabitio cædis.*

5. *Præterea debet fieri ex intentione contrahendi Matrimonium cum complice homicidij, & in occisionem uterque conspirare, nisi simul etiam adulterium committatur.*

6. *Deducuntur ex dictis aliqua corollaria.*

7. *Quid sentiendum sit de præsente casu solius homicidij?*

8. *In impedimento criminis, quod oritur ex homicidio cum adulterio, utrumque necessariò conjunctum esse debet, & fieri occisio ex fine Matrimonij: sufficit tamen, quòd una pars cædem machinetur.*

9. *Enumerantur aliquæ conditiones, quæ si non adsint, impedimentum istud non contrahitur.*

10. *Controversia est, an, quando uterque adulter est conjugatus, utrique constare debeat de Matrimonio alterius.*

1. NOmine criminis non intelligitur quodcunque crimen, etiam valde enorme, & atrocissimum, quasi propterea non licitum sit inire Matrimonium, initumvè non teneat, seu reddatur invalidum, sed intelligitur solummodo illud crimen, ex quo timeri possit conjugis occisio. Duplex verò hoc crimen est; homicidium, de quo in casu præsente, & adulterium, de quo in casu sequente dicetur: sive potiùs, ut accuratior divisio habeatur, & majore cum claritate procedamus, triplex crimen est, quod Matrimonium non solùm impedit, sed

sed etiam contractum dirimit. 1. Homicidium conjugis solum, patratum animo ducendi aliam personam, cum qua in mortem alterius conspiravit. 2. Homicidium conjugis conjunctum cum adulterio. 3. Solum adulterium, cum promissione Matrimonij in futurum post mortem conjugis, vel etiam, & multò magis cum actuali contractu Matrimonij de præsenti, utique invalido. In his ergo casibus ob sceleratam istam conjunctionem, qua conjux, vivente adhuc sua comparte, conspirat cum alio, vel alia de conjugis occisione, vel Matrimonio ineundo, statutum est ab Ecclesia impedimentum dirimens inter illas personas conspirantes, ut hoc modo absterreantur à similibus criminibus, cædibus, & adulterijs, dum prævidere possunt, sibi, si ita delinquant, præcisam esse spem, inter se se, quod desiderarent, contrahendi, factumque hoc meritò est, & rationabilissimè ab Ecclesia, cùm sciamus, Gentiles quoque longè severiora contra hæc crimina statuisse. Certè Diodorus Siculus *l.* 19. refert, in quadam Indiarum regione cùm aliquando contigisset, virum uxoris dolo interijsse, ut deinceps cessaret omnis criminis suspicio, constitutum fuisse, ut unà cum viris uxores quoque in funere cremarentur.

2. Dixi, statutum esse istud impedimentum *ab Ecclesia*, nec enim ex natura rei repugnat tale Matrimonium, sed solo Iure Ecclesiastico inductum est, unde invalidum non fuit Matrimonium Davidis cum Bersabæa adultera post Uriæ mortem, ab eodem Davide interfecti, nec est invalidum inter infideles, qui post commissa prædicta crimina contrahunt, cùm ij Ecclesiasticis legibus subjecti non sint, esto, inter se primùm contrahant, postquam ad fidem conversi sunt, quia, dum crimen patratum est, Ecclesiæ legibus non subjacebant, proinde non potuerunt contrahere impedimentum, quod tunc incurritur, quando ponitur actio, cui impedimentum annexum est: hæc autem actio non fuit posita in Ecclesia, & ab illius subdito. Sanch. *l.* 7. *disp.* 79. *n.* 42. Palao *disp.* 4. *de sponsal. pu.* 12. *n.* 7. Aliud foret, si pars alterutra esset Christiana, seu baptizata, quia quantumvis infidelis Ecclesiæ subjectus non sit, ejusque delicta ab ea non puniantur, subjacet tamen Ecclesiæ pars altera, quæ fidelis est, quam punit Ecclesia, quòd huic delicto cooperata fuerit, ad Matrimonium eandem inhabilitando. Sanch. *l. c. n.* 43. Bonac. *q.* 3. *de imped. Matr. pu.* 6. *n.* 20. Palao &c. idque clarè constat ex *c.* 1. *De Conversi. infidel.* cùm enim quidam Saraceni, qui erant in captivitate Christianorum, interfecissent viros quarundam mulierum Christianarum, insidijs, & machinationibus ipsarum, ac postmodum per illas ipsas mulieres ad Christianam fidem conversi essent, quæsitum fuit, utrùm de jure possent

sent illas accipere in uxores, & si eas duxissent, an tale conjugium validum esset? respondit Cœlestinus Papa III. negativè, id est, si dictæ mulieres in mortem suorum maritorum malitiosè fuerint cooperatæ, licèt illarum studio ad fidem Saraceni accesserint, contrahere tamen cum ipsis non debere, &, si contraxerint, hoc tolerandum non esse, quia tale damnum cum tali lucro Ecclesia compensare non vult. Notandum insuper, impedimentum criminis, de quo hic sermo est, dirimere non qualecunque Matrimonium, sed solùm intes ipsosmet criminosos, qui crimen homicidij, vel adulterij commiserunt, eo modo, ut dictum est *num. præced.* hinc, qui v.g. occidit conjugem, ut cum adultera Matrimonium contrahat, respectu solius adulteræ fit inhabilis, non verò ad contrahendum aliud Matrimonium cum alia: Imò hodie nec quidem impedit, quamvis occisio propriæ conjugis, aliaque non nulla crimina fuerint olim impedimenta impedientia, seu prohibentia quodcunque conjugium, ut diximus suprà de impedimentis impedientibus.

3. His prænotatis, ut primò agamus de impedimento, quod oritur ex machinatione mortis sine adulterio, contrahitur illud tunc, quando duo conspirant in mortem uxoris, vel mariti, cum intentione, ut illâ p remptâ, vel occiso marito, inter se Matrimonium contrahant; sic v. g. si Titius, qui est maritus Berthæ, conspiraret cum Claudia ad occidendam Bertham, secutâ ex hac conspiratione ejusdem Berthæ interfectione, adest impedimentum dirimens inter Titium, & Claud am. Idem est, si Bertha conspiret cum Cajo ad occidendum Titium, nam quoad hoc nullam differentiam SS. Canones faciunt inter uxorem, & maritum, quare audiendi non sunt Victoria *in Summa V. Matrimonium n.* 292. & alij quidam pauci apud Sanch. *l.* 7. *disp.* 78. *n.* 8 quorum sententiam probabilem censet etiam Henriq. *l.* 12. *c.* 14. *n.* 2. *in Comment. Litt. V.* hi, inquam, audiendi non sunt, qui eo quòd textus *in c.* 1. & *c. Significasti. De eo, qui duxit in Matrim. &c.* de sola uxoris occisione loquantur, idcirco existimant, impedimentum hoc solùm incurri, quando occisio fit uxoris, non autem, si uxor virum interficiat ad contrahendum cum adultero, nam etsi dicti textus mentionem faciant solius uxoricidij, & nihil disponant de casu, quo uxor mariti mortem procurat, utpote quod rariùs solet evenire, tamen *c. Si quis vivente* 31. *q.* 1. & *c.* 1. *De Conversf. infidel.* id ipsum expressè statuunt etiam de machinatione ex parte uxoris in mortem mariti: perinde igitur est ad hoc impedimentum dirimens incurrendum, sive Maritus in necem uxoris, sive uxor in occisionem mariti conspiraverit, dummodo factum sit cum intentione contrahendi

hendi Matrimonium cum complice hujus delicti, nam eadem utriusque conjugis ratio est, & conditio, & quod dispositum est de uno correlativo, censeri debet etiam dispositum de altero: atque ita docent Glossa *in c. fin. De eo, qui duxit in Matrim.* Sanch. *l. 6.* Basil. Pontius *l. 7. c 45. n. 5.* Palao *l. c. n. 9.* Coninck *disp. 31. dub. 5. n. 55.* Laym *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1.* Bonac. *l. c. n. 7.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 56. n. 604* Perez *disp. 33. de Matr. Sect. 1 n. 9.* Pirhing *De eo, qui duxit in Matrim. &c. n. 22.* Engl. *n. 5. eod.*

4. Porrò ut hoc homicidium inducat impedimentum, aliquæ conditiones adesse debent, ac primò quidem necesse est, ut machinatio mortis sit efficax, & cædes re ipsa secuta sit, quia in materia pœnali, & odiosa verba legis strictè, & cum effectu accipienda sunt, pœnæque intelliguntur poni delicto completo, & consummato *c. Relatum. De Clerico non resid.* unde non sufficit sola voluntas, vel conatus, aut attentatio mortis; nec satis est, dedisse de ea consilium, vel mandatum, si mortem non causaverit, neque intoxicatio, mutilatio; vel vulneratio etiam gravis, si mors inde secuta non est, quamvis fortè secuta illa fuerit ex culpa, vel ignorantia, aut negligentia medicantis, vel ob excessum aliquem ipsius infirmi. Tamb. *L. 8. de Matr. 1. tr. 1. c. 6. §. 1. n. 5.* Palao, & alij citati: perinde verò est, sive quis interficiat physicè per se ipsum, ferro, veneno, veneficio, sive occidat moraliter per alium, v. g. sicarium, aut mortem conjugis procuret consilio, jussione, suasione, consensu prævio in occisionem, suo nomine patrandam, vel in sui gratiam faciendam, quibus alij permoti reipsa necem intulerint: non tamen sufficit sola ratihabitio illatæ necis, sive quòd ratam habeas factam occisionem, sic enim non es causa homicidij, nam ratihabitio supponit occisionem factam, & in eam, quæ jam præcessit, non influit. Nec obstat, quòd *Reg. 10. De R. I. in 6.* ratihabitio mandato comparetur, quia id intelligitur de his, quæ solùm à voluntate ratihabentis pendent, & quæ, Jure sic disponente, pro mandato habentur, uti contingit in ratihabitione, qua violentam Clerici percussionem suo nomine factam quis ratam habet, etsi mandatum ad hoc nullum dederit, nam propter hoc solum censuram excommunicationis incurrit. *c. Cùm quis. De Sent. Excommun. in 6.* de quo vide Dicastillo *l. c. n. 603. & in tract. de censuris disp. 3. dub. 58. c. 1. n. 991. & seqq.* ubi id fusè exponit.

5. Secundò requiritur ad contrahendum hoc impedimentum, ut machinatio mortis alterius conjugis facta sit animo ineundi Matrimonium cum ea ipsa persona, quæ est complex

complex istius cædis. Sanch. *l. c. n.* 13. Laym. *n.* 2. Pirhing *n.* 25. Basilius Pontius, Perez &c. Ratio est, quia Leges statuentes hanc pœnam intendunt impedire, ne quis cupiditate alieni Matrimonij occidat propriam uxorem, aut uxor proprium maritum, qui finis cessat in ijs, qui ob aliam aliquam causam conjugem occidunt, quàm ex intentione ineundi Matrimonium, licèt id faciant ex communi conspiratione, v. g. ex odio, vindicta, vel ut liberiùs libidini vacent, aut ne in adulterio deprehensi à superveniente marito occidantur, vel accusentur. Et quidem in foro externo, dum quis occidit alterius conjugem, si postea Matrimonium contrahat cum conjuge superstite, semper præsumitur hoc homicidium commissum esse ex intentione futuri Matrimonij, nisi ista præsumptio efficacibus argumentis elidi possit, aut vehementissimæ conjecturæ contrarium suadeant. Sanch. *l. c. n.* 19. Pirhing *n.* 25. Rectè etiam advertunt Basil. Pontius *l. c. n.* 4. Perez *n.* 7. Sporer *Theol. Sacram. p.* 4. *c.* 1. *Sect.* 1. *n.* 102. Tamb. *l. c. n.* 3 intentionem contrahendi cum complice homicidij debere necessariò alteri parti exteriùs manifestari, alioquin non erit conspiratio ex intentione ineundi Matrimonij; sufficit nihilominus, ut ei indicetur sola intentio, seu voluntas, nec opus est, ut adsit quoque actualis promissio, sive ut fides data sit de Matrimonio ineundo inter ipsos, ut colligitur *ex c. Super hoc. De eo, qui duxit in Matrim.*

Tertiò, ut contrahatur impedimentum præcisè ex crimine homicidij, oportet, ut hæc machinatio non fiat ab una tantùm parte, sed debet pars utraque conspirare in cædem alterius conjugis ex prædicta intentione contrahendi Matrimonium; hancque intentionem de contrahendo Matrimonio requiri in utraque parte, expresè docet Rebellus *p.* 2. *de obligat. Iust. l.* 3. *q.* 8. *n.* 2. At sufficere, si saltem alteruter eorum intendat inire Matrimonium cum complice, dicunt Sanch. *n.* 14. & 18. Bonac. Dicastillo, quibus accedit Tannerus, tunc enim jam concurrit mortis machinatio cum affectu, & animo contrahendi, nulloque Jure decernitur, utriusque intentionem esse necessariam. Quòd si verò vir solus, vel sola fœmina sine conspiratione, consensu, vel præscitu alterius, eovè contradicente occidat conjugem, si aliud non accesserit, scilicet adulterium, nullum inde nascitur impedimentum, hoc enim casu necesse est, ut adulterium simul conjunctum sit, ut colligitur *ex c.* 1. *De Converf. infidel.* & infrà dicetur *num.* 8. quod non requiritur, quando pars utraque conspiravit in homicidium. Sanch. *l. c. n.* 9. Laym. *l. c. n.* 2. Coninck *disp.* 31. *dub.* 5. *n.* 52. Bonac. *l. c. n.* 5. Pirhing. Engl.

6. Ex

6. Ex dictis colliges 1. si vir occidat uxorem, ut aliam quampiam incertam, ac indeterminatam ducat, non intercedere ullum impedimentum, sed posse ipsum cum quavis alia aliunde non impedita, postea validè contrahere, quia incerta non potuit esse particeps criminis, nisi fortè id fecisset, ut contraheret cum una ex quinque, vel sex, quæ omnes aliquo modo crimini occasionem dedissent, vel mortem conjugis machinando, vel cum eodem fuissent commistæ per adulterium. Imò juxta Sanch. *l. c. n.* 17. potest ducere etiam illam, cum qua aliàs adulteratus est, uxore superstite, dummodo ipsa in necem uxoris cum eo non conspiraverit, & ipse non occiderit animo cum hac contrahendi. Coninch *l. c. n.* 54.

Colliges 2. Impedimentum hoc non induci, etiamsi vir mortem uxoris machinetur animo ducendi aliquam determinatam, si mors ex ea machinatione non sequatur, quantumvis postea hæc ipsa fæmina, sive commiserit cum viro hoc adulterium, sive non, uxorem illam casu enecet, v. g. in rixa, vel jurgio, sed neque ex communi consilio, nec animo nubendi marito superstiti, nam prior machinatio in finem Matrimonij caruit effectu, & occisio uxoris facta à fæmina vel adultera, caruit fine ineundi Matrimonium, sine quo impedimentum non subsistit. Dicastillo *l. c. n.* 614. Sanch. *l. c. n.* 17.

Colliges 3. Si Paulus suasu Jacobæ occidat uxorem, ut ducat Catharinam sceleris insciam, validè cum utrávis posse contrahere, si cum neutra priùs mœchatus est, quia Catharina est innocens, & occisio non est facta ad ineundum Matrimonium cum Jacoba. Coninck *l. c.*

7. Quid ergo dicendum de præsente casu, ubi non intervenit adulterium, sed sola occisio mariti?

Resp. ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, sufficienter constare potest, inter Theclam, & Wallericum nullum fuisse impedimentum, ob quod post mortem Bassiani inter se Matrimonio jungi prohiberentur; nec enim intercessit inter eosdem ulla conspiratio de interfectione conjugis, sed Thecla solummodo conquesta est Wallerico, quàm durè, & acerbè haberetur à Zelotypo conjuge ob suspicionem illiciti cum ipso commercij, simulque eundem commonefecit de instante periculo, ut ab hoc sibi caveret, quin eum ad cædem, quæ subsecuta est, vel uno verbulo incitaret; neque hanc ipse intulit Bassiano ex intentione cum uxore superstite Matrimonium contrahendi, sed unicè, ut sibi illatam injuriam ulciscereturr, & imminens suo capiti periculum alterius morte præverteret; quamvis autem secutum postea Matrimonium in foro

ro externo præsumptionem movere poterat, cædem patratam fuisse non alio fine, quàm ut negatâ priùs conjuge potiretur, efficaciter tamen istam suspicionem diluere potuit homicida tum testimonijs domesticorum, quibus perspectum erat, quàm procul abesset Wallericus à turpi facinore, cujus à viro Zelotypo arguebatur, tum ipsa illius vita, ut nota erat omnibus, ad omnem honestatem composita, & ab hujusmodi turpitudine magnopere abhorrens, impactam sibi calumniam sufficienter refutabat: cædem verò patratam esse non alio ex fine, quàm ut injuriam ulciscereturur, vitæque propriæ consuleret, abundans erant indicium & literæ à Thecla missæ, quæ cædis mentionem nullam faciebant, & quòd, perempto marito, uxorem superstitem nunquam deinceps in conjugem sibi concedi ampliùs petierit, sed ultrò à Patre oblatam lætus acceptaverit: nihil ergo eorum adfuit, quæ ad inducendum impedimentum requiruntur, ut à contrahendo conjugio prohiberi debuerint, vel post contractum separari. Atque hæc dicta sufficiant de primo modo, quo incurritur criminis impedimentum dirimens absque adulterio ex sola machinatione in mortem conjugis illorum, qui simul volunt Matrimonium inire.

8. Nunc ut de altero quoque crimine agamus, seu de secundo modo, quo impedimentum criminis contrahitur, quando nimirum occisio conjugis conjuncta est cum adulterio, incurritur illud, sive adulter occidat propriam uxorem, aut interficiat maritum adulteræ, ut cum ea Matrimonium ineat, sive ipsa adultera interimat maritum suum, aut uxorem adulteri, ut eidem adultero nubere possit. Ita omnes, & constat ex *c. Propositum c. Super hoc & c. Significasti nobis. De eo, qui duxit &c.* Ubi tria bene notanda sunt. 1. Quòd non sufficiat solum adulterium, nam hoc, nisi accedat maligna mortis machinatio, non obstat, quò minùs possit quis ducere eam ipsam, cum qua adulteratus est vivente uxore, sed neque sufficit sola conjugis interfectio, verùm ita requiritur, ut simul adsit adulterium, quando est machinatio mortis ab uno tantùm facta, ut licèt intervenerit fidei datio de futuro Matrimonio ineundo, si desit adulterium, nullum futurum sit impedimentum, quia Ius absolutè petit adulterium, neque est textus aliquis, qui sola fidei datione cum machinatione alterius contentus sit ad hoc impedimentum contrahendum. Perez *disp. 33. de Matr. Sect. 3. n. 2. & 4.* 2. Debet occisio conjugis fieri ex intentione perveniendi ad Matrimonium cum adultera, quare si occisio, vel machinatio mortis uxoris, vel mariti fieret ex alio motivo, v. g. liberiùs cum hac, vel alia peccandi, aut aliam quamcunque fæminam ducendi, impedimentum hoc non

non induceretur inter adulteros; hæc tamen intentio in foro externo semper præsumitur, quoties occisor vult contrahere cum ea, cum qua commisit adulterium, ut suprà diximus de conspiratione in cædem Mariti. Sporer *l. c. n.* 105. Sanch. *n.* 19. Perez &c. Notandum verò est, quamquam occisio fieri debeat ex intentione ducendi adulteram, non tamen opus esse, ut prava hæc intentio eidem manifestetur, cum qua intendit contrahere, ut rectè docent Tamb. & Sporer *n.* 105. contra Basil. Pontium, quia in secundo crimine non requiritur conspiratio duorum, sicut in primo præcedente. 3. Necesse non est, ut uterque adulter ad occisionem concurrat, sed satis est, si unus tantùm, altero nesciente, in mortem conjugis machinetur, tum quia Jus Canonicum mentionem facit de adulterio, & homicidio in genere, tum quia uterque, cùm sit reus adulterij, censetur etiam particeps esse homicidij, tum denique quia per hoc differt crimen adulterij conjunctum cum homicidio ab occisione conjugis absque adulterio, quòd in ista requiratur expressus consensus utriusque conjugis, in illo autem sufficiat consensus unius solius ex adulteris, ita clarè habetur in *in c. Significasti nobis. De eo, qui duxit in Matrim.* Sanch. *n.* 9. Bonac. *q.* 3. *de imped. Matrim. p.* 6. *n.* 8. Joan. Clericatus Præpositus Patavinus *in Decisionibus de Matrim. Decis.* 25. *n.* 9.

9. Præter hæc aliæ quædam adhuc conditiones requiruntur, ut inducatur impedimentum dirimens, è quibus aliquæ coincidunt cum ijs, quæ requiruntur in primo crimine, quod situm est in sola machinatione mortis adversùs conjugem: talis conditio est utrique crimini communis, ut mors reipsa secuta fuerit ex ista machinatione, ut in superioribus dictum est. Aliæ sunt conditiones huic loco specialiter propriæ. Prima est, ut adulterium præcedat mortem actualem conjugis, sive deinde antecedat, sive subsequatur illius machinationem, vel mandatum: hinc si venenum propinasti uxori, vel marito, aut vulnerasti lethaliter, aut mandasti sicario, ut occidat, & tum post illud mandatum, propinationem veneni, aut vulnerationem cum fæmina, cum qua contrahere vis Matrimonium, carnaliter peccasti, marito illius, vel uxore tua necdum defunctâ, consurgit impedimentum, non autem, si copula primùm est habita post mortem uxoris, vel mariti, quia hoc casu tunc adulterium ampliùs committi non potuit, Jura autem requirunt occisionem cum adulterio. Perez *n.* 4. Dicastillo *n.* 621. Sporer &c. Secundò necesse est, ut fuerit commissum verum adulterium, ad quod requiritur, ut illud fuerit consum-

matum per copulam perfectam, quæ apta sit ad generationem, unde si tantùm fuerit inchoata, sed non completa, impedimentum non inducit; multò minùs sufficiunt oscula, & tactus inhonesti, quantumvis turpissimi, vel etiam pollutiones invicem procuratæ, ad inducendam hanc inhabilitatem. Sanch *disp.* 79. *n.* 2. Perez *Sect.* 2. *n.* 7. Tambur. *Lib.* 8. *de Matrim. tr.* 1. *c.* 6. §. 2. *n.* 6. Tertiò insuper debet, ut verum fuerit adulterium, quale requirunt Jura, Matrimonium cum marito, vel uxore peremptâ fuisse validum; si enim fuerit nullum, etsi bona fide existimaretur esse validum, non oritur inde impedimentum, nam Jura requirunt occisionem conjugis, & adulterium, quod, quia deficit, ubi non est Matrimonium verum, possunt interfectores validè inter se contrahere. Perez *n.* 4. Sanch. *disp.* 78. *n.* 20. Clericatus *l. c. n.* 10. Palao *disp.* 4. *de Sponsal. pu.* 12. *n.* 8. sufficit tamen, si fuerit ratum; imò sufficit, etiamsi conjuges fuissent separati quoad torum, & cohabitationem. *Argument. c. Ex Litterarum. De eo, qui duxit in Matrim.*

10. Quarta conditio, cùm inter AA. controversa sit, meretur, ut speciali numero exponatur. Consistit ea in hoc, quòd debeat committi formale adulterium, adeoque status conjugij utrique adultero esse notus, quare si vir conjugatus cum fœmina ignara conjugij copulam carnalem exerceat, & animo ineundi cum ea Matrimonium suam uxorem interficiat, non erit à conjugio impeditus, quia ex parte fœminæ non fuit patratum adulterium formaliter; & in hac quidem re extra dubium est, non contrahi impedimentum, quando una pars ex adulteris soluta est, & nescit, complicem esse ligatum Matrimonio, v. g. si vir, qui ignoratur esse conjugatus, committat adulterium cum puella innupta, animo ducendi ipsam, interfectâ uxore, nam verum adulterium hæc non commisit, proinde non adest inhabilitas ad contrahendum ex occisione conjuncta cum adulterio, uti colligitur ex *c.* 1. *De eo, qui duxit &c.* atque ideo docet Gobat *tr.* 9. *cas.* 10. *n.* 193. adulterum, qui cœlibem se fingens corrupit aliquam virginem cum promissione Matrimonij (idem dic, cum intentione ducendi ipsam interfecta uxore) teneri hanc volentem ducere post mortem suæ conjugis.

Controversia verò esse potest, an, quando pars utraque est conjugata, utrique constare debeat de alterius Matrimonio? Negant Hurtadus *disp.* 23. *de Matr. difficult.* 2. *n.* 6. & Basil. Pontius *L.* 7. *c.* 45. *n.* 5. putantes, sufficere, quando uterque adulter est conjugatus, ut quivis noscat proprium conjugium, quamvis ignoret alterius, quia sic verè peccat uterque peccato adulterij, cui si accedat occisio

cisio conjugis utique nihil deest ad contrahendum impedimentum criminis.

Alterius opinionis sunt Sanch. *L. 7. disp. 78. n. 12.* & *disp. 79. n. 31.* Laym. *l. c. c. 10. n. 2.* Coninck *disp. 31. dub. 5. n. 53.* Navarr. *in Manuali c. 22. n. 46.* qui absolutè requirunt, ut quando utraque pars est conjugata, utrique constet non solùm de suo proprio, sed etiam de alterius Matrimonio, hocque, docent, omnino esse necessarium ad contrahendum impedimentum; quibus accedit Perez *disp. 33. de Matr. Sect. 2. n. 6.* clarissimè istud in exemplo proponens, dum ait, quando unus solus machinatus est mortem conjugis, requiritur, ut adulterium sit utrique Matrimonium contracturo notum; quare si v. g. Catharina conjugata adulteretur cum Petro, ignorans, hunc esse conjugatum, & hic deinde, mortuo marito Catharinæ, occidat, eâ insciâ, suam propriam uxorem, valebit Matrimonium. Ratio est, quia, ut adulterium præstet impedimentum, debet ex utraque parte tendere in injuriam conjugis occisæ, & hujus esse occasio, nam hoc impedimentum inductum est ad ejusmodi occasiones tollendas; adulterium autem Catharinæ, tametsi ex ejus parte injuriosum sit proprio marito, non tamen uxori Petri, nec ipsa ex parte sua dedit sciens aliquam occasionem, ut Petrus occideret suam uxorem, cùm nesciret, eum uxorem habere: ergo non intercedit impedimentum, quod Matrimonium reddat invalidum. Fateor nihilominus cum Coninck, ejusmodi Matrimonium omni modo dissuadendum esse, ne fiat; servire tamen poterit hæc Sententia, ne factum dissolvatur, ob ejus probabilitatem, quæ sanè magna est, si rationem, ex qua probatur, quis bene velit perpendere, unde Palao *l. c. n. 8.* eam, credit, esse omnino veram, & Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 57.* quamvis oppositam dicat esse probabilem, hanc tamen judicat probabiliorem, cùm restringendæ sint ejusmodi pœnæ.

Ex hac ipsa ratione denique deducitur, & probatur quinta conditio, ut adulterium non sit formaliter tale ex sola conscientia erronea, id enim ad contrahendum impedimentum non sufficit; quare si Titius, & Bertha putent Cajam vivere, quæ absens est uxor Titij, cùm tamen mortua sit, non oritur impedimentum ex eorundem adulterio, quia Jura in re odiosa sunt strictè interpretanda: ergo non nisi de vero adulterio, quod omni ex parte verè, & realiter adulterium sit, intelligenda sunt. Tambur.

CASUS SECUNDUS

Adulterij cum promißione Matrimonij.

Tolonius pertæsus vetulæ, & rixosæ uxoris suæ Caniniæ, ut consensum in copulam à Sabina ancilla impetraret, pollicitus est huic nuptias post mortem Legitimæ suæ conjugis, nescius, hoc esse impedimentum. Ad hanc promissionem Sabina quidem nihil repromisit, quo se vicissim obligaret, voluntati tamen Tolonij cessit, & adulterium cum eo perpetravit. Nunc mortua uxore res in eo est, ut Matrimonium hi duo contrahant.

Q. An validè possint, tum quia ipsa non repromisit, tum quia ille ignoravit impedimentum?

SYNOPSIS.

1. *Non quodvis adulterium inducit impedimentum dirimens, sed quod conjunctum est cum promissione Matrimonij, vel actuali ejusdem contractu; nec dirimit sola promissio sine adulterio, delinquit tamen graviter, qui Matrimonium promittit alteri, vivente uxore.*

2. *Adulterium*

2. *Adulterium quoque conjunctum cum promissione conjugij affectum esse debet certis conditionibus.*

3. *Promissio debet esse seria, nam ficta impedimentum non inducit.*

4. *Debet præterea esse exteriùs manifestata, & ab altera parte acceptata.*

5. *Non tamen opus est, ut fiat repromissio; per quod habetur responsio ad primum dubium istius casûs.*

6. *An contrahat invalidè, qui cum promissione Matrimonij committit adulterium, ignorans, hoc esse impedimentum dirimens? Refertur opinio pro valore, & ejus potissima fundamenta afferuntur.*

7. *Tenenda est Sententia opposita, videlicet etiam cum ista ignorantia incurri impedimentum, ut validè contrahi nequeat Matrimonium.*

8. *Respondetur ad primum fundamentum adversæ Sententiæ.*

9. *Datur responsio ad secundum, quod petitur à censuris, & irregularitate ex delicto.*

10. *Solvitur tertium argumentum, datâ disparitate, & respondetur ad authoritatem.*

Denique pro coronide additur, quid observandum sit illi, qui dispensationem petit in hoc impedimento.

1. TErtium impedimentum criminis proponit præsens casus, per hoc à præcedentibus diversum, quòd nulla hîc interveniat conspiratio, vel machinatio mortis, nec adulterium conjunctum sit cum conjugis occisione, sed sufficit solum adulterium, dummodo simul adsit promissio ducendi eam, cum qua adulteratur, vel nubendi adultero, & multò magis, si cum adultera de facto contrahat vivente primâ, sic enim jam contrahitur impedimentum dirimens, justissimè ab Ecclesia inductum

ctum, sicut in casu præcedente, cùm in conjugio atrocius reperiri nihil queat, quàm vel parari insidias, vel dari ansam parandi, vitæ alterius conjugis, quod pronum est evenire in adulterio, cui est adjuncta promissio de contrahendo Matrimonio, defuncta conjuge. Ex hoc verò patet, non satis esse vel solum adulterium sine promissione, vel solam promissionem futuri Matrimonij post mortem conjugis sine adulterio, veluti si dicat Titius Catharinæ: *ducam te, si moriatur Bertha uxor mea*, nullum in hac promissione adest impedimentum conjugium dirimens, cum Jura hæc conjunctim exigant, scilicet adulterium, & Matrimonium vel de facto contractum, aut factam promissionem de eo contrahendo, ut manifestum est ex c. fin. De eo, qui duxit in Matrim. ubi dicitur: *Si quis uxore vivente fide data promisit, aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec antè, nec pòst (legitima ejus superstite) cognovit eandem, quamvis utrique ipsorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda, non est tamen Matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum*: igitur saltem illicita est talis promissio, & graviter peccaminosa, quia à Jure prohibita est, & propter eam imponitur pœnitentia: imò juxta complures apud Sanch. *l. 7. disp. 79. n. 40.* etiam irrita est, atque invalida, hoc ipso, quòd ei Jus resistat, & quia ansam præbet captandæ mortis alterius, sicuti ob eandem causam non valet promissio vacaturi beneficij. *c. 2. De Concess. Præbend.* quamquam, si aliud non accesserit, à se invicem separandi non sint, qui actu contraxerunt post mortem conjugis. Sanch. *l. c.* Perez *disp. 33 Sect. 5. n. 9.* Sporer Tamb. Videri etiam potest Gobat *tr. 9. n. 211.* dicens, omni modo dissuadendum conjugibus, ne unquam promittant Matrimonium sive virgini, sive conjugatæ post mortem conjugis, cùm tales promissiones sine gravi peccato non fiant, multorumque malorum incitamenta esse soleant, additque in appendice subsequente, non decere, ut Judex Ecclesiasticus permittat copulari viduum cum innupta, cui dederat, vivente uxore, fidem Matrimonij, si uterque superstes esset conjugi jam vetulæ, etiam ex eo capite, quòd esset orituram magnum scandalum; si copularentur; ideo autem hoc eventurum, quòd vehemens suspicio esse possit apud multos patrati ab his Sponsis, durante Matrimonio, adulterij, adeoque contracti impedimenti dirimentis,

2. Cæterùm ut adulterium quoque conjunctum cum dicta promissione indueat impedimentum criminis, adesse debent eædem conditiones, quas diximus in casu præcedente *n. 9.* ut nempe committatur verum adulterium per copulam perfectam, & plenè consummatam: sitque

sitque formale ex utraque parte, id est, utrique parti cognitum, nec solùm formaliter tale per conscientiam erroneam. Præterea ut fiat commixtio per copulam carnalem cum viro, vel muliere, valido, ac legitimo Matrimonio junctis, sive id ratum tantummodo sit, sive insuper consummatum, ut ibi dictum est, ne eadem sæpiùs repetamus. Requiritur etiam, ut promissio, & adulterium, eodem conjuge vivente, facta sint; unde si fides data est sub priore Matrimonio, adulterium verò commissum sub alio Matrimonio posteriore, quod v. g. adultera, interim effecta vidua, cum alio contraxit, nullum oritur impedimentum, quò minùs mortuo secundo conjuge adulter ducere possit adulteram, cui olim conjugium promiserat. quandoquidem hæc promissio, & spes contrahendi extincta fuit per Matrimonium posterius, & è converso si adulterium commissum est sub priore, promissio autem facta sub Matrimonio posteriore, non est impedimentum, quia promissio, & adulterium non habent connexionem inter se, cùm non existant simul, quod apertè requiritur *c. 6. & ult. De eo, qui duxit in Matrim.* Idem dicendum est, si durante eodem Matrimonio facta promissio revocetur, priusquam sequatur adulterium, etsi deinceps absque nova promissione carnaliter inter se misceantur, quia sic non concurrit adulterium cum promissione, nam fides antea data soluta est, & extincta per revocationem ante secutam copulam; secus foret, si, secuta promissione, & copulâ, tunc primùm resilire velint à facta promissione, aut si promissio facta sit post adulterium; quantumvis ea revocetur ante mortem conjugis, non cessat impedimentum, id namque jam incurrerunt hoc ipso, quòd concurrerit adulterium cum promissione, nec possunt se illo eximere propria auctoritate, consequenter contrahere inter se nequeunt absque Summi Pontificis dispensatione. Bonac. *q. 3. de impedim. Matrim. pu. 6. n. 13.* Coninck *disp. 31. dub. 5. n. 60.* Laym. *L. 5. tr. 10. c. 10. n. 4.* Sanch. *disp. 79. n. 7.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 57. n. 629.* Illud adhuc notandum, in adulterio cum promissione opus non esse, ut unum fiat intuitu alterius per modum pacti conditionati, v. g. dicendo: *promitto: ducam te, mortua mea conjuge, vel tuo, si feceris potestatem corporis.* nec enim hoc uspiam requiritur, sed sufficit, cum adulterio factam esse promissionem Matrimonij; estque perinde, sive promissio facta sit ante secutam copulam, sive post eam; sive eodem tempore, sive diverso, durante eodem Matrimonio, ut clarum est ex cit. c. ult. De eo, qui duxit &c. *Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, cùm vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluerit.* Sporer *l. c. n. 107.*

Eng-

n. 7. De eo, qui duxit &c. Hæc dicta sufficiat de adulterio, & ijs, quæ adulterium ipsum immediatè concernunt in hoc crimine.

3. Circa promissionem quoque, quæ simul intervenit cum adulterio in hoc impedimento, non leve dubium est, qualis ea esse debeat, præsertim an oporteat esse mutuam, seu talem, ut in ea repromissio fiat, ex hoc enim pars magna dependet solutionis hujus casûs. Ut ordinatiùs dissolvamus difficultates, quæ hic oriri possunt.

Dicendum est 1. promissionem Matrimonij fieri debere seriò, & ex animo; adeoque ad inducendum impedimentum non sufficit promissio, quæ solùm fit oretenus, & ficto modo; & quidem de hoc dubium esse nequit, quoties ea fictio exteriùs agnoscitur; at quando ita facta fuit, ut exteriùs fictio non appareret, sed haberetur pro vera, sufficiens est juxta multos talis promissio, ut oriatur inde impedimentum, nam istud ab Ecclesia statutum est, ut tollatur occasio insidiandi vitæ alterius conjugis: æquè autem præbet occasionem occidendi conjugem promissio, quæ ficta est, vera tamen esse apparuit, & seria, quàm quæ re ipsa talis est: ergo promissioni apparenter veræ, quamvis in se ficta sit, censeri debet impedimentum hoc esse appositum æquè, ac illi, quæ ex animo facta est. Ita Sanch. *disp.* 79. *n.* 10. Palao *l. c. n.* 11. Coninck *n.* 57. Engl, & alij. Sed quantùm ad hoc, ab opposita sententia recedendum non est, quæ negat, sufficientem esse fictam promissionem, quia ficta promissio revera promissio non est, nec sufficit etiam ad contrahenda sponsalia; hocque impedimentum est pœna statuta ab Ecclesia: ergo non extendenda, sed restringenda potiùs est; quapropter sicuti non extendimus ad casum adulterij imperfecti, sed plenum adulterium requiritur, ut incurratur impedimentum, ita plenam, atque perfectam promissionem concurrere oportet, qualis non est illa, ubi deficit animus internus promittendi; quamvis igitur graviter peccet fictus promissor, non tamen propriè committit illam culpam, propter quam impedimentum dirimens impositum est; sicut qui fictè rebaptizat, aut fictè profert hæresim, nam & ille in foro conscientiæ ab irregularitate excusatur, quia hic actus in ratione culpæ non est peccatum consummatum rebaptizandi, irregularitas autem imponitur propter delictum perfectum, & consummatum in sua specie; hic verò, qui hæresin exteriùs profitetur, veram autem in animo fidem retinet, pœnas, atque censuras hæreticis impositas non incurrit, quia revera non est simpliciter hæreticus, sed solùm cùm addito, scilicet exterior hæreticus, seu fictus: ergo idem dicendum de eo, qui fingit se promissorem, quia revera promissor non est. Ita Hurtadus

Hurtadus *disp.* 23. *de Matr. difficult.* 2. *n.* 9. Rebellus *p.* 2. *de oblig. just. l.* 3. *q.* 8. *n.* 6. Henriq. *l.* 12. *c.* 14. *n.* 3. *in fine.* Diana *p.* 9. *tr.* 7. *Resol.* 26. Perez *disp.* 33. *Sect.* 4. *n.* 2. Dicastillo *disp.* 7. *de Matr. dub.* 57. *n.* 638. qui duo malè citantur à Sporer pro sententia contraria. Addo his cum Rebello, & Engl, non satis esse solum propositum, etiam indicatum, aut voluntatis insinuationem, qua v. g. adulter dicat: *nisi essem uxoratus, te ducerem*, nam hæc non est promissio, sed solùm intentio, propositum, vel desiderium; vel si dicat: *mortua uxore, nullam aliam ducam, nisi te* quia ita promittens non se obligat ad Matrimonium, sed potest à conjugio penitus abstinere; hîc autem requiritur vera promissio, non tamen opus est, ut ea sit juramento firmata. Perez *l. c. n.* 8. Sanch. *n.* 29.

4. Dicendum est 2. dictam promissionem expressam esse debere verbis, vel alijs signis exterioribus, alteriqúe parti sufficienter manifestatam, ut docet communis, quia omnis promissio homini facta ita fieri debet, ut ad illum dirigatur, & ab eo possit intelligi: nequit autem ad eum dirigi, aut ab eo intelligi, si merè sit interna, cùm humano modo nequeat ad alium pervenire, nisi eidem exponatur. Ad hæc promissio interna Matrimonij cum adulterio, quia alteri penitus ignota est, non præbet causam machinandi mortem conjugi, nec est subjecta pœnæ huic crimini ab Ecclesia constitutæ, quæ delicta merè interna non punit: nequit ergo negari, prædictam promissionem debere esse exteriùs manifestatam. Sed neque istud sufficit; nam opus est, ut ab altera parte insuper sit acceptata, quia nisi hoc fiat, vim promissionis completæ non habet, nec enim obligat simplex promissio homini facta, antequam acceptata sit ab eo, cui fit, quia cùm fiat ex liberalitate; si acceptata non est, nullam obligationem parit, & revocari potest, tanquam adhuc posita in fieri, ac pendens ex libera voluntate promittentis, qui nullam alteri injuriam facit mutando voluntatem, nec infert ullum damnum, cùm jus quæsitum non habeat, in quo lædatur. Perez *l. c. n.* 3. Tamb. & alij. Illud verò controvertitur inter Authores, an censeatur alter sufficienter acceptare, si ad promissionem taceat? Negant hoc absolutè Sanch. *n.* 25. Palao *n.* 10. Dicastillo *n.* 636. Burghaber *Selectorum Cas. Centuriâ* 2. *casu* 4. Bonacina, Engl, quorum opinionem tunc veram esse judico, quando ex circumstantijs colligitur, istud silentium potiùs esse contemptum, quàm acceptationem promissionis, ipsosque adulteros se invicem amare non ad futurum Matrimonium, sed solùm ad Venerem pro tempore præsenti, nam fieri potest, quòd fæmina libidinosa hoc uno contenta sit, ut voluptati indulgeat, quæ de cætero abhorret,

abhorret Matrimonium contrahere cum isto viro, vel etiam libertatis suæ amantior jugum quodcunque conjugale aversatur. Verùm nisi ex circumstantijs hæc colligantur, multò mihi probabilius est, cum Basilio Pontio, Hurtado, Perez *Sect. 5. n.* 4. Coninck *l. c. n. 58.* Rebello, & Diana *ll. cc.* ipsum silentium sufficere, & esse tacitam acceptationem, quia cùm se adulteri mutuò ament, censentur expectare mutuum Matrimonium, nisi de contrario ex circumstantijs constet, nam unus creditur alteri istud promittere tanquam rem favorabilem; in favorabilibus autem, qui tacet, consentire videtur, ut habet Regula 43. *De Reg. Iur. in* 6. Id verò, quod asserunt adversæ partis patroni, Matrimonium, quod hic, & nunc promittitur, non esse acceptanti favorabile, quia acceptans inhabilis redditur ad illud contrahendum, & pœnis Ecclesiæ subijcitur, quod cedit in illius damnum; tacens autem non censetur consentire in id, quod ipsi in damnum cedit, hoc, inquam, nihil probat, quia tales istud vel nesciunt, vel non apprehendunt, aliàs non promitterent Matrimonium; sufficit verò, quòd aliquis judicet sibi favorabile esse id, quod ut tale offertur, etsi re ipsa favorabile ei non sit: imò fieri potest, ut adulteri cæco amore ducti appetant hoc ipsum Matrimonium, tametsi non ignorent onus, & impedimentum illi annexum.

5. Quemadmodum autem multi, sicut modò vidimus, promissionis expressam acceptationem exigunt, ita sunt aliqui ex Authoribus, qui in promissione futuri Matimonij post mortem conjugis ineundi requirunt insuper, ut sit promissio mutua, docentes: ad hoc ut oriatur impedimentum, non satis esse, quòd adulter promiserit fæminæ Matrimonium, cum qua adulteratus est, eamque promissionem illa expressè, vel juxta nos saltem tacitè acceptaverit, sed opus esse, ut ipsa quoque reciprocè promittat: seque vicissim viro obliget. Ita tenent Henriq. *L.* 12 *c.* 14. *n.* 3. Ugolinus *de Sacramentis tract. de Matrim. c.* 12. *n.* 8. quibus favere videtur Glossa *in c. Significasti. De eo, qui duxit &c.* Et in eandem Sententiam inclinat Laym *l. c. n.* 4. *V. Quinta conditio*, Pirhing. *n.* 15. *De eo, qui duxit &c.* Ratio eorum est, quia cùm Jura ad hoc impedimentum exigant vel Matrimonium de præsenti, vel fidem datam de conjugio futuro, sufficienter indicant, necessarium esse, ut illud Matrimonium celebretur eo modo, quo aliàs esset celebrandum, & in promissione futuri Matrimonij ea fides detur, quæ sufficit, & requiritur ad constituenda Sponsalia: sed utraque desponsatio tam de præsenti, quàm de futuro fieri debet reciprocè: ergo hic quoque necesse est, ut ita fiat, adeò-

adeòque ut fiat non solùm promissio, sed etiam repromissio. Sed hîc quoque rursus tenendum est contrarium cum Sanch. *n.* 20. Dicastillo *n.* 640. Gobat *tr.* 9. *cas.* 10. *n.* 197 Perez, Hurtado, Tamb. Engl, Coninck., Basil. Pontio, & communi aliorum, cùm nullo jure ostendi possit, in promissione Matrimonij post mortem conjugis contrahendi eâdem opus esse promissione, qualis ad esse debet in Sponsalibus; namque hæc ex essentia sua dicunt promissionem mutuam, ut constat ex definitione, siquidem L. 1. ff. de Sponsal. vocantur: *futurarum nuptiarum repromissio*, & c. Nostrates 30. q. 5. *mutua nuptiarum promissio*: At verò hîc Jura nullam penitus mentionem faciunt repromissionis, ut patet ex c. Significasti. De eo, qui duxit. Ubi dicitur: *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente fidem dederit de Matrimonio contrahendo*, in quo textu particula *alter* non indicat nisi promissionem unius, & per hanc solam sufficienter verificatur; in alijs quoque textibus, in quibus sermo est de eodem impedimento, solummodo mentio fit adulterij cum promissione, seu fide data, quæ rursum omnia verificantur, etsi promissio non sit utrinque facta. Adde, quòd in *cit. c. item c.* 1. *& c. Veniens eod. tit.* ad hoc impedimentum inducendum æquiparantur machinatio mortis conjugis, & futuri Matrimonij promissio: at illa sufficit ex parte alterutrius, quando adest adulterium ergo idem dicendum est de promissione, sufficere nempe, quòd facta sit ab alterutro, quæ si saltem implicitè acceptata fuerit, consurgit sanè exinde occasio machinandi mortem alteri conjugi innocenti, præsertim si propter hanc datam fidem in adulterium consentiatur. Minimè interim sequitur, quòd ipsa hæc acceptatio promissionis formaliter sit aliqua repromissio, nam potest adultera ita promissionem acceptare, ut, quia fecit ei potestatem corporis, velit adulterum sibi obligatum esse ad contrahendas secum nuptias, si ita tunc sibi visum fuerit, atque placuerit, quin ipsa vicissim ad hoc velit esse obstricta, quo modo jam adest sufficiens impedimentum criminis, atque ita patet ad primum dubium nostri casûs, Tolonium non potuisse validè contrahere cum Sabina, cùm nulla per hoc excusatio habeatur, quòd ipsa non repromiserit.

6. Nunc superest alterum dubium, quod in hoc casu proponitur, videlicet, an hoc saltem patrocinari valeat istis sponsis, quòd ignoraverit Tolonius, adulterium cum promissione futuri Matrimonij esse impedimentum dirimens, cui dubio ut satisfiat, paulò accuratius examinandum est, an ad incurrendum criminis impedimentum necessarium sit, ut sciatur, tale crimen Matrimonium

monium contrahendum dirimere ? Pauci sunt, præsertim ex antiquioribus, qui hanc quæstionem ex instituto tractarunt, cùm plerique rem quasi certam crederent, ab ignorantia in Matrimonij impedimentis nullam haberi excusationem. Patronos tamen pro se habere videtur Tolonius Paludanum, qui apud Mojam *in Quæst. Select. tr. 4. q. 14. §. 2. n. 4.* istam Sententiam dicitur propugnâsse, quòd nempe requiratur scientia impedimenti criminis, & quidem ex parte utriusque delinquentis, nam altero hoc ignorante, putabat, eo ipso Matrimonium non dirimi. Pro eadem opinione è Recentioribus quoque citatur Leander à Murcia; & Fernandez, qui posterior absolutè quidem requirit, ut sciatur, hoc facto contrahi impedimentum dirimens, eamque, ait, esse communem opinionem, quamquam non satis explicet, an hæc scientia sit necessaria ex parte utriusque, an verò sufficiat, quòd unus sciat: ita enim apud eundem lego in medulla Casuum conscientiæ p. 3. c 16, Sect. 5. ad finem: *dubitant 4. an requiratur formale adulterium ex utraque parte adulterantis, & scientia talis impedimenti ad Matrimonium ? Affirmant Paludanus &c. & est communior Sententia.* Fundamenta autem istius Sententiæ sunt 1. Impedimentum criminis statutum est ab Ecclesia in pœnam delicti commissi; sed pœna non incurritur ab illo, qui eam ignorat, ut habetur in c. 2. De Constitut. in 6: *Ut animarum periculis obvietur, Sententijs per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes &c.* ubi ne videatur hoc intelligi de solis constitutionibus Episcopi, Glossa expressè addit: *idem est de quacunque alia constitutione*: ergo impedimentum criminis non incurritur ab eo, qui ignorabat tale impedimentum, quando crimen patravit, v. g. adulterium cum promissione futuri Matrimonij. 2. Pœna excommunicationis, & aliarum censurarum, non incurritur à delinquentibus, v. g. à legentibus libros hæreticos, aut percutientibus Clericum, nisi ista patrantes habuerint notitiam, quòd ijs sceleribus annexa sit excommunicatio, vel alia censura, tanquam pœna Ecclesiastica, ut rursum patet ex *cit. c. 2.* idemque est de irregularitate ex delicto, v. g. homicidio, vel mutilatione, celebratione in excommunicatione &c. per quam inducitur quædam inhabilitas ad suscipiendos Ordines, & ad utendum susceptis, quia tamen hæc, aliæque similes irregularitates, quæ ex delicto oriuntur, statutæ sunt in pœnam, non incurruntur ab ignorantibus, eas annexas esse tali delicto, puta homicidio, quamvis aliæ irregularitates, quæ ex delicto non sunt, sed ex defectu, etiam ab ignorante contrahantur, ut defendunt Sanch. *L 9 de Matr. disp. 32. n. 17.* Mendo *in Epitome V. Irregularitas n. 23.* & Portel apud Moja *tr. 5. de censur.*

censur. q. 5. §. 1. n. 7. 3. Si maritus carnaliter cognoscat consanguineam uxoris suæ, sed nesciat, quòd Jure Ecclesiastico tali incestui intra primum, & secundum gradum post Concilium Tridentinum annexa sit pœna, vi cujus maritus nequeat amplùs ab uxore licitè petere debitum conjugale, juxta probabilem sententiam, quam habet Palao *tr. 2. disp. 1. pu. 17. n. 8.* Sporer *l. c. de Matr. n. 84.* Diana *p. 11. tr. 5. resol. 38.* & alij ab his citati, hanc pœnam à se ignoratam non incurrit: ergo similiter, non incurret impedimentum criminis, qui ignorabat, id esse annexum v. g. adulterio à se commisso cum addita promissione Matrimonij.

7. Verùm his non obstantibus pro indubitato tenendum est, eum qui adulterium commisit cum promissione Matrimonij, aut alio quovis modo deliquit, quo diximus induci impedimentum criminis, istud incurrere, atque ideo invalidè contrahere cum complice Matrimonium, quamvis nesciverit, tali delicto annexum esse impedimentum dirimens. ita Moja *l. c. § 3.* Gobat *tract. 9. cas. 10. n. 201. & seqq.* Diana *p. 10. tr. 13. resol. 51.* Sporer *l. c. n. 114.* Engl *§. 2. n. 11. de Consang. & Affin.* P. Iacobus Wex *Ariad. Carolino - Canon. p. 5 tr. 2. de sponsal. p. 2. controv. 5. per totum.* Wiestner *n. 17. & seqq. De eo, qui duxit &c.* Ratio est 1. quia nec SS. Canones, dum loquuntur de impedimento criminis, toto tit. *De eo, qui duxit &c.* neque interpretes ejus Tituli, aut alij Authores ullam mentionem faciunt, quòd ad incurrendum impedimentum criminis ullo modo opus sit habere notitiam ejus impedimenti, sed solùm enumerant alias conditiones, v. g. ut habeatur notitia adulterij, ut sit completum, & perfectum &c. ergo opus non est ad hoc impedimentum incurrendum, ut delinquens etiam sciat, per tale crimen contrahi impedimentum dirimens, irritumque, ac nullum reddi Matrimonium, quod intendit. 2. Alia omnia impedimenta Matrimonij contrahuntur, & obsunt illius valori, etiamsi eorum notitia non habeatur, ut passim videre est apud omnes, eo quod introducant certas aliquas inhabilitates ad Matrimonium: ergo idem dicendum de impedimento criminis, cùm neque ex Jure, nec ratione, neque authoritate sufficienter ostendi possit circa hoc aliqua exceptio. 3. Si impedimentum criminis non contraheretur ab ignorante tale impedimentum, & consequenter Matrimonium validè contraheretur cum sua complice ab adultero, quia nescivit, hoc adulterium esse impedimentum dirimens, sequeretur, quòd etiam impedimentum affinitatis non contraheretur ex copula illicita, quantumvis volun-

voluntaria, si eam incestuosè exercens, ignoraret, illi annexum esse impedimentum dirimens, atque ita posset validè inire Matrimonium cum affine carnaliter cognita, quod nemo audet dicere. 4. Id ipsum constat ex sensu communi, & praxi usitata in curijs Ecclesiasticis tum Romæ, tum alibi, ut notant Moya, & Gobat, in quibus nulla ratio habetur talis ignorantiæ. Denique hoc impedimentum non est statutum ab Ecclesia unicè, & principaliter in pœnam delicti, sed ob alias causas, & quidem præcipuè ideò, ut homines absterreantur, ne spe Matrimonij ejusmodi crimina committant: quamquam igitur istud impedimentum præsupponat delictum formale v. g. adulterij, aut uxoricidij certis qualitatibus affecti, non tamen unicè, ac principaliter est institutum ad puniendum delictum, sed ob prædictos fines, nempe ad præcavenda pericula captandæ mortis innocentis conjugis, ad præcavenda adulteria &c.: est ergo primariò, ac principaliter, ut alia impedimenta Matrimonij, inhabilitas quædam ad contrahendum, ut homines hac ratione deterriti à dictis sceleribus abstineant, fidesque thalami illæsa conservetur, & nullæ parentur in vitam conjugum insidiæ, cujusmodi crimina qui committunt, & quidem ex intentione conjugij, indigni sunt, ut finem intentum consequantur, meritoque redduntur inhabiles ad contrahendum cum complice. Vides igitur finem primarium longè alium esse quàm ut per hoc impedimentum delicta puniantur, atque ita, licèt impedimentum criminis etiam pœna sit, hæc tamen partialiter tantùm intenditur, & secundariò.

8. Nunc ad opposita fundamenta facilè respondetur. Ad primum negatur Maj. nempe impedimentum criminis statutum esse ab Ecclesia in pœnam delicti commissi; vel distinguitur: statutum est in pœnam delicti unicè, & principaliter, quasi alius finis magis principalis non adesset, *n. M.* partialiter tantùm, & secundariò, *transeat.* Impedimentum hoc, ut dictum est, primariò hoc habet, ut inhabilitatem inducat ad Matrimonium, ut homines hac ratione absterreantur ab enumeratis criminibus, dum vident, si ista patraverint, nullum fore eorum Matrimonium. Potest verò utique Ecclesia, & solet contractum Matrimonialem habere pro nullo, si fiat in certis circumstantijs ab ea interdictis, potestque etiam inhabilitare homines ad ita contrahendum: sic enim Matrimonium, quod clandestinè contrahitur, nullum est post Tridentinum Concilium, & quisque factus est inhabilis ad ita contrahendum, ut evitentur plurimæ deceptiones, illiciti concubinatus sub specie Matrimonij, & injustæ conjugum separationes: nec aliter, ubi affinitas, vel consanguinitas intercedit, ut consulatur reverentiæ

rentiæ sanguinis, inhabilitas datur inter personas, ut fiant conjuges, initumque ab ijs conjugium irritum, ac nullum est, etiamsi impedimentum nesciverint: ergo hîc quoque potest Ecclesia Matrimonium irritare, quando præcessit uxoricidium, vel adulterium cum promissione conjugij, eosque, qui ista crimina commiserint, reddere simpliciter inhabiles ad contrahendum inter se, utpote indignos, ut copulentur per Matrimonium, qui istum finem per tanta scelera consequi conati sunt. Neque dicas, disparitatem esse inter impedimentum affinitatis, & criminis, cùm ibi detur præcisè inhabilitas, hîc autem ipsa inhabilitas se habeat per modum pœnæ propter delictum commissum, nam repeto, quæ dicta sunt, quòd inhabilitas sit simul pœna, hoc esse secundarium; finis enim primarius hujus impedimenti est, reddere inhabiles supposito isto crimine, ut sic ab eo homines absterreantur, & Matrimonijs, conjugumque incolumitati consulatur; illæ autem duntaxat pœnæ non incurruntur ab ignorantibus, quæ vel unicè, vel certè principaliter pœnæ sunt, at quæ ex alio fine primario inducunt inhabilitatem, ab ijs nulla excusat ignorantia.

9. Ad secundum lata est disparitas inter impedimentum criminis, & excommunicationem, aliasque censuras, nam istæ, ut incurrantur, exigunt contumaciam, & contemptum potestatis Ecclesiasticæ, sub ipsarum comminatione aliquid prohibentis, vel præcipientis, nec incurruntur sine prævia monitione, & earundem comminatione, quæ, quando sunt latæ sententiæ, saltem à Jure facta est: cùm autem nequeat contemptor dici, aut contumax, ac inobediens in legem Ecclesiæ, censuram minitantis, qui eam ignorat, ut colligitur ex L. Si ignorans 50. ff. Locati, ubi dicitur: *non enim contemnit disciplinam, qui ignoravit*, mirum non est, quòd excommunicatio, aliæque censuræ non incurrantur ab ignorante, cùm infligantur primario ut pœnæ contumaciæ, contemptûs, & inobedientiæ, licèt sint secundariò medicinæ, in quantum Ecclesia per eas intendit homines à sceleribus absterrere. Aliter res se habet in impedimentis criminis, quæ ex primario fine non sunt pœnæ. De irregularitate quod additur, non immeritò negari potest, nam docet communior apud Palao *disp. 6. de Censur. pu. 6. n. 2.* eam incurri etiam ab ignorante non solùm, quando est ex defectu, verùm etiam, quando est ex delicto, cùm ea non contrahatur propter contumaciam, sed propter turpitudinem, seu maculam culpæ, qua criminosus secundùm Ecclesiæ canones inhabilis redditur ad Altaris ministerium, quia valde indecens est, ut offerat sanguinem Christi is, qui v. g. per homicidium fudit humanum sanguinem, ad quam inde-

indecentiam prorsus per accidens est, quòd homicida sciat, vel ignoret irregularitatem. Sed *transmittamus anteced.* quod probabiliter admitti potest, teste citato Palao cum pluribus, quos allegat, adhuc tamen dico, esse disparitatem, quia in hac secunda sententia ideo irregularitas ex delicto ab ignorante non incurritur, quia se habet ut pura pœna, vel saltem ut talis principaliter, per quod distinguitur irregularitas ex delicto ab alijs irregularitatibus ex defectu etiam inculpabili, quæ ignorantes quoque afficiunt: at verò impedimentum criminis principaliter non est pœna, sed specialis inhabilitas resultans ex actu peccaminoso, conveniens cum ea inhabilitate, quæ est in alijs impedimentis Matrimonij, quæ sive sciantur, sive ignorentur, æqualiter incurritur.

10. Ad tertium denique sunt iterum plurimi, qui fortè probabiliùs maritum, quando is consanguineam uxoris suæ carnaliter cognovit, non excusant à privatione petendi debiti, etsi nesciverit, annexum hoc esse crimini incestus. Sed rursus admitto *antecedens*, cujus probabilitatem negare, præsertim pro foro interno, difficile esse, testatur Wex *l. c. n.* 12. nego tamen *consequentiam, & paritatem*, nam dici potest, hanc debiti privationem vel puram, vel saltem principaliter esse pœnam, proinde ab ignorante non incurritur: econtra impedimentum, quod oritur ex adulterio, vel machinatione mortis in conjugem principaliter est specialis inhabilitas ob præsuppositum crimen à Jure Ecclesiastico statuta, ad quam incurrendam, sicut in alijs impedimentis, ipsius notitia non requiritur. Authoritas quoque, quæ pro sententia contraria affertur, prorsus infirma est, nam pulchrè ostendit Gobat *tr. 9 cas. 10. in Append. 1. post num.* 202. Paludanum non fuisse locùtum de scientia quadam reflexa, quòd uterque formaliter scire debeat, crimen, quod committunt, esse impedimentum dirimens, ex quo non possit sequi Matrimonium absque dispensatione Pontificis, sed solùm dicere voluisse, quòd debeat uterque directè cognoscere ipsum crimen, cui annexa est inhabilitas ad contrahendum, id est, ut sciant, à se patrari formaliter adulterium, quod crimen, addita promissione Matrimonij, est reipsa impedimentum dirimens, esto, hoc ignoretur. Nec aliud fortassis dicere voluit Fernandez: quòd si tamen absolutè docuit, ad contrahendum impedimentum requiri, ut habeatur impedimenti notitia, non tanti nobis facienda est ejus authoritas, ut nos magnopere morari debeat. Qui istud asserat, præter ipsum vix alius est, cùm neque Paludanus, nec, si qui alij pro hac sententia citantur, ipsi faveant; atque ita falsissimum est, quod ait, hanc esse communem sententiam. Etsi verò quandoque etiam unicus Author possit sententiam aliquam

quam reddere probabilem, si adsint debitæ conditiones, ut videri potest apud Dominicum Viva *in damnatis Thesib. propos. 27. ab Alexandro VII. prohibitâ*, & Illsung *tr. 1. disp. 1. n. 38* at quando unus, vel alter contra torrentem aliorum nititur, qui sequuntur communem sensum fidelium, & Ecclesiæ praxin, quando insuper solida fundamenta non affert, quæ ab alijs soluta non sint, aut facile solvi possint, tunc sanè talis authoritas nullam sententiæ probabilitatem conciliat. Atque ita patet etiam secundum dubium nostri casus, per hoc, quod ignoraverit Tolonius, adulterium, quod cum Sabina commisit cum promissione futuri Matrimonij inducere impedimentum dirimens, eundem nullo modo excusari posse, sed adesse omnimodam inhabilitatem, propter quam validè contrahere invicem nequeant.

Pro coronide adjungo, quod pro ijs, qui in isto impedimento volunt petere dispensationem, advertit Io. Clericatus Præposit. Patavinus decis. 25. de Matrim. n. 15. his verbis: *Circa dispensationem obtinendam super commisso, seu machinato crimine, explicari debet, an hujusmodi impedimentum oriatur ex machinatione, seu adulterio, vel ex ambobus. Si idem crimen fuisset alia vice patratum, & deinde repetitum, de ea fit mentio, aliàs dispensatio secundò obtenta erit nulla, ac subreptitia, quia Papa non præsumitur velle idem genus criminis pluries remittere. L. Nemo 3. C. De Episcopal. Audient.*

CLASSIS IV.

Impedimentorum Dirimentium.

NIMIA DISTANTIA.

Ultima duo Impedimenta dirimentia Classis ista complectitur, quæ sita sunt in *cultûs disparitate*, & *impotentia*, quorum distinctam expositionem duobus sequentibus paragraphis dabimus.

§. I.

CULTUS DISPARITAS.

CASUS

Matrimonij contracti cum Hæretico, qui putabatur Catholicus.

Neomisia Catholica nupsit Cantiano, quem Catholicum esse crediderat, qualem se & ipse dicebat & per biennium, quo

quo vixit in Urbe Catholica, tam aptè simulaverat, ut nemo unquam de eo dubitaverit. Nunc verò cùm mutaverit domicilium, sedemque fixerit cum sua conjuge in loco, ubi mixta Religio est, palam se profitetur Lutheranum, qualis semper fuerat, templumque & Synaxin Lutheranorum frequentat, quod dum videt Neomisia, dolosè deceptam se esse conqueritur, nec persuaderi jam potest, ut porrò cohabitet viro hæretico: imò quia audivit, conjugium cum infideli contractum esse irritum, hujus opinionis est, ob nullitatem Matrimonij, quod cùm hæretico contraxerat, posse se, Cantiano relicto, alteri Catholico nubere.

Q. An hæresis sit ea in cultu disparitas, quæ sit sufficiens ad inducendum impedimentum dirimens?

SYNOPSIS.

1. *Quænam cultûs disparitas sit impedimentum dirimens, & num id irritet Matrimonium Jure naturæ, vel Divino?*
2. *Saltem illicita sunt jure naturali, & Divino hæc conjugia, nisi excusent circumstantiæ.*
3. *Quòd hoc impedimentum Matrimonia dirimat, habet ex Jure Ecclesiastico, non scripto, sed consuetudinario, & extenditur etiam ad Catechumenos.*
4. *Eodem Jure irrita quoque esse Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, aliquibus videtur, sed nulla est authoritas, ex qua hoc probare conantur.*
5. *Vnde Catholica validè nubit hæretico, & vicissim, atque ideo in casu præsente non poterat dissolvi Matrimonium: resilire tamen potuisset à Sponsa-*

Sponsalibus, si tunc temporis hæresis Sponsi priùs incognita, fuisset detecta.

6. *Illicita nihilominus sunt Matrimonia, quæ cum hæreticis contrahunt Catholici, idque regulariter etiam in ijs partibus, ubi est mixta Religio.*

7. *Impia verò prorsus sunt, & irrita illa pacta, ut è liberis masculi in fide Patris, fœmellæ autem in dogmate Matris aducentur.*

1. PEr *disparitatem cultûs* hîc non intelligitur quæcunque fidei, sive Religionis diversitas, sed illa tantùm, quæ datur inter fidelem, seu baptizatum, & infidelem, seu non baptizatum; si nempe Christianus ducat Judæam, Mahometanam, vel paganam, aut è converso fœmina Christiana nubat Judæo, Mahometano, vel Gentili, quæ fidei diversitas inducit impedimentum dirimens. Potest verò, atque solet ex occasione hujus moveri altera quæstio, quæ in præsente casu proponitur, an videlicet eidam nullitati subjaceat Matrimonium fidelis cum hæretico, vel Apostata à vera fide. De priore quæstione priùs agendum est, deinde alterum quoque dubium examinabimus.

Igitur inter fidelem, & infidelem impedimentum intercedere, quod Matrimonium illorum dirimat, omnium DD. unanimis consensus est, & meritò, tum ob periculum perversionis in fide, cui se exponunt baptizati hujusmodi Matrimonium contrahentes, tum propter damnum prolis, ad cujus bonam, & rectam educationem in obsequium Dei Matrimonium ordinatur, siquidem difficulter possunt filij vel Patris, vel Matris infidelis in vera fide instrui, & educari. Quòd verò irritum sit Matrimonium inter tales personas contractum, non habet hoc à jure naturali, aut Divino, sed ex solo Iure Ecclesiastico, quidquid aliqui dicant apud Sanch. *l. 7. disp* 71. *n.* 6. quorum rationes solidæ non sunt; nam constat ex Divinis litteris, in Lege

ge naturæ homines sanctos, & verè timoratos conjugia contraxisse cum mulieribus disparis cultûs, quæ Matrimonia à nemine tunc censebantur esse invalida. Ita contraxit Iacob Matrimonium cum filiabus Laban, ut habetur *Gen. 29.* quæ quidem sicut Pater earum, erant Idololatræ, namque furata est Rachel idola Patris sui *Gen. 31.* quando Iacob cum uxoribus reversus est in patriam suam. Ioseph Iacobi filius, cùm esset prorex Ægypti, accepit Asenethem filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos, utique idololatram, & Gentilem, prout erat Pater ejus. *Genes. 41. vers. 45.* Moyses quoque, cùm esset adolescens in Ægypto, antequam ei legem daret Deus in morte Sinai, ac proinde lege naturali adhuc durante, accepit Sephoram in uxorem filiam Raguelis, qui alio nomine vocabatur Iethro, Sacerdotis Madianitæ *Exord 2. v. 21.* utique idololatram, ac gentilem, idcirco enim recusaverat circumcidere puerum quem ex Moyse genuerat, donec tandem post tempus non breve id peregit, *Exodi 4. v. 25.* ut videri potest apud Cornelium à Lapide: ergo dum viverent homines sub lege naturæ, non fuit hoc impedimentum dirimens. Sed neque constat de Iure Divino positivo, ubi irritentur conjugia ob cultûs disparitatem, nam scimus è contrario etiam in lege scripta personas cæteroquin pias, & sanctas conjugia contraxisse cum personis diversi cultûs; ita tempore legis Mosaicæ Salmon filius Naasson vir amplissimus, & tribûs Iudæ Princeps nobilissimus, ut eum vocat Tirinus *Ios. 2. v. 1.* duxit in uxorem Rahab meretricem, ac idololatram, eam nempe, quæ in urbe Iericho exploratores à Iosue missos, in sua domo receptos, à morte præservaverat. Booz ejusdem Salmonis filius uxorem sibi selegit Ruth mulierem Moabitidem gentilem, ut legitur *Ruth. 4. v. 13.* Samson conjugium inivit cum fæmina Philistina, utique pagana, *Iudic. 14.* ipse Rex David inter alias uxores assumpsit sibi Macham filiam Thomai Regis Gessur è genere Chananæorum disparis utique Religionis, de qua natus est ei filius Absalom, ut testatur sacer textus *2. Reg. 3.* Esther virgo Hebræa nupsit Assuero Regi Persarum, atque Medorum, utique Ethnico *Esth. 2.* Quis verò credat, hos omnes fuisse contracturos ea Matritrimonia, si adfuisset impedimenrum dirimens, vel Iure naturæ, vel Divino? igitur nec naturali, nec Divino jure disparitas cultûs est impedimentum dirimens, præsertim cùm textus, qui afferri solent ex sacris literis, plus non ostendant, quàm fuisse Hebræis prohibita cum infidelibus conjugia, in nullo autem habetur, quòd etiam fuerint irrita. Ita Sanch. *l. 7. disp. 71. n. 7.* Less. *in 3. p. S. Th. c. 1. de Sacram. Matr. dub. 2. n. 180. & seq.* Perez *disp. 36. de Matrim. Sect. 1. n. 2. & 3.*

2. Quanquam verò Iure naturæ, vel

vel Divino positivo irrita non sint, communitur tamen docent Theologi Morales, talia Matrimonia esse saltem illicita, gravissimeque prohibita jure naturali; ac Divino tam veteri, quàm novo; idque ait Patritius Sporer *p. 4. Theol. Sacramental. c. 1. n. 116. de imped. Matr.* esse certissimum apud omnes; sed limitanda mihi videtur hæc assertio cum P. Wex *p. 5. Ariad. Carolino- Can. tr. 2. de sponsal. §. 4. n. 20.*, ut istud intelligatur non universaliter, sed pro certis circumstantijs personarum, locorum, & temporum, nam suprà ostendimus, in lege tam naturæ, quàm Mosaica extitisse plurimos, qui ita contraxerunt, utique non contra jus Naturæ, aut Divinum in lege Mosaica: idemque præsumendum non est in lege nova Evangelica, in qua non rarò contracta sunt conjugia inter fidelem, & gentilem, nam ex historia novimus, S. Cæciliam fuisse desponsatam Valeriano, qui baptizatus non erat; Clotildis nupsit Clodovæo Francorum Regi Ethnico: S. Monica Mater S. Augustini marito juncta erat pagano: S. Wenceslaus Patrem habuit Christianũ Vratislaum, Matrem verò Ethnicam Drahomiram, denique, ut plura taceam, Saracenis Hispanias occupantibus, inter eosdem, ac Christi fideles ibi habitantes fiebant frequentissima conjugia, teste Baronio ad annum Christi 1010. quis verò credat, hos omnes voluisse legem Dei violare, & agere aliquid, quod illicitum erat vel jure naturæ, vel Divino, atque ita se gravi peccato contaminare? nam de factis tot dispensationibus planè non constat: dicendum igitur, hæc Matrimonia non semper fuisse illicita, sed jure naturali quoque, & Divino aliquando permissa, habita ratione temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum, atque ita etiam sentit Illsung *tr. 6. disp. 9. De Sacram. Matrim. n. 87.* vel illis temporibus nondum constitisse de prohibitione, vel saltem propter graves causas potuisse licitè contrahi hæc Matrimonia, etiamsi successu temporis expressè deinceps fuerint prohibita ab Ecclesia. Neque videtur discrepare Sanch. *l. c. n. 5.* ubi ait, Matrimonium fidelis cum infideli Jure Divino, ac naturali illicitum esse, *nisi in aliquo speciali eventu urgens causa occureret, ut recta ratio id Matrimonium tunc ineundum dictaret*: ipseque S. Augustinus *Libro de fide, & operibus c. 19.* asserit, suo tempore talia Matrimonia non fuisse judicata esse peccata, cùm in novo testamento non reperiatur aliquid de hoc præceptum, quod utique semper intelligendum est *per se loquendo*, & seclusis alijs damnis, aut periculis, v. g. perversionis, nam hæc si adsint, prohibitio juris naturalis, ac Divini procul dubio tunc locum habet.

1. Restat igitur, quòd disparitas cultûs sit impedimentum dirimens, & Matrimonium non solum illicitum,

tum, sed etiam invalidum reddat, id solo jure Ecclesiastico haberi, in quo DD. conveniunt; & hoc quidem non tam juri scripto, quàm non scripto, seu consuetudinario ex longo usu, & praxi Ecclesiæ tribuendum esse, communis iterum doctrina est, cùm non reperiatur vel unicus canon, aut Decretum Ecclesiæ, quod Matrimonia inter baptizatos, ac infideles contracta expressè irritet, quotquot enim citari solent canones, prohibent ij quidem hæc conjugia, non tamen dicunt esse invalida. Omissis pluribus, unum, alterùmve adduco, qui apertiùs de impedimento disparis cultûs loquuntur: Talis est canon 67. Concilij Nicæni I. quod celebratum est anno 325. qui ita habet: *quæcunque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ex Ecclesia eijciatur.* Et canon 69. ejusdem Concilij: *Si quis fidelis filiam, aut sororem non consciam, neque præsentem dederit nuptum non credenti, prohibeatur communione fidelium, ipsa verò, quæ data est in Matrimonium, non est prohibenda.* Itaque puniuntur sic nubentes, sed nuptiæ non irritantur. Idem decernitur in Concilio Generali Chalcedonensi habito tempore S. Leonis Papæ præsente Marciano Augusto anno 451. in cujus canone 14. sic statuitur: *neque copulari debet nuptura hæretico, aut Iudæo, vel pagano, nisi fortè promittat ad orthodoxam fidem se per personæ orthodoxæ copulam transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit*, in quo canone iterum prorsus nihil habetur de irritatione Matrimonij: imò eodem penitus modo decernitur de infideli, ac de hæretico, & tamen cum hoc non est irritum Matrimonium, ut infra ostendetur. Nolo adducere decreta Synodorum Provincialium, quale est illud ex Concilio Toletano IV. quod refertur in c. Judæi. 28. q. 1. *Iudæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, quòd si admoniti noluerint, separentur*: nam præterquam quòd hoc Concilium Generale non sit, ac proinde non omnes fideles obliget, non loquitur de separatione vinculi, sed thori tantùm, ut rectè observat Eminent. Card. de Lauræa apud Jo. Clericatum. *De Sacram. Matrim. Decis. 26. n. 16.* Imò ex hoc ipso textu potiùs ostendi posset oppositum; si enim Judæus efficiatur Christianus, perseverare potest in conjugio: ergo erat conjugium validum: verum igitur est, quod unanimiter DD. asserunt, ex jure scripto Ecclesiastico ostendi non posse, ubi impedimentum hoc statutum fuerit, cùm SS. Canones solùm loquantur de prohibitione, non etiam de irritatione Matrimoniorum inter personas disparis cultûs initorum, sed hoc impedimentum dirimens inductum esse, atque firmatum solo Ecclesiæ antiquo usu, & consuetudine vim legis obtinente.

nente. Irritat verò, nullumque reddit Matrimonium inter fidelem, & infidelem usque adeò, ut extendatur etiam ad Catechumenos: unde invalidum est Matrimonium, quod baptizatus contrahit cum catechumena adhuc baptismo carente, ut notant Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 4. *dub.* 5. *n.* 81. Sanch. *L.* 7. *disp.* 71. *n.* 2 Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *pu.* 3. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *n.* 1. idemque patet ex c. Cave. 28 q. 1. ubi dicitur: *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento baptismatis.* ubi Glossa V. *Christiana* hoc ita explicat, *id est Catechizata.*

4. Ex hoc porrò, quòd irritum sit Matrimonium, quod baptizatus contraxit cum infideli, enascitur dubium præsentis casûs, an jure positivo Ecclesiastico eodem modo invalidum sit conjugium, dum mulier Catholica nubit hæretico, vel Apostatæ, & econtra? ita enim sensisse refertur Simanca apud Basil. Pontium *L* 7. *c.* 47. *n.* 9. Et verò fundari videtur istud dubium in Sexta Synodo Generali, ejusmodi Matrimonium pro invalido declarante, nam ibi in Can. 72. ita statutum est: *non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, neque Orthodoxam cum viro hæretico copulari: Si quid hujusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi*: irrita igitur sunt Matrimonia Catholicorum cum Acatholicis inita. Verùm ista authoritas penitus nulla est, & ex ea nihil probatur, nam Canones, ex quibus hîc allegatus desumitur, non sunt Concilij Sexti œcumenici, sed potiùs Conciliabuli cujuspiam, quod post Synodum Generalem absque ulla legitima convocatione congregatum fuit Constantinopoli anno 692. in loco palatij, qui *Trullus* dicebatur, condiditque canones 102, qui à loco vocari solent canones Trullani, inter quos multi sunt præjudiciales Ecclesiæ, præsertim Latinæ, neque fuerunt à Sede Apostolica unquam approbati, aut confirmati; imò hos canones teste Cabasutio in *Notitia Conciliorum. De Synodo quinisexta in Trullo* à Schismaticis in pseudo-Synodo profectos rejecerunt Romani Pontifices, præsertim Sergius, qui tunc Ecclesiæ Romanæ clavum tenebat, ut etiam videri potest apud Bellarminum fusè agentem de hac Synodo *L.* 2. *de Summo Pontifice c.* 18. & *L.* 1. *de Concilijs. c.* 7. nequit igitur ex Sexta Synodo Generali adduci decretum invalidans dicta Matrimonia.

5. Quare dicendum est cum communi, & certa Sententia, validum esse conjugium contractum inter Catholicum, & hæreticam, vel Apostatam, & è controverso inter mulierem Catholicam, & virum hæreticum, vel Apostatam, ut cum innumeris tenent Sanch. *L.* 7. *disp.* 72. *n.* 2. Perez *disp* 36 *Sect* 2. *n.* 2. Ludov. de Beja *p.* 1. *cas.* 5. *de Matrim.* ejusq; validit.

dit. Jo. Bapt. Scortia *in Select. Summor. Pontific. Constit. Epitom.* 161. *Theorem.* 402. Laym. & alij passim, qui tamen rectè addunt, illicita esse hæc Matrimonia, & regulariter non contrahi sine gravi culpa ob periculum perversionis propriæ, & malæ educationis liberorum, de quo in sequente numero. Hîc modò ostendendum est, irrita non esse, & invalida hæc Matrimonia, idque Probatur 1. quia nullo Jure reperitur statutum esse pro hoc casu impedimentum dirimens; imò contrarium videtur supponere Bonifacius VIII. *in c. Decrevit. De Hæretic. in 6.* ubi jubet in pœnam delicti confiscari dotem uxorum Catholicarum, quæ scientes nupsére hæreticis, nullâ penitus factâ mentione, quòd insuper debeant separari, & earundem conjugia irrita sint. Accedit Glossa in c. Non oportet. 28. q. 1. V. Hæretici. id ipsum apertissimè docens his verbis: *Hæreticus non potest contrahere Matrimonium cum Christiana; dicit tamen Hugo, quòd si contrahit, tenet Matrimonium, sicut si contraheret cum excommunicato.* 2. Clemens VIII. in Constitutione 42. quæ incipit: *Cùm sicut &c.* edita anno 1596. præcipit Italis extra Italiam commorantibus, *ut abstineant à Matrimonijs cum hæreticis*, rursum verò nihil addit de irritatione istorum conjugiorum. 3. Urbanus VIII. die 14. Martij 1630. in Congregatione S. Officij coram Sanctitate sua habita decrevit teste Clericato l. c. n. 21. *quoad Matrimonia jam inita tolerari posse, mulieres hæreticas, quæ Maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinarierum, quamdiu fuerit aliqua Spes conversionis, & nullum subversionis periculum, ita tamen ut proles Catholicè educetur*: ubi iterum supponit Pontifex, valida esse hæc Matrimonia, aliàs tolerari non possent. 4. Denique non aliter censuit S. Congregatio de propaganda fide anno 1538. *in terris hæreticorum, ubi hæreses impunè grassantur, maximè si ibi Catholicæ fidei liber cultus non permittitur, Matrimonia cum ipsis hæreticis per exhortationes potiùs, quàm per censuras prohibenda*: quia igitur neque ex Jure positivo, nec consuetudinario ostendi potest, conjugium cum persona hæretica initum esse invalidum, quemadmodum ex usu Ecclesiæ obtinuit, ut non valeat Matrimonium fidelis baptizati cum non baptizato; imò quia clarè habetur contrarium ex textibus citatis, & ipsa praxi Ecclesiæ, consequitur manifestè, ejusmodi Matrimonia vera esse, atque valida; atque ideo Neomisia in casu præsente frustra attentavit transire ad secundas nuptias cum alio viro Catholico, relicto marito hæretico, malè sibi persuadens, adesse impedimentum dirimens propter cultûs disparitatem. Poterat verò dicta Neomisia, si tempore sponsalium ipsi innotuisset, hæreticum esse, quem credebat Catholicum, à contractis sponsalibus liberè resilire, tum quia

sponsalia inter personam Catholicam inita, & hæreticam irrita sunt, quia promissio illa est de re turpi, & omnino illicita, ac proinde nullam Sponsalium obligationem inducere potest, ut habet Sanch. *cit. disp.* 72. *n.* 3 tum, etsi demus, in certis circumstantijs ea Sponsalia valere posse, & licitè contrahi Matrimonium inter Catholicum, & hæreticam, negari tamen non potest, hæresim sponsi semper esse causam admodum gravem, talemque maculam, quæ meritò possit, ac debeat sponsam absterrere, ut nolit cum hæretico celebrare Matrimonium. Profectò resilere potest propter notabile vitium corporis, morbumvè sponsi prius incognitum, si iste innotescat: id ipsum igitur poterat etiam propter hæresim, aliudvè animi vitium, utpote quæ multò magis valent absterrere, & reddere grave conjugium; at postquam aliquando contraxit Matrimonium, causam nullam præbet ipsi hæresis, ut eapropter valeat dissolvere, nisi ex alio impedimento irritum sit, sicut patet ex Concilio Tridentino Sess. 24. can. 5 De Sacram. Matrim. *Si quis dixerit, propter hæresin dissolvi posse vinculum Matrimonij, anathema sit*

6. Cæterùm hæc Matrimonia, quæ contrahunt Catholici cum hæreticis, etsi valida sint, fuerunt tamen jam olim in Ecclesia illicita, ut patet ex Concilio Generali Chalcedonensi, can. 13. & alijs Concilijs Provincialibus, scilicet Illiberitano cap. 16. Carthaginensi III. c. 12 Agathensi c. 67. quod refertur in *c. Non oportet.* 28. *q.* 1. idemque manifestè colligitur ex *c. Decrevit* suprà cit *De Hæreticis in 6.* ubi sic contrahentibus pœna decernitur, illaque etiam hodie graviter esse prohibita constans est, & communis doctrina Catholicorum, ut videre est apud Laymannum *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *n.* 2. Gobat *tr.* 9 *n.* 216. Tannerum *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 4 *dub.* 5. *n.* 89. Engl *in Manuali Paroch. p.* 3. *c.* 5. *Sect.* 6. *n.* 2. Perez, Dicastillo, Sporer, & alios passim, ac proinde peccant per se loquendo mortaliter Catholici, qui ducunt Acatholicas, & præsertim puellæ Catholicæ nubentes viro hæretico, nam hæ fragiliores sunt, & faciliùs in Apostasiam pertrahuntur; in locis tamen Catholicis, ubi permixta cohabitatio est cum hæreticis, ut in Germania, Gallia, Polonia, ex recepta & tolerata consuetudine non esse illicitum personæ Catholicæ, etiam absque dispensatione, contrahere Matrimonium cum hæretico, affirmant Sanch. *L.* 7. *disp.* 72. *n.* 5. Azor *p.* 1. *L.* 8. *c.* 11. *q.* 5 & Perez *disp.* 46. *Sect.* 2. *n.* 5. cum hoc additò: si ibi id fiat *ex consuetudine scita, & tolerata à Romano Pontifice*, & abiit omne periculum perversionis, ac malæ educationis prolium, quia videlicet ea conjugia ineuntur instar

instar aliorum contractuum in ijs locis cum hæreticis ob amicitiæ Leges ad pacem communem, & reipublicæ tranquillitatem conservandam. Istis Authoribus ex parte accedit etiam Layman *l. c.* si in aliquo casu morali evidentiâ constet, nullum esse periculum scandali, & perversionis, aliorumque incommodorum, quæ cum tali Matrimonio plerunque conjuncta sunt, nam ferè semper videmus, Catholicos ex talibus conjugijs scandalizari, saltem quando hæreticus se gerit pro tali, idcirco putat Coninck *disp. 31. dub. 3. n. 45.* rarò hoc tutum esse in praxi, eidemque consuetudini resistunt, & eam etiam pro Germania licitam non agnoscunt Gobat, Tannerus, Sporer, Authores Germani, nisi seclusis omnibus hisce malis, & periculis, quæ ordinariè timeri debent, alia insuper gravis quædam, & justa causa hoc agendi adsit, v. g. spes sopiendi magnas discordias, convertendi conjugem ad fidem; nam si uxor hæretica ita affecta sit, ut omnino cupiat esse Catholica, hanc spem conversionis sufficere ad licitè contrahendum, dicit absolutè Becanus *L. 5. Manual. Controvers. c. 13. n. 4.* aut si puella nequeat inter Catholicos reperire conjugem paris conditionis, ut habet Lessius *in Auctar. V. Hæreticorum cum Catholicis conversatio. cas. 23.* quia verò, ut dixi, experientia probat, rarò evenire, ut nullum subsit periculum, & ex opposito majora mala, quàm bona oriuntur ex talibus Matrimonijs, nequit sanè generaliter dici, in partibus Septentrionalibus ex consuetudine contrahi cum hæreticis conjugia posse. Esto enim, ut liberaliter aliquid permittatur, per dictam consuetudinem Legi Ecclesiasticæ in ijs partibus fuerit derogatum, si tamen periculum imminet perversionis propriæ, vel ne pars prolium ritu hæretico educetur, tunc sanè ista conjugia, etsi consuetudo contraria derogaverit Legi Ecclesiasticæ, adhuc prohibetur per Legem naturalem, & Divinam; atque ita perquam difficile est, excusare illos Parentes, qui aliquando, nulla necessitate cogente, propter respectum aliquem merè temporalem, v. g. ut honores, vel divitias adipiscantur, liberos suos cum hæreticis conjungunt.

7. Illud commune, atque indubitatum est omnibus citatis Authoribus cum Navarro *Consil. 1. de Constit. n. 63.* Sanch. *l. c. n. 6.* & Azor *l. c. q. 6.* nefaria prorsus, impia, illicita, atque etiam irrita esse pacta, quæ in istis conjugijs quandoque ineuntur, ut è liberis inde nascituris alij Catholicæ fidei, alij verò hæresi adhæreant, puta, masculi Patrem fidelem, fæmellæ autem Matrem hæreticam sequantur, quod Juri Divino, & Ecclesiastico repugnat,

gnat, Ecclesia enim constituit, ut ex alterutro parente Catholico suscepta proles in Catholicæ Religionis dogmate erudiatur. *c. Ex literis. De Convers. infidel. c. Iudæi.* 28. *q.* 1. Cùm Jure Divino autem pugnant hæc pacta, quia ex hujus præscripto parvulis usu rationis carentibus cura parentum ministrare, & præbere debet remedia ad salutem necessaria: ergo filij parvuli instituendi sunt in ea fide, ac Religione, quæ vera est, & ad salutem necessaria, nempe in fide Catholica, ut in ea salvi fieri queant.

§. II.

IMPOTENTIA.

CASUS PRIMUS

Impotentiæ Matrimonium præcedentis.

Doritia nupta Demetrio ultra triennium eidem cohabitavit, amata à marito, & eum vicissim tenerè amans; unicum erat, quod ipsam afflixit, & hunc amorem paulatim imminuit, quòd conjux quidem esset, sed nunquam hactenus ita à marito cognita, ut mater efficeretur, toto enim tempore, quo sibi convixerunt, sæpiùs tentatâ copulâ, semper experta est virum impotentem, id quod amorem denique omnem extinxit, ut nollet jam diutius habere conjugem, è quo liberos non erat

erat susceptura: egit proinde ad dissolutionem Matrimonij, & quia consulti hac super re Medici, deprehenderunt in Demetrio, vera esse, quæ dixerat Doritia, eum actui conjugali penitus inhabilem judicantes, lata à Judice Sententia est, ut dissoluto vinculo, à se invicem separarentur, & ista, cui vellet, deinceps nubere posset. Aliquot menses elapsi sunt, quos ita sejuncti exegerunt, sed ipsa absentia mutuum utriusque desiderium reaccendit; igitur de novo se invicem salutare, per intervalla invisere, blanda iterum miscere colloquia, ac denique eò deventum est, ut suo priùs conjugi corporis copiam faceret Doritia, eventu non sperato; quippe ex hoc congressu paulò post sensit se esse gravidam, & debito tempore prolem peperit, cujus patrem nuncupavit Demetrium, minimè inficiantem.

Q. An comperto errore de impotentia, debeat hoc Matrimonium redintegrari?

SYNOPSIS.

1. *Impotentia ad generandum, sive sterilitas, non dirimit Matrimonium, sed sola impotentia coëundi, idque tam Jure naturali, quàm Ecclesiastico.*
2. *Hæc impotentia multiplex est: nam alia est naturalis, sive intrinseca; alia accidentalis, sive extrinseca.*
3. *Alia perpetua, alia temporalis.*
4. *Alia absoluta, alia respectiva.*
5. *Ex tot diversis speciebus omnis, & sola impotentia perpetua dirimit Matrimonium, quando præcessit, & quidem, si absoluta est, cum omnibus,*

omnibus, si respectiva, tantùm respectivè; temporalis verò impedimentum non inducit.

6. *Reijcitur Sententia Basilij Pontij, dicentis posse spadones, aliosque impotentes validè contrahere Matrimonium, si velint castè vivere.*

7. *Exponuntur SS. Canones, quos dictus Author pro se allegat, & indicatur, quid faciendum sit conjugibus, de quorum impotentia vel dubium est, vel certitudo habetur.*

8. *Quid faciendum, si deprehendatur, impotentiam, propter quam dissolutum est Matrimonium, non fuisse perpetuam.*

9. *Datur solutio præsentis casûs.*

10. *Validè contrahunt Matrimonium senes, & moribundi, ut & illæ mulieres, quæ parere nequeunt sine extremo periculo vitæ, vel sine abortu emortui fœtûs.*

1 FOedam complectitur materiam istud impedimentum, sed quæ & sacra tribunalia, & curias Ecclesiasticas non rarò vehementer fatigat, atque etiam in errorem inducit, ut aliquando necessarium sit, latam omni adhibita priùs circumspectione, sententiam iterum retractare, quemadmodum in hoc ipso, vel certè non multùm absimili casu paucis ab hinc annis contigisse scio. Ad hujus igitur impedimenti expositionem ante omnia nobis indagandum est, in quo consistat ratio, & natura ejusdem? Potest verò vox *Impotentia* in duplici sensu sumi, & per eam significari vel impotentia ad generationem prolis, vel impotentia ad copulam carnalem. Prior, quæ vocatur *sterilitas*, nec impedit, nec dirimit Matrimonium, ut patet in Parentibus S. Ioannis Baptistæ, qui veri conjuges fuerunt, etsi steriles; & tales etiam hodie non solet Ecclesia separare, sed eos in libero usu Matrimonij permittit, quia nempe etiam steriles possunt habere veram copulam conjugalem, per quam vir, & mulier fiant

fiant una caro, verumque semen emittunt, quod ejusdem rationis est cum natura aliorum seminum generationi deservientium, & solùm ob speciale aliquod temperamentum, & qualitates infœcundum est, ob quam causam licèt quasi per accidens habere nequeant steriles finem primarium Matrimonij, & copulæ conjugalis effectum, qui est generatio prolis, possunt tamen habere finem secundarium, qui est remedium concupiscentiæ, & solatium humanitatis, ut dicitur *in c. Nuptialis. 27. q. 1.* nam ob hunc finem potest Maritus etiam commisceri cum uxore vicina partui, quamvis sine effectu novæ prolis. Denique ex varijs exemplis constat, sterilitatem progressu temporis sæpè corrigi: ergo hæc impotentia nullum impedimentum ponit Matrimonio, ut contra paucos aliquos docet communis cum Sanch. *l. 7 disp. 92. n. 26.* & Palao *disp. 4. de sponsal. pu. 14 §. 2. n. 3.* Tum denique impotentia ad copulam est inhabilitas corporis ad exercendum actum conjugalem per completam, & perfectam commixtionem cum penetratione vasis fœminei, & immissione seminis, quæ impotentia Matrimonium impedit, atque dirimit Iure non solùm Ecclesiastico, sed etiam naturali, quia licèt copula actualis de essentia Matrimonij non sit, est tamen de illius essentia, ut invicem tradantur corpora, quæ ad hunc actum inepta non sint; invalidè igitur contrahit, qui impotis est, sive sciat, sive nesciat suam impotentiam, modò illa adfuerit eo tempore, quo Matrimonium contractum est, nam ea, quæ subsequitur, conjugium non dirimit, ut in sequente casu fusiùs dicetur. Quòd verò etiam Jure Ecclesiastico impotentia antecedens impedimentum dirimens inducat, habetur ex *c. Quod sedem. c. Consultationi. cum alijs seqq. De Frigid. & malef.* & in hoc concordi calamo conveniunt Theologi, ac Canonistæ.

2. Non tamen omnis quæcunque impotentia coëundi impedimentum hoc inducit, nec dirimit semper cum quacunque persona conjugium; nam multiplex, & varia esse potest impotentia, quare ut agnoscatur, quænam, & respectu quarumnam personarum impedimentum pariat, priùs necesse est, exactam impotentiæ divisionem præmittere, ac primò quidem alia est *intrinseca, & naturalis*, quæ oritur ex ipsius naturæ defectu, in viro quidem, quia vel membra genitalia ab ipsa natura malè efformata sunt, ita ut ad carnalem copulam sint inhabilia; vel provenit à temperamento nimis frigido, ex cujus intemperie jis spiritibus destituitur, qui excitare solent ad seminis effusionem, unde vel seminare omnino non potest, vel ob debilitatem nequit penetrare vas fœmineum, & in illud semen emittere,

tere, quod quidem aliquando, sed rariùs, etiam provenit á nimis calida complexione, ex qua fit, ut ebulliente sanguine, & exuperante calore, dum accedit ad debitum conjugale solvendum, in eodem instanti semen præproperè extrà ejaculetur, ut intra vas muliebre immittere non valeat. In fæmina autem naturalis hæc impotentia duntaxat oritur ex arctitudine, si nempe vas tam arctum, & angustum habeat, ut à viro penetrari nullatenus possit, semenque ipsa recipere. *Extrinseca, & accidentalis* impotentia est, quæ sive in viro, sive in fæmina reperitur non ex naturæ defectu, sed aliunde proveniens, v. g. ex diuturno, aut violento morbo, gravi percussione, castratione, maleficio &c. sæpe enim hoc contingit, ut arte magicâ, & fascinationibus à re Venerea conjuges impediantur, ut nequeant congressum habere, quod fit subinde per maleficium universale, ut vir cum nulla fæmina coire valeat; subinde redditur impotens ad illam tantùm, quam sibi desponsavit, ut nequeat cum ea habere copulam, non etiam cum alijs fæminis, prout accidisse Regi Theodorico refert Delrio *Disquisit Magic. l. 3. q. 4. Sect. 8. lit. D.* qui poterat coire cum concubinis, cum uxore sola non poterat, & Galeacius Sfortiæ fraude sic tactus fuit, ne Matrimonio Isabellæ Arragoniæ potiretur. Hujusmodi maleficium aliquando perpetuum est, & durat usque ad mortem maleficiati: quandoque est temporale, quod post aliquod tempus cessat, ac tollitur. Solet autem dæmon sponsos reddere impotentes ad consummandum Matrimonium septem modis. 1. Reddendo sponsos inter se odiosos, ac despicabiles. 2. corpora detinendo, ne se contingant. 3. impediendo, ne spiritus vitales ad membra generationis descendant. 4. semen prolificum exsiccando, ac subtrahendo. 5. virilem virgam flaccidam tenendo. 6. Pharmaca frigescentia applicando. 7. vas muliebre coarctando.

3. Alia deinde est impotentia *perpetua*, alia *temporalis*. *Perpetua* dicitur ea, quæ medijs naturalibus per artem medicam, vel per consuetos Ecclesiæ exorcismos, vel aliàs sine peccato, vel sine vitæ periculo, aut sine miraculo tolli non potest, adeoque censetur esse incurabilis, etiamsi tolli valeat per miraculum, vel per illicita media, v. g. per artem magicam, novumque maleficium contrariũ, aut incantationem, vel cum periculo mortis. *Temporalis* est quæ arte naturali, sine gravi vitæ periculo, per media licita sive profana, sive sacra, nempe per Ecclesiæ exorcismos, ac benedictiones, aliaque similia tolli potest. An verò dici debeat perpetua illa impotentia, quæ tolli quidem potest sine morte, ejusvè periculo, sed non sine periculo gravis morbi, controvertunt Autho-

Authores, in hoc tamen ferè conveniunt, perpetuam non esse censendam, sed temporalem, quæ tolli nequit sine periculo gravis morbi etiam perpetui, etsi is secum inferat gravissimos dolores, ac molestias, si non simul inducat etiam mortis periculum. At mihi videtur cum Dicastillo *disp. 7. dub. 41. n. 432.* quamvis periculum morbi non lethalis, licèt cæteroquin valde doloriferi, per se loquendo non satis sit, sufficere tamen, ut illa quoque censeatur perpetua impotentia, quæ auferri non potest absque gravi ejusmodi morbo, qui sit futurus perpetuus, hic enim videtur morti æquivalere non minùs, quàm periculum mortis, nam ad vitandum talem morbum appeti potest periculum mortis, imò & mors ipsa appetitur: cùm igitur omnium opinione morti æquivalere censeatur perpetua captivitas, ratio nulla est, cur negemus, æquivalere morti morbum, ejusvé evidens periculum, non qualemcunque, qui molestiam quandam afferat, quæ facilè supportari queat, vel quia excessiva non est, vel quia post breve spatium remittet, aut penitus cessabit, sed morbum, qui inter gravissimos dolores per omnem vitam durabit, & ferè ad omnia inhabilem est redditurus.

4. Alia denique est *absoluta*, alia *respectiva*. Absoluta est, quæ respectu omnium alterius sexûs personarum datur, ita ut eâ affectus cum nulla prorsus fœmina perfectam copulam carnalem habere possit. Respectiva est, quæ tantùm respectu unius, aut plurium certarum personarum, non item respectu omnium datur, ita ut, licèt laborans hac impotentiâ coire non possit cum hac, vel illa persona, possit tamen cum alijs. Hæc impotentia frequenter oritur ex maleficio, quo ita ligantur Sponsi, vel conjuges, ut inter se commisceri nequeant, quamvis ad carnalem commixtionem cum alijs personis impediti non sint. Sæpè consurgit ex improportione, & partium genitalium maris ac fœminæ disconvenientia, quòd ille virgam nimis exilem, vel nimis crassam, aut magnitudine excedentem, ista vas nimis angustum, vel aliquando nimis amplum habeat, ita ut, licèt ille cum alia muliere, ista cum alio viro, congredi valeat, inter se tamen copulari ob defectum proportionis non possint: sed de his legi poterunt Tannerus *tom. 4. disp. 8 q. 4. dub. 8.* Sanchez fusissimè de hoc impedimento agens *L. 7. à disp. 92. usque ad 114.* Perez *disp. 37. de Matr. per totum.* Wiestner *Tit. De frig. & maleſ.* Jo. Clericatus Præpos. Patavinus in *in Decisionib de Matrim. Decis. 32.* Palao *disp. 4. de Sponsal pu. 14. per totum*, qui *§. 3. n. 3.* enumerat indicia, ex quibus cognosci possit tam ex parte viri, quàm mulieris, num impotentia proveniat ex maleficio,

ficio, & præsertim Paulus Zacchias *in QQ. Medico-Legal. L. 3. Tit. 1.* ubi *q. 5. n. 22.* etiam signa affert ad cognoscendam frigiditatem provenientem à natura.

5. Hac posita impotentiæ divisione, certum est, omnem, & solam impotentiam perpetuam, quæ Matrimonium antecessit, id est, quæ existebat jam eo tempore, quo Matrimonium contrahebatur, esse impedimentum dirimens Matrimonij, & propter eam tale conjugium esse irritum, ac invalidum, sive deinde illa intrinseca, & naturalis sit, sive à causa extrinseca advenerit; sive sit absoluta, sive respectiva, dummodo perpetua sit. Ita communis, & certa Sententia; patetque ex toto Titulo De Frigidis, & malefic. cum hoc tamen discrimine, quòd, quando absoluta est, impediat, atque dirimat Matrimonium cum quacunque alia persona; quando autem est respectiva, tantùm dirimit Matrimonium respectu illius, vel illarum personarum, respectu quarum datur impotentia, cum alijs autem, respectu quarum potens est, licitè, valideque contrahit. Econtra temporalis impotentia, quæ per media licita, & ordinaria sive spiritualia, sive naturalia tolli potest, etiamsi ea absoluta sit, & respectu cujuscunque personæ, non dirimit Matrimonium, ut constat ex *c. Fraternitatis. De Frig. & Malef.* quia tales non sunt absolutè impotentes ad actum conjugalem, ad quem se obligant, sed solùm sunt impediti usque ad tempus, sicuti ergo, qui in præsenti solvendo non est, sed erit in futurum, se potest ad solvendum obligare, ita & hi possunt se obligare ad actum, quem etsi de facto exercere nequeant, poterunt tamen post aliquod tempus, atque ita possunt contrahere actu Matrimonium, qui habent impotentiam solùm temporalem, cùm de ratione Matrimonij non sit, ut semper, vel statim possit haberi copula, sed ut aliquando. Excipiuntur hîc impuberes, nam quamvis ipsi quoque temporaneâ duntaxat laborent impotentiâ, atque ideo, spectando solum jus naturale, validè possent contrahere Matrimonium, tamen ex speciali Juris Ecclesiastici dispositione ante adeptam pubertatem ob impotentiam coëundi declarantur inhabiles ad contrahendum Matrimonium, &, si de facto contraxerint per verba de præsenti, nullum est, atque irritum eorum Matrimonium, *c. Vbi non est. c. A nobis. c. Attestationes*, alijque pluribus. *De Desponf. Impub.* nisi malitia ætatem suppleat, id est, nisi ex certis indicijs deprehendatur, quòd ante præscriptam ætatem usum sufficientem rationis, atque etiam potentiam carnalis copulæ fuerint assecuti, ut habetur *c. De illis 9. & c. fin. ibid.*

6 Minimè verò hîc audiendus Basil. Pontius, qui cum antiquioribus quibusdam, quos citat, *L. 7. de Matrim.*

Matrim. c. 56. & tribus insequentibus docet, posse spadones, & quoscunque alios impotentes cum conscijs hujus impedimenti contrahere validè Matrimonium, non quidem ad usum Matrimonij, sed ad Societatem vitæ, & castè vivendum per modum fratris, & sororis, quam Sententiam probabilem putat Diana *p. 4. resol.* 75. licèt eandem ipse non teneat, illique etiam favet D. Th. apud cit. Pontium. Verùm contrarium omnino tenendum est, nunquam posse tali defectu laborantes contrahere verum Matrimonium, nam istud ex natura sua est contractus, in quo legitimæ personæ in sua corpora sibi mutuum dominium tradunt ad usum Matrimonij, estque per se, ac primò institutum ad honestam humani generis propagationem, ut constat ex illo Genes. 2. *propter hanc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: at qui impotens est, nequit tradere sui corporis Dominium ad prædictam propagationem, & usum Matrimonij: nequit ergo contrahere Matrimonium. Quòd verò se tradat alteri ad alios usus, videlicet ad domestica obsequia, per istud non contrahitur Matrimonium, neque efficiuntur conjuges, aliàs Matrimonium validum inire possent illi quoque, qui impedimento, saltem occulto, cognationis, affinitatis, vel publicæ honestatis affecti sunt; imò possent inire conjugia Pater cum filia, filius cum Matre, frater cum sorore, socer cum nuru &c. si verum haberetur Matrimonium per solam conjunctionem animorum, & si conjuges efficerentur ij, qui sine obligatione tradendi corpus ad actum conjugalem vellent se solùm obligare ad mutua charitatis officia, præstationem alimentorum, & perpetuam cohabitationem, ut rectè observant Palao *disp. 4 de Sponsal. pu.* 14. §. 6. *n.* 3. & Perez *disp.* 37 *Sect* 4 *n.* 3. Contrarium sanè colligitur apertè ex *c. Consultationi. De Frig. & Malef.* ubi Pontifex loquens de ijs, qui etiam scienter cum arctis, idéque impotentibus ad copulam, contraxerunt, dicit, quòd non possint eas habere uxores, & Sixtus V. 1587. suo in Hispanijs Nuntio in hoc dubio interroganti ita respondit in motu proprio, ut refert Sanch. L. 7. disp. 92. n. 17: *Committimus Fraternitati tuæ, & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoscunque eunuchos, & spadones, utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas, eòsque ad Matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares, & tam locorum Ordinarijs, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quàm eos, qui sic de facto contraxerint, separari cures, & Matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Certum igitur est ex Pontificis declaratione,

tione, impotentiam esse impedimentum dirimens, & quotquot tales sunt, contrahere Matrimonium non posse, etsi id non prohibeatur illis, qui uno teste carent, nam hi, cùm ex Medicorum omnium Sententia possint verum semen emittere, quod nequeunt Spadones, & Eunuchi, apti sunt ad conjugium, hi verò ad illud inhabiles, quocunque sub prætextu contrahere velint; hancque Sententiam Sanch. *l. c.* vocat indubitatam, Dicastillo *disp. 7. de Matrim. dub. 43.* omnino veram; Tannerus certam, & Perez *l. c.* cum Vasquez Sententiam contrariam, ait, esse contra communem sensum totius Scholæ.

7. Etsi verò in omnem partem se vertat Pontius, ut SS. Canones sibi faventes ostendat, id tamen efficaciter non consequitur, nam ait pro se stare c. Consultationi, De Frig. & Malef. ubi Lucius III. sic inquit: *Consultationi tuæ, qua nos consuluisti, utrùm fæminæ clausæ, impotentes commisceri maribus, Matrimonium possint contrahere, & si contraxerint, an debeant rescindi? taliter respondemus; quòd licèt incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat Matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut, quas tanquam uxores non possunt, habeant ut sorores.* & his similia dicit Cœlestinus III. c. Laudabilem. eod. *quòd si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem.* Verùm cùm isti textus asserant, non posse haberi, *ut uxorem*, ubi ex altera parte impotentia intercedit, apertè confirmatur nostra Sententia, non dari hîc verum Matrimonium. In quonam igitur Basilio Pontio favent dicti textus? dicam: favent in eo, ut probet aliquid, quod non negamus, uti mox dicam, postquam dixero, quid his conjugibus faciendum sit?

Igitur cùm ex prædictis indubitatum sit, impotentes inhabiles esse ad verum Matrimonium, is, cui certò constat de sua perpetua impotentia, nec potest ipse contrahere validè Matrimonium, nec potest Judex Ecclesiasticus ullo modo tales permittere, ut contrahant. Quòd si verò actu contraxerint, ab eodem Judice Ecclesiastico statim separandi sunt, saltem quoad torum; imò alterutro eorum petente, etiam à cohabitatione, quæ separatio donec fiat, tenentur abstinere ab omni attentatione copulæ; tactibus lascivis, alijsque actibus, qui solis conjugibus permittuntur. Qui verò contrahit, dubitans, an potens sit, illicitè contrahit, & mortaliter peccat, hoc stante dubio, contrahendo, quia gravem injuriam infert alteri parti, & Sacramentum exponit periculo invaliditatis: potest tamen, qui dubius est in Matrimonio, an verâ laboret impotentiâ, uti privilegio Juris, quod habetur *c. Laudabilem. De Frig. & Malef.* ut per triennium experiatur, an possit copulam con-

consummare, computando triennium non à tempore contracti Matrimonij, sed attentatæ copulæ, debetque illud ita continuari, ut maxima saltem anni parte eodem toro utantur. Coninck *disp. 35. dub. 7. n. 83.* quale tempus Judex eriam concedere debet, si, re ad se delatâ, non nisi dubia signa impotentiæ habeantur. Imò subinde concedendus est longior terminus, casu, quo Matrimonio conjunguntur mas quatuordecim, & fæmina duodecim annorum, quo tempore regulariter censetur in ijs adesse pubertas, ut apti sint ad generandum: si igitur tunc Matrimonium consummare nequeant, præsumitur, id provenire ex imbecillitate ætatis, atque ideo in ijs exspectatur usque ad pubertatem plenam, & perfectam, quam mulier acquirit anno decimo quarto, mas autem decimo octavo completo. *L. Mela. §. 1. ff. De Alimentis*, quò si pervenerint, & duret etiamnum impotentia, tunc demum conceditur ipsis tempus triennij, ut experiantur, num impedimentum perpetuum sit. Sanch. *L. 7. disp. 108. n. 4. & disp. 110. à n. 8.* Pirh. *n. 20. De Frig. & Malef.* Clericat. *l. c. n. 43.* nunquam verò, quantumvis conjugibus de impotentia certò constet, possunt ij Matrimonium authoritate propria dissolvere. *c. Porrò. De Divortijs.* Imò in hoc negotio ipsi quoque Ecclesiastico Judici cum magna cautela procedendum est, nec fides statim habenda impotentiam affirmantibus, nisi priùs legitima afferatur probatio in SS. Canonibus præscripta, admissâ etiam inspectione per Medicos, aut Chirurgos in viris, in fæminis autem per Matronas bonæ opinionis, fide dignas, & expertas in opere nuptiali, ut loquitur *c. Litteræ. De Frig. & Malef.* & quandoque adhibitis hîc quoque Medicis, & Chirurgis, si in inspectione occurrat dubium, quod fæminarum notitiam superet, v. g. an mulier arcta per incisionem absque vitæ periculo apta reddi valeat ad copulam conjugalem. Hoc modo si constiterit, impotentiam vel omnino physicè, vel saltem moraliter certò adesse propter probationes adeò verisimiles, quæ prudens dubium non relinquant, tunc enimverò Judex Ecclesiasticus Matrimonium annullabit, eosque à toro, & habitatione sejunget, nisi tamen vellent cohabitare ut frater, & soror, quod ipsis à Jure permittitur *c. Consultationi*, & *c. Laudabilem, De Frig. & Malefic.* quando existimatur, nullum subesse incontinentiæ periculum; atque hoc totum est, quod ex citatis textibus habetur, ex quibus nullo modo eruitur, ut arbitratur Pontius, quòd possint impotentes contrahere verum Matrimonium ad castè vivendum, sed solùm, quòd illi, qui contraxerunt cum impotentia,

tentia, non teneantur petere divortium, sed ijs per SS: Canones permittatur, ut possint fratris instar, & sororis simul cohabitare, si ita ex communi consensu velint, abstinentes ab omni carnali, ac libidinosa actione, tactu, aspectu, lascivis osculis &c. Plura de istis legi possunt apud citatos AA. & Anacletum Reiffenstuel *in Tit. De Frig. & Malefic.*

8. Evenire autem potest, & non unica duntaxat vice de facto contigit, ut in judicio de impotentia, & facta ob eam dissolutione Matrimonij, error committatur; hac enim in re receptum est à Theologis, Ecclesiam errare posse, cùm ea in facto, non verò in Jure consistat: tale igitur si quidpiam eveniat, diremptum Matrimonium redintegrandum est; & si fortassis à parte altera, quæ potens esse censebatur, contractum est novum Matrimonium, etiam de licentia Iudicis Ecclesiastici, reddenda est priori conjugi, qui per errorem creditus quidem est esse impotens, modò autem deprehenditur esse potens, cùm enim sententia, quæ prius conjugium annullavit, processerit ex errore, necesse est, ut ea retractetur, quocunque tempore cognitum fuerit, eandem ex errore ortam esse, etiamsi interea à facta dissolutione plures anni elapsi sint, nam ut habetur in arg. c. Lator. De Sent. & re judic. *Sententia lata contra Matrimonium nunquam transit in rem judicatam*, idemque satis apertè dicitur in c. Laudabilem. & c. Fraternitatis. De Frig. & Malef. clarissimisque verbis id ipsum tenet Doctor Angelicus in 4. Sent. dist. 34. q. 1. art. 2. ubi sic ait in corp. *& tamen in hoc Ecclesia aliquando errat, quia per triennium quandoq; non sufficienter potest experiri perpetuitas impotentiæ; unde si Ecclesia se deceptam inveniat per hoc, quòd ille, in quo erat impedimentum, invenitur, carnalem copulam cum eadem, vel alia perfecisse, redintegrat præcedens Matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de illius licentia sit factum.* Unam nihilominus, alteramvè limitationem admittit hæc assertio, videlicet, ut impotentia non fuerit sublata per miraculum, quia, quæ tolli naturaliter non potuit, etsi miraculosè sublata fuerit, censetur impotentia non temporalis, sed perpetua; idemque dicendum est de impotentia aliter insuperabili, quæ novo maleficio, vel arte magica sublata est: miraculosè tamen non censetur esse sanata impotentia per maleficium inducta, si ea ordinarijs Ecclesiæ exorcismis, & benedictionibus, alijsque consuetis spiritualibus medijs depulsa est, ut habent Sanch. Laym. Pirhing. *n.* 12. *De Frig. & Malef.* Denique si, habitâ triennali experientiâ, facta est dissolutio Matrimonij ob impotentiam ex maleficio, eaque pars,

pars, quæ declarata est impotens respectu unius, aliam deinde ducat, alterivè nubat, & Matrimonium consummet, non restauratur eapropter prius Matrimonium, quia censetur fuisse, & adhuc esse impotens respectu prioris conjugis, non verò respectu aliarum personarum, ita enim evenire solet in maleficijs: ergo ex consummato posteriore connubio non probatur, adesse potentiam respectu prioris quoque conjugis, atque ideo ipsi non restituitur Sanch. *l. 7. disp. 99. n. 22.* Wiestner *Art. 3. n. 58. & seqq. De Frig. & Malef.*

9. Ex hactenus dictis consequitur ultrò pro solutione casûs nostri, conjugium inter Doritiam, & Demetrium nullo modo esse redintegrandum, si hujus impotentia, quæ judicata fuerat naturaliter incurabilis, sublata fuit per miraculum, aut novum maleficium, æquè enim, ac priùs sic reputanda est hæc impotentia perpetua, & Matrimonium est irritum, atque ideo si duæ hæ personæ invicem conjuges esse cupiant, necesse est, ut per novum consensum denuò contrahant. Laym *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 2.* Pirhing. *De Frig. & malef. n. 12.* quia tamen de hoc nulla mentio fit in specie facti huius casûs, videtur hæc impotentia solùm fuisse temporalis, eaque aut naturalis, quæ, cùm crederetur esse perpetua, vel applicatis medijs denique depulsa est, vel ipsa ultrò evanuit, vel est inducta per maleficium solummodo duraturum ad tempus, donec nempe conjugium dissolveretur, hacque sejunctione frustrato suo amore hi duo conjuges notam contraherent, & cum confusione sui exponerentur dicterijs hominum, præsertim ille, quem maleficium impotentem reddiderat; quod cùm deinde cessaverit, atque Demetrius præter opinionem potens inventus fuerit, reddenda ipsi est in conjugem Doritia, cùm Matrimonium inter eos semper constiterit, etsi invalidum judicatum fuerit per errorem, & quamvis in hoc graviter peccaverit, quòd impotentem se reputans, & pro tali à Iudice declaratus, uxoris quondam suæ nova cupiditate inflammatus, gliscente libidine ad eam nihilominus accesserit, tamen, quia, habitâ præter spem perfectâ copulâ, inventus est esse potens, & deprehensum, ipsum quoque impedimentum fuisse duntaxat temporaneum, quod Matrimonium non dirimit, reddenda est ipsi Doritia vera, & legitima conjux, ut deinceps rursum cohabitent, seque invicem conjugali prosequantur amore, quin opus sit novo consensu, ac contractu. ita in simili casu decidit quoque Paulus Comitolus *L. 1. Respons. Moral. q. 118.*

10. Superest, ut de senibus quoque dicamus, & ijs, qui contrahunt in agone, nam de utrisque dubium esse

esse potest, an valida sint ista Matrimonia ? & quidem de senibus, quia, cùm in istis deficiat nativus calor, inepti sunt actui conjugali, idque non solùm ad tempus, sed quoad vixerint, hi verò, quia morti quàm proximi sunt, nec ipsi unquam coire poterunt: ergo & hi, & illi perpetuam habent impotentiam, cui nulla arte, vel ope humana mederi quisquam potest.

Sed respondendum, neutros arceri à conjugio; nam, ut de senibus primò dicamus, possunt, quantumvis ij decrepiti sint, contrahere Matrimonium, dummodo alio impedimento præter senectutem non laborent, tum quia possunt exercere perfectum actum conjugalem, & verum semen emittere intra vas, etsi illud per accidens impeditum, & infœcundum sit; tum quia defectus caloris potest arte medica in ijs subinde restaurari, ita ut etiam prolem aliquando suscipiant: & sanè habemus in Historicis exempla multorum senum, in quibus virtus non solùm coëundi, sed etiam generandi in extrema senecta non defecit. De Massinissa Rege Numidiæ recenset Plinius *Histor. Natur L 7. c. 14* eum, cùm sex & octoginta annos ageret, filium procreâsse. De Catone Censorio post octogesimum ætatis annum id ipsum refert Menoch. *De Arbitrar. Iudic. cas. 89. à n. 61.* Vladislaum Regem Poloniæ jam nonagenarium duos filios genuisse Vladislaum, & Casimirum testatur Tiraquellus. *De Leg. Connubial. Leg. 6. à n. 22.* Denique id satis probat usus Ecclesiæ, quæ passim senibus permittit, ut possint inire Matrimonium: capaces igitur sunt conjugij, quod tamen cum Sanch. *L. 7. disp. 92. n. 24.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 14. §. 2. n. 5.* Tamb. Pirh. & alijs ita limitandum est, nisi sint adeò exhausti, ut omnino impotentes sint ad habendam copulam, nec judicio Medicorum juvari possint.

De moribundo eadem responsio est, nam in hoc datur potentia ad copulam, etsi per accidens pro eo tempore impedita sit, & in actum deduci nequeat; possunt proinde contrahi nuptiæ à moribundo, idque videmus per usum Ecclesiæ confirmari, sæpiùs enim suadetur, ut jamjam moribundus in articulo mortis contrahat cum concubina, tum ut proles ex ea susceptæ per tale Matrimonium legitimentur. *c. Tanta. Qui filij sint legitimi.* tum ut saluti ipsius infirmi consulatur, qui fortè nimio affectu fertur in hanc mulierem, & difficulter habebit firmum propositum ab ea recedendi, sic autem contracto Matrimonio illicitum amorem convertere potest in licitum,

licitum, & conjugalem. Palao, Sanch. & alij. Excipitur iterum, si ob vim morbi ita affectus esset, & ipsa potentia ad copulam ita destructa, ut nulla ope humana posset unquam reddi potens, sic enim irritum foret Matrimonium: verùm hoc non præsumitur, nisi clarè constet. Sanch. *L. 7. disp. 105. n. 3.* Coninck *disp. 31. n. 88.* Palao, Pirhing, Wiestner, Engl &c.

Denique huc pertinent illæ mulieres, quæ parere nequeunt sine vitæ periculo, vel non nisi abortum, aut fœtum mortuum edere solent, nam & hæ validè contrahere Matrimonium possunt, quia sunt potentes ad copulam, quod essentialiter requiritur ad Matrimonium. ita rursum Sanch. *L. 7. disp. 92. n. 28. & seq.* contra multos, Tamb. *L. 8. de Matr. tr. 1. c. 13. §. 2. n. 11. & seqq* Perez, Pirhing &c. illicitum tamen est nubere tali mulieri, scienti hunc suum defectum in pariendo, quia tenetur tantum suæ vitæ periculum vitare, si commodè possit. Quòd si tamen graves tentationes carnis pateretur cum periculo ijs succumbendi, licitè nuberet, quia non tenetur dicta incommoda cum tanto suo malo superare. Coninck *l. c. n. 86.* sed neque proli infertur injuria, quæ mortua edenda creditur, quia id evenit præter intentionem conjugum jure suo utentium.

CASUS SECUNDUS

Impotentiæ Matrimonio supervienentis.

Ebrulphus, & Arthemia conjuges à pluribus annis in summa pace, & concordia sibi convixerunt, cor unum, & anima una, atque ita felicissimi in suo conjugio, nisi hæc ipsa felicitas denique reddidisset infelices; namque hanc animarum conjunctionem cùm invidis oculis aspicerent quidam malevoli, nec eam ferre diutiùs possent, ut turbas concitarent, & mutuum amorem everterent, magiæ operâ per maleficium reddunt Ebrulphum impotentem; ita enim & ipse, & uxor non vanè suspicantur; pergit nihilominus sic constitutus maritus à sua conjuge, ut priùs, debitum petere, & ipsa bona fide petenti obsequitur, sed, irrito semper conatu, copulam consummare nequeunt. Tandem suboritur dubium mulieri timoratæ, an hoc faciendo peccaverit? exponit igitur id in confessione, & an deinceps debeat, aut salvâ conscientiâ possit viro idipsum exigenti obedire, interrogat Confessarium, & ab hoc intelligit, toties se commisisse peccatum mortale, quoties petenti conjugi reddidit debitum conjugale, cùm impotentia viri hoc ipsi reddat illicitum.

Q. An bene judicaverit hic Confessarius?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *In certis circumstantijs potuit esse bona responsio hujus Confessarij.*

2. *Reijcitur opinio aliquorum, per impotentiam supervenientem dissolvi Matrimonium ratum, non consummatum.*

3. *Stabilitur vera Sententia, nullam impotentiam, sive temporalis sit, sive perpetua, quæ Matrimonio contracto supervenit, etiam duntaxat rato, illud dissolvere.*

4. *Sed impedit tamen usum conjugij quoad copulam conjugalem, postquam de ea certò constat, non verò alios actus conjugibus permissos.*

5. *Reijcitur circa hoc opinio quædam P. Thomæ Sanchez.*

6. *Quando non certò constat, impotentiam esse perpetuam, non prohibetur actus conjugij.*

7. *Ex hoc datur ultimata responsio ad quæsitum præsentis casus.*

8. *Impotentia inducta per maleficium per quæ media tolli possit, vel non possit?*

9. *An licitè tollatur maleficium destructione signi?*

10. *An idem peti possit à malefico?*

11. *Solvuntur objectiones num. 9. propositæ.*

12. *An tolli possit maleficium positione signi contrarij?*

1. BEnè, & malè potuit respondisse hic Confessarius, Benè, si mulier petenti marito debitum conjugale reddidit in actuali dubio practico constituta, an hoc agendo graviter peccet, sic enim reipsa peccavit, quia operari cum dubio illicitum est, & peccaminosum ex communi omnium sententia, approbante S. Paulo Apostolo Rom. 14. *quod non est ex fide, peccatum est*, id est, ut explicare solent SS. PP. & interpretes S. Scripturæ, quod non fit juxta conscientiam, seu cum determinato judicio intellectûs, licitum esse id, quod hîc, & nunc agitur, vel omittitur, peccatum est; patetque ulteriùs, quia qui aliquid facit, vel omittit, practicè dubitans, an licitum sit hoc agere, vel omittere in istis circumstantijs, is se exponit peccandi periculo, & consequenter peccat juxta dictum Eccl. 3. *qui amat periculum, peribit in illo*: si ergo hoc fecit Arthemia, stante ejusmodi dubio gravis peccati, & ipsa meritò se accusavit in sacro tribunali, & ipsi Confessarius bene respondit, quòd operando cum tali dubio peccato lethali se obstrinxerit. Idem dicendum, si viri impotentia Matrimonium præcessisset, atque de ea certò, & indubitatò constitisset, ut dictum est in casu præcedente; at quia in facti specie (nam loquimur de casu facto) dicuntur cohabitâsse jam pluribus annis, & deprehensum esse Ebrulphum impotentem, cùm debitum conjugale peteret more aliàs consueto, complere autem non valeret, clarum indicium est, hanc impotentiam primùm supervenisse, & quidem à tempore non admodum diuturno: circa quod proinde an satis peritè responderit Confessarius fæminæ se consulenti, an tutâ conscientiâ possit marito debitum petenti obsequi, illudque reddere ob dubiam illius impotentiam, ex ea quæstione desumendum est, an impotentia Matrimonio superveniens id aliquando dissolvat, vel saltem illius usum impediat?

2. Quando Matrimonium consummatum est, nemo potest in dubium revocare, an per superveniente impotentiam dirimatur, certissimum quippe est Matrimonium fidelium, ut alibi fusiùs ostendimus, solâ morte naturali dissolvi, postquam aliquando consummatum fuit, ut patet ex verbis Christi Matth. 19. *quos Deus conjunxit, homo non separet*, & Divi Pauli 1. ad Cor. 7. *His, qui Matrimonio conjuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere &c.* Nec potest ipse Pontifex ex causa quantumvis gravissima dispensare in Matrimonio consummato; quod ab ipso fieri posse, malè docuerunt aliqui Iurisperiti apud Covarruv. 4. *Decretal.* p. 2.

2. *c.* 7. §. 4. *n.* 22. solùm igitur dubium moveri potest de impotentia, quæ supervenit Matrimonio duntaxat rato, & nondum consummato? De hoc censuerunt nonnulli, quos refert Sanch. *l.* 7. *disp.* 102. *n.* 2. tale Matrimonium dirimi per impotentiam supervenientem. Motivum illorum potissimum, ut alia taceam, desumitur ex ipso Jure, quòd nempe Alexander III. *in c. Ex litteris, De Frig. & Malef.* ineundi aliud Matrimonium potestatem fecerit cuidam viro, cujus uxor ante consummationem reddita fuit inepta ad copulam. Pari modo *c. Quod proposuisti.* 32. *q.* 7. Gregorius III. concessit alicui licentiam transeundi ad alias nuptias ob impotentiam perpetuam priori uxori supervenientem. Verùm hi textus minimè istud persuadent, nam in c. Ex literis, sermo non est de impotentia, quæ supervénit, sed quæ præcessit Matrimonium, ut clarè patet ex illis verbis: *Si mulier vitium illuà à natura contraxit*, quia v. g. arcta erat, ut notat Glossa V. *contraxit.* Barbosa in *cit. c. n.* 2. cum Gonzal. *ibid. n.* 2. & Sanch. *l. c. n.* 4. Alter canon æquè parùm probat, quia ibi quoque sermo non est de impotentia superveniente, quasi licentiam dederit Pontifex transeundi ad alias nuptias, relicta priore uxore, eò quod ista post contractum Matrimonium infirmitate correpta viro debitum reddere non potuerit, sed sermo est de ea, quæ ante Matrimonium per infirmitatem inepta erat, & inhabilis ad copulam conjugalem, quæ proinde legitima uxor non erat ob impedimentum perpetuum, idque citato loco Pontifex declaravit, ut docent Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 11. *in fine.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. disp.* 80. *n.* 16. *vers. Ad quintum.* Azor. *p.* 2. *Instit. Moral l.* 5. *c.* 4. *q.* 3. *vers. Octavò objicitur.* Neque ex eo colligi potest, veram fuisse conjugem, verumque Matrimonium, quòd Pontifex addiderit, virum hunc alteram ducere paratum *tamen subsidij opem subtrahere non debere ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit*, per hoc enim, ut Glossa exponit *V. Nubat*, aliud ipsi non injungitur, quàm ut eidem dotem restituat; vel si de alio subsidio accipitur, id non præceptum, sed consilium est. Denique si non arrideat hæc expositio, possumus dictum canonem explicare cum Barbosa *n.* 2. *in cit. c. Quod proposuisti*, & Engl *n.* 9. *De Frig. & malef.* de fœmina nondum cognita, & de Matrimonio rato non consummato, qua in gravem morbum incidente, eumque perpetuum, volebat maritus ad secunda vota transire, idque ipsi concessum est à Gregorio; nam posse ex dispensatione Papali Matrimonium ratum dissolvi ex justa causa, qualis utique est impotentia superveniens, suprà docuimus *Sect.* 1. §. 4. *q.* 3. *n.* 3. *& seqq.*

3. Unde dicendum tanquam verissimum

rissimum, & certum cum Sanch. *L. 7. disp. 102. n. 3.* Perez *disp. 37. Sect. 1. n. 3.* Palao *disp. 4. de Matr. p. 14. §. 2. n. 10.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 45. n. 465.* Tannero *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 8. n. 153* Gonzal. *in c. Laudabilem De Frig. & Malef. n. 8.* Pirhing, Wiestner, Engl &c. Matrimonium, sive consummatum aliquando fuerit, sive tantummodo ratum sit, per supervenientem quamcunque impotentiam, sive temporaneam, sive perpetuam, undecunque ea orta sit, nequaquam dirimi. Ratio est, quia Matrimonium semel validum semper est validum, & potestas semel data, superveniente impedimento usus, non irritatur: atqui in Matrimonio rato potestas data est: non igitur irritatur, etiamsi usus impediatur; idque clarissimè decisum habetur in Jure, nam *c. Hi qui. 32. q. 7.* à Nicolao Papa generaliter definitur, per nullam supervenientem infirmitatem, defectum, aut impotentiam Matrimonium dissolvi, & *c. Si uxorem 32. q. 5.* affirmat Augustinus, retinendam esse uxorem antea ductam, non obstante quocunque corporis impedimento superveniente. Præterea in Ecclesia ab omnibus receptum est, Matrimonium ratum quoad vinculum non dissolvi, nisi professione Religiosa, vel Apostolica dispensatione, ad quam impertiendam, ut *num. præced.* insinuavimus, ejusmodi impotentiam supervenientem justissimam causam esse, si multùm timeatur de continentia alterius conjugis potentis, clarissimis verbis docent Sanch. *l. c. ad finem*, & Engl *n. 9. De Frig. & Malef.*

4. Quamvis autem impotentia Matrimonio superveniens, hoc nulla ratione dissolvat, tamen, si certò constet, eam esse perpetuam, usum illius, seu copulam conjugalem, ejusve attentationem ejusmodi conjugibus reddit illicitam; non verò ipsis prohibentur alij actus, qui aliàs conjugibus permittuntur, videlicet oscula, tactus, amplexus, cùm veri conjuges sint, ad concupiscentiam carnis sedandam, & mutuum amorem fovendum, hi actus ipsis non prohibentur: addit tamen Sanch. *L. 9. disp. 17. n. 21. & disp. 45. n. 4. disp. 44. n. 8. ac 10.* & Tannerus *l. c.* dummodo absit pollutionis periculum. Imò plus dicit Sanch. *cit. disp. 45 n. 4.* cum alijs, quos citat: si ex simili aliàs sibi licita actione, qualis est ejusmodi tactus ex bono fine cohonestatus, etiam provideatur secutura pollutio, nullam esse culpam ab illa causa non desistere. Ratio, eaque fundamentalis est, quia universaliter nemo tenetur abstinere ab actu aliàs sibi licito, etsi prævideat, secuturam ex eo pollutionem, modò hanc non intendat, nec sit periculum in illam consentiendi, quia jus suum prosequenti non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem subsecutus,

secutus; nec est arcendus quispiam ob pollutionem non intentam, ne plerasque actiones sibi, vel proximo convenientes, ad quas jus habet, exerceat; aliàs multæ actiones necessariæ essent omittendæ, & innumeri laquei injicerentur. Addit præterea Anacletus Reiffenstuel *n. 65. De Frig. & Malef.* etiam quando ejusmodi tactus, oscula &c. à conjugibus exercentur ex mera voluptate, non esse graviter peccaminosos, etiam cum periculo pollutionis, dummodo hæc non intendatur, nec sit periculum consensûs in illam: idemque tradit etiam Sanchez *cit. disp. 44. n. 12.* quia voluptas illa Venerea non quæritur extra Matrimonium, sed in actu suapte naturâ ordinato ad actum Matrimonij; quare sicuti Matrimonium excusat actum copulæ inter conjuges à culpa lethali, ita similiter excusabit tactus illos, & sola manebit culpa venialis indebiti finis. ita isti. Sed tutius est sequi contrarium, quia in re tam lubrica, ubi alius finis honestus non adest, sed unicè intenditur delectatio, fieri vix potest etiam in conjugibus, ut se periculo consensûs quoque non exponant, vel aliàs prolabendi graviter in varias culpas, excedendo modum debitum. Vide, quæ dicuntur *p. 1. Sect. 3. q. 3. n. 2.* & *p. 3. Sect. 1. q. 4. cas. 4. n. 12.*

5. In hoc verò assentiri non possum, quod docet cit. Sanch. *L. 7. disp. 102. n. 5. & 7.* & *L. 9. disp. 17. n. 20.* & cum eo Palao *l. c. n. 11.* ac Perez, citantes per se Cardinalem Toletum, si impotentia superveniens sit impotentia coëundi, & seminandi intra vas ob imbecillitatem viri, vel fæminæ arctitudinem supervenientem, permitti quidem istis conjugibus tactus, oscula, & similia; non tamen copulam conjugalem: at verò si solùm sit impotentia ad verum semen emittendum, ut si post initum Matrimonium vir utroque testiculo orbatus est, ita ut coire quidem valeat, sed non emittere verum semen, in eo eventu posse nihilominus licitè petere, & reddere debitum, quia utitur suo jure, vacans actui conjugali, quem Matrimonium permittit: per accidens autem est, quòd non emittat verum semen, quod aptum sit ad generationem, sicut per accidens est in illis, in quibus semen corruptum est, vel sterile, quibus propterea in Matrimonio copula conjugalis non prohibetur; huic inquam, opinioni assentiri non possum cum Dicastillo *disp. 7. de Matrim. dub. 46. n. 481.* & *disp. 9 de Pœnit. n. 374.* nam certa & indubitata Sententia est, ut casu precedente ostendimus, eunuchos, & spadones Matrimonio jungi non posse, ipseque Sanchez *L. 7. disp. 5. n. 14.* docet, accessum eunuchi ad non uxorem, seu copulam, quam habet cum fæmina extra Matrimonium, esse peccatum contra naturam,

rum, atque ideo hanc circumstantiam in confessione specialiter explicandam: si autem accessus eunuchi ad fœminam est contra naturam extra Matrimonium, tunc certè non minùs erit contra naturam copula, quæ cum uxore habetur ab eunucho intra Matrimonium, nam esse copulam contra naturam, non provenit ex defectu Matrimonij, sed ex eo, quòd non sit quoad substantiam copula naturalis, cùm non emittat verum semen: nequit igitur dici, talem eunuchum uti jure suo, dum vacat actui conjugali, cùm nequeat habere jus ex vi Matrimonij ad actum contra naturam: nec potest institui paritas cum illis, qui semen habent corruptum, vel sterile, uti frequenter contingit in senibus, nam istud verum semen est, esto, per accidens morbosum sit, & infœcundum: at verò eunuchi verum semen non habent; & licèt sit per accidens, eos eunuchos factos esse, ipsorum tamen semen non merè per accidens, sed ex essentia sua prolificum non est, quia verum semen non est, sed aqueus quidam humor, essentialiter, & in substantia diversus, & qui ejusdem ratjonis prorsus non est cum vero semine; atque ideo permitti ijs non potest copula, quia naturæ repugnat, cùm vinculum Matrimonij neutiquam efficiat, ut actus, qui alioquin est contra naturam, desinat esse contra naturam.

6. Dixi superiùs *num. 4*, quantumvis impotentia superveniens non dirimat Matrimonium, illicitum tamen reddere usum conjugalem, *si certò constet, eam esse perpetuam*, quia si dubium est de impotentia superveniente, an sit perpetua, an verò solùm temporalis, licitum est conjugibus conari ad copulam, quamdiu probabilis spes est seminandi intra vas, quamvis per accidens, & præter intentionem extra vas semen effundatur. Ratio est, quia conjux ille operam dat rei licitæ, procurans copulam sibi possibilem, ac permissam, & præter intentionem sequitur externa illa effusio. 2. c. *Laudabilem. De Frig. & Malef.* conceditur triennalis experientia conjugibus dubitantibus, num impotentia perpetua sit, ac subinde, an Matrimonium valuerit; & tamen illo spatio constat, aut semper, aut sæpè fore, ut semen extra vas decidat, & nihilominus, stante tali periculo, licitum est conari ad copulam, jureque approbatur, quia eo manente dubio conjuges habent Jus in Matrimonio perseverandi, idque impedimentum investigandi, quod fieri sufficienter nequit, nisi operi conjugali vacando: à fortiori igitur in nostro casu id licebit, ubi valor Matrimonij certus est, ac proinde certius, ac fortius jus conjuges habent conjugali copulæ vacandi, experiendique, num impotentia illa seminandi intra vas perpetua sit. Sanch. L. 9.

L. 9. disp. 17. *n.* 22. Perez *l. c. n.* 7. Palao *l. c.* Pirhing *§. 4. n.* 22. *De Frigid. & Malef.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q.* 4. *dub. 8. n.* 153. ubi dicit, ejusmodi conjugibus non solùm ad triennium, sed tamdiu licere, ut conentur ad copulam, quamdiu probabilis spes est seminandi intra vas, atque in hoc differre impotentiam supervenientem ab ea, quæ conjugium præcessit, quòd pro hac exploranda concedatur triennij spatium, illic autem nullum certum tempus definiatur, quamdiu de absoluta, & perpetua impotentia non constat, & Sanch. *l. c.* ex Cajetano refert, accidisse cuidam, ut per multos annos intra vas effundere semen minimè potuerit, at sex annis transactis id potuisse, qui interim, ait, conando minimè deliquit.

7. Quòd si igitur impotentia superveniens Ebrulphi, quæ ex specie facti desumitur ante modicum tempus evenisse, cùm conqueratur uxor, non posse eum, ut antehac solebat, actum conjugij exercere, si, inquam, ista impotentia non erat indubitatò perpetua, quæ nullam spem ampliùs admitteret, fore, ut copulam complere possit, tunc sanè nimis præpropere, & præcipitato judicio judicavit hic Confessarius, Arthemiam viro petenti debitum reddere deinceps non posse, & toties peccâsse mortaliter, quoties eundem admisit, cùm Jura omnia hoc ipsis permittant, quod negavit hic Confessarius. Accedit, quòd hi conjuges ponderantia motiva habeant, virum per maleficium redditum esse impotentem; de impotentia verò, etiam antecedente, docet Joan. Clericatus Præpos. Patavinus, & Vic. General. *De Sacramento Matr. Decis.* 32. *n.* 34. quando per maleficium inducta est, & ad forum Ecclesiasticum deducta, pro declarando Matrimonio nullo, inter maleficiatum, & alterum conjugem inito, semper assignandum esse terminum triennij, in quo conjuges simul cohabitent, & condormiant, atque interim tum opportunis medicamentis, tum pijs exercitijs, ac exorcismis utantur, transacto autem isto triennio, & maleficio non soluto, illud reputari perpetuum: addit præterea ex Sperello, hanc triennalem cohabitationem esse indispensabilem: & hæc quidem dicuntur, dum agitur de Matrimonij valore ob impotentiam: id ipsum igitur denegandum non est, nec velut illicitum reprehendi debet, ubi de valore Matrimonij constat, & solùm dubitatur, an in perpetuum potentia adempta sit, & potiùs contrarium speratur, cùm dubitari vix possit, hoc ipso, quòd suspicionem habuerint dicti conjuges, adesse maleficium, ipsos ad hoc depellendum preces, & alia media spiritualia adhibuisse: meliùs proinde factum fuisset, si consulenti se triennalem saltem experientiam concessam esse respondisset.

8. Cùm in præsenti casu credatur, per maleficium inductam esse impotentiam, operæ pretium est, ut ex ista occasione examinemus dubium, quod, quia sæpiùs solet evenire, sua utilitate in praxi non caret. Constat, ejusmodi impotentias ex pacto vel tacito, vel etiam expresso cum dæmone à maleficis procurari positione alicujus signi, v. g. vel sub limine domûs, aut cubiculi, vel alio quodam loco, aut in ipso thalamo conjugali defodiunt, vel abscondunt glomum capillorum, calvariam, seram clausam, & obturaram, certas aliquas ligaturas, aut nodos funiculorum, vel infigunt januæ cubilis, in quo conjuges dormiunt, clavos, vel acus certo situ, numero &c. ex pactione, ut, quamdiu hoc signum non destruitur, vel amovetur, conjuges coire nequeant; quod fieri potest vel cum uno simplici pacto, ut dæmon, posito tali signo, inducat impotentiam, eamque tamdiu conservet, quamdiu signum hoc durabit, non verò petitur ab eo, neque is obligatur, ut signo hoc amoto, vel destructo, ablatam, vel impeditam potentiam ipse restituat, aut à nocendo cesset, sed liberum ipsi est continuare nocumentum, vel ab eo desistere: vel fit cum pacto duplici, ut non solùm posito, & durante signo, malum inducat, & conservet, sed insuper, ut eo ablato, vel destructo, desistat à nocendo, & potentiam (vel si hæc signa posita sunt, ut noceretur in alio genere, v. g. in sanitate) ut sanitatem restituat, aut procurare teneatur.

Quæstio nunc est, quomodo tolli possint, vel impediri hæc, & similia maleficia ex pacto diabolico orta? Respondeo. Certum est quoad ista, utilissimè adhiberi adversùs similia mala remedia spiritualia, tam universalia, quæ serviunt pro quovis beneficio consequendo, damnoque vitando, qualia sunt fervens oratio cum spe, & fiducia in Deum, invocatio SS. Trinitatis, nominis JESU, & MARIÆ, exercitium bonorum operum, præsertim misericordiæ, largitio eleemosinæ, jejunium, usus Sacramentorum Confessionis, & Eucharistiæ, quia Deus non rarò similes incursus dæmonis propter peccata hominum permittit in pœnam, gestatio, & veneratio SS. reliquiarum: vel possunt adhiberi media, quæ ab Ecclesia ad hunc effectum specialiter ordinantur, ut sunt consueti exorcismi Ecclesiæ, quibus dæmones adjurat, & à nocendo detinet, aqua benedicta, sal, & panis benedictus &c. cujusmodi media talibus consuluntur c. fin. 33. q. 1. his verbis: *Si per sortiarias, atque maleficas occulto, sed nunquam injusto, Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrimis, & largioribus eleemosynis, atque jejunijs, & orationibus*

tionibus Domino satisfaciant, & per exorcismos, & cætera Ecclesiasticæ medicinæ munia Ministri Ecclesiæ tales, quantùm Dominus annuerit, sanare procurent. Certum verò hoc quoque est, impotentiam, aliudvè malum ex maleficio ortum tolli non posse alio maleficio æquali, vel potentiore, quamvis ad id parata opera à malefico offeratur. Ratio est, quia illa malefici operatio est intrinsecè mala, cùm sit usus artis magicæ, estque vel expressa, vel tacita invocatio dæmonis in auxilium ad recuperandam potentiam, aliumvé effectum obtinendum, quod nullo casu licitum esse potest, cùm mala facienda non sint, ut eveniant bona, ut ait S. Paulus *Rom. 3. v. 8.*

9. De hoc verò controversia est, an saltem liceat sine novo pacto, vel maleficio removere duntaxat, aut destruere signa, vel ab ipso malefico petere, ut ea destruat, vel removeat, quibus positis, ac durantibus, ex pacto dæmon tenetur inducere, & conservare impotentiam, vel aliud nocumentum? Ut priùs agamus de remotione signi, quam aliquis per se ipsum facit, deinceps verò dicamus, an petere hoc ipsum liceat à malefico, negarunt apud Io. Præpositum *in 3. p. S. Th q. 7. de imped. dirim. dub. 22. n. 185.* Ioannes Hessels, aliàs à Lovanio, & Estius, ullo modo licitum esse, signum maleficij tollere, ut pactum diabolicum destruatur, & sic ablata potentia, vel sanitas recuperetur. Eorum potissima fundamenta sunt hæc; quia qui signum tollit, ut cesset noxa, ille se miscet pacto, quod malefico cum dæmone intercessit, quod est tale, ut signo posito dæmon nocere incipiat, ablato desinat: ergo id est illicitum. 2. Qui signum tollit spe nocumenti cessaturi, effectum hunc non expectat à causa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei: ergo expectat istud à diabolo, estque opus superstitiosum, quippe perinde est, ac si dæmoni dicat: pactus es, amoto signo te cessaturum; ecce amoveo signum, præsta tu modò, quod promisisti.

Sed dicendum, tutâ conscientiâ, & sine ullo scrupulo de committendo peccato posse affectum maleficio, & alium quemcunque tollere, aut destruere, ubi inventa fuerint, ejusmodi signa, ut pactum cum dæmone dissolvatur de nocumento inferendo, & hac ratione malum cesset, non tamen id fieri potest hac intentione, ut pactum ipse servet, quo se obstrinxit, quòd nolit perseverare in nocendo. Ita Sanch. *l. 7. disp. 96. n. 3.* Palao *disp. 1. de superstit. pu. 11. n. 8.* Perez *disp. 37. de Matr. Sect. 8. n. 5.* Laym. *l. 4. tract. 10 c. 4. n. 9.* Less. *l. 2 de I. & I. c. 44. dub. 6.* Præpos. &c. Prima pars probatur; quia si esset illicita ista remotio, id totum proveniret ex eo, quòd iste actus amotionis, vel destructionis censeretur esse tacita

tacita quædam dæmonis invocatio, nam alia causa, cur illicita sit, non apparet; hæc verò prorsus vera non est, quia hæc actio nec ex natura sua est invocatio dæmonis, ut per se patet, nec ex intentione amoventis, nam hic non vult invocare dæmonem, neque hoc facit ex pacto aliquo antecedente, ut ad amotionem signi nocere desinat, sed vult præcisè invocationem per magum hoc signo factam destruere, sicuti si quis, sciens, pactum esse quempiam cum hoste de urbe dedenda per proditionem, dummodo appropinquet ad certum signum publicè expositum, signum hoc removeret, ne proditio effectum sortiatur, is sanè nullo modo dici posset cum hoste colludere, nec facit aliquid illicitum: ergo nec ille, qui removet signum magicum, ne dæmon ulteriùs noceat.

Probatur nunc etiam altera pars, quòd nempe non possimus amovere signa ex intentione, ut his destructis dæmon pacto suo stet, & porrò non noceat, quia si hæc amotio fieret ex ista intentione, ut dæmon quoque nunc promissa servet de non inferendo deinceps nocumento, vel non conservandâ ulteriùs impotentiâ post signi destructionem, hoc modo destruens tale signum, se jam aliquatenus dæmoni submitteret, eumque invocaret, & quasi ratum haberet, & approbaret prius pactum, quod est illicitum. At, abstinendo ab hoc, expectare præcisè effectum dæmonis privativum, sine hoc, quòd alliciatur, ut pacto stet de non inferendo ulteriùs nocumento, nequaquam est prohibitum, sicut illicitum non est expectare dæmonis fugam ab energumeno, vel cessationem tentationis.

10. Idem planè dicendum est, si petatur ab ipso malefico, ut signa magica destruat, ut sic maleficium cesset, nam licitè ab ipso peto, ut maleficium hac ratione dissolvat, pactumque initum rescindat, idque is licitè facit, atque etiam facere tenetur, sed sine novo pacto, auferendo præcisè, ut diximus, signum, per quod velit tollere omnis diabolici pacti vinculum; potestque ad hoc, si innotescat in foro vel interno, vel externo, ab utroque judice compelli. Imò quantùmvis ego suspicer, ipsum ad dissolvendum maleficium vel hoc, vel alio licito modo non usurum, sed alio illicito, dummodo mihi certò constet, vel destructione signi, vel alio licito quodam medio, & sine pacto posse ipsum tollere maleficium, licitè, suspicione hac non obstante, quòd modo illicito facturus sit, me tunc ab ipso petere posse solutionem maleficij, docent Gonzalez *in c. Laudabilem. n. 12. De Frig. & malef.* Sanch. *l. 7. disp. 95. n. 12.* Less. *l. c. n. 46.* & Laym. *l. c.* Ratio est, quia licitè possum petere ab usurario mutuum, licèt certum sit, eundem sub usuris mutuaturum, quia

quia hoc adscribendum est illius malitiæ, nam posset hoc facere sine usura modo licito: ergo à pari quando maleficus licitè posset dissolvere maleficium, si medio utatur peccaminoso, id ejus malitiæ imputandum est, non meæ petitioni, cùm petam id, quod licito modo facere potest; rectè tamen addit Laymannus, peti hoc posse, si spes sit, magum obtemperaturum esse, facta expressa petitione, aut conventione, ut modo licito, & non illicito utatur, & quemlibet ex lege charitatis obligari, ut magum ad hoc hortetur, cùm hac ratione grave peccatum proximi facili negotio impediri possit, cum qua spe utique stare potest suspicio, ac formido, ne homo malitiosus agat contrarium. Similiter monet Gonzalez *ad finem cit. num.* diligenter observanda esse media, quibus maleficus utitur ad solutionem maleficij, ut si voce utatur, seu verbis occultis, rebus vanis, aut superstitiosis, quæ ex se vim naturalem non habent tollendi maleficium; vel si rebus quidem naturalibus utatur, adjungat tamen alia vana, & superstitiosa, nam in his casibus pactum dæmonis adesse creditur, atque ideo hæc remedia illicita sunt. Pari modo si dubites, an magus dissolvere possit maleficium sine novo maleficio, quia id, de quo dubium est, an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum est, ut faciat: huc ergo servit, ut magus priùs interrogetur, quæ media tollendi habeat, &, rejectis illicitis, licita eligantur.

11. Argumenta in contrarium adducta *n. 9.* facilè solvuntur, nam ad 1. negatur, eum, qui signum tollit, immiscere se pacto, quod intercessit inter magum, & dæmonem, quia amotione signi non intendit inducere dæmonem ad pactum servandum, sed solùm intendit destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur, unde amotio signorum facta eo fine, ut cesset dæmonis noxa, non est invocatio dæmonis, sed solùm est eversio pacti.

Ad secundum pariter nego, quòd destruens signa expectet aliquam positivam actionem à dæmone, sed solùm expectat cessationem actionis, ne ampliùs noceat, quod licitè expectari potest, nam multa quotidie facimus, ne diabolus nobis nocere valeat, cessetvé aliquid facere, vel quia ad hoc cogitur virtute Divina, vel quia id, quod agimus, ipse abhorret, & per id offenditur: ita gestamus Agnos Dei, sacras reliquias, utimur æquâ benedictâ, benedicimus domos, thalamos &c. possumus ergo similiter destruere signa magica, ut desinat nocere, tanquam non ampliùs ad nocendum allectus, atque ita expectamus effectum privativum,

vativum, non verò expectamus, ut non noceat ex fide data, & ratione alicujus pacti specialis, dum eum magus voluit dupliciter sibi esse obligatum, videlicet ut ad positionem talis signi noceret, & tum ut ablato hoc signo ex nova obligatione non ampliùs noceret, ad hoc secundum pactum, & dæmonis promissionem destruens signum ordinariè non attendit, sed sperat, signo destructo, cessaturum esse malum: adeoque qui hanc cessationem expectat, non perinde facit, ac si dicat: præsta, quod promisisti, sed potiùs quasi diceret: pactum tuum, quod fecisti cum mago, rescindo, & signa posita, quæ ad nocendum instituisti, destruo, proinde spero, cessaturum esse malum, quod hactenus perpessus sum.

12. Quæres, an sicuti licitum est, maleficium tollere, signa magica evertendo, vel destruendo, ita id ipsum liceat ponendo sive per se, sive per ipsum maleficum aliud signum positivum contrarium, ut maleficium cesset?

Resp. Si tale signum in se bonum sit, vel saltem indifferens, non est illicitum, illud apponere ex eo fine, ut signa priora magica vim suam amittant, pactumque, quod cum diabolo maleficus contraxit, dissolvatur, ipseque dæmon absque nova aliqua operatione à nocendo desistat. ita Less. *l. c. n. 45.* Palao *l. c. n. 10.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 8. à n. 143.* Sporer *tom. 1. in Decal. tr. 2. in 1. præcept. c. 9. Sect. 4. §. 3. n. 41.* Contingit nempe frequenter, ut dæmon cum mago, aut venefica paciscatur: inficiam, quem incantaveris, tetigeris, percusseris &c. nisi ille mox se cruce signet, aquâ lavet, te repercutiat; in tali casu licitum est, non solùm se cruce signare, sed etiam aquâ abluere, & sagam repercutere, ut pactum diabolicum dissolvatur, & maleficium avertatur. Admittit quoque Tannerus, ut massa panis inversa imponatur dolio, vel alijs rebus, quas à maleficio velis esse immunes; potestque huc poni, quod durante hoc bello, quod etiamnum Germaniam nostram flagellat, plures experti sunt, qui, ut pecunias suas, ac meliorem supellectilem ab hostium deprædatione conservarent, in agros, hortosve frustra defoderunt, prædabundo milite latentes thesauros ubique per specula magica explorante, ac detegente, ijs duntaxat exceptis, quibus supernè speculum impositum erat, vitro ad res defossas spectante: solet nimirum dæmon inire pactum conditionatum, se hoc, vel illud effecturum, patefacturum, aut nociturum ad usum, vel positionem certorum signorum, quamdiu contraria signa hæc, vel illa non fuerint adhibita, quæ si mala non sint, sed vel bona, ut est signare se cruce, vel

vel saltem indifferentia, ut repercutere sagam, imponere speculum &c. licitè ponuntur, quia licitum est aliquid facere, quo posito finitur pravum pactum, & diabolus desinit nocere; hoc enim non est signum pacti novi, sed eversio, vel impedimentum antiqui: nec refert, utrùm hoc proveniat ex eo, quòd diabolus tali signo offendatur, aut quòd ipsemet statuerit, ut, tali re interveniente, pactum non constet. Alia verò sunt signa, & actiones, quas adhibere minimè licitum est, v. g. invertere scopas in eo loco, in quo aliqua de magia suspecta adesse putatur, ajunt enim, eam loco exire non posse, veneficam de noctu veneficium machinantem jubere, ut sequenti manè pro aqua, pane, aut sale asportando se sistat, nam ista non sunt media indifferentia, sed verè superstitiosa, & quæ vim suam habent ex pacto saltem tacito cum dæmone, cujus auxilium, & operatio hoc superstitioso signo evocatur, neque enim ponuntur, aut fiunt ista, ut maleficium amoveatur, sed ut maleficus, aut saga in aliquo loco sistatur, ne exire possit, vel ut post eam compellationem se debeat præsentem sistere, quod nequit aliter effici, quàm mediante positiva ope, & actione dæmonis, quia per se constat, ejusmodi frivolo signo nec Deum, nec Angelum bonum flecti, aut demereri posse, ut per se ipsos opem ferant, & expetitum effectum præstent: perinde igitur est, acsi quis dicat: volo, ut hoc signo evocatus, seu permotus dæmon, maleficam in hoc loco immobilem detineat, aut præsentem sistat, quod velle, ac intendere nunquam licitum est.

APPEN-

APENDIX
AD
PRÆCEDENTIA.

DE
REVALIDATIONE MATRIMONIJ,
ET
DISPENSATIONE.

§. I.
DE REVALIDATIONE.

CASUS

Invalidi Matrimonij ex defectu consensûs, & impedimento dirimente.

Medericus petit conjungi Matrimonio cum Donatilla Ammiani filia secundò genita. Pater præoptat, ut Irminam ducat filius

filius natu majorem, utpote rei œconomicæ peritiorem, cujus cùm negligentior videatur Donatilla, in hanc omnino consentire renuit, ut filius suus eam uxorem habeat: ipse quoque Ammianus detrectat hanc concedere, cupiens, ut quæ ætate præit, in Matrimonio quoque alteram præcedat, eamque non invitus offert; toto interim animo Medericus prosequitur suam Donatillam, lepóre morum, & formâ corporis superiorem. Tandem cùm nec istius, nec proprium suum Patrem à proposito posset dimovere, ne Patris indignationem incurreret, nuptias cum Irmina non tam contraxit, quàm contrahere simulavit, copulam tamen conjugalem nunquam habuit, nam scivit, hoc Matrimonium esse nullum, cognoverat enim carnaliter Donatillam sub spe futuri Matrimonij, & ob hanc quoque causam consentire in conjugium cum Irmina noluit. Nunc verò cum gnavam hanc experiatur in re domestica curanda, suique amantem, & omni obsequiorum genere amorem mutuum provocantem, cupit eandem jam non habere putatitiam, sed veram conjugem, & irritum hactenus Matrimonium reddere validum.

Q. Quid factu opus sit, ut istud Matrimonium revalidetur?

SYNOPSIS.

1. *Quænam in hoc casu quæstiones examinandæ veniant?*
2. *Quid fieri debeat, quando invalidum est Matrimonium ex defectu consensûs.*

Proponitur Sententia eorum, qui putant, ratificari unius tantùm consensu è conjugibus.

3. Statuitur, & probatur Sententia contraria.

4. Ad revalidandum Matrimonium irritum ex impedimento requiritur novus consensus utriusque conjugis.

5. An etiam requiratur, ut nullitas Matrimonij Parti ignoranti manifestetur? Refertur duplex Sententia.

6. Tertia est probabilior, quæ docet, debere utrique conjugi, adeoque etiam Parti, quæ ignoravit impedimentum, constare de nullitate, ut possint de novo consentire.

7. An sufficiat, si Parti ignoranti injiciatur suspicio, vel dubium de valore, an verò debeat habere certam notitiam de nullitate?

8. Ut renovetur Matrimonium, id fieri debere in præsentia Parochi, & testium, defendit Basilius Pontius.

9. Deciditur contrarium, quando impedimentum penitus occultum, & Matrimonium, licèt invalidè, contractum est in facie Ecclesiæ.

10. Probatur conclusio, & evertuntur fundamenta opposita.

11. Movetur novum dubium, an dicta procedant etiam post condemnationem primæ Sententiæ ex 65. prohibitis ab Innocentio XI. ita ut etiam nunc revalidari possit aliquando Matrimonium, quin Parochus, & testes adesse debeant, aut nullitas Parti ignoranti manifestari?

12. Respondetur ad primum circa præsentiam Parochi, & testium.

13. Respondetur etiam ad secundum, & dicta applicantur præsenti casui.

1. Triplici

1. TRiplici modo evenire potest, ut Matrimonium invalidum, ac nullum sit. 1. ex defectu consensûs, vel ex parte unius tantùm, vel utriùsque, dum nempè vel unus, vel uterque fictè, ac simulatè contraxit, solumque videri voluit præstare verum consensum, cùm tamen reipsa non consenserit, sed potiùs dissenserit ab isto Matrimonio: vel si consensus ex metu gravi, & injusto extortus est, vel error adfuit circa substantiam, seu individuum personæ, aut circa conditionem. 2. potest esse invalidum, non ex defectu consensûs, qui abunde adest, sed ex defectu habilitatis personarum, dum inter eos intercedit impedimentum dirimens. 3. denique ex defectu solemnitatis inductæ à Tridentino, quando nempe contractum est absque præsentia Parochi, & testium. Ad revalidandum igitur Matrimonium invalidè contractum certum est, causam nullitatis, ob quam illud irritum est, auferendam, & amovendam esse, adeoque si nullum fuit Matrimonium, quia adfuit fictio, vel coactio, hæc cessare debent, si verò nullum fuit, quia ob impedimentum dirimens erant inhabiles, tolli debet istud impedimentum. Denique si fuit invalidum ex defectu præsentiæ Parochi, & testium, coram Parocho, & testibus renovandum est. Plures igitur diversæ, momenti gravissimi, & inter AA. multùm controversæ quæstiones in hoc casu nobis examinandæ veniunt. Videlicet 1. An ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum ex defectu consensûs uterque conjux renovare iterum debeat suum consensum? 2. Quando conjugium irritum est ob intercedens impedimentum, an tunc, quando, & quomodo alteri conjugi, qui hujus impedimenti ignarus, bona fide contraxit, nullitas Matrimonij notificari debeat? 3. An & quando ad revalidandum, seu de novo contrahendum Matrimonium, priùs invalidè contractum, denuo requiratur præsentia Parochi, & testium? De singulis istis tractandum nobis est; ac priùs quidem, quæ in utramque partem Authorum opinio sit, proponemus; inferiùs autem deinceps decidemus, quid in similibus casibus re ipsa fieri oporteat.

2. Ut à defectu consensûs initium faciamus, certum est, quando pars utraque fictè contraxit consensu simulato, vel per gravem, injustumque metum extorto, aut erroneo, debere ab utraque parte defectum hunc suppleri novo, ac libero vero consensu, non tantùm interno, sed etiam externo per verba, vel signa de præsenti expresso. ita Sanch. *l. 2. de Matr. disp. 32. n. 15.* Patritius Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 2. n 447.* Ratio est, quia cùm consensus utriusque planè nullus fuerit, Matrimonium

penitus non fuit contractum, & nec ex parte quidem inchoatum: necessariò igitur requiritur utriusque novus, & verus consensus externus, ac sensibilis, ut Matrimonium contractum, & sensibile convalescat.

Aliter loquuntur Sanch. *l. 2. disp. 32. n. 9.* Navarr. *in manuali c. 22. n. 51. ad finem, & n. 80.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. n. 1.* Coninck *disp. 24. dub. 10. n. 90.* Tamb. *l. 8. de Matr. tr. 4. c. 7. §. 1. n. 5. & 9.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 9. n. 1.* Sporer *l. c.* alijque, quando Matrimonium fuit invalidum ex solo defectu unius tantùm è conjugibus, fictè, vel ex timore consentientis, nam, ajunt, tunc sufficere, quòd ea Pars, quæ priùs nullum, vel non sufficientem consensum habuit, de facto verè consentiat, sive consensum suum renovet, ac suppleat, non verò esse necessarium, ut pars altera, quæ jam priùs verè consenserat, de novo ipsa quoque consensum præstet. Ratio est, quia ad Matrimonium necesse non est, ut utriusque consensus actualis simul existat, sed sufficit illius moralis existentia, sicut in alijs contractibus: at conjux ille, qui verè consensit, quamdiu hunc suum contractum non revocat, censetur in eo moraliter persistere, isque moraliter, ac virtualiter perdurare, nam ex eo movetur, ut partem alteram tanquam conjugem tractet: ergo ut verum habeatur Matrimonium, & illius defectus tollatur, ex parte istius nihil ampliùs requiritur, sed solùm desideratur, ut jam verè, ac liberè, consentiat is quoque, cujus prior consensus simulatus, aut non liber, ac spontaneus fuit. Hinc putant, etiam opus non esse, ut pars ista certior reddatur de nullitate Matrimonij, quia hæc notitia solùm desiderari potest, ut ipsa quoque suum consensum renovet, quod necessarium non est.

Confirmant hanc suam opinionem paritate, quòd etiam professio Religiosa, si irrita fuerit ex defectu interni consensûs, vel ex quacunque alia causa, v. g. ob metum, defectum ætatis &c. solo alterius consensu innovato ratificetur, quamvis novus consensus Prælati, vel Capituli non accedat, atque etiam Religio nullitatem ignoret, ut clarè colligitur ex *c. Significatum. De Regular. & c. 1. eod. in 6.*

3. Verùm etsi sententia ista probabilis sit, multò tamen probabilior, tutiorque videtur opinio contraria, etiam, quando ex defectu consensûs solùm unius invalidum fuit Matrimonium, renovandum nihilominus esse utriusque consensum, neque sufficere, si unus tantùm ex ijs, cujus consensus à principio defuit, eundem repetat, sive renovet. ita Palao *disp. 3. de sponsal. pu. 7. §. 1. n. 7.* Basil. Pontius *l. 4. de Matr. c. 24. n. 3.* Paulus Comitolus *l. 1. Respons. Moral q. 120. per totum.* Hurtad. *disp. 3. de Matr. difficult. 9. n. 33.* Less. *l. 2. de*

de Iust. c. 41. dub. 7. n. 66. Gobat *tr. 10. cas. 11. n.* 414. Wiestner *art. 10. n. 185. usque ad* 190. *De Matr. contracto contra interdict. Eccles.* Anaclet. Reiffenstuel *tom.* 4. *Iuris Can. in append. de dispens. super imped. §. 13. de revalidat. Matrim. n. 607.* Probatur, & simul evertitur fundamentum contrariæ opinionis, quia consensus alterius conjugis ex animo consentientis, dici nequit, quòd perseveret moraliter: ergo per hoc, quòd accedat de novo consensus illius, qui priùs fictè tantùm consenserat, effici nequit, ut Matrimonium ex defectu consensùs priùs irritum, reddatur validum: debet igitur hæc quoque Pars de novo consentire, adeoque de novo elici consensus utriusque. *Anteced. probatur*, quia consensus ille ab initio nullus fuit, & invalidus, ac proinde insufficiens ad constituendum Matrimonium; nam consensus ad Matrimonium requisitus, debet esse consensus in mutuam corporum traditionem: eo ipso autem, quòd alter fictè tantùm contraxerit, non dabatur hîc mutua corporum traditio, quia fictè contrahens nec voluit ipse jus tradere in suum corpus, nec traditum à parte altera acceptavit: ergo non potuit hîc dari consensus in mutuam corporum traditionem, qualis esse debet consensus in Matrimonio, quod revocatur ad eam speciem contractuum *Do, ut des*: cùm verò alter non dederit, per consequens nullus fuit, atque invalidus consensus etiam illius Partis, quæ animo sincero contrahebat, idemque planè est, ac si consensus iste omnino non fuisset, cùm esse invalidum, & prorsus non esse pro eodem habeantur. *L. Quoties ff. Qui satis dare cogantur.* Neque obest, quòd Partem alteram velut conjugem tractet, quia ad hoc agendum movetur ex errore, quo putat, te verè consensisse, atque ideo verum conjugem esse, non verò movetur ex consensu suo adhuc moraliter perseverante, quia quod nunquam fuit, perseverare non potest: renovare igitur Pars quoque innocens debet priorem consensum, sive de novo consentire, ad quod agendum opus est, ut certior fiat de nullitate Matrimonij, ut sic possit præstare novum consensum, de quo mox plura. Utrumque interim plurimùm confirmatur non tam definitione, quàm responsione Clementis VIII., quam dedit in simili casu, in quo unus conjugum fictè consensit, de quo cum consuleretur Comitolus, censebat ipse quidem, necessarium esse utriùsque conjugis novum consensum, quia autem alij erant opinionis oppositæ, scripsit ipse ad P. Stephanum Tuccium S.I. Rom. Pœnitentiariæ Rectorem, ut à quopiam tribunali, cujus judicio standum esset, responsum impetraret. Hic verò consuluit ipsum Pontificem, à quo hoc tulit responsum, quod P. Comitolo rescripsit Venetias: *necessarium esse novum consensum*

consensum utriusq; coram Parocho, & testibus, admonito priùs marito de Matrimonij nullitate, sed ad evitandum scandalum Sanctitas sua dispensat, ut secretò inter se contrahant, renovato consensu, cum legitimatione prolis.

Quod verò dicunt Adversarij de Professione Religiosa, solo eam invalidè professi renovato consensu ratificari, nulla in hoc paritas est cum Matrimonio, nam in Professione invalidè facta ideo opus non est ad ejus revalidationem, ut ipsa quoque Religio, vel Prælatus de novo consentiat, quia defectum consentientis Prælati supplet Pontifex, qui est supremus Prælatus, dum in citatis textibus ejusmodi ratificationem Religiosi admittit, quæ vel expressè, vel implicitè fit per gestationem habitûs &c. quemadmodum Tridentinum quoque Concilium *Sess. 25. c. 19. de Regular.* admittit quinquennalem perseverantiam post emissam professionem, quo tempore elapso si Religiosus velit prætendere nullitatem suæ Professionis, eundem, ait, non ampliùs esse audiendum, quia nempe tam diuturnâ perseverantiâ præsumitur sufficienter ratificasse professionem priùs nulliter factam, & ipsa Ecclesia loco Prælati ratificationem hanc acceptat, & in eandem consentit: in Matrimonio verò defectum consensûs conjugis Pontifex supplere non potest, ejus loco consentiendo: debet igitur etiam Pars illa, quæ fuit ignara consensûs fictitij suæ compartis, de novo consentire, atque ita requiritur consensus utriusque. Less. *l. 2. de Iure & Iust. c. 41. dub. 7. n. 66. ad finem.*

4. Quando conjugium irritum fuit, & invalidum ob inhabilitatem personarum, quia nempe intercessit impedimentum dirimens, certum est, ante omnia opus esse, ut hoc impedimentum legitima dispensatione tollatur, quæ tamen sola necdum sufficit, sed ulteriùs requiritur, ut post illius impetrationem, per quam personæ factæ sunt habiles ad contrahendum, iterum adhibeatur novus consensus, in quo nec ipse Pontifex potest dispensare, cùm implicet, Matrimonium validum esse, ac subsistere sine vero, ac valido consensu: prior autem consensus inter personas adhuc inhabiles nullius erat valoris: ergo post obtentam habilitationem, vel dispensationem, poni debet novus consensus externus, qui verum Matrimonium conficiat; & quidem renovari is debet, seu de novo poni ex parte utriusque, nec sufficit, si unus tantùm consensum repetat, is nempe, qui, conscius impedimenti occulti, dispensationem procuravit, ut docent Sanch. *L. 2. de Matr. disp. 35. n. 2.* contra paucos aliquos, quos tacito nomine allegat, Basil. Pontius *L. 4. disp. 24. n. 2.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 7. §. 2. n. 1.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 9. n. 6.* Coninck *disp. 24. dub. 10. n. 95.* Tamburin. *L. 8. de Matrim. tr. 4. c. 7.*

c. 7. §. 2. n. 1. Navarr. Filliuc. Sporer &c. Ratio est, quia ad essentiam Matrimonij requiritur expressus, verus, & validus utriusque conjugis consensus *L. Nuptias 30. ff. De R. I. can. Sufficiat. 27. q. 2.* cùm igitur consensus ille prior, totusque contractus, qui factus est, stante impedimento fuerit ex parte utriusque invalidus, ac nullus, utpote factus inter personas inhabiles, requiritur omnino, ut novus ex parte utriusque consensus eliciatur, acsi priùs nihil unquam contractum fuisset, quippe per dispensationem, quæ obtenta est, personæ priùs incapaces, ut sibi Matrimonio jungerentur, factæ sunt quidem habiles, ut modò possint inter se contrahere, non tamen etiam convaluit prior consensus, qui ab initio fuit invalidus, nam ut habet Regula Juris 18. in 6. *non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*, idemque clarè patet ex *c. Vnic. De Desponsat. impub.* ubi dicitur, Sponsalia invalidè contracta cum septennio minore, in quo ætatis defectum prudentia non supplevit, legitima ætate superveniente, non convalescere, nisi novo consensu, verbis, scripto, aut facto expresso, ratificentur; igitur hic quoque, ut valeat Matrimonium, debet ex parte utriusque novus consensus accedere, verbis, vel signo aliquo expressus. Advertunt verò Sporer *p. 4. Theol. Sacramental. c. 2. Sect. 2. n. 449.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 5.* Coninck *disp. 24. dub. 10. n. 86.* cum Marco Paulo Leone *in praxi ad literas majoris Pœnitentiarij p. 2. c. 4. n. 21.* ad hoc signum expressivum sufficere quodcunque signum, vel actum, quo quis alterum tanquam conjugem tractat, ac specialiter ipsam copulam conjugalem, habitam affectu maritali, seu animo se invicem habendi in conjugem. Ut autem consensus utrinque renovetur, quocunque id modo fiat, nulla quidem difficultas est, quando uterque conjux impedimenti, ac nullitatis Matrimonij conscius est, hi enim facilè novo consensu, verbis, aut factis mutuò sibi declarato, revalidare possunt suum conjugium.

5. At difficultas maxima est, quando vel uterque, vel saltem alter è conjugibus ignorat impedimentum occultum, vel nullitatem Matrimonij. Si ambo ignorant, certum est, quæcunque pro ipsis, & per quemcunque impetrata fuerit dispensatio, non posse eos revalidare Matrimonium, seu ratificare novo consensu, cùm nihil sit volitum, nisi cognitum: nequeunt ergo Matrimonium antea nullum facere de novo validum, nisi sciant, vel saltem dubitent, aut certè supponant, antea fuisse nullum, & de præsenti intendant ita contrahere, ut, etiamsi priùs non fuisset validum, tamen nunc velint ritè contrahere; hoc verò

rò ut fieri possit, necessariò impedimentum vel utrique, vel saltem alterutri aperiendum est, nisi præstet (ut sæpè consultius est) eosdem relinquere in bona fide, quando nempe timentur scandala, aut alia incommoda inde oritura, aut ne plùs obfutura sit manifestatio, quàm profutura, de quo videri potest Patritius Sporer *p. 4. Theol. Sacramental. c. 2. n.* 442. *&* 460. & nos quoque de hoc suprà diximus §. 4. *De Affinitate, Casu* 2. *n.* 5.

Quòd si verò unus duntaxat è conjugibus sciat impedimentum, quia vel per ejusmodi manifestationem, vel undecunque demum in illius notitiam venit, alter verò illud nesciat, redit difficilis, & intricata quæstio, an tunc necesse sit, ut non solùm ille, qui scivit, aut nunc scit impedimentum, de novo contrahat, quod certò debet fieri, sed insuper oporteat, ut altera quoque Pars, quæ nihil scit de impedimento, de illo certior reddatur, ut & ipsa possit de novo contrahere? Triplex hac in re AA. opinio est. Corduba *L.* 1. *Quæstionarij quæst.* 11. *art.* 2. *dicto* 1. Dominic. Sotus 4. *dist.* 29. *q.* 2. *a.* 1. *dub ult.* alijque apud Sanch. *L.* 2. *disp.* 36. *n.* 1. opinantur, sufficere, ut solus conscius impedimenti de novo consensum exprimat per aliquem actum externum, sive verbis, sive factis, v g. per copulam affectu conjugali habitam, nec esse necessarium, ut altera Pars impedimenti ignara ullo modo moneatur, nec in confuso quidem vel de nullitate Matrimonij, vel de novo consensu eliciendo, nam ipsâ v. g. reddente copulam ab altero petitam, jam adest, inquiunt, sufficiens consensus, & quidem externus, hæc enim ipsa redditio, ut relata ad consensum primum non revocatum, quamvis tunc invalidum, & ut conjuncta cum petitione alterius facta animo revalidandi Matrimonij, sufficienter constituere potest novum contractum Matrimonij.

Alij, veluti Petrus de Ledesma *q.* 45. *de Matr. a.* 3. *dub. ult.* §. *Sed dubium est.* Cajet *tom.* 1. *Opuscul. tract.* 12. *de Matr. q.* 2. Eman. Rodriq. *tom.* 1. *Summæ c.* 219. *n.* 2. docent, requiri quidem utriusque consensum novum expressè, sed non esse necessarium, ut ullo modo alteri ignoranti indicetur impedimentum, sive nullitas Matrimonij, verùm sufficere, ut Pars ea, quæ conscia est, obtineat ab altera comparte, v. g. uxor à viro nullitatis prorsus ignaro, ut pro sua, scilicet uxoris, consolatione, vel conscientiæ quiete, renovet consensum jam factum, & renovante viro renovet etiam ipsa uxor. Ratio istius Sententiæ est, quia sublato impedimento, sunt hæ personæ habiles ad contrahendum: ergo si de facto consentiant, consensus erit legitimus.

6. Dua-

6. Duabus hisce prævalet tertia sententia, quæ multò probabilior, & regulariter semper tenenda est. Docet hæc, ut consensus ad revalidandum Matrimonium, quod priùs ex occulto impedimento invalidè contractum fuit, ab utroque conjuge ritè præstetur, omnino necessarium esse, ut, obtenta dispensatione, etiam altera pars impedimenti ignara aliquo modo prudenter, & cautè certior fiat de nullitate Matrimonij priùs contracti, ita Sanch. *L. 2. disp.* 36. *n.* 3. Palao *disp.* 3. *de Sponsal. pu.* 7. §. 2. *n.* 3. Tamb. *L.* 8. *de Matr. tr.* 4. *c.* 7. §. 2. *n.* 6. Hurtad. *disp.* 3. *difficult.* 10. *n.* 37. Bossius *de Matr. c.* 2. 74. Sporer &c. eandemque mentionem nullitatis fieri debere etiam, quando conjugium nullum fuit ex defectu consensûs, expressis verbis tradunt Basil. Pontius *L.* 4. *c.* 25. *n.* 2. Anacletus Reiffenstuel *in Append. de Dispens. super imped.* §. 13. *de revalid. Matr. n.* 607. & Wiestner *n.* 185, *&* 189, *de Matr. contracto contra interdict. Eccles.* cùm utrobique militet eadem ratio. Probatur igitur, quòd pars ignara conscia fieri debeat hujus nullitatis, ad hoc, ut possit renovare consensum, quia nullus potest efficaciter velle de novo contrahere Matrimonium, nisi sciat, id antehac non esse validè contractum, cùm ex communi axiomate *nihil sit volitum, nisi sit præcognitum*: ergo nisi pars ignorans agnoscat & ipsa aliquo modo nullitatem prioris Matrimonij, non potest in ea dari consensus efficax, quo velit de novo contrahere, sed potiùs credet, & supponet, suum Matrimonium jam esse legitimè contractum, atque ita præsens consensus solummodo erit approbatio quædam, vel confirmatio prioris Matrimonij, & voluntas in eo, quod nullum est, ulteriùs perseverandi, quod sanè non sufficit ad novum Matrimonij contractum.

Confirmantur hæc dicta tum ex Verbis Clementis VIII. suprà allegatis, ubi dicit: *admonito priùs marito de Matrimonij nullitate*, tum ex consueta praxi, & formula dispensationum, quæ in hujusmodi casibus à S. Pœnitentiaria concedi solent, in quibus expressè requiritur, ut pars nullitatem ignorans de ea certior fiat, ut videre est apud Gobat *in Quinario tract.* 5. *c.* 37. *n.* 141. & Marc. Paul. Leonem in Praxi ad literas S. Pœnitentiar. p. 2. c. 4. *cum eodem latore, ut dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè, ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eodem postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses*. debet igitur parti ignoranti dari notitia, vel saltem in confuso, ac generatim Matrimonij nullitas innotescere,

ut ad minimum de invaliditate suspicari, deque Matrimonio suo dubitare possit.

7. An verò hoc postremum sufficiens sit, revocari in dubium potest, illudque de facto reijcit Marcus Paulus Leo *l. c. n.* 12. *& seq.* cum Sanch. *cit. disp.* 36. *n.* 4. putans, non satis manifestari nullitatem Matrimonij, si quis uxori putatitiæ diceret: suspicor, te non esse uxorem meam aliqua de causa, ideo rogo te plurimùm, ut causâ tranquillitatis meæ conscientiæ, & consolationis, si, & quatenus opus fuerit, nos denuo pro conjugibus habeamus, sic enim ingerit solùm dubium, & suspicionem de nullitate, dubietas autem non tollit ignorantiam, cùm titubans pro ignorante habeatur *L. ult. C. De condict. indebiti*, junctâ Glossâ *V. Pro dubietate.* Econtra certitudo dubitationem omnem excludit, *c. Si beneficia. De Præbend. & dignit. in 6.* cum Glossâ *V. Certiores*: cùm igitur pars ignorans juxta literas S. Pœnitentiariæ debeat certiorari de nullitate, seu certa reddi, non debet ipsi præcisè ingenerari suspicio, vel dubium de Matrimonio, an validum, ac legitimum sit, sed apertè docenda est, esse nullum. Mihi nihilominus cum Patritio Sporer *l. c. n.* 459. certum est, sufficere ejusmodi confusam impedimenti notitiam, ob quam saltem dubitare incipiat pars ignorans, aut suspicari, conjugium esse nullum, quamvis enim omnimodam certitudinem non habeat, habet tamen cognitionem nullitatis æquivalentem: si ergo ob factam hanc mentionem novum consensum præstet de præsenti, & absolutum, cum hac expressa intentione, quòd, etiamsi non valeret Matrimonium antea factum, velit nunc de novo contrahere, valebit Matrimonium, nam eo ipso, quòd Matrimonium, priùs contractum, invalidum sit, purificatur hæc conditio, & sic consensus, qui hic, & nunc sub ea conditione præstatur, transit in absolutum, quasi diceretur: *si non valeret Matrimonium antè contractum, vel ex defectu consensûs, vel ex quacunque causa, volo nunc consentire, atque contrahere, & actu nunc consentio, ac contraho Matrimonium*; non verò sufficeret, si uteretur hac, similivé formulâ: *si scirem, Matrimonium nostrum esse invalidum, vellem de novo tecum contrahere*, vel *denuò contraherem*, per hoc enim non habetur actualis consensus, sed est hæc imperfecta quædam velleitas, solumque indicatur, quid futurum esset, non autem, quid actu, & de præsenti fiat, adeoque conscius de nullitate viam indagare debet, qua, nullitate aliquo modo indicatâ, consensum de præsenti eliciat per verba *volo, contraho &c.* v. g. ut captatâ occasione dicat conjugi in signum amoris: *ita te diligo, ut si necdum essem conjugatus, aut Matrimonium*

nium inter me, & te esset nullum ob aliquam causam, ut quandòque évenit, vellem tamen te habere in conjugem, & ex nunc te volo, & accipio, rogans compartem, ut in signum amoris id ipsum dicat. Similes modos apud Sporerum *l. c.* & Anacletum Reiffenstuel *l. c. à. n. 595.* aliosque invenies. Quòd si quis nullitatem Matrimonij, apertiùs velit indicare, vel si instantiùs urgeatur, quia suspicionem conjugi movit, ut causam hujus dicti, ac petitionis manifestiùs prodat; ipse verò nec possit, nec velit impedimentum, quod fortè ex delicto ortum habuit terminis omnino patentibus manifestare, uti poterit restrictione non purè mentali, sed sensibili, dicendo, se tempore celebrationis nullum, vel non verum habuisse consensum, sic enim non mentitur, quia revera consensus ille, quem tempore contracti Matrimonij habuit, verus non fuit, & qui sufficere poterat ad Matrimonium, fuit enim nullus, utpote invalidus, esse autem nullum, & non esse, vel esse nulliter factum, & non esse factum, paria sunt, ut dictum est suprà *n. 3.* ex *L. Quoties. ff. Qui satis dare cog.* atque ita docent Cardenas *Cris. Theol. in propos. prohib. dissert. 2. n. 676.* Wiestner *l. c. n.* 180 Reiffenstuel *n. 596.* neque impingit talis in prohibitionem Innocentij XI. damnantis restrictiones mentales in tribus propositionibus è 65. à se confixis, videlicet 26. 27. & 28. ubi solummodo interdicuntur restrictiones purè mentales, non autem quælibet amphibologia, aut restrictiones sensibiles, quando justa, & gravis causa adest ijs utendi, ut in citato Cardenas, & Dominico Viva videri potest, qui de ijsdem propositionibus ex instituto agunt. Denique in hoc conveniunt omnes, etsi aliquo modo indicari debeat nullitas Matrimonij, nunquam tamen manifestari debere causam nullitatis, ut ipsa quoque responsio Clementis VIII, & verba, quæ habentur in forma S. Pœnitentiariæ, clarè docent: *sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur.*

8. Tertia denique quæstio hujus loci non minùs difficilis est, an, quando revalidandum est Matrimonium, sive de novo contrahendum, id rursum fieri debeat coram præsente Parocho, & testibus? id enim necessarium esse, acriter contendit Basilius Pontius *L. 5. c. 6. n. 6.* cum Comitolo, & alijs, quos ibi allegat, quibus accedit Card. de Lugo, qui *L. 3. Respons. moral. dub. 16. n. 45* sententiam hanc velut certam supponit. Ratio est, quia Concilium Tridentinum statuit pro forma substantiali contractûs Matrimonij præsentiam Parochi, & testium: atqui forma tunc adhiberi debet, quando actus producitur in suo esse: ergo etiam forma à Tridentino requisita ad valorem Matrimonij tunc debet adhiberi, quando producitur, seu contrahitur

hitur Matrimonium: tunc autem producitur Matrimonium in suo esse, quando post obtentam dispensationem de novo renovatur consensus, cùm prius Matrimonium invalidum fuerit, & prorsus nullum: ergo tunc debet adesse forma à Tridentino statuta, nimirum præsentia Parochi, & testium; idque confirmant prædicti AA. authoritate Clementis VIII. qui in responso suprà allegato tanquam necessarium ponit, ut novum consensum in præsentia Parochi, & testium conjuges eliciant, quamquam in hoc ipso tunc gratiosè dispensaverit, ut possent inter se rursum secretò contrahere ad evitanda scandala, nec aliter sæpiùs declaratum fuisse dicitur à Congreg. Cardinalium, & Sacra Rota, teste eodem Basilio Pontio.

9. Circa hanc quæstionem dicendum, si Matrimonium fuit invalidum ex defectu ipsius solemnitatis, quia videlicet clandestinè contractum fuit sine Parocho, & duobus testibus, in loco, ubi Concilium Tridentinum promulgatum est, atque receptum, debet postea procul dubio ab utroque conjuge non in occulto, sed publicè coram Parocho, & testibus renovari consensus, ut per se patet. Idem est, quando impedimentum fuit publicum, & ad forum contentiosum deductum: ita rescripsit S. Congregatio Concilij Henrico Cardinali Legato Portugalliæ anno 1579. idemque rursus censuit eadem Congregatio die 25. Maij 1657. ut videre est apud Jac. Pignatellum: *Sancta Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini interpretum, censuit, hujusmodi Matrimonia esse nulla, sed, prævia dispensatione Sedis Apostolicæ, renovanda, servatâ formâ Concilij Tridentini, dummodo impedimenta sint publica*, aut quando periculum est, ne in foro externo, vel in facie Ecclesiæ impedimentum aliquando innotescat, vel saltem duobus testibus probari possit, quia illud Matrimonium, quod constat, vel probari potest, esse nullum, nec in se fuit validum, nec in facie Ecclesiæ præsumptum: ergo ut convalescat, necessaria est juxta Tridentini formam præsentia Parochi, & testium, qui apud Ecclesiam testari, & probare possint, Matrimonium validè fuisse contractum.

At verò quando Matrimonium, præmissis denunciationibus, contractum est in facie Ecclesiæ, id est, coram Parocho, & testibus juxta formam Concilij Tridentini, sed invalidum fuit ex defectu consensûs, vel alio occulto impedimento, necesse non est, Parochum & testes iterum adhibere, sed sufficit ad Matrimonium istud revalidandum, ut ipsi conjuges, habitâ priùs nullitatis cognitione, vel formali, vel saltem æquivalente, inter se solos secretò consensum renovent. ita longè communior, quam tenent Sanch. *L. 2. disp. 37. n. 2.* Navarr. *in Manuali c.*

22.

22. n. 70. & L. 4. Consilior. Tit. de Sponsal. Consil. 14. n. 15. Palao disp. 3. de Sponsal. pu. 7. §. 3. n. 2. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 4 Coninck disp. 24. dub. 10. n. 82. Bonac. q. 2. de Matrim. pu. 9 n. 4. Rebellus de Oblig. Iust. p. 2. L. 2. q. 9. n 5. Perez de Matrim. disp. 39. Sect. 4. Sporer, & alij, & ex RR. Canonistis Barbosa de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 157. Vallens. De Clandest. desponf. n. 10. Zoësius eod. tit. n. 17. Eman. Gonzalez in c. 21. de Sponsal. n. 5. Engl §. 1. n. 5. De Divortijs. Pirhing de Clandest. desponf. n. 8. Jac. Wex in Ariad. Carolino. Canon. p. 5. tr. 2. de Sponsal. Controv. 6. per totum, Anaclet. Reiffenstuel l. c n 660. & seqq. Jac. Pignatellus Consult. Canonicar. tom. 8. Consult. 27. n. 2. & seqq. Marcus Paulus Leo l. c. n. 18.

10. Probatur hæc conclusio, quia Concilium Trident. dum Sess. 24. de Reform. Matr. c. 1. annullat Matrimonia sine præsentia Parochi, & testium contracta, non se extendit ad hunc casum, quo Matrimonia, etsi invalidè, sed tamen in facie Ecclesiæ coram Parocho, ac testibus contracta sunt, siquidem tota ratio, ob quam Concilium præfatam legem condidit, fuit ista, ut gravia peccata, & scandala evitarentur, quæ ex clandestinis Matrimonijs oriri solebant, cùm plures, postquam in Matrimonio clandestinè contracto aliquamdiu vixissent, affecti tædio, & aversione uxorum, easdem liberè desererent, & cum alijs deinde publicè contraherent, quia priores illæ Matrimonium probare non poterant, sicque fiebat, ut in continuo deinceps adulterio viverent, quæ mala non possunt timeri in ijs, qui, licèt invalidè propter impedimentum occultum, sed tamen publicè in facie Ecclesiæ contraxerunt, nam quia de impedimento non constat, habentur pro veris conjugibus, nec permittuntur transire ad alias nuptias: ergo eadem mala non imminent, & consequenter Lex Tridendentina de adhibendo Parocho, & testibus ad istum casum se non extendit, quo Matrimonium occultè invalidum revalidari debet, ut hîc quoque forma à Tridentino præscripta iterum adhibeatur, sed sufficit, quòd semel jam adhibitæ fuerint solemnitates, ut possit constare Ecclesiæ de Matrimonij contractu, ne aliquando malitiosè dissolvi queat: atque hanc mentem fuisse Concilij Tridentini, testantur tres Episcopi, qui eidem S. Synodo interfuerunt, nempe Covarruvias, Guerrero, & Franc. Blanco apud Henriq. l. 11. c. 3. de Matrim. n. 6. in Comment. litt. L. idemque declaravit Pius V. & Sacra Pœnitentiaria in praxi observat, teste Navarro l. c. in Manuali, ubi ita habet: *Sed quod valde notandum est, felic. record. Pius V. declaravit, non esse illos necessarios* (scilicet Parochum, & testes)

testes) *in contrahendo denuo Matrimonio ab ijs, qui illud publicè cum denunciatione sufficiente contraxerunt, sed propter aliquod impedimentum occultum est nullum, quo sublato oportet, ut denuo contrahatur, quod fieri posse sine ullâ Parochi, & testium præsentia, antequam ad Vrbem veniremus, respondimus, qua declaratione Sacrum Pœnitentiariæ Prætorium frequenter utitur.* En! non dicit Navarrus, ut pro sua sententia exponit Pontius, Pium V. *in certo casu sibi proposito dispensasse*, sed ait, *eum declarâsse sensum Tridentini, & ea declaratione uti Sacram Pœnitentiariam*, quod non fieret, si talis declaratio non præcessisset.

Fundamenta Adversariorum ipsâ sententiæ nostræ probatione solvuntur; ad primum nempè dicimus, Concilium Tridentinum hanc formam non exigere, quando revalidandum est Matrimonium, quod priùs, etsi invalidé, contractum est in facie Ecclesiæ, cùm hîc ratio, & finis istius legis cesset, & consequenter ipsa lex. Ad authoritatem Clementis VIII. qui Pio V. posterior est, & declarâsse dicitur, debere ejusmodi conjuges coram Parocho, & testibus Matrimonium revalidare, si non accedat etiam quoad hoc dispensatio, prout ipse dispensavit; respondeo cum Gobat *tr. 10. n. 419* Sporer *l. c. n. 475.* & Wex *l. c. n. 13.* vel Clementem VIII. ibi non fuisse locutum ex cathedra, nec voluisse quidquam definire, aut dare universalem declarationem Concilij Tridentini, sed respondisse ut privatum Doctorem, qui in hoc dubio sequi tunc voluit eam opinionem, quæ ipsi videbatur probabilior, & tutior; vel si hæc ejus responsio fuit authentica declaratio, ne contradicat declarationi Pij V. de qua nobis æquè authenticè, & magis constat, intelligi debet de casu, in quo impedimentum quidem est aliquo modo occultum, sed est periculum, ne publicetur; & juxta hanc expositionem exponi quoque possunt declarationes Cardinalium, & S. Rotæ, quod neque nos abnuimus, sed ultrò fatemur, quando adest tale periculum, opus esse nova solemnitate Concilij Tridentini, non verò, quando impedimentum, quod Matrimonium reddidit invalidum, penitus est occultum, ita, ut nec periculum adsit, ne in foro externo, seu facie Ecclesiæ impedimentum aliquando innotescat, vel saltem duobus testibus probari possit, tunc sanè opus non est præsentiâ Parochi, & testium ob rationes allatas, & de hoc solo casu procedit declaratio Pij V.

11. Hîc verò iterum duplex oriâtur dubium, illudque non leve. An hæc sententia, quòd Matrimonium invalidum propter occultum impedimentum revalidari possit sine præsentia Parochi, & testium, etiam hodie in usum deduci possit? nam esto, quòd probabilis sit, & fortè probabilior, tamen omnino certa

non

non est, & altera opposita, quæ Parochi, & testium præsentiam requirit, tutiorem esse, nemo negabit: cùm igitur agatur hic de valore Matrimonij, locus esse non potest sententiæ mitiori, quia quotiescunque versamur in materia tangente valorem Sacramentorum, jam non est ampliùs licitum, sequi sententiam solùm probabilem, relictâ tutiore; sed tenemur sequi in praxi tutiorem sententiam, seu quam sequendo certi sumus de valore Sacramenti, cùm propositio contraria damnata sit ab Innocentio XI. quæ inter sexaginta quinque est prima, atque ita habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Ob hanc ipsam propositionem prohibitam similiter dubitari potest de altera sententia benigniore, quæ tenet, quando absque periculo scandali, diffamationis, vel alterius gravis mali, neque formaliter, neque æquivalenter certior reddi potest pars ignara de nullitate Matrimonij, quòd tunc sufficiat, si consensus obtineatur absque ulla data notitia prioris nullitatis. Imò si neque consensus iste peti possit ab altera parte ignorante, quòd tunc sufficiat, si solus ille conjux de novo consentiat, qui nullitatis conscius est, quod utrumque fieri posse in talibus circumstantijs, docent Gobat *in Quinario tr. 5. c. 37. n. 132. & n 245.* Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 10. n. 98.* Sanch. *l. 2. disp. 36. n. 8. & seq.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 9. n. 7.* & alij plures, quæ sententia secundùm se probabilis est, at quia altera opinio, quòd Pars ignara certior fieri debeat nullitatis vel formaliter, vel saltem æquivalenter, est multò probabilior, ut ipse Sanch. *l. c. n. 4.* fatetur: hinc judicat Anacletus Reiffenstuel *l. c. n. 605.* sententiam hanc benigniorem in praxi nullatenus tutam, & licitam esse, si enim sententia docens, ad revalidationem Matrimonij nulliter contracti omnino necessarium esse, ut conjux nullitatis inscius de ea certior fiat vel formaliter, & absolutè, vel saltem æquivalenter, est probabilior, hoc ipso jam non licet hanc minùs probabilem, aut omnino falsam deinceps ampliùs sequi, quantumvis pro se habeat classicos Authores, quia damnata est propositio, quòd liceat sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliore, quando est quæstio de valore Sacramenti, quapropter Sporer quoque *l. c. n. 460.* dicit, se credere, quòd sententia contraria speculativa sit omnino falsa.

12. Verùm utrumque hoc dubium commodè dissolvi potest. Ad primum

mum respondeo. Non obstante hac propositione prohibita potest Matrimonium, quod coram Parocho, & testibus legitimè contractum est, si postea inveniatur esse nullum propter impedimentum dirimens, omnino occultum, & sine periculo publicationis, revalidari solo mutuo consensu, sine præsentia Parochi, & testium, neque subijcitur ista sententia damnationi. Ratio est, quia quamvis sint multi AA. pro parte opposita, tamen sufficienter constat ex textu Concilij Tridentini, intentionem illius non esse, comprehendere etiam istum casum, ut de novo adhibeantur solemnitates aliàs requisitæ in Matrimonijs, quando conjugium aliquando contractum fuit in facie Ecclesiæ, cùm nulla tunc immineant pericula, quæ in nuptijs clandestinis timeri possunt: est ergo hæc sententia adhuc à principijs intrinsecis non solùm probabilis, sed certa, atque adeò non minùs tuta, quàm opposita, sed omnino tuta, & reddens contractum, & Sacramentum omnino validum. Ita Cardenas *Crisis Theol. dissert. 2. n. 665. & seq.* ubi memoratam propositionem prohibitam, & hunc casum ex instituto examinat, & Dominicus Viva, qui & ipse recentissimè scripsit in propositiones prohibitas, *n. 31. in eandem propositionem.* Imò si etiam transmittamus, non habere hanc sententiam omnimodam certitudinem directam, seu talem, quòd nempe ita probetur per rationes, ac fundamenta solida, ut de ejus veritate dubitare nullo modo prudenter liceat, & opposita opinio sic enervetur, ut probabilitate penitus omni careat, ac prior evadat moraliter certa ex principijs intrinsecis, certa nihilominus est certitudine quadam indirecta, aut reflexa, quæ habetur ab alijs extrinsecis principijs, nempe ex praxi consueta Ecclesiæ, & tribunalium Ecclesiasticorum, præsertim S. Pœnitentiariæ, & sensu communi AA. qui post Innocentium XI. de hac quæstione scripserunt, hæc enim sententiam istam ex proprijs intrinsecis principijs solùm probabilem, vel probabiliorem, elevant ad gradum altiorem certitudinis saltem moralis, ut patet in exemplo: quando est verè probabilis sententia inter DD. quòd alicui confessario competat jurisdictio pro foro interno ad absolvendum à peccato, quod aliàs reservatum est, tunc eo ipso certò datur aliunde hæc jurisdictio ex principio quodam extrinseco, nempe ab usu Ecclesiæ, quæ tali casu supplet, & tribuit re ipsa jurisdictionem, ut habet totius Ecclesiæ praxis, juxta quam Confessarij absolvere solent ex opinionibus verè probabilibus circa jurisdictionem: ergo hîc quoque, licèt solùm esset probabile, quòd Parochus, & testes non debeant necessariò adesse, fit tamen hæc opinio moraliter certa ex usu, & praxi Ecclesiæ, Satræ Pœnitentiariæ, & aliorum

rum tribunalium Ecclesiasticorum, ita Wex *p. 5. Ariadnes Carolino-Canonicæ tr. 2. Controv. 6. n. 21. & seqq.* Nihilominus non desinam hic annotare, quod sapienter monent Sporer *l. c. n. 465.* & Tamburin. *L. 8. de Matrim. tr. 5. c. 7. § 3. n. 8.* in hæc verba: sanum est consilium, advocare Parochum, testesque, quantùm fieri potest, in revalidatione Matrimonij, ut litibus de nullitate Matrimonij aditus præcludatur. Quando autem subest aliquod periculum, si Parochus advocetur, opportunum remedium est, ut confessarius obtineat ab eodem Parocho licentiam assistendi, qua obtentâ, adhibitis duobus fidissimis testibus, in solitario cubiculo Matrimonium revalidetur. Si neque hoc facilè fieri possit, tutò amplecti possumus sententiam hîc propositam, cùm sanè obligatio non sit, hos adhibendi, sed pro majore securitate, & conscientiæ tranquillitate prudenter suadeatur.

13. Ad alterum quoque respondeo, & lubens fateor, locum non esse Sententiæ mitiori, nempe, quòd possit revalidari Matrimonium, etsi ignarus impedimenti de præcedente nullitate certior non fiat, & consensus utrinque expressè non renovetur, fateor, inquam, minimè nos posse sequi hanc Sententiam minùs probabilem, & minùs tutam, quando non adest extrema necessitas, quæ nos compellat ad eam amplectendam; at verò in casu extremæ necessitatis, in quo v. g. fæmina periclitaretur de vita, & non inveniretur via secura faciendi virum certiorem de nullitate Matrimonij, vel timeri deberent gravissima scandala, & infamia, veluti si esset periculum, ne v. g. vir nullitatis admonitus, recusaturus sit denuo contrahere, quo pacto remaneret fæmina remedio destituta, sannis aliorum exposita, malo in proles quoque, si quæ fortè adessent, redundante, tunc sanè licitè eligimus opinionem hanc benigniorem, etsi in se, & abstrahendo ab his circumstantijs, minùs tutam, atque etiam minùs probabilem, ut omittatur impedimenti manifestatio; cautela tamen adhibenda est, ut alter conjux, quamvis inscius nullitatis, consensum nihilominus renovet. Ratio est, quia extrema necessitas facit, ut, quæ in communibus circumstantijs sunt indecentia respectu Sacramentorum, quæque per se fieri nequeunt, in hac, & similibus circumstantijs licitè fieri possint: sic quamvis administrare Baptismum permissum non sit in aqua rosacea, vel in lixivio, quando habetur aqua naturalis, de qua dubium esse nequeat, hac tamen deficiente, & in extrema necessitate, qui baptizat in aqua rosacea, vel in lixivio, nullam infert irreverentiam

rentiam Sacramento, neque impingit in propositionem prohibitam, nam ea damnatio se non extendit ad extremam necessitatem, in qua etiam modica probabilitas potest sufficere, ut ostendit Cardenas *p. 1. Crisis Theol. disp. 9. c. 8. n. 133.* & in propositiones prohibitas ab Innocentio XI. *dissert. 2. in 1. propos. n. 678.* & *dissert. 4. in propos. 3. n. 56.* ergo quamvis ad revalidandum Matrimonium, quod ex occulto impedimento irritum est, per se ordinariè necesse sit, ut ignorans certior fiat de nullitate, si tamen urgeat gravissima necessitas, qualis est, si ante Matrimonium v. g. fæmina carnaliter peccavit cum fratre sui mariti, nec inveniri potest modus, quo sine manifestatione proprij sui delicti impedimentum dirimens viro manifestet, tunc utique maxima ista necessitas efficit, ut possit in praxi eligi opinio solùm probabilis circa valorem, relicta probabiliore, & tutiore, quia ob dicta mala, quæ impendent, adest moralis impossibilitas eligendi in praxi opinionem tutiorem.

Quòd si etiam hæc cautela adhiberi tutò non possit, ut tacitâ nullitate eliciatur tamen novus consensus ab ignorante, quia v. g. hæc ipsa talis petitio suspicionem marito ingeret, unde grave malum fæminæ imminere queat; vel si maritus de consensu interpellatus respondere renuit, ex altera autem parte debitum petit ab uxore, quod ipsa sine scandalo nequit subterfugere, tunc potest absque verbis denuo Matrimonium illud consistere, seu revalidari, copulâ affectu maritali habitâ ex parte sua, nam ex parte alterius, cùm putet, esse verum Matrimonium, constat, eo affectu ipsam haberi, idque sufficit, etiamsi alter ignoret, prius Matrimonium fuisse invalidum, nec opus est aliquid dicere de novo consensu, sed potest totum dissimulari, & tutò hoc agi in praxi, nam esto, hæc opinio extra necessitatem parùm probabilitatis habeat, accedente tamen gravissima necessitate accrescit illi major probabilitas, ut antea ostensum est. ita rursum Cardenas *n. 681. in 1. propos. prohib.*

Si modò, quæ hactenus copiosè dicta sunt, applicentur ad casum præsentem, non operosum erit, statuere, quid factu opus sit, ut Matrimonium inter Irminam, & Medericum, obtentâ dispensatione, revalidetur, quod nullum, ac irritum est ex duplici capite, videlicet ob defectum consensûs in Sponso, & propter affinitatem contractam cum Irmina ex fornicatione, quam habuit cum ejusdem sorore Donatilla: consideratis videlicet circumstantijs, an sine gravi periculo detegi ullo modo possit nullitas hujus conjugij parti ignoranti, & renovari utriusque consensus, id faciendum

dum erit, quod vel præcipit fieri Ecclesiæ, si fieri absque magno incommodo possit, aut quod, si periculum imminet, fieri in necessitate permittit, eo modo, quo dictum est.

§. II.

DE DISPENSATIONE.

CASUS AGITATUS.

Invalidi Matrimonij ex occulto impedimento Consanguinitatis.

Philibertus Princeps è sua familia ultimus in linea Catholica, futurus olim ingentium bonorum hæres, & Successor, ne, si fortè contingeret, ipsum fatis concedere improlem, integræ Provinciæ devolverentur ad agnatos heterodoxos cum periculo Religionis, Sidoniam è Principe pariter sanguine prognatam uxorem duxit, contracto publicè Matrimonio in facie Ecclesiæ, quod novi conjuges deinceps etiam bona fide consummarunt. At postquam aliquot septimanis cohabitarunt, præter spem omnium adest, qui ex familiæ utriusque genealogia ostendit, quarto Consanguinitatis gradu ipsos conjunctos

esse. Impedimentum hoc, cujus penitus ignari fuerant, & de eo nec quidem suspicati, quam primùm intellexerunt, abstinuerunt statim à communi toro, & conjugali commercio, donec obtineretur dispensatio.

Quæritur ergo nunc, an ea necessariò Româ peti debuerit, an verò potuerit in isto impedimento dispensare Episcopus?

SYNOPSIS.

1. *Occasio præsentis Controversiæ breviter indicatur, & cur hic casus nominetur agitatus?*

2. *Per se, & ordinariè in impedimentis Matrimonij dispensare potest solus Pontifex, per accidens tamen aliquando etiam Episcopus in necessitate cum ijs, qui contraxerunt cum impedimento.*

3. *Quænam ad hoc requirantur conditiones, & num eæ in præsente casu adfuerint?*

Aliquibus visum est, Episcopum non potuisse hic dispensare, quia laborantes impedimento non fuere pauperes.

4. *Verùm defectus paupertatis non potuit obesse, cùm aliæ circumstantiæ gravissimæ dispensationem urgerent.*

5. *Examinatur, an fuerit in hoc casu impedimentum occultum, & universim, quidnam dicatur occultum?*

6. *Quid censeatur esse publicum?*

7. An

7. *An propter libros genealogicos impedimentum cognationis in casu nostro negari possit esse occultum, quia periculum est, ne in his libris deprehendatur cognatio?*

8. *An, dispensatione ab Ordinario obtentâ, necessarium fuerit nostris conjugibus de novo contrahere in præsentia Parochi, & testium?*

9. *Quando impedimentum est publicum, & Româ petitur dispensatio, petenda est è Dataria, & tunc renovatur coram Parocho, & testibus, secùs è Pœnitentiaria, sed hæc dispensatio servit pro solo foro interno.*

10. *Ostenditur, malè negatum fuisse ab Adversa parte, non posse dispensare Episcopum in casu præsente, sed opus esse Romanâ dispensatione, eò quòd impedimentum occultum non sit.*

11. *Probatur, quòd illud nec quidem fuerit plenè probabile.*

1. On is mihi hîc animus est, ut ea omnia examinem, quæ ad materiam de dispensationibus pertinent, quæque in ijs petendis observari debent; hæc enim arctis limitibus unius casûs includi nequeunt, sed ampliorem expositionem, & integrum volumen postulant. Redegit tamen materiam hanc in compendium, & elegante claritate exponit Anacletus Reiffenstuel in appendice, quam annexuit ad quartum suum tomum Iuris Canonici, ubi etiam proponit diversas formulas supplicationum, quo modo eæ confici debeant, quando petitur aliqua dispensatio, qui hac de re valde utiliter legi potest. Eadem doctè, & dilucidè pertractat Marcus Paulus Leo *in Praxi ad literas, & Bullas Majoris Pœnitentiarij, & S. Pœnitentiariæ Officij*, & de eadem materia tomum benè magnum edidit Pyrrhus Corradus, quem inscripsit: *Praxis dispensationum Apostolicarum*, qui consuli possunt. In casu præsenti hoc unum mihi propositum est, indagare, an possit aliquando, & an hîc etiam potuerit Episcopus dispensare in impedimento occulto Matrimonij? Casus verò, quem hîc propono, non fictus est, sed qui re ipsa contigit eo modo, quemadmodum in specie facti describitur. Voco eundem casum agitatum, quia, magna mihi de illo contentio fuit, acriter

acriter contra ea, qua hoc in negotio consultus, fieri posse ego judicabam, disceptantibus alijs duobus, Basilio, & Silverio, qui istud potestatem Episcopi excedere, atque ideo in hoc casu à Sede Pontificia petendam esse spensationem, magnopere contenderunt. Mihi contrarium & tunc visum est, & etiamnum videtur, videlicet, posse hîc dispensare Episcopum, nec opus esse Romanâ licentiâ, si bene perpendantur circumstantiæ hujus casûs.

2. Igitur ut rei veritas in particulari patescat, ordiendum est à quæstione generica; an possit Episcopus dispensare in impedimentis Matrimonium dirimentibus? Ad hanc quæstionem communis sententia DD. est, præter Summum Pontificem per se, & Iure Ordinario nullum alium in prædictis impedimentis dispensare posse. Ratio est, quia in lege superioris nequit dispensare inferior, ut manifestum est ex Clementina *Ne Romani. De Elect.* nisi hoc ab ipsomet superiore vel jure, vel consuetudine reperiatur inferiori esse concessum: atqui non reperitur vel Iure, vel consuetudine concessum hoc esse Episcopis, ut in impedimentis dirimentibus dispensent: ergo istorum dispensatio non ad Episcopos, sed ad solum Pontificem pertinet.

Etsi verò hoc ordinariè Episcopi nequeant, communis tamen iterum doctrina est, posse ipsos saltem per accidens aliquando dispensare in casu urgentis necessitatis cum ijs, qui ligati impedimento Matrimonium contraxerunt, cùm verosimile non sit, Pontificem in necessitate esse invitum, atque etiam bono animarum id expediat, ut tunc Episcopo competat ista facultas: imò hoc ab Episcopis fieri, constat Pontifici: cùm ergo non contradicat, meritò præsumitur, id taciturnitate sua ipsum approbare. ita Sanch. *l. 2. de Matr. disp.* 40. *n. 3.* Basil. Pontius *l. 8. c. 13. n. 2.* Vasq. 1. 2. *disp. 178. c. 2. n. 15.* Perez *disp. 44. de Matr. Sect. 6.* Castropalao *disp. 4. de sponsal. pu. ult.* §. 12. *n.* 7. Coninck *disp. 33. dub. 3. Conclus. 3. n. 32.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 10. ad finem.* Bonac. *q. 3. de imped. pu.* 15. *n.* 4. Rebellus, Hurtadus, & innumeri alij. Ex Canonistis verò König *n.* 126. *de sponsal. conclus.* 2. Engl *in Manual. Paroch. p.* 3. *c.* 5. §. 5. *Sect.* 13. *n.* 11. Pirhing. *n.* 170. *de sponsal.* Wiestner *n.* 64. *De Matr. contract. contra interdict. Eccles.* Pyrrhus Corradus *l. 8. dispens. Apostolicar. c.* 4. *n.* 35. Eman. Gonzalez *in c. Quia circa. De Consang. & affinit. n.* 2. Barbosa *De offic. & potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 35. *n.* 3.

3. Cæterùm ut hoc Episcopus possit agere, citati AA. sequentes conditiones, & circumstantias requirunt. 1. Ut impedimentum secundùm se sit dispensabile. 2. Ut Matrimonium contractum sit publicè in facie Ecclesiæ, impedimentum verò

verò sit occultum, & conjuges absque magno scandalo separari nequeant. 3. Ut sit contractum bona fide, hoc est, absque scientia impedimenti, si enim mala fide contractum fuerit, nequit Episcopus dispensare, siquidem præsumi non potest, velle Pontificem tunc facultatem dispensandi concedere Episcopo, ne favor præstetur audaciæ, & iniquitati sic contrahentium; sufficit tamen, si unus è conjugibus in bona fide fuerit, quidquid in contrarium dicat Garcias *p. 11. De Benefic. c. 5. n. 357.* 4. Ut propter paupertatem, vel distantiam loci, aut incontinentiæ periculum, aliudvè legitimum impedimentum difficilis sit ad Summum Pontificem accessus: atqui hæ circumstantiæ reperiuntur in casu nostro, nam Matrimonium contractum est publicè in facie Ecclesiæ, fide optima, sine ulla intercedentis consanguinitatis suspicione, nec possunt conjuges sine magno scandalo separari, postquam præsertim ab inscijs, adesse impedimentum, id consummatum fuit; sed nec facultas est eundi Romam, aut longo tempore responsum inde exspectandi: ergo in ista necessitate potest dispensare Episcopus.

Ita tunc ego argumentabar, quando mihi de præsente casu disceptandum fuit. Sed responsum habuit hæc ratiocinatio: dispensandi licentiâ gaudere quidem Ordinarium ex speciali Pontificis indulto, verùm cum addito; *circa pauperes*; quibus utique accensendi non essent personæ Principes. His, esto, viarum longinquitas, & virium teneritudo interdicat Romanum iter, non tamen deesse media, & sumptus necessarios, ut dispensationem Romanam vel misso Nuntio, vel literis consequantur.

4. Ad hæc ego, non istud, dixi, hîc quæritur, quid speciali Pontificis concessione liceat Ordinario, sed istud assero, non minus posse ipsum, quàm alijs Episcopis licitum est: omnes autem ex præsumpta, & tacitâ Pontificis approbatione dispensare possunt in urgente necessitate, non solùm cum pauperibus, quibus in hoc puncto pauperies non semper prærogativa est, sed etiam cum divitibus: ergo quò minùs despenset Episcopus, obesse nequit, quòd, qui dispensationem petunt, pauperes non sint, nam adsunt aliæ rationes, ob quas concedi dispensatio possit. Huic meo dicto assentientem habeo Perezium l. c. n. 4 cum Pontio, & Sanch. *Hanc doctrinam*, inquit, *judico, etiam esse veram, quamvis contrahentes non sint pauperes, quia etiam in divitibus potest urgens necessitas occurrere ex distantia ab Vrbe Romana, & magno incontinentiæ periculo.* Ex quo patet, non petere Anthores, ut suprà enumeratæ conditiones omnes adsint collectivè, verùm sufficere, ut aliquæ saltem interveniant.

Dedi

Dedi subinde hoc quoque lubens, nec enim negare poteram, non deficere opes in expensas, ut vel per literas, vel misso Curiore Româ petatur dispensatio; sed ista omnia, subjunxi, necdum faciunt cessare periculum incontinentiæ. Juvenis est uterque conjux, & in ætate, quæ ardere possit; Uxor eâ venustate, & elegantiâ morum prædita, quæ allicere queat etiam sejunctum, & absentem maritum, qui cum eadem conjugalem copulam jam exercuit, & cui nunc quævis mora longior potest esse periculosa. Quid si modò ardentiùs effervescat in id, quod tanto tempore ipsi negatur? magis profectò in vetitum plerunque nitimur, & ipsa prohibitio desiderium acuit. Quid si, quia uxor non conceditur, ignem intemperantem illicitis modis extinguat, vel etiam renuentis conjugis fastidium capiat? nam facilè est, ut amor ad extrema delabatur. Quanta verò incommoda hinc exoriri poterunt in utraque familia! quæ damna, si forsan inde eveniat, ut etiam prole destituantur, atque sic integræ Provinciæ deveniant ad Acatholicos hæredes: adsunt ergo rationes sufficientes, ob quas dispensare Ordinarius meritò possit, si unam adhuc examinemus, an scilicet impedimentum hoc occultum sit?

5. Negavit Basilius, occultum hîc esse impedimentum, & eapropter ab Ordinario negavit esse dispensabile. Mihi contrarium visum est. Hîc enimverò adducta fronte Basilius, ac velut in Athenæo ageret, Candidatum exploraturus, interrogavit ocyus, quid igitur ego *occultum* esse opinarer? respondi paucis, ut videbatur, intempestivè examinanti: mihi occultum est id, *quod opponitur publico.* Minimè gentium reposuit ipse, sed dicimus occultum, *quod ita latet, ut probari nequeat.* Non acquievi huic oraculo, quod mihi non videbatur è tripode datum esse: ecquidem vir doctissime, subjunxi, non nego, hoc occultum esse, quod tu dicis; sed nego, tantum rigorem exigi ab Authoribus in nostra quæstione, ut impedimentum occultum esse censeatur, & eapropter ab Episcopo dispensabile. En! testem do Patrem Gobat. Tract. 9. n. 576. is ita loquitur: *Si impedimentum sit occultum, id est, secretè quidem notum tribus, aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ.* Subrisit ad hæc Silverius, & quasi Basilio placiturus, authoritas, dixit, Gobati hîc non sufficit, qui Romæ non attenditur, cujus forum hic casus postulat; alij sunt afferendi Authores, quos Itali quoque æstiment. Deum bonum! cogitavi tunc ego, utinam tu Germanus non esses, cui tua Natio tam vilis est! quasi verò duntaxat caudices Germania generet, & instar brassicæ non nisi cerebro destituta capita: tum verò, miror, dixi, & omnino non capio, reijci à vobis (nam tantus nec Basilio visus est, ut eum suspiceret) authoritatem Gobati, qui in similibus dubijs pro centum

alijs

alijs esse potest, utpote qui 22. integris annis Theologiam moralem summa cum laude, & fructu docuit, magnamque vitæ partem exegit Pœnitentiarius Episcopi in vastissima Constantiensi Diœcesi, ad quem innumeri ejusmodi casus delati sunt; cur ergo non credamus viro, qui cum insigni theoria tot annorum praxin conjunxit! Eja verò! quia exteros petitis, exteros audiamus. Sanchez, Basilius Pontius, Perez occultum vocant, *quod opponitur publico*, atque hoc dicunt, quando ex instituto de Matrimonio disputant, & impedimentum occultum examinant. Fides mihi haberi potest, quia non solùm audita dico, sed lecta, & quantùm quidem spero, etiam intellecta, in ipsis Authoribus à pluribus annis mihi familiaribus. Non erant tunc ad manum, quos citavi, sed modò eorum verba recito. Sanchez Hispanus L. 2. de Matr. disp. 40. n. 11. *dicitur autem*, inquit, *impedimentum occultum, quod non publicè constat, nec facilè constare potest, periculumq; non est, ut in foro externo detegatur.* Pontius & ipse Hispanus L. 8. de Matrim. c. 13. n. 4. ita habet: *ut ea limitatio locum habeat. debet intelligi de impedimento occulto, quare si impedimentum fuerit publicum, non poterit dispensare Episcopus*: Eadem propè verba habet Barbosa Lusitanus *p. 1. de Offic. & potest Episc. Alleg. 35. n. 11.* Possum addere Italum Romanum Marcum Paulum Leonem in Praxi ad Literas, & Bullas Majoris Pœnitentiarij p. 2. c. 1. in princ. *occultum est*, inquit, *quod publicitate caret*: ergo in præsente quæstione non id duntaxat occultum est, quod probari non potest, ut ait Basilius, sed quod opponitur publico. An verò impedimentum nostri casûs non solùm probari, sed (quod paulò plùs est, quàm simpliciter probari posse) *facilè* probari valeat, ut eapropter occultum dici non debeat, redibit infrà quæstio: modò sufficiat, quòd ex Authoribus testatum habeamus, verè *occultum* id dici, quod opponitur *publico*

6. Quod ut adhuc magis pateat, videndum nunc quoque est, quid ab Authoribus *publicum* dicatur, seu tale, ut dici possit: de hac re publicè constat, proinde occulta non est? *Hæc dictio* (videlicet *publicè*) ait Barbosa in Dictionibus usu frequentioribus Dict. 298. *importat publicam vocem, & famam.* Non aliter loquitur Salicetus Bononiensis Italus in L. Ea quidem. C. De accusat. n. 112. & seqq. *publicè derivatur à publico, & publicum dicitur à populo, & sic publicè dictum idem est, quod à populo, vel populicè dictum.* Iterum: *in dubio, ubi materia est indifferens, publicè plùs importat, quàm palàm, & dicitur publicè, id est, populicè, palàm dicitur, quod ab uno coram pluribus dicitur.* Hæc ego tunc attuli. Jungo nunc iterum Marcum Paulum Leonem l. c. n. 60. *Occultum*, inquit ibi, *est illud, quod à nemine vel à tam paucis scitur, quòd neque sit famosum, neque manifestum*, additque, notitiam, quam unus tantùm habet, de aliquo facto, imò

etiam duorum, vel trium non præjudicare, quò minùs dictum, vel factum, aut delictum aliquod occultum sit, dummmodo ista notitia consideretur simpliciter in se, & non deducta in judicium, & forum externum. Nec aliter Barbosa p. 2. De Offic. & potest. Episc. Alleg. 28. n. 39. *occultum dicitur non solùm, ubi nulli testes adsunt, verùm etiam prout distinguitur à publico, hoc est, nullâ publicâ famâ notatum.* Nunquid hæc clarè opponuntur opinioni Basilij? Pro Auctario adhuc unum affero, quem utique non repellet, etsi Germanus scriptor sit. Est is è Benedictina familia Professor Salisburgensis, jam semel allegatus P. Ludovicus Engl, notus ab ijs, quæ clarè, solidè, ac succinctè scripsit in libros Decretalium, alijsque opusculis. Is loco suprà citato ita loquitur: *Denique requiritur, quòd impedimentum sit occultum; dicitur autem occultum, etsi unus vel alter sciat, non tamen in loco divulgatum sit:* cùm ergo de hoc impedimento præter paucos è domesticis, & eos, quibus id dictum est consilij petendi causâ, à quibus proinde nullum divulgationis periculum est, non nisi uni, vel alteri personæ constet, in quibus nullum pariter periculum est, quòd ejus notitia per illos emanatura sit in vulgus, quis neget, impedimentum occultum esse! atque ideo nihil planè est, quòd morari possit Ordinarium in concedenda dispensatione, quam potestatem ipsi asserunt tot Classici Authores primæ notæ, contra quos opinio Basilij, unius particularis Doctoris, præponderare non debet.

7. Imò verò, restiterunt ambo, de hoc impedimento facilè constare potest, estque periculum, ut detegatur in foro externo, nam inveniri poterit in libris, qui tabulas Genealogicas exhibent: ergo occultum non est, cùm Sanchez quoque à me allegatus requirat, *ut non facilè constare possit, periculumq; non sit, ut in foro externo detegatur.* Addidit Silverius aliud argumentum novum, & stringens, ut putabat; non posse, nec debere etiam ex eo capite dispensare Episcopum, cùm hic agatur de valore Sacramenti. Verùm ad istam ultimam objectionem responsione opus non erat; nec enim hic quærebatur, an liceat in administratione Sacramentorum sequi sententiam minùs probabilem, in qua quæstione militare poterat cum suo argumento Silverius. Certum est, & extra dubium, personas habiles posse recipere, & ministrare Sacramentum Matrimonij: habiles autem fiunt, sublato per dispensationem impedimento, quam posse Episcopum certò concedere ostensum est ea certitudine, quanta haberi potest in moralibus, postquam ostensum est, impedimentum hoc occultum esse, atque ita omnes conditiones adesse, quæ hic requiri possunt, ut dispenset Episcopus.

Soli adhuc obstant libri genealogici, ex quibus hæc consanguinitas innotescere potest. Superi boni! quàm

quàm pavidè metuimus, quæ metuenda non sunt! Eccur non timet nycticorax in domicilio, ne inter parietum ruinas involvatur, quia ruere possunt, & fortè aliquando corruent! Ipsi parentes, & agnati utriusque familiæ nec suspicati quidem sunt de ullo impedimento, cùm tamen testetur experientia, familiarum nobilium, ne dicam Principum, primum studium esse, ut accurratè norint, quæ, & cum quibus vel consanguinitas, vel affinitas ipsis intercedat. Lustravi magna attentione, & diligentiâ ego, & alius quidam mecum, qui neutri ex Adversarijs doctrinâ, & eruditione cedit, sed eam facilitatem, quam ipsi jactant, in eruendo hoc impedimento non fuimus experti. Quidquid in mea potestate est, ponam, si uterque Antagonista rem deprehendet faciliorem, quàm nos experti fuimus, ut digito monstrare possit impedimentum, cujus notitiam sibi persuadent tam esse obviam.

8. Alia subinde orta est quæstio, an, posito, dispensationem dari posse, & re ipsa dari, dicti conjuges rursum contrahere debeant in præsentia Parochi, & testium? sed quia hi parati erant, omne id agere, quod hac in parte jussurus erat Ordinarius, ulteriùs disputatum non fuit. Affirmavit tamen Basilius hoc ita asseveranter, ut planè arbitratus fuerim, si tunc non caruisset Epomide, doctorum fuisse à cathedra. Ego nihil aliud, quàm, bona pace tua Vir doctissime, dixi, si ista quæstio eventilanda esset, forsan & hîc tibi forem contrarius, & quidem cum communiore DD. Abnuit ipse, moto capite, negans, ita, ut ego dicebam, sentire Authores, nec aliud addidit suæ negationi, quo eam probaret ulteriùs, acsi admissâ metempsychosi in ipsius præsentia ad nos reductus esset Divinus Plato, cujus effata imponerent silentium, quia *ipse dixit*. Sed hoc effatum non reddit me Harpocratem, ut loqui non debeam; itaque loquor, & dico. Si Basilius hanc suam asseverationem voluit esse universalem, quòd scilicet ad quamcunque revalidationem Matrimonij requiratur præsentia Parochi, & testium, loquitur is contra communem, de quo videri possunt, quæ dicta sunt in casu præcedente. Si verò hoc specialiter asseverat in casu nostro, supposito, quòd dispensationem concedat Episcopus, ipsius assertio caret fundamento, ut postea probabo. Nunc quod ad primum attinet, si cum paucis quibusdam excipias Comitolum, communis DD. sententia hoc solùm exigit, quando impedimentum publicum est, vel adest periculum, ut patefiat, aut in foro externo probetur, negat verò in impedimento occulto, & ubi cessat tale periculum, ullatenus opus esse, ut post obtentam dispensationem de novo contrahatur coram Parocho, & testibus, sed ait, sufficere, ut inter conjuges renovetur consensus, ita expressè Sanch. *l. 2. disp.*

37. *n.* 11. Perez *disp.* 39. *Sect.* 4. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *n.* 4. Coninck *disp* 24. *dub.* 10. *n.* 83. Barbosa *p.* 2. *De Offic. & potest. Parochi c.* 21. *n.* 82. Bonac. *de Matr. q.* 2. *pu.* 9. *n.* 4. Iacob. Pignatellus *tom.* 8. *consult.* 27. *n.* 3. Wiestner *n.* 35. *de Clandest. despons.* Dicastillo, Reginald. Henriq. Denique, omissis alijs, adduco authoritatem viri, cujus doctrinam Basilius non reijciet. Est is Robertus König Professor Salisburgensis edito in 5. libros Decretalium volumine celebris: ita ipse in terminis tradit n. 128. De sponsal. *Dico 3tiò, Matrimonium coram Parocho, & testibus solemniter contractum, si sit nullum propter occultum aliquod impedimentum dirimens, sublato impedimento, convalidari potest absque eo, quòd consensus conjugum coram Parocho, & testibus renovetur, quoniam tali casu cessat ratio Concilij Tridentini Sess.* 24. *de Reform. Matr. c.* 1. *requirentis præsentiam Parochi, & testium, quandoquidem tale Matrimonium facilè negari non potest, cùm propter solemnitates antecedentes constet, quòd publicè contractum fuerit, & econtra ex supposito non constet de impedimento, ratione cujus contractus Matrimonialis invalidari possit. Si autem hoc est notorium, aut juridicè, saltem per duos testes probari posset, necessum foret, ut conjuges publicè denunciationibus repetitis, & observatis solemnitatibus coram Parocho, & testibus, impetratâ dispensatione, consensum exprimerent.* ita König.

9. Assentior huic Authori, etiam quoad ultimam istam partem, & insuper adjungo, rebus sic stantibus, dispensationem frustra ab Episcopo peti, cùm enim hæc, & quæ concedditur à S. Pœnitentiaria, solummodo valeat pro foro interno, suffragari ea non poterit, quando impedimentum innotescet, vel deducetur ad forum externum. Unde rectè advertit Carolus Antonius Thesaurus *in Praxi bipartita De Pœnis Ecclesiast. P.* 1. *c.* 22. *different.* 1. Ordinarium non posse ratam habere dispensationem super impedimento Matrimonij datam pro foro conscientiæ tantùm, sed debere, si de eo constiterit, cogere ad separationem, donec obtineant dispensationem in Dataria; atque ex hac causa, ut notat Marcus Paulus Leo *in Praxi ad literas Magni Pœnitentiarij p.* 2. *c.* 2. *n.* 82. & Navarr. *Consil.* 4. *de Iudicijs. n.* 5. apponi ordinariè solet clausula in dispensationibus obtentis à S. Pœnitentiaria, ut literæ lanientur, ne scilicet aliquod externum dispensationis hujusmodi indicium remaneat, & facta probatione aliquem effectum operentur in foro exteriore, & contentioso, ad quem finem concessæ non sunt: indigent ergo tunc dispensatione pro utroque foro, quæ Româ petendâ est è Dataria. Quòd si verò in utroque foro dispensationem obtinuerint, tunc enimverò debent rursus publicè contrahere coram Parocho, & testibus juxta formam Concilij, ut iterum expressis verbis docet Rebellus *p.* 2. *De oblig. Iust. l.* 2. *q.*

2. q. 9. n. 5. Imò ut liberalis sim, plus dico, hac publica iteratione opus esse, dummodo impedimentum sit plenè probabile. ita Sanch. l. 2. disp. 37. n. 11. *Imò* inquit, *quamvis id periculum minimè sit* (nimirum, ut innotescat, aut publicum fiat tale impedimentum) *si impedimentum sit plenè probabile in foro externo, credo, necessariò iterandum esse coram Parocho, & testibus, quia licèt occultum in alijs decretis usurpetur, ut distinguitur contra publicum, vel id, quòd deductum est ad forum contentiosum, at in præsenti, ut impedmentum dicatur occultum, ut eo sublato possit Matrimoniũ clàm celebrari, credo, occultum accipi, ut distinguitur contra plenè probabile.*

10. Sed nunquid hoc modo triumphat Basilius, & maximè per ultima verba Sanchezij evicit contra me, quod ab initio dicebat, ut impedimentum occultum esse censeatur, debere non posse probari, quale cùm non fuerit in casu nostro, debuisse publicè iterum contrahi Matrimonium, nec potuisse Episcopum dispensare; hic enim dispensat, ut contrahatur occultè, & super impedimento occulto: occultè autem, & privatim contractus iterari nequit, quando impedimentum est plenè probabile, quia sic non est sufficienter occultum, ut renovari consensus privatim possit; quod fit in dispensatione Episcopali: ergo Episcopus dispensare non potuit, sed indigebant hi conjuges dispensatione pro utroque foro, quæ exigit, ut rursus coram Parocho, & testibus contrahatur.

℟. Ad ea, quæ Basilius ab initio dixit, suprà sufficienter responsum est, ut ejus interrogatio exigebat. Quod modo affert argumentum, fulgurat quidem, sed non fulminat; quod ostendo. Ut detur obligatio petendi Romanam dispensationem, & contrahendi rursus coram Parocho, & testibus, debet impedimentum juxta Sanhez, quem in me vult obvertere, vel esse publicum, vel adesse periculum, ut patefiat, vel ut sit in foro externo plenè probabile: ex nullo tali capite erui potest in casu nostro ista obligatio: frustra igitur ea asseritur. Pro *Minoris* probatione suprà ostensum est, impedimentum casus nostri publicum non esse. Ut autem fiat publicum, amabo, dicatur, unde periculum istud imminet? An quia aliqui pauci id sciunt, quibus aut ipsi Parentes, vel conjuges hoc indicarunt, ut peterent ab illis consilium? ad hoc abundè jam responsum est: addo tamen, quæ dicit Palao disp. 3. de Sponsal. pu. 7. §. 3. n. 3. *Non tamen dicendum est impedimentum esse publicum, cùm tres, vel quatuor scirent impedimentum solùm ex relatione conjugis, quia eorum scientia non præstat sufficiens testimonium ad Matrimonij dissolutionem, cùm non sit majoris efficacitatis, quàm dictum, & confessio ipsius conjugis.* Ex tabulis quoque Genealogicis profectò pauci illud agnoscent, ut aliàs dixi; & ausim dicere, etiam Basilio non erit obvium, illud ostendere. Pauci, vel omnino nulli ex instituto eas lustrabunt, ut istã consanguinitatẽ indagent: sed nec domestici, qui ejus conscij sunt, hanc

hanc per præconé palá facient, quippe læti, obtentam esse dispensationem, de hoc impedimento deinceps parùm erunt soliciti, ut multos de eo sermones misceant. Novi conjuges non inferioris familiæ, neque Silverio, neque Basilio ignotos, inter quos intercessit impedimentum, quod dispensatione sublatum est, an vel ipsis, vel alteri cuiquam aliquid de hoc unquam innotuit? & quid, si aliquid innotuisset? nunquid credituri erant, fuisse in eo procul dubio dispensatum, non posse proinde illud ulteriùs accusari? certè istud agendi desiderio nunquam fuissent ipsi laboraturi, procul ab omni solicitudine.

11. Sed neque alterum me movet, quod ait, ideò debere de novo publicè iterari contractum, quòd impedimentum plenè probabile sit; hoc enim absolutè nego, & sic argumentor à pari: impossibile dicitur, quod rarò, vel nunquam evenit, licèt evenire possit, ut habet Barbosa in Axiomat. Juris usu frequentior. axiom. 118. & n L. Cùm hæres. §. 1. ff De statu liberis. item L. Continuus. § cùm quis. ff. De V. O. *impossibilium, & valde difficilium idem est judicium*: dicam igitur eodem modo, etsi dictum impedimentum absolutè quidem legitimè probari possit, quia tamen hoc admodum difficile est, ut ex antecedentibus constat, & vix credibile, id aliquando futurum, impedimentum plenè probabile dici non meretur, cùm præsertim ad hoc valdè multa requirantur, nam debet probari posse duobus, non quibuscunque, testibus, ut etiam fatetur Sanchez, sed debent hi testes non solùm esse idonei, sed omni exceptione majores, id est, tales, quibus nihil opponi possit; debent præterea ipsimet testes posse docere, ac ostendere gradus, ac nomina eorum, per quos contractum istud impedimentum, & in præsentes conjuges derivatum est, ut iterum advertit Marcus Paulus Leo *p. 2. c. 20. n. 5. in praxi ad Literas S. Pœnitentiariæ*, neque sufficit, si allegent, se ita audivisse, quia testis de auditu non facit fidem, præsertim in causa Matrimoniali, ut de his omnibus constat ex *c. Tua nos. De Consang. & Affinit*; Hæc ergo omnia, si attendantur, planè efficiunt, ut dici nequeat impedimentum plenè probabile; & quia probationis periculum nullum est, opus sanè non fuit aliâ, quàm Episcopali dispensatione, ac proindenec publica revalidatione vel ratione publicitatis, vel ratione probabilitatis, ut manifestè concludo ex Rebello *loc. supra cit.* tunc solùm agnoscente, impedimentum esse plenè probabile, non quando absolutè probari potest, sed quando futuræ probationis aliquod periculum est, utique non fictitium, & in inani imaginatione positum, sed prudens, ita ipse loquitur: *secus tamen, quando periculum esset, quod impedimentum de se publicum probaretur in judicio, tunc enim fieri debet revalidatio coram Parocho, & testibus*; igitur infero ego, & concludo: ergo ubi de tali periculo prudenter non timetur, & impedimentum per se adhuc occultum est, cessat, & nulla adest obligatio, quam nobis vult imponere Basilius.

PARS III.

DE IJS,

QUÆ ANNEXA SUNT

MATRIMONIO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARS III.

De iis, quæ annexa sunt Matrimonio.

PROŒMIUM.

AD complementum eorum, quæ diximus in præcedentibus, & in prima quidem Parte de ijs, quæ Matrimonium antecedunt, videlicet de Sponsalibus: in secunda autem de ipso Matrimonio, ejus proprietatibus, & impedimentis; dicenda supersunt adhuc aliqua, quæ Matrimonio annexa sunt, ita ut consequi vel debeant, vel saltem possint, & frequenter soleant. Non erat quidem ab initio hic mihi animus, quòd vellem hisce reliquijs partem peculiarem attribuere, sed constitueram, breviter eas annectere secundæ Parti; visum verò postea fuit, rem gratiorem Lectori me præstiturum, si Tertiam quoque Partem prioribus adijcerem, tum ne Secunda nimiùm excresceret, tum quia vidi, adhuc multa superesse, quæ fusiorem expositionem merentur. Placuit igitur à præcedentibus sejuncta in novam Partem compilare ea, quæ neque viam sternunt ad Matrimonium, neque illud constituunt, sed quæ ex eo velut

velut effectus oriuntur, uti sunt mutua, quæ ad se invicem conjuges habent, officia, & obligationes; tum quæ non ratò consequuntur, ut Matrimonium ritè contractum destruatur, non quoad vinculum, sed quoad torum, & conjugum cohabitationem. Hoc ut clarè fiat, dividetur Tertia hæc Pars in duas Sectiones, quarum prima mutuas conjugum obligationes complectetur. Altera Divortium, ejusque causas. Utraque per Quæstiones, Casusque practicos hæc omnia exponet.

SECTIO I.

De mutuis Coniugum Officiis, & Obligationibus.

DUo genera obligationum consurgunt ex Matrimonio, quæ conjugibus durante hoc statu incumbunt. Unum continet obligationes affirmativas, quæ nempe consistunt in faciendo. Alterum obligationes negativas complectitur. Affirmativæ, quæ arctant conjuges in faciendo, sunt quatuor, Videlicet 1. ut simul cohabitent. 2. Ut sibi mutuò alimenta præstent. 3. Ut liberos bene educent. 4. Vt sibi invicem debitum reddant. Inverso ordine ponitur quarto loco hæc obligatio, quem aliàs liberorum educatio sibi posceret, quæ debiti red-

ditione posterior est; studiosè tamen ultimo loco reservatum est debitum conjugale, tum quia plures circa illud casus ponendi sunt, tum ut commodiùs statim adnectere valeamus etiam obligationem negativam, quæ in hac sita est, ut à carnalibus culpis in usu Matrimonij conjuges abstineant.

QUÆSTIO PRIMA.

Quam obligationem coniuges habeant ad sibi mutuò cohabitandum?

CASUS

Uxoris de cohabitatione solicita ob excommunicationem Mariti.

Ubaldus, cùm multa damna intulisset Ecclesiæ Parochiali, sæpiusque monitus, petitam satisfactionem præstare nullatenus vellet, sed ex opposito pergeret violare jura Ecclesiæ, & omni possibili modo eandem, & Parochum divexare, servatis, quæ in ejusmodi casibus servanda veniunt, sententiâ Ordinarij à communione fidelium sejungitur, & excommunicatus publicè denuncia-

denunciatur. Graviter afflixit hoc vulnus Amarindam uxorem ipsius, etiam ex eo capite, quòd propriæ conscientiæ metueret, ne cohabitando diutiùs viro, quem è gremio suo ejecisset Ecclesia, Deum ipsa offenderet. Ex altera verò parte grave erat deserere maritum sui amantem, & liberis necessarium. Inter hæc dubia fluctuans, quid sibi agendum sit, Parochum consulit; sed per quem ex angustijs educi speraverat, per eum ipsum detrusa est in labyrinthum priore intricatiorem; nam confirmavit iste illius metum, iteratò affirmans, cohabitare non posse suo conjugi, quamdiu is in contumacia perseverans, à Censura non solveretur.

Q. An vera sit hæc Parochi assertio, & an Mariti excommunicatio à cohabitatione conjugali uxorem eximat, vel eandem ipsi prohibeat?

SYNOPSIS.

1. *Conjuges ordinariè obligantur sub peccato gravi ad cohabitandum, possuntque ad hoc compelli à Judice tum Ecclesiastico, tum sæculari.*

2. *Ex mutuo tamen consensu possunt sibi invicem remittere hanc obligationem.*

3. *Tenetur potiùs uxor sequi maritum quoad domicilium, quàm è converso; aliquando tamen hic quoque obligatur uxorem sequi.*

4. *An idem dicendum, quando ob pœnam delicti Maritus mittitur in exilium?*

5. *Exponuntur alij casus, in quibus uxor sequi, vel non sequi debeat maritum, & hic ab ea discedere licitè possit, vel non possit.*

6. *Respondetur ad dubium præsentis casûs, an uxor licitè cohabitare valeat marito excommunicato?*

7. *An idem dicendum de Sponsa respectu Sponsi excommunicati, quod dicitur de uxore?*

1. PRima obligatio, quam contrahunt conjuges in suo Matrimonio, est, ut sibi mutuò cohabitent, ad quod obligantur jure tam naturali, quàm Divino, ut Sanch. *l. 9. disp. 4. n. 2.* Palao *disp. 3. de sponsal. pu. 5.* §. 1. *n. 1.* Tambur. *l. 8. de Matrim. tr. 7. c. 1.* §. 1. alijque passim omnes desumunt ex illo textu Gen. 2. *Quam ob rem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* & Matth. 5. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mæchari*, patetque de hac obligatione manifestè ex ipsa contractûs conjugalis natura, & definitione Matrimonij, quod c. Illud, 11. §. Verùm quia, De Præsumpt. & §. Nuptiæ. Instit. De Patria potestate, dicitur *Maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Addo, istud exigere etiam generationem prolis, & commodam ejusdem educationem; quæ sanè utriusque parentis cohabitationem postulat, cùm rebus varijs proles indigeat, quarum aliæ fœminis, aliæ viris sunt propriæ, atque ideo earum aliquæ à Patre, aliæ à Matre soboli præstandæ sunt; commodè autem præstari nequeunt sine cohabitatione; Alia quoque officia, atque negotia, quæ in conjugio occurrunt, eandem cohabitationem, & conjugum mutuam operam deposcunt, quippe in multis necesse est, ut vir, cui natura majorem prudentiam indidit, uxorem consilij inopem dirigat; hæc verò eidem in rebus domesticis famuletur, & dum ipse rebus forensibus, & externis occupatur, ipsa interea ijs, quæ domi peragenda sunt, & œconomicis attendat, quæ omnia, ut ritè fiant, conjugum cohabitationem exigunt. Intelligimus verò nomine cohabitationis, ut conjuges sub eodem tecto, in eadem mensa, & in eodem toro vitam vivant individuam, ad quæ citati AA. eosdem obligant sub peccato mortali, nisi gravis & justa causa excuset; quæ si non adsit, potest

potest Maritus, vel uxor ad cohabitandu cogi à Iudice Ecclesiastico etiam per censuras. Imò si nolint huic obligationi satisfacere, & hæc tria præstare, à Iudice quoque Sæculari compelli possunt, dummodo controversia non sit de Matrimonij valore; & hoc agendo Iudex Ecclesiasticus defendit jura Matrimonij, quod est Sacramentum, & Sæcularis pariter justè compellit, ac obedire renuentibus pœnas intentat, ut obligationi naturali ex contractu debitæ satisfaciant, quia licèt sub ea ratione, sub qua est Sacramentum, Matrimonium sit res spiritualis, & fori Ecclesiastici, at qua ratione contractus est quidam Civilis, ad Judicem quoque Sæcularem spectat urgere conjuges ad initi contractûs adimpletionem, & mutuam fidem servandam.

2. Possunt nihilominus conjuges huic obligationi simul habitandi ex mutuo consensu cedere, si nullum adsit incontinentiæ periculum, & justa causa adsit, nam ex odio, vel indignatione nunquam licita est ista separatio. Utrumque colligitur ex S. Paulo 1. Cor. 7. *nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; en! finem, seu justam causam; addit verò: *ad tempus*, ne patiatur uterque, vel alteruter incontinentiæ periculum, qua propter statim subjungit: *iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas*, quale periculum quia rarissimè abest, non debet Iudex Ecclesiasticus ulla ratione permittere, ut juniores conjuges separatim vivant, ut rectè advertunt Palao *l. 6. n. 2.* & Gobat *tr. 10. n. 754.* Quòd si, ut aliquando faciunt pij conjuges, amore continentiæ ad certum tempus, vel etiam in perpetuum ex mutuo consensu velint toro separari, per hoc ipsis non permittitur, ut etiam domo, & mensâ separentur. Sanch. *l. 9. disp. 5. n. 19.* & si hoc ipsis permittatur, ut separatim vivant, quia justa, & gravis causa à cohabitatione excusat, veluti, si alter è conjugibus timeret sibi mortem, vel læsionem membrorum, aliudvè grave damnum, sive animæ, sive corporis, ut si ab altero solicitaretur ad peccatum, vel subiret periculum, se morbo aliquo contagioso inficiendi, attendendum est diligenter, ut causa hæc excusans publica fiat, & apta aliqua excusatio in aliorum notitiam deveniat, ne, si de justa excusatione non constet, ob quam separatio facta est, alijs occasio detur malè judicandi, vel cogitandi aliquid minùs decorum de altero conjuge. Tamb. *l. 6. n. 3. & 11.*

3. Tenetur verò per se loquendo potiùs uxor cohabitare viro, & illius domicilium sequi, quàm hic uxoris, nam quia hic caput mulieris est, & ipsi familiæ gubernatio incumbit, ad ipsum pertinet constituere domicilium, ubi habitent, ac simul vivant, nisi fortè sequi non possit uxor absque magno incommodo corporis, aut animi

animi, vel in contractu Matrimoniali aliter conventum sit, ut habitatio constituatur in patria uxoris, vel apud ejus propinquos; sic enim injuriam inferret vir uxori, mutando domicilium, nec teneretur ipsum illa sequi: excipe, si fieri hoc oporteret ex causa aliqua de novo supervenienti, & antè non prævisa, ut quia locus iste nimis contrarius est Mariti valetudini, vel quia in eo contraxit fatales inimicitias &c. nam eo casu non tenetur stare promissis, etsi juramento firmaverit, sed uxor potiùs in eo eventu tenetur comitari virum. Palao *disp.* 1. *de sponsal. pu.* 15. §. 2. *n.* 9. Simili modo etsi aliàs penes maritum sit eligere, vel mutare pro libitu domicilium, tenetur ipse quoque uxorem aliquando comitari, quando ex simili necessitate ea compellitur mutare domicilium, v. g. quia aërem experitur saluti suæ in hoc loco noxium, vel est obnoxia hostili infectationi &c. Et in his quidem AA. conveniunt, cùm vir, & mulier pares sint in mutuis obsequijs, ut colligitur ex Glossa *c.* 1. *De conjug. leprof. V. Sequantur.* totaq; differentia, quæ inter virum, & uxorem datur quoad comitandi obligationem, in hoc sita est, quòd possit vir, quia caput familiæ est, ad libitum eligere domicilium, & uxor teneatur eum comitari; uxor autem, cùm subdita sit, nequeat habitationem ipsa eligere, & virum cogere, ut ipsam sequatur, quando tamen necessitate coacta domicilium mutat, jus Matrimonij compellens virum cohabitare uxori, eundem etiam ad hoc compellit, ut in eo eventu ipsam comitetur, quia hoc spectat ad mutua obsequia conjugalia, in quo pares sunt. Sanch. *l.* 1. *disp.* 41. *n.* 15.

4. Hoc magis controversum est inter Authores, an quando vir ob delictum mittitur in exilium, teneatur tunc quoque ipsum sequi uxor, quam obligationem multi, & graves DD. negant, quos allegat Sanch. *l. c. n.* 11., quia par non est, ut uxor innocens patiatur incommodum ob culpam viri, & ob delictum alienum puniatur. Sed probabilius est oppositum, quod tenet idem Sanch. *n.* 12. cum Palao *l. c. n.* 4. Jo. Præpos. *in* 3. *p. S. Th. q.* 5. *de Matr. dub.* 10. *n.* 86. *in fine.* Laym. Gobat, videlicet obligatam esse uxorem per se loquendo Maritum relegatum sequi, non obstante, quòd is culpâ suâ ad talem necessitatem redactus sit, dummodo contra fidem Matrimonij non deliquerit, quia uxor sequi debet viri infortunium, ut colligitur ex *L. Si cum dotem. §. Sin autem. ff. Solut. Matrim.* idemque expressè dicit Glossa *in c.* 1. *Qui Matrim. accus. poss. V. Exijt.* ubi sermo est de viro, qui timore mortis exijt è civitate propter commissum homicidium, adeòque suâ culpâ: hoc verò non est uxorem puniri ob delictum mariti, sed pœna imponitur viro,

viro, & quia uxor jure Divino, & naturali tenetur eum sequi ex causa necessaria, & inevitabili aliò migrantem, per accidens est, quòd idem infortunium uxorem quoque tangat; quemadmodum servus mariti idem exilij infortunium pateretur, Dominum comitans, non per modum pœnæ, quia innocens est, sed quia jure servitutis tenetur Dominum sequi. Addit Sanch. *n.* 13. ex L. Mutus. §. Manente. ff. De Iure Dot. si vir culpâ suâ bannitus inops sit, teneri uxorem eum alere ex bonis suis dotalibus, nam hæc ad sustinenda Matrimonij onera conferuntur, cujus obligatio ob bannum non cessat. Quòd si hæc non sufficiant, ex bonis paraphernalibus idem præstare debet. Iul. Clarus *l. 5. Sententiar. § fin. practicæ criminal. q. 82. Statuto 2. Vers. item quæro.* Atque hæc, quæ de uxore dicta sunt, quòd sequi debeat exulantem maritum, ait Laym. *l. c. n. 4.* dicendum quoque esse de marito, quòd & ipse sequi teneatur uxorem exulantem, si sine magno incommodo suo possit, cùm vir & uxor, quod attinet ad obligationem cohabitandi, & mutuò adhærendi pares sint. L. Si cum dotem. §. Si maritus. ff. Soluto Matrimonio, ubi dicitur: *Quid enim tam humanum est, quàm in fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse*; putat tamen dictus Author, frequentiùs occurrere posse causam, ob quam tale uxoris infortunium maritus sequi non teneatur.

5. Ex dictis consequitur, à fortiori uxorem, quando maritus aliò discedit ex mandato Principis causâ reipublicæ, v. g. ut obeat aliquam Præfecturam, præsit Provinciæ, legationem peragat &c. sequitur, inquam, uxorem obligatam esse, eundem sequi, si facilè id fieri, ac commodè possit juxta textum in *c. Unaquæque. 13. q. 2.* Si verò sine incommodo, magnisque expensis, & molestijs fieri nequeat, etiam comitari volentem non tenetur vir admittere, præsertim si paulò post rediturus est, vel si in nullo loco notabilem moram facturo varia negotia diversis in locis peragenda sunt, hoc enim marito nimis molestum foret, ejusque itinera impediret, cùm fœminæ non ita facilè, ac viri, possint iter agere: sumptus præterea non leviter augerentur; nisi ergo vir aliquo in loco diu commoraturus sit, possitque id facere absque gravi incommodo, reique familiaris jactura, uxorem secum deferre non obligatur. Sanch. *L. 9. disp. 4. n. 13. & seq.* Palao *disp. 3. De Sponsal. pu. 5. §. 1. n. 4. & seq.* At vagari præcisè hinc inde volentem, uxor sequi neutiquam tenetur, modò non sciverit ante contractum Matrimonium hanc viri inconstantiam; si enim sciens tali vagabundo nupsit, videtur hunc ejus morem approbâsse

bâsse, & tacitè se obligâsse, quòd eum comitari velit. Sanch. *L.* 11. *disp.* 41. *n.* 6. Laym. *l. c. n.* 3. secus si tempore contracti Matrimonij vagari solitus non fuit, aut ipsa id ignoravit, nam tunc ad tantum onus perpetuò vagandi adstringenda non est. Imò neque adigi potest, ut virum comitetur, volentem adimplere longam peregrinationem, etiam ex voto debitam; nec potest Maritus licitè suspicere, aut promittere talem peregrinationem sine consensu uxoris, quia Deo non placent, quæ implenda sunt cum proximi damno, uti contingeret, in tali peregrinatione, nam cedit ea in præjudicium debiti, & cohabitationis conjugalis; modicam nihilominus, & brevem peregrinationem vovere, ac suscipere maritus potest etiam invitâ, ac renitente uxore; at non vicissim id ipsum potest uxor absque consensu mariti. Sanch. *l.* 9. *disp.* 4. *n.* 15. Tamb. *l.* 8. *de Matr. tr.* 7. *c.* 1. §. 2. *n.* 13. Coninck *disp.* 34. *dub.* 2. *n.* 19. Perez *disp.* 50. *De Matr. Sect.* 3. *n.* 5. Laym. Gobat. Ratio disparitatis est, quia cùm vir sit caput uxoris, non decet, ita illius consortio eum adstrictum esse, ut non possit aliquamdiu, vel recreationis, vel devotionis causâ ab ea discedere, quod tamen uxori non permittitur, utpote quæ subdita, viroque subjecta est, & ab eo gubernari debet; aliunde quoque minùs decet fæminas, ut absque comitatu mariti peregrinentur, unde inscio, vel renitente viro, nequeunt peregrinationem instituere, etiam brevem, atque modicam, quæ v. g. duorum, vel trium dierum sit; at si manè abiens, sit reditura vesperi, nec ejus opera futura interim domi admodum necessaria, dicit Gobat *tr.* 10. *n.* 762. per se loquendo consensum mariti non esse tunc necessarium.

6. Expositis tum obligatione, quam habent conjuges ad cohabitandum, tum causis, quæ aliquando possunt eximere ab ista obligatione, deveniendum nunc est ad quæsitum, in quo versatur dubium præsentis casûs, an possit uxor cohabitare marito excommunicato, an verò debeat eundem vitare, & tantisper ab eo secedere, donec depositâ contumaciâ à censura solvatur? in quo dubio versanti responsum justo rigorosius dedit Parochus Amarindæ, eam marito excommunicato cohabitare non posse, nam quòd contrarium responderi debuerit, patet ex vulgari illo, & notissimo versu, quo exponitur, quinam communicare licitè possint cum excommunicato vitando:

Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

Ubi per *legem* communiter AA. intelligunt Matrimonium, eò quòd uxor sit sub lege viri juxta id, quod dicitur *c.* 4. *&* 5. *De Secund. Nupt.* & à S. Paulo Apostolo ad Rom. 7. *nam quæ sub viro est mulier, vivente viro*

...o alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri idque expressè habetur decisum à Gregorio VII. *c. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. ubi uxoribus permittit, ut possint communicare cum maritis excommunicatis: licitè proinde cohabitare potest uxor marito excommunicato non tolerato, & cum eodem communicare in redditione, ac petitione debiti, dummodo excommunicatio lata non sit in causa Matrimonij, quia lis erat, utrùm esset legimè contractum, ipseque conjux excommunicatus non solùm reddere, sed etiam petere, &, si uterque sit excommunicatus, uterque petere, ac reddere potest; nam si licitum est petere ab excommunicato debitum pecuniarium, & obligatio est solvendi creditori, quantumvis excommunicato, multò magis licebit petere, & reddere debitum conjugale, cùm per hoc obvietur periculis animarum, quibus Pontifex in dicto *c.* cavere vult; & si licet communicare cum socio excommunicato, ut patet ex *c. Si verè. De Sent. Excommun.* juncta Glossâ *V. In excommunicatorum* à fortiore licita erit communicatio cum conjuge jure societatis conjugalis, quæ alijs multò arctior est, quippe marito uxor socia facta est omnis vitæ per nuptias. *L. 1. ff. De Ritu nuptiar.* permittitur ergo communicatio conjugibus, censurâ excommunicationis non obstante, & quia potissima communicatio, quæ inter virum, & uxorem datur, est ea, quæ in actu maritali consistit, potest uxor à marito petere, & ipsi petenti reddere debitum, imò ad hoc, & alia omnia conjugalia obsequia tenetur, ut rursum patet ex *c. Inter alia. De Sent. Excom.* ubi Innocentius III. declarat, quòd non solummodo possit uxor manere cum viro excommunicato, sed ad id quoque teneatur, & ad ea præstanda obsequia, ad quæ ante excommunicationem adstricta erat; adeoque potest cum eo communicare etiam in omnibus alijs, quæ spectant ad Matrimonium, ut in gubernatione domûs, in mensa, in familiari colloquio &c. quia cùm permittatur uxori absolutè, & sine ulla limitatione, ut possit communicare cum viro excommunicato, restringi hoc, & limitari non debet, eo ipso, quòd favorabile sit. ita Vgolimus *Tab. 2. de Censur. c. 23. §. 6. n. 3.* Avila *p. 2. de Censur. c. 6. disp. 11. dub. 6.* Bonac. *disp. 2. de excomm. q. 2. pu. 6. §. 2.* Filliuc. *tr. 13. c. 6. q. 4. n. 102.* Gibalinus *disquis. 7. De Censur. q. 9. n. 35. & seqq.* Pirhing. *De sent. Excommun. n. 120.* Sanch. *l. 9. disp. 14. n. 2.* ubi ait, se neminem reperisse, qui ea de re dubitaret; Et quamquam in *cit. c. Quoniam multos.* id solùm dicatur de uxore, quòd possit communicare cum viro excommunicato, nihilominus intelligendum est etiam de Marito, quòd possit communicare cum uxore excommunicata, quia in correlativis cujusmodi sunt maritus, & uxor, statutum de uno censetur etiam statu-

ſtatutum de altero, quando utriuſque eſt eadem ratio, ſicuti hîc eſt idem periculum animæ in viro, ſi cogeretur abſtinere à communicatione cum uxore excommunicata, quod eſt in uxore reſpectu viri excommunicati. Quòd verò in *cit. c.* ſolius uxoris expreſſa mentio fiat, inde eſt, quia frequentiùs accidit, ut viri excommunicentur, quàm fæminæ. Sanch. *l. c. n.* 16.

7. Denique occaſione dictorum moveri dubium poteſt, an, quæ de uxore diximus reſpectu Mariti excommunicati, locum quoque habeant in Sponſa reſpectu Sponſi? Reſpondetur ſub diſtinctione duplicis Sponſæ. Hæc enim eſt vel de præſenti, vel de futuro? Prior revera jam nupſit, ſed nondum cognita eſt, quia reſpectu effectûs Matrimonij, & copulæ eſt adhuc veluti promiſſa, idcirco dicitur Sponſa potiùs, quàm uxor: additur tamen particula *de præſenti*, ut deſtinguatur ab illâ, quæ revera nondum nupſit, ſed nuptura eſt, & jam habet futuri Matrimonij promiſſionem, quæ eſt propria ſignificatio hujus vocis *Sponſæ*, quapropter quoties Jura de Sponſis loquuntur, ſemper intelligenda ſunt de Sponſis de futuro, niſi aliud ſuadeant graves conjecturæ, & circumſtantiæ. Nunc igitur dicendum, Sponſam de præſenti communicare poſſe cum Sponſo excommunicato, alioquin vitando, quia illa revera uxor eſt, & licèt nondum conſummatum fuerit Matrimonium, tamen jam eſt contractum per mutuam corporum traditionem, ex qua naſcitur jus reciprocum, & mutua obligatio inter conjuges tum ad copulam, tum ad cætera obſequia. Quare cùm in *c. Quoniam multos*, permiſerit Pontifex conjugibus excommunicatis mutuam communicationem, ut ſatisfacerent obligationi per Matrimonium contractæ, idem quoque conceſſit Sponſis de præſenti, quandoquidem & ipſi eandem obligationem jam contraxerunt, & niſi invicem communicare poſſint, magno peccandi periculo exponuntur, quod tamen in ſua conſtitutione Gregorius teſtatur, ſe velle vitare. At Sponſa de futuro, quia nullam adhuc conjugalem obligationem contraxit, ſed contractura eſt, ac proinde nomine uxoris non intelligitur, nequit communicare cum Sponſo excommunicato, quandoquidem illa venia non fit conjugibus, niſi ut ſatisfaciant obligationi per Matrimonium contractæ, qualis non datur inter Sponſos de futuro. Sanch. *l. c. n.* 8. Gibalinus *l. c. n.* 49.

QUÆSTIO

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid coniuges sibi invicem debeant quoad alimenta?

CASUS PRIMUS.

Negatæ Dotis Sponso promissæ.

Guthescus duxit Syrianam Patris divitis, sed avari filiam, promissâ sibi ampla dote, quam Sponsa allatura esset, verùm hanc, etsi jam pluribus annis cohabitent, ejusque solutionem frequenter ipse, & non perfunctoriè urserit, hactenus non obtinuit, & vix affulget spes eam consequendi; quæ res ipsius animum non modò versùs Socerum, sed ipsam quoque conjugem ita exacerbavit, ut constituerit, domo expulsam, in ædes paternas remittere, à Patre sustentandam, nolitque habere deinceps vel mensæ, vel tori sociam, quæ in conjugij onera sublevanda præter inania promissa nihil attulisset.

Q. An dote non solutâ possit uxorem absolutè à se dimittere?

SYNOPSIS.

1. *Maritus tenetur uxori præbere alimenta, etiamsi duxerit indotatam; nisi Sponsa dives fuerit, nam tunc censetur dos tacitè promissa.*
2. *Est hæc Mariti obligatio sub peccato gravi, etiam quando dos casu fortuito perijt; non verò, si uxor ab ejus obsequio recessit absque justa causa.*
3. *Nec quando ipse inops est, aut dos promissa soluta non fuit.*
4. *Examinatur quæsitum hujus casûs, an dote non solutâ possit Maritus uxorem domo expellere, & à cohabitatione excludere?*
5. *Statuitur Sententia negativa.*
6. *Respondetur ad argumenta contrariæ opinionis.*
7. *An vir alere teneatur uxorem, si pars solummodo dotis soluta non est, & num, si aluit, possit alimenta repetere?*
8. *An uxor obligari possit ad laborandum Marito?*
9. *An possit Pater privare filiam dote, quæ nupsit sine ejus consensu?*

1. QUòd vir uxori teneatur præstare alimenta, conveniunt passim omnes, patetque ex *L. Si cùm dotem. §. 2. Si autem. ff. Soluto Matrim.* Nomine verò alimentorum intelligitur non tantùm victus, sed & vestitus, lectus, habitatio, & alia omnia ad vitam necessaria juxta personæ conditionem, & qualitatem; similiter medicinæ, quibus indiget, dum prava utitur valetudine. Bonac *in 4 præcept. Decal. disp. 6. pu. 5. §. 1. n. 1.* Azor *P. 1. L. 2. c. 4. q. 2. & 19.* Gobat *in Quinario tr. 5. c. 28. Sect. 1. n. 2.* prout apertè indicatur L. Verbo victus 44.

&

& seq. ff. De Verb. signif. *Verbo victûs continentur, quæ esui, potuiq; cultuiq; corporis, quæq; ad vivendum homini necessaria sunt; vestem quoque victûs habere vicem, Labeo ait, & cætera, quibus tuendi, curandiq; corporis nostri gratiâ utimur, ea appellatione significantur.* Ratio istorum est, quia hæc postulat ipsa conjugalis conjunctio, & eapropter dotem uxor attulit, eamque maritus recepit, ut Matrimonij onera sustineret, uxoriqúe, ac familiæ alimenta præstaret. *L. Pro oneribus. C. De Iure dotium.* ut proinde dubium nullum esse possit, quando uxor marito dotem attulit, deberi eidem alimenta: dubitari autem potest, quando vir duxit indotatam, quo casu sic videtur faciendum esse discrimen, ut dicamus, quando inopem duxit sine dote, ab ea obligatione ipsum non liberari, quia præsumitur solâ uxoris personâ contentus esse, & hanc pro dote accepisse, ut loquitur Sanch. *L. 9. disp. 5. n. 8.* atque ita se obligâsse tacitè ad eam alendam; nam ita mos habet omnium, qui pauperes ducunt, ut onus eas alendi in se suscipiant. Quòd si verò divitem duxerit sine dote, non desunt, qui opinentur, ad ejus sustentationem, & alimenta ipsum obligari, perinde, acsi indotatam duxisset quamcunque aliam inopem, nam sibi, ajunt, imputare debet, quòd nullum de dote constituenda pactum inverit. At verosimilius est oppositum, in hoc secundo casu ad eam alendam non esse obligatum, nam esto: apertè pactus non sit de dote, inivit tamen hoc pactum tacitè ducendo divitem, & ab eadem censetur tacitè promissa dos, siquidem uxor per Matrimonium se, & interpretativè sua bona marito tradit, vel omnia, ut habet Bartolus L. Si constante, ff. Soluto Matr. n. 78. ubi dicit: *Mulier eo ipso, quòd nubit, videtur dare omnia sua bona in dotem tacitè, licèt nihil dicat*, vel saltem quoad partem, quæ dotem competentem constituat, attentis circumstantijs, & sua, ac viri dignitate juxta *L. Quæro. ff. De Iure dotium*, ut meritò censent Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 5. §. 2. n. 1.* & Sanch. *L. 9. disp. 5. n. 9.* Unde si mulier, quæ dives est, dotem constituere renuat, & tacitè promissam non solvat, vir justam causam habet negandi alimenta. At si non ipsa, sed Parentes divites sint, tunc isti quidem cogi possunt, ut juxta legitimam designent dotem, vir autem alimenta uxori interim præstare debet, quia inops est, & absque promissione dotis accepta fuit; ut præter citatos docet Molina *tr. 2. de Iust. disp. 424. in princip.* & *disp. 425. Vers. Si Marito dos.*

2. Hæc obligatio uxori alimenta præstandi gravis est, unde ea denegans grave peccatum committeret, Bonac. *l. c. n. 3.* obligaturque ad hoc maritus etiam tunc, quando dos ab uxore allata casu fortuito perijt, nam

nam hanc obligationem jam subijt per dotis receptionem, à qua ob eventum fortuitum non eximitur, cùm de ejusmodi infortunijs uxoris etiam maritus participet. *L. Si cùm dotem. §. Si Maritus. ff. Soluto Matrim.* A fortiore non eximitur ab isto onere, quando dos perijt ex culpa ipsius Mariti; & sanè se gravi scelere obstringunt viri, dum otio, lusu, potu, alijsve damnatis rationibus rem domesticam ita accídunt, ut non habeant, unde uxori suppeditent necessaria ad victum, cultumque. At verò si ex culpa uxoris dos interijt, maritus eam alere non tenetur, perinde enim est, virum culpâ uxoris dotem amittere, ac si culpâ uxoris ea non solveretur: hoc tamen ita limitandum censet Sanch. *L. 9. disp. 5. n. 10.* quando uxor parentes divites habet, qui eam sustentare possint; quibus si careat, nexus conjugalis exigere videtur, ut ei vir alimenta subministret, maximè si in ejus obsequio sit, ut non obscurè colligitur ex *L. Quòd si nulla. ff. De Religios. & sumptib. funer.*

Cæterùm ab obligatione uxorem alendi plura sunt, quæ excusant. 1. Si uxor sine culpa viri, & absque causa necessaria ab ejus consortio propria temeritate recesserit, tunc enim non obligatur Maritus ei præstare alimenta, quamvis dotem ab ea receperit, nam uxor debet manere in obsequio viri: ergo si hoc non faciat, meritò ei alimenta, aliàs debita, negantur, qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. *L. Si ea. C. De Condit. insert.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 2.* Sanch. *cit. disp. 4. n. 20.* Palao *disp. 3. De sponsal. pu. 5. §. 2. n. 3.* Bonac. &c. Secus est, si ob viri sævitiam, aliamvè eius culpam recesserit, quia hæc fuit justa, & rationabilis causa recedendi, ideoque alimentis debitis privanda non est, aliàs maritus ex sua iniquitate commodum reportaret. *AA. cit.* Idem est, si ob mariti amentiam, vel morbum contagiosum compulsa fuit discedere, quia ille discessus culpæ imputandus non est, cùm istud justè fecerit, ne similis morbi periculo exponeretur, ac proinde privationem alimentorum inducere non debet, sed etiam seorsim habitans alenda est.

3. Excusatur secundò Maritus ab hac alimentorum subministratione, si pressus inopiâ non habeat, unde uxorem sustentet, quia ad impossibile obligari nemo potest; imò hoc casu uxor, si sibi suppetat, quo possit marito succurrere, obligatur eidem præstare alimenta sive ex bonis dotalibus, sive ex paraphernalibus, sive aliunde conquisitis, ita mutuus conjugum nexus exigit. Sanch. *l. c. n. 27.* Tamb. *l. 5. in Decal. c. 3. §. 4. n. 1.* Bonac. Palao. Tertiò denique ab alimentis uxori præstandis excusatur, si dos promissa soluta non

non fuit, sive hæc ab uxore, sive ab ejus Parentibus, sive ab alio quocunque extraneo promissa fuerit; quia dos traditur ad sustinenda onera Matrimonij *L. Pro oneribus. C. De Iure dotium*: ergo dum viro solutum non est pretium sustentationis, non tenetur ad onus: imò conveniens de dote pro alimentis uxori præstandis, tacitè intendit maritus, nullam obligationem alimentorum subire, dote non solutà. Neque obest, etiamsi uxor cæteroquin in viri obsequio sit, namque tenetur ipsa non solùm obsequia, sed etiam dotem viro præstare: ergo dum hanc non præstat, etsi alterum faciat, vir eam alere non tenetur. Sanch. *l. 9. disp. 5. n. 6.* Bonac. *disp. 3. de contract. q. 11. p. 3. n. 4.* Dixi verò *à quocunque dos promissa fuerit*, circa quod tamen notanda est aliqua differentia inter promissionem dotis factam ab uxore, ejúsve Patre, & inter promissionem, quæ facta est ab extraneo, nam quando dos promissa est ab extraneo, & non soluta, nullam maritus penitus obligationem habet alendi uxorem, tametsi hic ob impotentiam non solvat: at si ab uxore, ejúsve Patre promissa est, tunc si ex impotentia non solverint, dumodo tempore promissionis eam impotentiam non agnoverint, tenetur maritus uxori alimenta præstare, acsi dotem recepisset, quia censenda est dos eo casu perire fortuitò, si quidem absque culpa uxoris, vel Parentis non solvitur, qui conveniri nequeunt pro dote solvenda, ultrà, quàm facere possunt. Sanch. *l. 9. disp. 5. n. 5.* Palao *l. c. n. 5.*

4. Ex hoc verò, quòd excusetur maritus ab alimentis uxori præstandis ob non solutam dotem, oritur dubium præsentis casûs, an possit quoque ob eandem causam uxorem domo expellere, & ad Parentes remittere, ita, ut neque ad cohabitationem velit deinceps esse obligatus, aut eam vitæ sociam penes se imposterum habere? Sententiam affirmativam docent plures apud Sanch. *disp. 5. cit. n. 11.* quibus adjungo Andream Gail *Practicar. Observat. L. 2. Observat. 87. n. 2.* Hi suam opinionem putant fundari in verbis c. Per Vestras. De donat. inter vir. & ux. ubi ad finem ita legitur: *ne occasione dotis detentæ uxor à viro dimissa, seu vir, qui dimisit uxorem, adulterij reatum incurrat &c.* & L. ult. C. Ad Vellejanum: *nec enim ferendum est, mulierem fieri indotatam, & sic à viro forsitan repelli, & distrahi Matrimonium.* ergo Pontifex, & Imperator supponunt, fas esse viro ob dotem non solutam uxorem domo expellere, quod maximè patet ex eo, quia in casu citati c. eâ de causâ uxor expulsa fuerat, & tamen consultus Pontifex non jubet priùs eandem restitui, quàm dos marito præstaretur. Probant ulteriùs, quia vir juxta dicta in num. præce-

præcedente non tenetur præstare alimenta uxori, si dos eidem soluta non fuerit: atqui sub alimentorum nomine comprehenditur etiam habitatio, ut dictum est n. 1. & clarissimis verbis idem exprimitur L. 6. ff. De Aliment. & cibar. legat. ubi dicitur: *Legatis alimentis, cibaria, & vestitus, & habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest*: ergo ob dotem non solutam non ampliùs obligatur maritus uxori concedere habitationem, sed potest eam domo eijcere. Hæc potiora sunt, quæ pro se afferunt, alia levioris momenti argumenta adducere supersedeo.

5. Verùm his non obstantibus adhuc tenenda est Sententia contraria, veluti probabilior, & jure naturæ congruentior, uxorem minimè expelli posse ob dotem non solutam. ita Sanch. *l. c. n.* 17. Palao *l. c. n. 6.* Molina *tr. 2. de Iust. disp.* 425. *§. Si Marito dos.* Rebellus *P. 2. L. 5. De Oblig. Iust. q.* 10. *n.* 30. Bonac. *disp. 3. de Contract. q.* 11. *pu. 3. n. 6.* Gibalinus *De usuris L. 4. c. 5. art.* 14. *n. 5.* Covarruv. *In Epitom. 4. Decretal. p. 2. c* 7. *n.* 2. Gonzalez *in c. Per vestras. De donat. inter vir. & ux. n.* 15. Fachin. *L. 3. Controv. Iuris c.* 48. Desumi hoc in primis potest *ex c. De illis. De Condit. appos.* ubi dicitur, quòd, qui aliquam ducere promisit, si illi centum dotis nomine darentur, non teneatur illam ducere, nisi dederit quantitatem promissam; sed si postea in Matrimonium consenserit, non posse eum uxorem repellere. Nec minùs clarè id ipsum indicant verba Christi, dum prohibet Matth. 5. uxorem dimitti exceptâ causâ fornicationis: ergo sufficiens causa non est ad conjugis dimissionem, dotem solutam non fuisse, præsertim cùm vir ad dotem consequendam alijs remedijs uti possit, & Judex aliâ viâ eum, qui dotem promisit, ad solutionem compellere, quàm permittendo, ut uxor domo expellatur; videlicet competunt ipsi Actiones ad petendam dotem, si soluta non fuerit. *L. Ad exactionem. C. De dotis promissione. L. Legem. C. De Pactis.*: agere proinde potest adversùs promissorem, ut sibi fidem servet, non tamen ipsi licebit pactum cohabitandi ex natura Matrimonij ortum infringere; sicut in alijs contractibus agere possunt contrahentes, ut altera pars impleat, non tamen possunt resilire; veluti si domum vendidi pecuniâ creditâ, alterum non solventem præfixo termino convenire possum, non tamen possum à venditione recedere. Denique, ut modò insinuatum est, obligatio cohabitandi cum uxore non oritur ex solutione dotis, sed ex lege Divina, & naturali, seu ex natura Matrimonij, quod maris, & fœminæ conjunctio est, individuam vitæ societatem continens: sicut igitur vir ob non solutam dotem non eximitur ab onere reddendi debitum, ita

ita nec liberatur ab obligatione cohabitandi, quia consortium maritale, seu domestica cohabitatio ad commodam prolis generationem, & educationem omnino necessaria est, ut debitum conjux commodè exigere, & exigenti reddi possit.

6. Neque evincunt contrarium argumenta, quibus innititur Adversa Pars, nam 1. quæ ex Iure tam Pontificio, quàm civili allata sunt, nihil probant; nec enim Pontifex *cit. c.* asserit, licitam esse expulsionem uxoris ob dotem non solutam; imò de ea re nec quidem fuit interrogatus, aut responsum ullum dedit, sed de cautione præstanda à marito inope, qui sibi assignari postulabat dotem suæ uxoris, & quia hanc marito dare illa renuit sine præstita sibi cautione, eandem domo de facto expulerat, quæ controversia cùm Genuæ jam priùs agitata, denique ad ipsum Pontificem deferretur, & hac de re sua Sanctitas interrogaretur, sapienter rescripsit, dandam quidem esse cautionem, sed tamen eâ, quam vir præstare poterit in illa inopia, contentam esse debere uxorem. Rationem hujus suæ responsionis reddit, quia tum uxor, quæ occasione detentæ dotis à viro jam dimissa fuerat, tum ipse vir, qui eam dimiserat, periculum incontinentiæ, & adulterij incurrebant: ex quo responso nemo potest colligere, Pontificem approbare expulsionem uxoris ob non solutam dotem. Non aliter loquitur Iustinianus Imperat. *Leg. cit.* nam solùm ait, omnem illum, qui dotem promiserit mulieri, cogendum esse ad promissionem adimplendam, quia aliàs oriri potest periculum, ne mulier expellatur, & Matrimonium distrahatur; per quod planè non pronunciat, expulsionem esse licitam, neque permittit, ut Matrimonium distrahatur, sed vult occurrere tanto incommodo, & cavere, ne detur occasio, ut ista possint evenire. Ad alterum non diffiteor, nomine alimentorum venire etiam habitationem, sed tamen non eadem est obligatio ad victum competentem, vestitum, famulatum &c. uxori providendum, quæ, & quanta est obligatio mariti ad cohabitandum uxori: ad prius enim obligatur maritus ratione dotis, quam uxor affert ad se, & familiam sustentandam, ac sublevanda onera Matrimonij: hæc igitur quando non solvitur, maritus eam alere non obligatur, sed potest alendam Parentibus remittere, nisi & ipsa inops sit, & ab his ali nequeat; excludere verò à domo, & cohabitatione non potest, quia hæc obligatio, ut conjuges simul cohabitent, non oritur ex pacto dotali, quemadmodum obligatio dandi victum, vestitum &c. sed ex contractu Matrimoniali, qui petit, ut conjuges simul cohabitent ad commodam prolis generationem, & educationem, sive dos solvatur, sive non solvatur. Unde nec conjugale debitum negare, nec

nec ab invicem divertere, & debita sibi obsequia recusare possunt ob solam dotis retentionem, & solvendi moram.

7. Ex dictis verò novum dubium oriri potest, idque geminum, nempe an, sicuti vir uxorem alere non obligatur, dum tota dos non solvitur, ita pariter liberetur ab onere alimenta præstandi, quando pars dotis soluta non fuit? deinde an possit aliquid repetere, si dote non solutâ ipse interea alimenta dedit uxori?

Respondeo ad primum. Etiam quando pars tantùm dotis soluta non est, ad alimenta vir non tenetur, quia dum tota dos non solvitur, contractus initus, & data fides non servatur: ergo nec ipse servare fidem tenetur, ut uxori alimenta præstet, intellige, ut ei præbeat totam alimentationem, nam debet saltem ei dare partem alimentorum pro rata acceptæ dotis, cùm enim eadem sit ratio partis ad partem, quæ est totius ad totum *L. Quæ de tota. ff. De Rei vindicat.* hinc, sicut tota dote recepta, tenetur ad integra alimenta, ita recepta parte, tenetur saltem ad partem. Sanch. *disp. 5. cit. n. 3.* Bonac. *l. c. n. 4.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 6. dub. 4. n. 68.*

Ad alteram quæstionem cum ijsdem AA. respondeo, maritum, qui uxorem aluit, antequam dos sibi promissa solveretur, nec ab uxore, nec ab eo, qui dotem promisit, posse deinceps aliquid exigere, quo hæc alimentorum ministratio sibi compensetur, nisi tamen protestatus fuerit, se ea præstare animo repetendi, quia si hoc non fecerit, præsumitur animo maritali alimenta condonâsse, ut colligitur ex *L. Si quis à liberis. §. Si mater. ff. De Agnoscend. & alend. liber.* junctâ Glossâ V, *Materno affectu*, ubi negatur, à Patre repetere posse Matrem alimenta, quæ filio, aut filiæ dedit, etiamsi non modica essent, nisi fuerit protestata. Sanch. *n. 7.* Bonac.

8. Nec minus dubium est, ad hunc locum pertinens, an uxor obligari possit ad laborandum marito? Circa hoc Tiraquellus videtur absolutè tenere affirmativam cum alijs, quos citat *c. 20 De Nobilit. n. 95. & seqq.* sive nobilis sit, sive plebeja, quia per hoc conditio creditoris non debet esse deterior, quòd debitor nobilis sit: uxor autem debet hæc obsequia præstare viro, cujus subdita facta est per Matrimonium, & cui famulari jubetur *c. Est Ordo. 33 q. 5.* Hujus rei exempla affert dictus Author uxores Regias, quæ suis ipsæ manibus maritis lectos sternebant, cubilia parabant, coquinariam, & alia ancillaria ministeria exercebant, inter quas refert Andromachem Hectoris uxorem, equis mariti pabulum subministrare solitam. Verùm circa hanc quæstionem distinctione utendum est;

nam

nam si loquamur de labore, qui necessarius est ad gubernationem, & sustentationem familiæ, qualis est cibos coquere, lavare vestes &c. tunc debet spectari loci consuetudo, & status uxoris; quæ si non patiantur, hujusmodi labores fieri ab uxore, sed à famula, non poterit obligari à marito ad prædicta præstanda. At si labores isti statum uxoris non dedeceant, vel ita pauperes sint, ut maritus famulam conducere nequeat, sine dubio ad hos labores à marito obligari poterit. Quòd si autem loquamur de labore ad lucrum conquirendum, v. g. ducendo fila, nendo &c. iterum distinguendum est: si uxor attulit dotem, ex cujus fructibus ali à marito sufficienter potest, cogenda non est ad operandum, quia non obligatur laborare, ut marito lucrum acquirat, habenti sufficientes facultates ad alendam familiam, & Jure communi, quod sic lucratur, ad uxorem pertinet. At si vel nullum, vel insufficientem dotem attulit, vel ea culpâ uxoris, vel casu fortuito perijt, cogi poterit ad laborandum juxta ejus statum, & conditionem, quia eo casu non est censenda laborare in lucrum mariti, sed in propriam sustentationem. ita Laym. *L. 5. tr.* 10. *p. 3. c. 2. in fine.* Palao *l. c. n.* 7. Sanch. *L. 6. de Matrim. disp. 6. n.* 14. nec aliud dicit Angelus *V. Vxor n.* 2. qui tamen in contrarium citatur à Sanchez.

9. Ultimò denique moveri dubium potest, an teneatur Pater dotare filiam, &, si id facere renuat ad hoc compelli possit, quando hæc absque illius consensu contraxit Matrimonium? non obligari ad tribuendam dotem, sed posse hac eam privare, atque etiam exhæredare, si Patre inscio, qui tamen paratus erat filiæ suæ competentes nuptias prospicere, & dotem dare, illa nupserit ante ætatis annum 25. desumitur ex *Novell.* 115. *c.* 3. §. 11. *V. si verò.* idque, si cum indigno Matrimonium contraxit, defendunt plurimi AA. Classici tam Theologi, quàm Canonistæ, è quibus id fusissimè probat Molina disp. 176. De Just. causâ 11. exhæredat. Laym. *L. 3. tr. 4. c. 13. n. 4.* & *L. 5. tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 15. Covarruv. *p.* 2. *Matr. c* 3. §. 8. *n.* 8. Engl *De donat. inter vir. & uxor. n.* 6. alijque plures, ubi tamen per indignum non intelligitur is, qui inferioris conditionis, aut stemmatis est, ut ostendit Gail *Practicar observat. L.* 2. *observat.* 95. sed qui turpitudine vitæ, & infamiâ aliquâ laborat, ac perditis moribus, ita ut probrum inde, atque dedecus in ipsum Patrem, & familiam redundet, quæ sententia videtur mihi probabilior, & plurium Provinciarum statutis confirmatur, nominatim Jure Bavarico *Tit.* 35. *art.* 2. & *Tit.* 40. *art.* 9. ubi dicitur, non obligari Parentes dotare filias, dum vivunt, si absque illorum consensu nuptias con-

contraxerint; eas autem exhæredare non posse, nisi tamen turpi, vel infami nupserint. Sed hanc quoque Sententiam multi Theologi, & Canonistæ non admittunt, cùm Mattimonia debeant esse libera; hæc autem libertas, inquiunt, multùm læditur pœnâ exhæredationis, & denegationis dotis, cùm præsertim, ut loquitur Haunoldus *tom. 2. De Iust. tr. 6. c. 7. n. 470.* possit ex fine laudabili se Matrimonio jungere cum persona turpi, ut eam ad frugem reducat; imò hoc quoque satis laudabile est, quod malit cum persona turpi vivere in Matrimonio, quàm absque Matrimonio cum ea turpiter vivere; unde negant, dote privari posse, aut exhæredari filiam, quæ Patre invito nupsit: negant etiam, ejusmodi legem condi posse, quæ talem pœnam statuat, ut dotem amittat, quæ sine Parentum consensu Matrimonium contrahit. Hujus opinionis sunt Felicianus Oliva *Fori Ecclesiast. P. 1. q. 29. n. 20. & seqq.* Sanch. *L. 4 disp. 26.* ubi tamen hoc ita limitat *n. 19.* quòd Pater talem filiam indignum Matrimonium contrahentem non teneatur dotare, si ea aliunde dives sit, ut alimenta habeat, quia æquum non est, compellere Parentes ad dotandam filiam devitem, quæ turpi Matrimonio totum familiæ decus denigravit; si verò alimentis careat, tunc, ait, Patrem obligari, ut dotet in modica quantitate conveniente ad alimenta vitæ necessaria. Pro eadem Sententia citantur Azor *tom. 2. L. 2. c. 2. q. 7.* & Rebellus *p. 2. De obligat. Iust. q. 14. Sect. ult.* Sed nescio, an Jure, nam prior solùm dicit, Jure Canonico sublatas esse leges, quæ pœnas statuunt in eos, qui præcisè nuptias contrahunt sine consensu Parentum; secus, si pœnas constituunt in filios, qui nuptias iniverunt indignas, viles, ignominiosas &c. tunc enim vim habere has leges, & pœnas, etiam ipse admittit: quæ verò contra ejusmodi leges afferuntur argumenta, Rebellus quoque reijcit, & eleganter confutant Layman, & Molina *ll. cc.* quibus addo Iulium Clarum *L. 5. Recept. Sentent. § fin. Pract. Criminal. q. 82. Statuto 3. n. 5.* ubi expressè dicit, ejusmodi statuta laicorum privantia filiam dote, casu quo nubat indigno sine consensu Patris, valida esse, ac firmissima, neque de Jure Canonico reperiri correcta, atque sic servari in praxi.

CASUS

CASUS SECUNDUS

Uxoris à creditoribus multùm exagitatæ ob debita Mariti.

Aphrodisiam, quam liberali dote instructam ante plures annos uxorem duxit, unà cum liberis honestè admodùm hucusque habuit Chenelmus; nunc verò temporum iniquitas mutavit scenam, nam quia census annui more aliorum annorum à debitoribus ritè persolvi nequeunt, ex quibus cæteroquin majorem sustentationis suæ partem antea recepit, ipsumque etiam salarium in Officio, quo hactenus fungebatur, vix aliquando obtinuit, eò redactus est, ut cogeretur mutuum accipere, aliaque plura debita contrahere, ut posset deinceps alere familiam pro ratione sui statûs. Sed hoc ipsi, aliaque plura, quæ accesserunt, cùm durissima acciderent, eo denique affecerunt mœrore, ut sortem miseram pertæsus, statueret, uxore, liberisque, & patriâ relictis, aliò discedere, fortunam meliorem indagaturus; quod & re ipsa fecit. Nunc Aphrodisiam opifices, mercatores, alijque creditores obruunt quotidie, urgentque ab ipsa solutionem.

Q. An uxor obligari possit ad dissolvenda debita à marito ad sustentandam familiam contracta?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. *Teneri uxorem solvere debita à Marito contracta ad alimenta familiæ præstanda, si hic solvendo non sit, multorum probabilis opinio est.*

2. *Sed contraria est probabilior.*

3. *Patitur tamen aliquas limitationes.*

4. *Solvuntur argumenta oppositæ Sententiæ.*

5. *Datur ultimata responsio ad præsentem casum.*

1. TEneri uxorem è bonis dotalibus, alijsque proprijs, dissolvere debita à marito contracta ad ipsam, familiamque alendam, quæ nempe vir contraxit ad solvendam famulorum mercedem, conductionem domûs, ad coëmendas vestes, & cibaria familiæ &c. si is solvendo non sit, aut nulla illius bona supersint, quibus æs alienum dispungat, docent complures apud Sanch. *l. 9. de Matr. disp. 4. n. 28.* & ipsius quoque opinione satis probabiliter, probantque suam opinionem ex eo, quia ubi res aliena in utilitatem alicujus conversa est, quamvis eam ipse non acceperit, tenetur saltem in subsidium accipientis, qui non est solvendo, ut constat ex *L. Ei, qui. 7. §. Alioquin. C. Quod cum eo*, ubi dicitur, aliquo in re mea contrahente absque meo mandato, teneri me, si res in commodum meum vertatur, & *L. His solis. ff. De Condict. indebiti*, ubi cùm decernatur, jus repetendi pecuniam competere solùm contra recipientem, non contra eos, quibus proficit, ait Glossa *V. Proficit.* hoc fallere, si, quibus proficit, habeant ex causa lucrativa, tunc enim teneri eos in subsidium, si recipiens solvendo non sit; secùs si habeant ex causa onerosa; idemque dicitur sentire Salicetus, qui tamen mihi videtur, potiùs contrarium tenere: atqui, quando maritus inops mutuò

tuò accepit pecunias ad uxorem, & familiam alendam, pecuniæ illæ cesserunt in utilitatem uxoris, habetque eas ex causa lucrativa, non autem ex onerosa: ergo marito impotente ad solvendum, tenetur ipsa in subsidium. Min. probatur. Maritus inops uxorem non tenetur alere, ut patet ex Casu præced. *n. 3.* proinde alimenta ab ipso præstita uxor non habet ex causa onerosa, scilicet tanquam sibi debita, verùm ex causa lucrativa, & ex mera viri liberalitate, adeoque pecunia in alimenta uxoris & familiæ expensa proprijssimè dicitur conversa in illius utilitatem, cùm vir inops ad hoc obligatus non fuerit. 2. Ulteriùs probatur, quia si aliquis occasione pecuniæ, aut rei cujuscunque alienæ consumptæ factus est ditior, tenetur subire partem damni, quamvis pecuniam illam, aut rem apud se non habeat, ut constat ex *L. 2. ff Ad leg. Rhodiam. De Iactu*, ubi habetur, si laborante nave mercium jactus factus sit, debere detrimentum esse commune etiam eorum, qui propter amissas aliorum res consecuti sunt, ut suas merces salvas habeant; atqui occasione mutuò accepti à viro paupere uxor, & filij eo alimentati, facti sunt locupletiores, se enim vel bonis proprijs, vel mutuò acceptis alere debuissent, nisi Pater, aut vir accepisset, ad quod non tenebatur: ergo dum vir, aut Pater solvendo non est, tenentur ipsi solvere. Confirmatur, quia licèt Pater non teneatur ex mutuo à filio familias facto, ut constat ex toto *Tit. ff. Ad S. C. Macedonian*: at si conversum sit in rem patris, videlicet ad quam pater subministrandam adstrictus erat; tunc enimvero tenebitur, ut patet ex *L. 7. ff. eod.* §. *Proinde* 12. ergo quamvis uxor, & filij non teneantur ex mutuo per patrem, aut virum accepto ad ipsos alendos, tenebuntur tamen, quando in eorum rem versum est, quia scilicet eo alimenta empta sunt, quando ad ea præstanda vir nullam obligationem habuit. Denique quando maritus, aut pater inops erat, dum contraxit debita ob alimenta familiæ præstanda, uxor autem, aut filij divites, efficaciter probatur, eos tunc obligari ad hæc debita persolvenda, quia debita contracta ab ipsa uxore, & filijs tenentur ipsimet ex suis bonis solvere: atqui inter cætera debita, quæ ipsi habent, est etiam hoc, quòd pater, aut maritus contraxit accipiendo æs alienum ad alendam familiam, cùm enim uxor, aut filij divites non habeant jus petendi alimenta à patre egeno, sed ipsi potiùs teneantur patrem in egestate constitutum alere, æs alienum ad hoc contractum censetur esse debitum uxoris, ac filiorum, ac proinde solvendum est ab uxore, & liberis.

2. Oppositam sententiam ut probabiliorem

babiliorem defendunt Sanch. *l. 9. disp. 4. n. 29.* Tannerus *tom. 4 disp. 8. q. 6. dub. 4. n. 70.* Palao *disp. 3. de sponsal pu. 5. §. 2. n. 4.* Molina *disp. 435. De Iust. §. Tertium est.* Reginald. *L. 11. n. 306.* nempe uxorem, & filios non teneri solvere ex suis bonis illa debita, quæ per maritum, aut patrem contracta sunt, etsi contracta fuerint ad uxorem, & familiam alendam. Ad probandam hanc sententiam, quam Bonacina quoque dicit valde probabilem, & tutam in conscientia *disp. 6. circa quartum præceptum Decal. q. unic. pu. 7. n. 13.* præmitto, quòd etiam in viro paupere non sit omnino extincta obligatio alendi uxorem, & filios, sed solùm sit suspensa pro tempore inopiæ illum excusantis; sicut quicunque debitor ratione inopiæ non prorsus deobligatur ab ære alieno solvendo, sed illa obligatio solùm suspenditur, & ipse à solutione excusatur, quamdiu impotentia ratione inopiæ durat; quod ex eo manifestum est, quia profectò nemo non dicit, uxorem, & filios minimè teneri ad ea debita solvenda, quæ à viro inope contracta sunt pro eorundem alimentis, si facultates viri successu temporis ita augeantur, ut ipse jam solvendo sit. At si ratione paupertatis obligatio illa penitus fuisset extincta, auctis facultatibus non ampliùs reviviscere, nam obligatio semel extincta non resuscitatur, ut habetur in *L. Cùm ex causa. C. De Remiss. pignor.* Hoc præmisso, probatur nunc sententia, Si Petrus, quo suis creditoribus satisfaciat, magnum æs alienum contrahat ab alijs, existimans, fore, ut postea solvendo sit, quamvis contrarium eveniat, nemo dicet, creditores, quibus per hanc pecuniam de novo mutuò acceptam satisfactum est, & in quorum utilitatem ea cessit, teneri ad quidquam posterioribus creditoribus, qui mutuò illas pecunias dederunt Petro, quia posteriores hi creditores nullum cum prioribus contractum iniverunt; per mutuum autem, quod dederunt Petro, verè dominium in ipsum transtulerunt, proinde is tanquam verus pecuniæ hujus dominus potuit de ea ipsa liberè disponere, atque priora sua debita expungere, quamvis ab illorum solutione ratione inopiæ excusaretur; similiter ergo, quamvis maritus inops ratione impotentiæ excusetur pro tunc ab onere alendi uxorem, & familiam, nec teneatur se ære alieno gravare ob hujus sustentationem, nihilominus tamen si de facto æs alienum contraxit, & sic uxorem, ac familiam aluit, obligationem ratione impotentiæ suspensam adimplevit, neque dicetur pecunia illa conversa esse in utilitatem uxoris, quasi Maritus, postquam accepit mutuò pecuniam, ad alimentationem familiæ nullam penitus habuerit obligationem; nec ipsa, nec

filij

filij verè dicentur esse locupletiores, & ex causa lucrativa recipientes, sed potiùs ex causa onerosa, cùm receperint, quod verè sibi debebatur, ac proinde illud mutuum minimè tenentur solvere.

Confirmatur, quia licèt uxor esset dives tempore mutui accepti à viro paupere, non tamen tenebatur ipsa directè ad alimenta viri, ac familiæ, sed solùm in subsidium, scilicet viro non quærente aliunde pecunias, quibus necessaria suppeditare posset; quas cùm ipse quæsierit, mutuò accipiens, uxor ab eo onere relevata est; & quia non ipsi pecunia data est, nec suo nomine recepta, idcirco ipsa non tenetur eam solvere, ut manifestum est ex L. Non adversùs. C. Si certum petatur. & L. Eum, cui. C. De oblig. & Actionib. ubi dicitur: *Eum, cui mutuam dedisti pecuniam, ad solutionem urgere competente debes actione; nam adversùs negotiatores, quos ex mercibus pecunias abstulisse tuo debitori proponis, nullam habes actionem;* ex quo patet, actionem mutui repetendi esse personalem, & solum debitorem concernere, nec dari contra tertium, ad quem pecunia ex quacunque demum obligatione ultimatò pervenit, ut pulchrè exponit Barbosa *n. 1. & 2. in cit. Legem*, sed solùm posse institui hanc actionem contra personam illam, quæ ipsa mutuum accepit, in quam quia verè translatum fuit dominium, potuit ipsa instar veri Domini de ea pecunia pro libitu disponere.

Denique probatur etiam ex eo, quia uxor soluto Matrimonio potest integram dotem recuperare, licèt vir prodigè expenderit, etiam in ipsius uxoris alimenta, eam plùs ornans, lautiúsque, ac splendidiùs habens, quàm ejus conditio requirebat, ut docent Navarr. *in Manuali c. 17. n. 155.* & Eman. Rodriquez *tom. 1. Summæ c. 100. n. 7.* contra Petrum Barbosa *L. Constante. n. 53 ff. Soluto Matrim*: ergo ex eo, quòd vir contracta debita non possit solvere, non ideo transfunditur onus in uxorem.

3. Quamquam verò probabilissima hæc sint, aliquas tamen limitationes meritò apponit Bonac. *l. c.* quas alij quoque Authores allegati insinuare videntur, videlicet non obligari uxorem ad debita mariti solvenda, si ea is contraxit nomine proprio; quòd si enim contraxit nomine uxoris, hoc est, ipsâ conscià, ac consentiente, tenetur illa in defectu mariti ad eorundem solutionem, nam verè sunt illius debita, sicut res empta nomine alicuius verè illius est, cuius nomine empta fuit. 2. Simili modo obligatur uxor, si pressus inopiâ maritus fuit protestatus, nolle se gratis alimenta præstare; cùm enim uxor, quam maritus pro tunc alere non tenebatur, neque ad eam sustentandam accipere pecuniam mutuam, alimenta

non gratis acceperit, ad illorum restitutionem tenetur, perinde ac si ab extraneo accepisset cum onere solvendi; & quamvis, ut *num. præced.* dictum est, creditores mariti nullam in hoc casu directam actionem habeant contra uxorem, vel filios, cùm nihil cum ipsis actum sit nomine uxoris, vel filiorum, habent tamen actionem quodammodo indirectam, quatenus creditoribus competit actio contra debitores sui debitoris: 3. Idem dicendum est, si uxor jussa à viro tradere creditoribus pecuniam, eam expenderet in familiæ sustentationem; nam si vir postea non sit solvendo, ipsa de suo tenebitur solvere, quia causam dedit, ne creditores debitum recuperarent, nisi fortè ob gravem familiæ indigentiam creditoribus non indigentibus distulerit solutionem, ut limitant Sanch. *l. c. n.* 30. & Tannerus *n.* 72.

4. Nunc ut argumenta quoque superioris sententiæ dissolvamus, respondeo ad primum, negando, fuisse ab uxore acceptam rem alienam ex titulo lucrativo, & conversam in ejus utilitatem, nam esto, quòd maritus in inopia constitutus, nullam habuerit obligationem pro tunc alendi uxorem, aut petendi pecuniam mutuam ad hunc effectum; nihilominus si eam defacto mutuam accepit, effectus est & dominus hujus pecuniæ, & obligationem habuit alendi uxorem, ac filios, consequenter uxor, ac filij tunc non ab alieno, sed à vero domino, & ex sibi debitis sustentationem acceperunt; nullam ergo obligationem solvendi habent, nisi expressè ad solutionem mutui simul se obligaverint, & pater, vel maritus ipsis conscijs, ac consentientibus debita contraxerit, aut protestatus sit, se gratis non præstiturum alimenta. Ad secundum argumentum eadem ferè responsio est. Negatur nempe iterum, uxorem factam esse locupletiorem ex re aliena, accepit enim alimenta sibi debita, postquam maritus iterum habuit ex mutuo, quo posset conjugem sustentare; unde paritas nulla est cum projectione mercium, nam dum ego res meas salvas conservo, quia ejectione bonorum alterius cujuspiam alleviatum est navigium, ne pateretur naufragium, verè ego, ac propriè locupletior factus sum ex bonis alienis, quæ cùm ad me, meaque conservanda ex nulla speciali obligatione alter projicere teneatur, ex summa sanè æquitate ad lites gravissimas in commercijs navalibus præcavendas statuta est Lex Rhodia, ut, si levandæ navis gratiâ factus est jactus mercium, damnum, quod unus patitur, omnium contributione sarciatur, ne majus ipse detrimentum subeat, quàm alij, pro quorum mercibus sal-

salvandis suas ipse projecit in mare: De his videri possunt Zoësius, & Wesenbecius in dictam Legem. Ad confirmationem denique, & subsequens ultimum argumentum respondeo, virum non habuisse obligationem, ut pro alenda uxore mutuum acciperet, sed durante hac ejus inopiâ potiùs fuisse uxorem obligatam, ut maritum aleret, nisi hic sibi aliunde prospiceret, quod quia fecit, ipsius obligatio, hactenus suspensa, rursus eundem obstrinxit ad alimenta uxori præstanda; quod dum agit, nihil ipsa recipit, quod specialiter in ejus utilitatem vertatur, tanquam sibi liberaliter datum, sed recipit id, quod sibi debetur, & à marito subministrandum est, proinde solvere ipsa hæc mariti debita non tenetur, ea enim tunc recepit, quæ maritus, postquam accepit mutuum, uxori dare potuit, ac debuit, sicut ex *L. 7. cit. ff. De S. C. Macedon.* non obligatur filius ex mutuo, sed Pater, si mutuò accepit filius, quod Pater aliàs eidem subministrare tenebatur, atque ita Lex citata nobis potiùs, quàm Adversarijs favet.

5. Ex istis porrò, quæ hucusque dicta sunt, cuivis perspicuum esse potest, Aphrodisiam, nisi ipsius nomine, ac voluntate Chenelmus ista debita contraxerit, non obligari, ut ipsa mercatoribus, opificibus, alijsque satisfaciat, aut nisi ipsa pro marito spoponderit; & tunc quidem tenebatur solùm in subsidium, sicut tenetur quicunque fidejussor, ubi debitor principalis solvendo non est. An autem solvendo non futurus sit Chenelmus, dici non potest, quippe inquirit fortunam meliorem, & forsan brevi consequetur, prout spem minimè vanam habet: differri ergo potest debitorum solutio propter præsentem inopiam, neque ad eam urgenda est uxor, nisi se obligaverit ad satisfactionem ex bonis proprijs præstandam, si intra certum terminum maritus non solverit. Quòd si non ex illius voluntate Maritus debita contraxerit, nec illa se tali modo obligaverit, nullam ipsa tenetur facere solutionem, quia recepit à viro non alienum aliquid, sed cujus ipse dominus erat, & quod sibi debitum fuerat; ex altera parte ipsa cum creditoribus nihil contraxit: nullam ergo hi actionem contra ipsam habent, nec dos, vel alia illius bona propria subjecta sunt hypothecæ pro mutuo à viro accepto, aut debitis ab eodem contractis, sed solam habent actionem personalem adversùs mutuatarium, vel debitorem maritum.

QUÆSTIO TERTIA.

Quam obligationem coniuges habeant erga ſuos liberos?

CASUS

Fictus, & non fictus.

Lesbia arrogantis genij fæmina, & tum ob formæ venuſtatem, tum verò præcipuè ob nobilitatem ſuam mirè ſuperbiens, filium peperit marito ſuo Hilduino, viro nobili, ſed non antiqui ſtemmatis, nam ante paucos annos adhuc inter ſcribas meruit, ac primus ipſe honorum titulos ſuæ familiæ intulit, commiſſâ ſibi à favente Principe Dynaſtiæ cujuſdam præfecturâ. Perſuaderi modò non poteſt delicata hæc Mater, ut ubera ſua præbeat natæ proli, & proprio ipſam lacte potet, dicens, hoc dedecere ſuæ conditionis nobiles Matronas, ſeque riſui fore cæteris, ſi inſtar plebejæ mulieris iſtud Officium ipſa ſubire vellet; ridentibus inſolentem faſtum, qui dictum hoc audiverunt, cùm

ſint

ſint adhuc ſuperſtites, qui avi ipſius operam aliquot nummis in tonſtrina mercati ſunt.

Q. 1. Quid debeant Parentes ſuis liberis tum in alijs, tum quoad alimenta ?

2. An à peccato hæc Mater excuſari poſſit ?

SYNOPSIS.

1. *Ante omnia Parentibus curandum eſt, ut liberi diſcant rudimenta fidei, & bonis moribus imbuantur; errantes quoque moderatè caſtigari debent.*

2. *Tenentur ab ijs avertere peccandi occaſiones, ijſque præire bono exemplo, & à bono non retrahere, ſed libertatem permittere, ut eligant vitæ ſtatum.*

3. *Præter hæc obligantur præbere alimenta ſuis liberis, etiam illegitimis, ac ſpurijs.*

4. *Quid nomine alimentorum intelligatur ?*

5. *An filius in diviſione paternæ hæreditatis debeat conferre ſumptus in ſe à Patre factos, cùm verſaretur in ſtudijs, vel in alia re addiſcenda ?*

6. *Obligatio alendi liberos primariò afficit Patrem, Matrem verò ſolùm ſecundariò, excepto lacte.*

7. *An Mater liberos ſuos ipſa lactare teneatur ?*

8. *Deciditur hac de re quæſitum hujus caſûs.*

1. Videmus

1. VIdemus hunc casum in dies singulos evenire, verus proinde potiùs dicendus est, quàm fictus, fœminis delicato hoc sæculo passim ita constitutis, ut, postquam prolem feliciter enixæ sunt, vix recordentur ampliùs, se matres esse, videríque possint, amore multò teneriore ferri in catellum, quem toto die sinu fovent, quàm in propriam sobolem, quam paulò antè genuére, sed modò vix agnoscunt, esse suam. Quid de his sentiendum sit, postea dicemus; priùs, quæ aliæ Parentibus incumbant obligationes erga liberos, paucis dabimus.

Est obligatio, quam erga suos liberos Parentes habent, duplicis generis, ut scilicet eorum curam gerant tum quoad ea, quæ ad corpus pertinent, tum, & hoc quidem primò, ac principaliter, in ijs, quæ concernunt animam, & prolium spirituale bonum. Vi hujus obligantur ad bonam earundem educationem, ut vel ipsimet per se, vel per alias personas honestas curent liberos suos institui bonis moribus, ut, dum adhuc sunt teneri, maturè doceantur orationem Dominicam cum salutatione Angelica, Symbolumque Apostolorum, ac alia fidei rudimenta, quemadmodum indicatur in *c. Vos ante omnia, De Consecrat. dist.* 4. discant quoque præcepta tum Dei, tum Ecclesiæ, ut ea non solùm memoriâ teneant, sed etiam observent; quem in finem invigilandum est quàm maximè Parentibus, ut liberis paulatim adolescentibus omnem peccandi occasionem præscindant, & delinquentes corrigant, nec dissolutis quidquam remittant per indulgentiam: à nimia tamen severitate abstinendum est, ne in atrocia verbera erumpant, nam quamvis licitum sit, etiam verberibus liberos castigare juxta illud Prov. 14. *qui parcit virgæ, odit filium suum*, moderata tamen debet esse hæc verberatio, ne terminos punitionis paternæ excedat, qui enim filios cædunt atrociter, atque immaniter, qui mutilant, vulnerant, pedibus conculcant, ac generatim qui ita eos verberant, ut gravis læsio illis per hoc inferatur, aut irreparabile damnum oriatur, ut v. g. fiant inde surdastri, hebetes, stupidi &c. qui, inquam, sic castigant, hi sane non Parentes, sed carnifices sunt, & à peccato mortali excusari non possunt. Reginald. *L. 20. n.* 42. Gobat in Quinario *tr. 5. c. 29. n.* 42. *& seq.* Bonac. *in 4. præcept. Decal. disp.* 5. *q. ult. pu. 5. prop. unic. n. 5.* Cavendum quoque sedulò est, ne, dum eos verbis objurgant, convitijs, aut execrationibus utantur; hæc enim, ut alia mala taceam, vix aliquando filios emendant, sed magis ad indignationem provocant, quocirca monet Apostolus

lus Ephes. 6. *Vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

2. Operam quoque dare Parentes debent, ne mali sint ij, quorum consortio, ac societate liberi utuntur, nam ita facilè fieret, ut ipsi quoque eadem vitia contraherent, ac sociorum pravis moribus assuescerent, quod ferè inevitabile esse, Divina Pagina testatur Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Nec minùs attendendum est, ne otio torpescant, nam otiositas pestis virtutum est, & vitiorum Mater. Neutiquam verò patiantur, ut illicitos amores sectentur, aut filiæ blanda procorum alloquia, furtiva oscula, vel tactus impudicos admittant, aut solæ absque arbitris cum juvenibus conversentur. Illud verò turpissimum est, si ipsimet Parentes, qui liberis deberent esse sanctitatis, æquitatis, continentiæ, & aliarum virtutum Magistri, eos perverso exemplo, pravis consilijs, ac hortationibus inducant ad peccata, sintque ipsis petra scandali; si filios, filiasque à statu Religioso, quem ingressi sunt, vi, aut dolo retrahant, vel sine justa causa impediant; si invitos Matrimonijs jungant, aut Monasterium intrare compellant, quæ agendo extra omne dubium est, eos peccare mortaliter. Navarr. *Manual. c. 14. n. 17.* Filliuc. *tr. 28. p. 2. c. 2. n. 22.* imò dum filias cogunt Religiosam vitam suscipere, vel ab eo vitæ genere prohibent, incidunt ipso facto in excommunicationem latam à Tridentino Concilio *Sess. 25. De Regular. c. 18.* ut rectè advertunt Navarr. *l. c.* Barbosa *De Offic. & potest. Episc. Alleg. 104. n 6.* Azor *p. 1 L. 13. c. 9. q. 2.* Ludov. Miranda *in Manuali Prælator. tom. 1 q. 17. art. 4. conclus. 2.* Eandem censuram ex Decreto ejusdem Synodi *Sess. 24. c. 9. de reform. Matrim.* incurrere Parentes, qui filium, aut filiam injustè cogunt ad Matrimonium, docet Martha cum alijs quibusdam *p. 4 De Iurisdict. centur. 1. cas. 71. n. 23* sed meliùs postremum istud negat Coninck. *disp. 28. dub. 5. n. 48.* cum Henriq. cùm ibi Concilium non egerit de quibuscunque personis, etiam privatis, quales sunt Parentes, sed solùm de Dominis temporalibus, & Magistratibus, qui habent jurisdictionem in foro externo, & cogunt sibi subditos ad Matrimonium, atque ita declarâsse dicitur Gregorius XIII.

3. Tenentur insuper Parentes filijs suis præbere alimenta, ut constat ex *L. 1. 3. & 4. C. De Alend. liberis.* & *L. Nec filium. C. De Patria potest.* estque hæc obligatio naturalis, ut docent passim omnes, oriturque ex ipsa naturæ propensione, quæ communis est homini cum belluis; siquidem feræ, quantumcunque aliàs sævæ, ac immanes, nutriunt proles suas; quapropter Parentes mortaliter delinquunt, qui filijs notabiliter desunt in necessarijs alimentis absque causa

causa rationabili, ut habet Navarr. *in Manuali c. 14. n. 17.* Reginald. & alij, hocque ipsis incumbit, quamdiu filij infantes, ac teneri sunt, donec adolverint; imò etiamsi adulti fuerint, sed inepti, ac penitus inhabiles ad procurandam suam sustentationem, quia sunt vel mente capti, vel membris ita debilitati, vel alia quadam corporis incommodâ valetudine impediti, nam tunc perinde se habent, ac si adhuc infantes essent. Si tamen adulti sint, & sustentare se ipsos possint, exercendo v. g. artem, quam didicerunt, si exercere illam probrosum ijs non sit; vel si aliunde habeant Patrimonium, aliavé bona, ex quibus sustentari valeant, cessat hæc obligatio respectu Parentum. Neque in hoc facienda est aliqua differentia inter legitimos filios, & illegitimos, atque etiam spurios, id est, eos, qui nati sunt ex concubitu humanis legibus damnato, cujusmodi sunt geniti ex adulterio, incestu, sacrilegio, nam istis quoque præstanda sunt necessaria alimenta, quidquid in contrarium statuerit aliquando Jus Civile in *Authent. Ex complexu, C. De incestis nupt. Authent. Licet Patri C. De Natural. liberis ad fin. & Authent. Quibus modis Naturales efficiantur sui. Collat. 7. c. 15.* ubi hujusmodi filijs alimenta detrahuntur. Hunc verò rigorem Juris Civilis Jus Pontificium mitigavit, voluitque, ut alimenta filijs etiam spurijs præberentur, cùm istud exigat æquitas naturalis, ita patet exc. Cùm haberet. De eo, qui duxit in Matrim. ubi sermo est de filijs spurijs, & in fine hæc habentur: *Solicitudinis tuæ intererit, ut uterque liberis suis, secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret*, &c. Per Venerabilem. Qui filij sint legitimi, in fine. Covarr. *De Matrim. p. 2. c. 8. §. 6. n. 1. & 9.* Barbosa *in Votis decisiv. L. 3. Voto 128. n. 2.* Gonzalez *in cit. c. Per Venerabilem. n. 17.* Azor *tom. 2. L. 2. c. 4. q. 7* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 4.* Bonac. *in quart. Præcept. Decal. disp. 5. Quæst. unic. pu. 5. §. 1. n. 2. V. Addo quarto &c.*

4. Cæterùm nomine alimentorum hîc iterum intelliguntur non solùm, quæ spectant ad cibum, & potum, sed etiam quæ ad vestitum, lectum, habitationem, medicinas, quando adversa valetudo ingruit, quæque ad disciplinam, & artes honestas addiscendas pertinent juxtà conditionem, ac qualitatem personarum, ut possint adultæ se ipsas sustentare. *L. Si quis à liberis. §. Non tantùm. ff. De Agnosc. & alend. liberis.* Hinc ait Azor *l. c. n. 17* juxta omnium opinionem Patrem jure compelli ad sumptus, & expensas faciendas, ut filius literis operam det, intelligendo per literas ea, quibus cæteri more patrio paris conditionis filij erudiri, & informari solent, ut exponunt Filliuc. *tr. 28. p. 2. c. 2. n. 24* Bonac. *l. c. n. 2.* & Gobat *in Quinario tr. 5. Sect. 2. c. 28. n. 16. & seqq.*

Quare

Quare Parentes, quorum liberi non possunt conformiter suo statui aliter se alere, quàm literis, ut sunt filij Nobilium, Doctorum &c. obligantur, ut curent illos instrui in literis, non verò obligatur agricola, vel opifex filium suum mittere ad scholas; neque obest, quòd Pater obligetur, dare filio potestatem eligendi quemlibet vitæ statum, ut pulchrè docet S. Th. 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. *in Corp.* & consequenter ei suppeditare media ad quemlibet statum; hoc enim intelligi debet de statibus universalibus, videlicet Religioso, & sæculari, non autem de quovis particulari; quare satisfacit suo officio pater, si in filium faciat eos sumptus, quibus pertingere queat ad statum aliquem suæ conditioni convenientem, militarem videlicet, politicum, mechanicum, sacrum, profanum &c. docetque hoc communis usus, jus determinandi filium ad certum studium esse penes patrem, qui utique magnam debet habere rationem inclinationis animadversæ in filio. Huc spectat obligatio dotandi filias, est enim dos loco alimentorum, & hæc obligatio locum habet etiam respectu spuriarum. Denique debent Parentes adhibere saltem mediocrem diligentiam in comparandis bonis temporalibus pro suis liberis, eosdemque instituere suos hæredes, ut præcipitur in Novella 115. Justiniani Imp. in *Authent. Vt. cùm de Appellatione. §. Aliud quoque capitulum*, nisi justa causa adsit eosdem exhæredandi, quales in dicta Novella multæ referuntur: at sine justa causa eos exhæredantes non excusantur à peccato mortali, utpote notabilem ipsis injuriam inferentes. Reginald. *l. 6. n. 36. ad finem.* Hanc ipsam Parentum obligationem indicavit quoque Paulus Apostolus 2. ad Corinth. 12. *Non debent filij Parentibus thesaurizare, sed Parentes filijs*, per quod verbum *thesaurizare* tamen non intelligitur, quòd debeant ditare suos liberos, & elevare supra suum statum, sed solùm, quòd debeant eis relinquere hæreditatem sufficientem juxta conditionem sui statûs, vel saltem eos ita promovere, ut possint sibi de rebus juxta statum suum sibi necessarijs sufficienter providere, sive laborando, sive arma tractando, sive etiam munus aliquod literarium exercendo, juxta ea, quæ paulò antè diximus.

5. Hic verò oritur dubium, quod non infrequenter occurrit, an filius in divisione paternæ hæreditatis, quæ inter fratres instituitur post mortem patris, teneatur in partitionem adducere, & in legitimam suam computare expensas in se factas tempore studiorum, ut addisceret altiores scientias, veluti Philosophiam, Theologiam, Juris prudentiam, Medicinam; vel ut promoveretur ad gradum aliquem Academicum Doctoratûs, aut Licentiatûs, vel ut provincias exteras visi-

taret, peregrinas linguas addisceret, aut exercitia equestria &c. negari enim potest, quòd hæc contineantur sub nomine alimentorum, ad quæ filijs suis præstanda pater obligatur, cùm alimenta, ut communiter accipiuntur, plurimùm excedant, unde videntur hi sumptus esse conferendi saltem quoad hunc excessum.

Circa hoc dubium negat communior Sententia, impensas studiorum subjacere collationi; à plerisque tamen hoc ita limitatur, nisi habeat filius apud Patrem bona propria castrensia, aut quasi castrensia, vel à Matre, aut aliunde adventitia, nam tunc censetur eum sustentare de bonis ipsius, eò quòd Pater non teneatur de suis præstare alimenta filio, quando filius habet bona proprtia. Alij adhuc aliter restringunt, ajunt-que, has impensas non esse conferendas, nisi Pater, vel Mater filium pro debitore agnovisset, aut jussisset, ut in legitimam ejusmodi sumptus sibi imputari pateretur, quo casu tantum imputatur in legitimam, quantum filius ampliùs expendit, quàm si domi fuisset videlicet excessus alimentorum aliàs debitorum, ita Vasq. *Opusc. de Testament. c. 7. dub. 7. n. 149.*

Mihi cum Haunoldo *tom. 2. de Iure, & Iust. tr. 6. c. 8. controv. 10. n. 568.* videtur, hac in re potissimùm attendendum esse ad consuetudinem cujusque loci, vel provinciæ propriam; quòd si verò specialis consuetudo, vel statutum nullum adsit, tunc sanè locum habebunt prædictæ opiniones, quòd non teneatur filius ejusmodi expensas pro se factas à Patre, cùm in studijs versaretur, computare in divisionem cum reliquis fratribus, si bona propria ipse non habuit, imò etiam quando habuit, Pater tamen protestatus non est, se has expensas facere ex bonis ipsius filij, vel suo tempore hos sumptus esse refundendos, & computandos in legitimam. Probatur, & desumitur apertè hæc conclusio ex L. 50. ff. Familiæ Erciscundæ, ubi dicitur: *quæ Pater filio emancipato studiorum causâ peregrè agenti subministravit, si non credendi animo misisse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.* idemque patet etiam ex *L. 5. C. Ad S. C. Macedonian.* ubi studiorum expensæ pietati paternæ adscribuntur: atqui quæ præstita censentur ex pietate paterna, illa non repetuntur, si non fiant ex necessitate, prout ex necessitate dos danda est, censentur enim ex affectu donandi, & liberalitate quadam data esse, & ideo non repetuntur. Idem denique clarè habetur L. 11. C. De Negotijs gestis, ibi: *Siquid autem in rebus eorum* (filiorum) *utiliter, & probabili more impendisti, si non & hoc ma-*

gerna

terna liberalitate, sed recipiendi animo fecisse te ostenderis, id negotiorum gestorum actione consequi poteris: ex quibus omnibus textibus non obscurè patet, censeri hæc liberaliter fuisse filio donata, si Pater contrarium non expressit, nam etsi, quando filius bona propria habet, Pater non teneatur filio tunc aliquid præstare de suo, possitque jure repetere impensas, quas fecit pro filio in studio literarum, tamen non prohibetur, rebus etiam sic stantibus, filium ipse sustentare in studijs, eique hos sumptus liberaliter remittere: atque sic condonare, vel condonasse præsumendus est, etiamsi filius bona propria habeat, vel adventitia, quorum administratio sit penes Patrem, quotiescunque Pater non declarat, vel declaravit, an sumptus subministret ex bonis filij proprijs, an verò ex suis, quia administrator debet bona ita administrare, ut, quantùm potest, caveat, ne reddantur obnoxia litibus: cùm ergo possit certum reddere debitum, & obligationem conferendi, si expressè moneat filium, se ex illius bonis administrare, & hoc non facit, sibi imputare debet, si præsumatur de suis dedisse ista omnia; contrarium enim non præsumitur, sed probandum est, ut manifestum est ex cit. L. 50. Fam. Erciscund. per illa verba: *Si non credendi animo Pater misisse fuerit comprobatus* NB. quæ verba penitus in rem nostram exponit Glossa tum in principio, tum *V. Comprobatus*, & adhuc clariùs L. 11. C. De Negot. gestis. *Si non & hoc Materna liberalitate, sed recipiendi animo fecisse te ostenderis* NB. atque ita, teste Molina *tom. 1. de Iust. disp.* 239. Jura Castellæ, & Lusitaniæ protestationem requirunt, quòd nolint Parentes hæc præstare gratis, sed ex bonis ipsiusmet filij, vel ut hos sumptus is aliquando compenset in sua legitima portione, & sine hac declaratione censent dicta Jura, hæc omnia fuisse facta ex liberalitate, & affectu Paterno, idque ipsum clarissimis verbis statuitur in Jure quoque Bavarico *Tit. 36. art.* 10. & in hunc denique sensum conveniunt allegati AA. Molina, Bonacina, Haunoldus *ll. cc.* quibus adjungo Reginaldum *L.* 20. *c.* 3. *n.* 43. Azor *tom.* 2. *L.* 2. *c.* 4. *q.* 17. *&* 18. & Fagundez *in quartum præcept. Decal. L.* 4. 20. *n.* 13. *& seqq.* qui omnes hac ratione docent, expensas has non esse computandas in legitimam: idemque dicendum est de expensis, quæ factæ sunt, ut filius visitaret provincias, addisceret peregrinas linguas, artem saltandi, tractandi arma, vel alia exercitia equestria &c. nam ista omnia cùm cedant ad liberorum utilitatem promovendam, ultra id, quod ex necessitate debetur, nisi præcesserit parentum protestatio, censentur facta ex speciali pietatis affectu, & absque

que animo gravandi filium, vel obligandi ad collationem, proinde repeti vel à parentibus, vel ab hæredibus non posse, cùm præsumantur liberaliter condonata, nisi contrarium ostendatur. Hæc ex occasione eorum, quæ à Parentibus debentur filijs quoad alimenta.

6. Circa parentum erga liberos suos obligationem quæstio institui potest, an ea æqualiter stringat utrumque parentem sine discrimine inter Patrem, & Matrem? ad quam respondeo, multò diversam esse hanc obligationem respectu utriusque, nam cura primaria alendi liberos est penes patrem, siquidem ad hoc, sicut ad cætera onera Matrimonij sustinenda dotem ab uxore accepit, aut quasi pro accepta habuit, ut in præcedentibus dictum est; tenetur tamen Mater secundariò, & in defectu Patris alimenta præstare liberis, si Pater alere eos ob inopiam non possit, Mater verò dives sit, quia hoc casu cessat Juris humani dispositio, quæ onus istud aliàs Patri imponit, & stantibus his circumstantijs in Matrem transfertur. *L. Si quis à liberis. §. ergo & Matrem ff De Agnoscend. & alend. liberis c. Cùm haberet De eo, qui duxit &c. in fine.* Tenetur Mater ob eandem causam etiam dotare filias Filiuc. *tr. 27 p. 2. c. 2. n. 28.* extra hunc casum verò si Mater expensas fecerit in sustentationem liberorum, quæ fieri à Patre debuere, easdem jure poterit ab eo postea repetere, qui non solùm in foro interiori, id est, conscientiæ, sed etiam in exteriore ad eas persolvendas Officio judicis compelletur, nisi eas expensas ex materna pietate, animo, & voluntate liberaliter donandi, & non repetendi fecisset, ut colligitur ex *L. Alimenta. C. De Negotijs gestis*, & *L. suprà cit. Si quis à liberis. §. Mater.* Azor *tom. 2. L. 2. c. 5. q. 8.* Laym. *L. 5 tr. 10. p. 3. c. 5. n. 6.* ad solum quippe Patrem pertinet, ut liberos sustentet, totumque, quod incumbit Matri, hoc unicum est, ut primo ætatis triennio filijs ipsa lac præbeat. *L. Nec filium. C. De Patria potest. c. Ex litteris. De Converf. infidel.* ubi decernitur filium à Patre alendum post triennium: quòd si Mater lactare liberos commodè non possit, onus providendi incumbit Patri, ut ipse suis impensis nutricem conducat. Bonac. *disp. 6. in quartum præcept. Decal. pu. 5. §. 1. n. 3.* Covarruv. *p. 2. de Matr. c. 8. §. 6 n. 19.* Azor *l. c. q. 8.* Gobat *in Quinario tr. 5. c. 28. n. 19.* Si verò ipsamet lactare possit, & non faciat sine justa, ac rationabili causa, tenetur ipsa sumptus facere in nutricem, alioquin ferret ex suo delicto commodum contra regulas utriusque Juris receptas, ita rursum Gobat *l. c. n. 20.*

7. Nunc verò, postquam sufficienter

cienter ea pertractavimus, quæ ad primam quæstionem præsentis casûs pertinent, alterum quoque illius quæsitum nobis examinandum est, an Mater liberos suos lactare ipsa teneatur lacte proprio? Dubitandi ansam hîc præbent Verba Divi Gregorij ad Augustinum Cantuariensem Episcopum in Anglia, quæ suo Decreto inseruit Gratianus c. Ad ejus. Dist. 5. *Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosq; alijs mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur fuisse inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt.* S. Chrysostomus hoc ipsum adscribit intolerandæ superbiæ Homil. 1. in Psalm. 50. ubi ait: *Considera pauperem incentiva pietatis habere fulcimina; in divitibus multam superbiam. Apud pauperes uxor & ancilla, & ministra est; & procreat filios, & ipsa mater, & nutrix est. Apud divites autem non est ita, sed cùm genuerit filium, statim eum tradit foris, & pietatis insignia abscindit superbia: erubescit fieri nutrix quæ facta est Mater.* Accedit, ut eleganter advertit Phavorinus Philosophus apud Gellium L. 12. *Noct. Attic. c.* 1. & cum eo Plutarchus in Libro, quem inscripsit. *De educandis liberis*, quòd videantur agere contra ipsam naturam ejusmodi mulieres, quæ nolunt liberorum suorum integræ matres esse, sed plùs, quàm dimidiatum Matris nomen transferunt in alienam fæminam, quam proli suæ nutricem constituunt; abijciunt impiè sobolem, quam modò perpererunt, quamque in utero sanguine suo aluerunt, cùm eam non viderent, recusant alere suo lacte, quam vident jam viventem, jam hominem, jam matris Officium implorantem; acsi ob alium finem geminum uber natura fæminis addidisset, quàm ut haberent duplicem fontem, unde liberos suos alerent! Leones, tigridés, & viperæ educant partus suos, quis ergo non dicat, humanam naturam exuisse fæminas, quæ feris immitiores ex educationis tædio proles suas destituunt, & alteri tradunt nutriendas, quæ non materna charitate, ac diligentiâ lac propinabunt, sed adscititiâ quadam benevolentiâ, quam venalem habent, nam pluris non rarò istis nutricibus pauxillum pecuniæ est, quæ in mercedem promittitur, quàm infans, cui nutriendo mammam porrigunt. Quid verò, si fortè nec corpore sano, nec integris moribus sunt? Certè videmus non infrequenter, Matres optimè valentes filios habere morbidos, & pudicarum mulierum liberos Parentibus multùm esse dissimiles, quia earum lacte pasti non sunt, sed alieno nutrimento à fæmina vel in animo, vel in corpore vitiata, meliores futuri,

turi, si à succo cognato, & familiari in lucem editos Mater fovere perrexisset; ex quibus omnibus consequi videtur à gravi peccato vix excusandas esse Matres, quæ liberos suos ipsæ non lactant.

8. Sed dicendum, Matres, quæ sine justa, ac legitimâ causâ filios suos alieno, & non proprio lacte nutriunt, non esse facilè damnandas peccati mortalis, cùm pietas, vel charitas liberis debita non graviter violetur, nec grave per hoc illis damnum inferatur, si modò de bona nutrice ijs provideatur, quæ lacte abundet, & morbo, pravisve moribus infecta non sit; venialì tamen culpâ ejusmodi mulieres non vacant, & quidem, ut docet Azor l. c. c. 4. q. 3. ad finem, non levi, & parvâ, quòd, cùm id sine incommodo possent, liberis suis amorem debitum non exhibeant, sed nimis facilè eosdem negligant; qui Galeno testante *L. 1. De sanitate tuenda* meliùs nutriuntur lacte matris, quàm alteriùs fæminæ, cùm illud ijs maximè proprium alimentum sit, nam existentibus in utero sanguis nutrimentum fuit; ex sanguine verò lac gignitur, modicâ in mamillis facta mutatione: ita à peccato quidem mortali excusant, non tamen à veniali cum Azor Navarrus *in Manuali c. 14. n. 17.* Covarruv. *l. c. n. 20.* Fagundez *l. 4. in. quart. Præcept. Decal. c. 1. n. 12.* Tamb. *l. 5. in Decal. c. 3. §. 2. n. 1.* Laym. Bonac. Gobat, Reginald. &c. peccant tamen juxta eosdem AA. mortaliter parentes, si in nutrice eligenda curam convenientem non impendant, & bonam non constituant, sed talem, à qua periculum immineat infanti, ne vel gravi morbo à nutrice inficiatur, vel unà cum lacte ab ea malos mores hauriat.

Carebit autem Mater omni culpa, etiam veniali, si liberos ipsa non lactet ex justa, ac legitima causa, sed à bona nutrice alieno lacte nutriendos curet, cujusmodi causæ justæ ab Azor, alijsque supra citatis censentur esse, si careat ipsa lacte, vel naturâ admodùm imbecillis sit, ita ut vix sine dispendio, ac periculo proprio lac filio præbere queat; si viro mortuo, vel facto divortio, ingressa esset monasterium, ut vitæ studeat Religiosæ; si sine dedecore, aut infamiâ prolem lactare nequeat: excusatur etiam mater ratione magnæ nobilitatis, si eapropter illam non deceat, ut hoc officium ipsa subeat, ut evenit in ijs locis, ubi more, & usu receptum est, ut fæminæ illustri genere natæ filios proprio lacte non nutriant. Imò sufficere putat Azor solam consuetudinem diuturnam, & non recèns introductam, qualis cùm passim recepta non sit, ut liberos per nutricem alant fæminæ ejus conditionis, qualis in casu præsente est Lesbia, non video, quî eam à veniali

veniali peccato excusare possit, quam illa jactat, nobilitas adhuc in cunis vagiens, cùm ob quamcunque magnam nobilitatem excusare nolit fæminas à lactandis proprijs filijs Covarruvias *l. c.* cùm id neque Reginis dedecori sit, quarum exempla plurima adducit Tiraquellus c 20. De Nobilitate, ubi de hac materia elegantissimè scribit.

QUÆSTIO QUARTA.

Quæ, & quanta sit obligatio coniugum ad debitum coniugale sibi mutuò reddendum?

CASUS PRIMUS

Vxoris debitum negantis ob multiplicitatem prolium, & neglecta alimenta à viro ebrioso.

Erlinda quinque prolium mater maritum habet Ragenulphum opificem, artis quidem suæ optimè peritum, sed helluonem, qui totum, quod lucratur, lusu & compotationibus absumit, diebus integris quandoque in popina hærens, famentibus

famentibus interim domi uxore, ac liberis, & rerum omnium indigis. Calens à vino, & sæpè penitus temulentus è taberna redux, clamoribus plateas, ædes terrore implet, multisque obtestationibus uxori opus est, donec is persuaderi se sinat, ut cubitum concedat; debitum verò conjugale plerumque exigit, ex ipso potu in Venerem ardentior. Obsecuta ipsi hucusque uxor est, ut jurgia vitaret, at nunc pertæsa, firmiter constituit, imposterum repulsam dare, nisi alium hominem Maritus induat, reique domesticæ, & suo opificio meliùs attendat, nec enim, ait, se obligari ad debitum reddendum viro ebrio, qui nec maritus nominari mereatur, cùm neque sibi, nec prolibus debita alimenta præstet; imò nec posse se, nec teneri etiam ex eo capite viro deinceps debitum petenti obsequi, ne sobolos ita multiplicetur, ut ei sustentandæ non sit.

Q. An licitè possit hæc uxor Marito redditionem conjugalis debiti negare ob dictas rationes?

SYNOPSIS.

1. *Actus conjugalis ex se est licitus, imò & meritorius.*

2. *Ad ejus redditionem conjuges invicem obligantur sub peccato gravi.*

3. *Etiam quando non expressè, sed tacitè tantùm, & interpretativè petitur.*

4. *Ad hunc finem tenentur etiam conservare vires ad debitum reddendum necessarias.*

5. Non

5. *Non tamen est tam stricta hæc obligatio, ut non aliquando possint excusari conjuges à debiti redditione.*

6. *An possit maritus debitum petere à conjuge, dum ea fluxu menstruo laborat, diversæ sunt Sententiæ.*

7. *Probabiliùs peccatum mortale per hoc non committitur, & justâ causâ accedente, neque veniale.*

8. *Idem est dubium, an liceat petere debitum ab uxore gravida?*

9. *Probabiliùs vacat etiam culpâ veniali, secluso periculo abortûs.*

Quid sentiendum de marito, qui petit debitum ab uxore puerpera, antequam purificetur?

10. *An teneatur maritus petitione debiti abstinere tempore, quo uxor prolem lactat?*

11. *An possit petere debitum ab uxore amente, & vicissim an uxor sana possit negare debitum marito amenti?*

12. *An idipsum negare possit ebrio?*

13. *An aliàs irrationabiliter petenti, & quinam censeantur petere irrationabiliter?*

14. *An adsit obligatio reddendi debitum, quando inde periculum imminet contrahendi morbum contagi sum, vel aliud grave malum?*

15. *An prolium multiplicatio, & difficultas in ijs alendis excuset uxorem à reddendo debito?*

16. *Non peccat, si timens prolium multitudinem in actu conjugali optat, ut generatio non sequatur; gravissimè autem delinquunt, qui eapropter interrumpunt copulam cum seminis effusione.*

17. *Datur responsio ad quæsita istius casûs.*

1. Quidquid olim antiqui quidam hæretici dixerint apud Bellarm. *Lib. unic. De Matr. c. 1. usque ad 5.* qui nuptias reprobarunt, & actum conjugalem illicitum esse asseruerunt, quos dictus Cardinalis confutat, Catholica veritas est, actum conjugalem ex se esse licitum, & absque omni culpa exerceri posse, quia aliàs Matrimonium quoque illicitum esset, utpote ex natura sua ordinatum ad rem illicitam, quod est hæreticum, cùm sit à Deo institutũ ad generis humani propagationem; idemque firmatur ex eo, quòd Deus ipse Genes. 1. nuptijs primorum Parentum benedixerit, & commendaverit usum conjugalem illis verbis: *crescite, & multiplicamini, ac replete terram*: hæreticum verò est, dicere, actum de se malum à Deo approbari, & commendari: ergo actus conjugij ex se malus non est, sed licitus, ac honestus, idque de fide est. Addo testimonium Divi Pauli 1. Corinth. 7. *Si nupserit virgo, non peccavit*, & 1. Timoth. 5. *Volo, juniores nubere, filios procreare, Matres familias esse*: sed procreatio filiorum fieri non potest sine carnali conjunctione: ergo actus Matrimonialis non est peccatum, aliàs Apostolus hoc non suasisset. Imò plus dico, esse eundem etiam meritorium, cùm sit actus virtutis Iustitiæ, nam redditur conjugi debitum ex pacto Matrimonij contractum: non minùs igitur actus iste meritorius est, quando in gratia, & cum debitis circumstantijs exercetur, quàm in alijs bonis actibus justi contingit, ita S. Th. 2. 2. *q.* 153. *a.* 1. *&* *q.* 41. *a.* 3. *&* 4. *in supplem.* Sanch. *l.* 9. *de Matr. disp.* 1. *n.* 2. *&* 3. Basil. Pontius *l.* 10. *de Matr. c.* 1. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 6. *dub.* 1. *n.* 1. *&* 6. Perez *disp.* 8. *de Matr. Sect.* 5. *n.* 6. *& disp.* 49. *Sect.* 1. *n.* 2. *&* 4. Dicastillo &c.

2. Tenentur verò conjuges per se loquendo comparti debitum conjugale petenti illud reddere, ut manifestè iterum expressit D. Paulus 1. Cor. 7. suprà cit. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*, & paulò post: *nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus*, ubi Apostolus indicat, quòd negare actum conjugalem comparti illum exigenti sit eam in re sibi debita fraudare, cujus rationem ibidem affert: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, quasi dicat; tenentur sibi debitum conjugale reddere, quia per Matrimonialem contractum vir transtulit dominium sui corporis in uxorem in ordine ad generationem, & hæc in virum, unde quando compars actum conjugalem exigit, petit usum rei suæ, quem proinde alter tenetur præstare. Cùm autem ille usus communi prudentum judicio sit aliquid grave

grave, sequitur, obligationem reddendi debitum esse gravem, unde secundùm communem DD. sententiam conjugatus, qui sine justa causa negat debitum conjugale comparti petenti, per se loquendo peccat mortaliter. AA. citati cum Bonac. *q. 4. De ijs, quæ pertinent ad usum Matrimonij pu. 1. n. 1.* Præposito *in 3. p. S. Th. q. 6. de Matrim. n. 28.* Basilæo *V. Debitum conjugale 1. n. 2.* Palao *disp. 3. de sponsal. pu. 4. §. 1. n. 1.* Gobat &c. idque probabiliùs juxta Palao l. c. n. 25. & Dicastillo, etiamsi unica tantùm vice neget seriò, & instanter petenti, quia talis negatio graviter adversatur juri alterius, & est sufficiens occasio excitandi rixas, gravesque discordias inter conjuges, potestque timeri periculum incontinentiæ, si recusetur debitum eo tempore sine legitima causa, quo conjux ad coitum excitatus est; qua in parte fæminæ sæpius peccare possunt mortaliter, cùm faciliùs maritis soleant debitum negare vel ex ira, aut indignatione, vel ex contemptu mariti, vel quia cupiunt devotioni vacare, vel quia propter ætatem jam provectam censent indecorum actui conjugali operam dare, unde vel negant absolutè, vel non nisi post rixas, aut magna cum difficultate obsequuntur, & acquiescunt.

3. Porrò hæc obligatio intelligenda est adesse non solùm, quando formaliter, & expressè debitum exigitur, sed etiam quando tacitè duntaxat, ac interpretativè, ita ut ex circumstantijs deprehendi queat, compartem debitum petere. Ratio est, quia in rebus alioquin ex justitia debitis eadem vis est petitioni tacitæ, ac interpretativæ, quæ est expressæ, dummodo de illa constet; atque hîc multò frequentiùs peccant Mariti, quàm uxores, si istis negent commercium maritale, dum eas vel ex insolita quadam tristitia, aut insueta taciturnitate, vel econtra ex blandiore quapiam insinuatione, qualem non ordinariè in ijs experiuntur, alijsvè signis advertunt earum animum, quòd velint petere mariti congressum, erubescunt enim communiter ex innata sexui verecundia expressè debitum petere, atque ideo, quando advertunt illarum desiderium, reddere tenentur, etsi explicitè illud non petierint. Econtra verò uxor communiter non obligatur, ut viro debitum reddat, priusquàm hoc expressè postulet, sed ejus explicitam petitionem expectare potest, quia, tametsi pares sint in redditione debiti, tamen cùm viri ordinariè minùs erubescant debitum petere expressis verbis, meritò, ac jure potest uxor præsumere, sibique persuadere, virum expressè non petentem nequaquam velle debitum, & signa illa, quæ in mulieribus naturâ verecundis tacitam, & interpretativam voluntatem indicant, in viris hanc non indicare. Quòd si tamen idem pudor debitum explicitè exigendi in viro

viro quoque daretur, aut timor, vel ob naturalem verecundiam, vel ob reverentiam erga uxorem, quia magnæ authoritatis est, vel si denique ob ejus morum asperitatem non auderet verbis petere, sed signis duntaxat desiderium suum insinuare, eadem prorsus tunc ratio esset, nam teneretur fæmina tunc viro tacitè petenti debitum reddere, cùm conjuges in obligatione actûs conjugalis pares sint. Perez *disp.* 40. *de Matr. Sect.* 2. *n.* 4. Palao *l. c. n.* 3 Sanch. *l.* 9 *disp.* 2. *n.* 4. *& seq.* Tannerus *disp. cit. dub.* 2. *n.* 18. *& seq.*

4. Ex dicta obligatione reddendi debitum conjugale alia rursum obligatio oritur in conjugibus, ut vires suas conservare studeant, quibus indigent ad moderatum usum conjugij, nam lex justitiæ, quæ obligat ad reddendum, obligat etiam ad media necessaria, ut reddi debitum possit; ex quo fit, peccare mortaliter in primis eum, qui medijs illicitis se reddit impotentem ad vacandum actibus conjugalibus; sic v. g. qui frequentibus pollutionibus voluntarijs, aut copulâ cum alienis, vel ut Tannerus addit *n* 27. etiam ebrietate se reddit notabiliter impotentem ad usum conjugalem, peccat, si hoc advertat, non solùm contra temperantiam, sive sobrietatem nimijs ebrietatibus, aut contra castitatem, fidemque conjugalem pollutionibus, vel adulterijs, sed novo speciali peccato se obstringit etiam contra Iustitiam, & debitum conjugale, cui reddendo aptum se conservare debet ex Iustitia, quæ circumstantia proinde specialiter exponi debet in confessione. Sanch. *l* 9. *disp.* 3. *n.* 3 Laym. *l.* 5 *tr.* 10. *p* 3 *c.* 1. *n.* 2. Basil Pontius *l.* 10 *de Matr. c.* 2. *n.* 6 alijque suprà citati. Idem est, etiamsi media aliàs licita sint, si conjux advertat, per ea se reddi notabiliter impotentem: talia sunt immoderata jejunia, abstinentiæ, aut vigiliæ immoderatæ, ac indiscretæ, tenetur enim ijs abstinere, & ea continuando peccat mortaliter juxta dictos AA. sive jejunia hæc, aliavè pœnitentiæ opera sint voluntaria, & sponte suscepta, sive ex Ecclesiæ præcepto injuncta, quia fortius est vinculum, & obligatio Iustitiæ, & omni alteri obligationi præferenda. Similiter non licet uxoribus ita se abstinentijs, ac vigilijs dedere, ut inde deformes, & viris odiosæ reddantur, quia sic ipsis ansam præbent turpes amores alibi quærendi. Sanch. *n.* 3. bene interim cum eodem Authore *n.* 5. *&* 10. advertunt Laym *l. c.* Palao *n.* 7. & Coninck *disp.* 34. *dub.* 2. *n.* 18. ordinariè non teneri conjugem abstinere à moderatis jejunijs, vigilijs &c. etsi animadvertat, se aliquantulum debiliorem reddi, quia sic non efficitur impotens, sed minùs potens, neque tenetur cum spirituali jactura à spiritualibus operibus abstinere, ut se potentiorem & robustiorem conservet, sicuti non tenetur

netur desistere ob eam causam ab honestis studijs, alijsvè corporalibus exercitijs; hinc rarò adest sufficiens causa solvendi jejunij ab Ecclesia præcepti, quia quòd vires non nihil imminuantur, nullius considerationis est, nec à præceptis adimplendis excusat.

5. Quamquam verò obligatio reddendi debitum gravis sit, quandoque tamen ejus negatio vel ab omni, vel saltem à mortali peccato excusatur, veluti dum compars illud petit non ut strictè, ac rigorosè ex justitia sibi debitum, sed solùm allicendo, & movendo ex benevolentia, tanquam amicitiæ conjugalis symbolum, quo casu non est mortale negare debitum, & juxta Palao omnino nullum, quia cùm solùm debeatur ob alterius conjugis petitionem, ubi hæc non est petitio tanquam debiti ex justitia, negatio non est petenti injuriosa, cessatque injustitiæ crimen, & subinde culpa lethalis, atque ita videmus non rarò in alijs humanis debitis evenire, creditor enim pecuniam sibi debitam non semper ea tenacitate, & rigore petit, ut sit peccatum non reddere. Sed hæc intelligenda sunt, nisi immineat periculum incontinentiæ in conjuge petente, nam tunc mortale esset, debitum negare ratione periculi probabilis ruinæ, cui ex fide Matrimonij tenebatur alter subvenire. Præterea non peccat conjux graviter, & juxta plures à peccato penitus excusatur, quando pars altera debitum remissè petit, & quasi non multùm curando; aut quamvis etiam seriò petierit, sinat tamen se facilè precibus flecti, ut juri suo cedat, & ab actu conjugali abstineat: hæ tamen preces non debent esse nimis importunæ, ne involuntariè, & quasi coactè cedat, semperque debet abesse periculum incontinentiæ. Sanch. *L. 9. disp. 2. n. 10. & 13.* Palao *l. c. n. 2.* Tannerus *n. 22. & seq.* Præposit. *l. c. n. 31.* Rebellus *p. 2. De Oblig. Iust. L. 2. q. 16 Sect. 1. n. 2.* Hurtadus *disp. 10. de Matr. difficult. 11. n. 50.* Perez *disp. 50. Sect. 2. n. 3.* Plura alia adduci hîc possent, quæ à debiti redditione excusare queunt; imò quæ usum conjugij etiam reddunt illicitum ob circumstantias loci, temporis, situs, seu modi, vel quia ob crimen commissum pars nocens jure petendi debitum privata est, sed hæc sequentibus tribus casibus commodiùs examinabuntur. Hîc aliqua tantùm seligimus, in quibus meritò dubitatur tum quoad maritum, an debitum is petere licitè possit, tum etiam quoad uxorem, an illa in aliquibus, & in quibus circumstantijs sine crimine debitum negare possit marito id exigenti?

6 Quod ad maritum attinet prima difficultas est, an eo tempore, quo uxor patitur fluxum menstruum, licitè

licitè queat ab ea debitum conjugale exigere? De hac re variæ sunt Sententiæ, & duplex dubitandi ratio. Prima éx parte prolis, quæ si eo tempore concipiatur, exponitur periculo, ne nascatur leprosa, vel monstruosa, aut alijs infirmitatibus infecta. Imò idipsum viro quoque cum menstruata coëunti timendum est, ne eandem & ipse, aliamvé gravem infirmitatem ex hoc congressu contrahat, quale periculum ipsi imminere, plures docent apud Paulum Zacchiam *Quæst. Medico-Legal. Lib. 7. Tit. 3. q. 3. n.* 11. Secunda dubitandi ratio est parte seminis, quod videtur in vanum effundi, cùm rarò, vel nunquam eo tempore apta sit mulier conceptioni, unde illicitam tunc esse debiti petitionem, & peccato mortali obnoxiam, nisi alia circumstantia excuset, docent Angelus *V. Debitum. n.* 32. Azor *tom. 3. L. 3. c. 31. q.* 13. cum pluribus, quos citat Sanch. *L. 9. disp.* 21. *n.* 2. Alij culpam solummodo venialem agnoscunt in debiti petitione eo tempore facta, quia tunc exigere debitum est quædam turpitudo, indecentia, ac inhonestas, cùm tunc fæminea natura vacet consuetæ purgationi, ac immunda sit mulier, minusque apta fini generationis: ergo petentes debitum peccant saltem venialiter, neque uxor tenetur reddere, nisi justa causa excuset, v. g. nisi petatur debitum ad sedandos graves motus carnis, ad vitandum dissidium inter ipsos conjuges, vel ad avertendum incontinentiæ periculum in se, vel in altero conjuge. ita Coninck *disp.* 34. *dub. 9. n.* 76. Bonac. *q.* 4. *De ijs, quæ pertinent ad usum Matrim. pu.* 6. *n.* 10. Tannerus *l. c. n.* 38. Henriq. *L.* 11. *c.* 15. *n.* 7. quibus, & pluribus alijs, quos pro hac opinione citat, accedit etiam Sanch. *l. c. n.* 7.

7. Circa hanc quæstionem certum est, & in eo omnes conveniunt, quando fluxus fæminei menstrui est præter naturam, & fæminarum consuetudinem, ac quasi ex morbo aliquo continuo accidit, licitum esse usum conjugij, tum quia nullum tunc proli damnum imminet, fæmina enim eo morbo oppressa inepta est conceptioni, tum etiam, ac præcipuè, quia si morbus ille diuturnus esset, durissimum foret, conjuges ad longam abstinentiam ab actu conjugali adstringere; si autem fluxus iste naturalis sit, ac ordinarius, prout evenire fœminis solet singulis quibusque mensibus, vel aliquando secundo, aut tertio mense, iterum videtur certum, nullo modo culpam lethalem esse, eo tempore debitum petere, quia ex jure positivo nulla ostendi potest hujus prohibitio, ex jure autem naturali non apparet gravis indecentia in eo coitu, neque enim conjuges tenentur à copula abstinere, quoties spes nulla est secuturæ generationis, aliàs senes, & steriles non possent

sent uti Matrimonio: nec est congressus hic illicitus ob damnum, quod AA. primæ Sententiæ docent, timendum esse proli gravissimum, atque ipsi etiam conjugi cum menstruata coëunti, hoc enim tanti momenti non est, ut eorum Sententiam persuadeat; nam esto, leprâ proles inficiatur, vel aliàs evadat misera (quod si fieret, merè per accidens, & præter intentionem eveniret) meliùs tamen etiamnum est proli, etiam sic nasci, quàm omnino non nasci, quod tamen experientiâ constat, rarissimè, & vix aliquando contingere, cùm sint innumeri, qui eo tempore coëunt, quin vel ipsis, vel proli simile aliquod malum eveniat, menstruumque sanguinem adeò vitiosum, ac virulentum esse, negant recentiores Medici, & quæ de ejus virulentia veteres somniarunt, velut aniles fabulas explodunt, ut videre est apud Joan. Helfricum Jûngken in *fundamentis Medicinæ modernæ*, Joannem Bohnium Prof. Lipsiens. in *circulo Anatomico*, Joan. Wolffg. Preyser Prof. Viennens. in *œconomia corporis animalis &c.* per quod corruunt fundamenta primæ Sententiæ.

An autem culpa saltem venialis sit, eo tempore debitum petere, id desumendum est ex fine petitionis, nam si maritus debitum conjugale exigat ob vitandam vel in se, vel in uxore incontinentiam, cùm teste Paulo Zacchia *l. c. q.* 4. *n.* 7. soleleant plerunque mulieres fluentibus menstruis in Venerem vehementiùs accendi, vel si hoc petat ad diffidium, aut rixam sedandam, & amorem conjugalem fovendum, etiam veniali culpâ vacat, nec peccat uxor reddendo, quia ea redditio finem honestum habet, imò probabiliùs tunc obligatur debitum reddere, si seriò maritus, & constanter petat: at si non ex prædicto fine aliquo, sed gratiâ solius voluptatis percipiendæ debitum eo tempore petat, peccabit utique venialiter, tum quia accessus ille indecentiam quandam continet, tum quia animum indicat nimiæ voluptati deditum, & sanè ipsa natura, quæ tale tempus destinavit illi purgationi, videtur ab ea copula abhorrere, cùm fæmina tunc minùs apta sit retinendo semini, unde apparet aliqua incontinentia, & nimius pruritus libidinis in petente, dum non expectat tempus magis opportunum, ita Palao *disp. cit.* §. 4. *n.* 7. *& seqq.* Perez *disp.* 49. *Sect.* 3. *n.* 12. *& seqq.* Hurtad. *disp.* 10. *difficult.* 3. *n.* 10. Dicastillo *disp.* 9. *de Matr. dub.* 3. *à n.* 22. nec aliter censeo intelligendos esse Authores secundæ Sententiæ.

8. Præcedenti admodùm affinis est altera quæstio, an licitum sit, actum conjugalem petere ab uxore prægnante, & an ipsa possit debitum petenti reddere? In hac quæstione certum est, atque ita ab omnibus docetur, illicitum, & mortale esse, petere, ac reddere debitum, quando

quando probabile periculum est abortûs prolis jam formatæ, quia talis copula bono prolis summopere adversatur, qui tamen finis potissimus est usus conjugalis, perimiturque innocens fœtus. Nec potest hoc factum excusare incontinentiæ periculum; nam huic alijs vijs, ac medijs consuli, & succurri potest absque damno fœtûs tam gravi, & absolutè vita innocentis prædicto periculo præferenda est. Advertunt verò Hurtad. *disp.* 10 *difficult.* 3. *n.* 11. & Coninck *disp.* 34. *dub.* 9. *n.* 77. rarò, vel nunquam periculum hoc imminere, experientiâ teste. Dixi *prolis jam formatæ*; nam ante formationem tempore, quo incipit materia coagulari, seu formari, quamvis periculum sit dissipationis materiæ; si uxor immediatè post conceptionem cognoscatur, non erit propterea mortaliter illici à talis copula, quia dissipatio materiæ non videtur res tanti momenti, ut ob illius periculum teneantur conjuges abstinere sub peccato mortali re aliàs sibi licitâ, & ad quam exercendam jus habent, & quidem eò minus hoc ipsis prohibendum est, cùm iterùm periti Medici doceant, nullum adesse morale periculum, ut talis dissipatio fiat, cùm hoc rarissimè, vel omnino nunquam eveniat, quia matrix post conceptionem ita claditur, ut difficillimum sit aperiri. ita Perez *disp.* 49. *Sect.* 3. *n.* 15. Palao *l. c. n.* 11. Coninck, Dicastillo &c. Difficultas tamen adhuc est, an cessante abortûs periculo tempore prægnationis debitum conjugale ab uxore petere, sit saltem culpa venialis? Affirmant multi apud Sanch. *disp.* 22. *n* 4. quibus accedit Basilius Pontius *L.* 10. *c.* 14. *n.* 7. nisi hoc fiat ob vitandum periculum incontinentiæ, quia talis copula videtur esse contra naturam, & finem Matrimonij, ac generationis, ad quam copula ordinatur, nam mulier, dum gravida est, nequit concipere: ergo in tali concubitu est saltem inordinatio venialis.

9. Verùm mihi probabilius est; secluso abortûs periculo, nullam penitus admiti culpam in usu Matrimonij, ita Sanch. *l. c. n.* 6. Perez *n.* 17. Dicastillo *disp.* 9. *de Matr. dub.* 3. *n.* 30. Henriq *l.* 11. *c.* 15. *n.* 7. Bonac. *q.* 4. *De ijs, quæ pertinent ad usum Matr. pu.* 6. *n.* 11. Tamb *l.* 7. *in Decal. c.* 3. §. 5. *n.* 35. Hurtad. *l. c. n.* 13. Coninck Præpos &c. Ratio est, quia ex nullo capite ostendi potest, esse hoc aliquo modo illicitum; cùm non constet de ulla prohibitione; quod autem effusio seminis tunc fine generationis frustretur, propterea dici non potest; eam esse contra naturam; quia concubitus fit ordinario, ac debito modo; per accidens verò est, quòd generatio non sequatur, quia uxor jam est gravida: quamvis ergo hic finis cesset, non tamen cessant alij fines honesti, ob quos conceditur usus Matrimonij, licitusque redditur,

ditur, ut patet in ijs, qui sunt sterili-les. Accedit, quòd si accessus iste saltem peccatum veniale contineret, imponeretur conjugibus onus intolerabile, cùm enim magna temporis parte in Matrimonio uxor sit gravida, vel abstinendum esset conjugibus ferè semper à debiti exactione, vel sibi cohabitantes, & alia mutua officia præstantes, exponerentur continuo venialiter peccandi periculo: rectiùs ergo dicitur, nullam hîc culpam committi, sed potest copulam maritus petere, & reddere debitum uxor, atque ad hoc etiam obligatur: imò quamvis in istis circumstantijs maritus petendo debitum veniali culpâ non vacaret, adhuc uxor reddere teneretur, quia, quando culpa solùm venialis est in exigente, reddens sine culpa est, & recto fine ducitur, si, ut obligationi ex justitia debitæ satisfaciat, marito petenti debitum reddat, ut pulchrè probat Sanch. *L. 9. disp. 6. n. 6.* & nos *infrà cas. 4 n.* ostendemus.

Id ipsum asserunt plerique ex citatis AA. cum Sanch. *disp. 22. n. 11.* de copula conjugali, quæ habetur cum puerpera immediatè post partum, antequam mulier à sanguine purificata sit. Mihi cum Palao *disp. 3. de sponsal pu. 4. § 4. n. 13.* & Basil. Pontio *l. c. n. 8.* videtur, idem esse dicendum in hoc casu, quod diximus de conjuge menstruata, quia ut ibi, ita hîc quoque est aliqua indecentia, & nimiæ voluptatis indicium, quare, nisi ad vitandum incontinentiæ periculum, aut rixam, vel discordiam sedandam copula habeatur, veniale peccatum erit.

10. Eadem ferè difficultas est, an abstinere à copula Maritus debeat, quo tempore proles lactatur, nam & hoc plures asserunt apud Sanch. *l. c. n. 13.* voluntque, usum conjugalem sub gravi peccato tunc esse illicitum: sed fundamenta, quibus innituntur, pleraque debilia sunt, potissimùm verò textus quidam è SS. Patribus desumpti, nam hi non difficulter exponi possunt de solo consilio. Efficaciùs urget, quod disp. proximè cit. apud Sanchez, Galenus *L. 1. De Sanit. tuenda*, & alij Medici affirmant, usum conjugij in fœmina lactante duplex periculum afferre proli, nam provocantur sic menstrua in muliere, quibus lac ipsum deterius evadit, per quod infantes incipiunt malè habere, & in varios morbos delabi. Alterum est, quòd si mulier imprægnetur, & proles, quæ pendet ab ubere, & quæ in utero est, periculum incurrat, nam cùm necesse habeat fœtus puriore materni sanguinis parte ad sui alimoniam, fit, ut lac ex deterrimo, qui relinquitur, sanguine conficiatur, unde soboles, quæ lactatur, pessimè nutrita in morbos incidit, debitum corpusculi augmentum impeditur, vitamque vel amittit, vel ducet deinceps valetudinariam,

riam. Similiter quia infans plurimum sanguinem ad mammas attrahit, contingit ex altera parte, ut parva sanguinis portio, atque etiam magis impuri, ad fœtum alendum transmittatur, sic verò uterque summo, ac evidenti periculo subijcitur. ita Paulus Zacchias.

Sed dicendum cum plerisque AA. suprà citatis, nullam pro eo tempore obligationem esse abstinendi à copula, nullamque culpam, nec quidem venialem, vacare Matrimonio, quia nec proli, quæ lactatur, damnum imminet, ut multò magis, quàm contrarium, experientiâ quotidianâ constat; nec patitur nocumentum fœtus, qui concipitur. Certè videmus passim pauperes, qui constituere nutricem nequeunt ob inopiam, nulla tempora observare, quibus abstineant à concubitu, nec tamen advertimus notabile damnum in prole, quam lactare pergunt, & nihilominus proles generant plerunque vegetas: ob damnum igitur incertum, & rarum non debemus asserere, usum Matrimonij eo tempore esse illicitum; maximè cùm hac ratione conjugibus imponeretur jugum moraliter impossibile, ut simul cohabitantes, & in eodem toro accubantes biennio, quo infantes lactantur, à congressu abstineant, iterumque, cùm Mater peperit, alio biennio: sic verò pauperibus Matrimonium non esset remedium concupiscentiæ, sed laqueus, & causa plurimorum peccatorum. Addo nihilominus cum memorato Sanchez *n.* 15. excusari ab obligatione reddendi debitum posse tunc Matrem pauperem, quæ nutricem constituere ob paupertatem nequit, quando experitur, ubera sibi exsiccari, postquam rursus concepit, aut lac esse valdè perniciosum proli. Sed neque tunc damnat peccati hic Author virum exigentem, nam adest, inquit, justa causa prolem exponendi, ne tamdiu abstinere cogatur cum tanta difficultate, aut potiùs cum morali impossibilitate; vel potest aliâ viâ proli consulere, quærens virum pium, qui eam eleemosynam eroget, sicut si Mater obijsset.

11. Si modò quæras, an possit maritus petere debitum, ab uxore amente? faciendum est discrimen in amentia, an ea perfecta sit, completa, & perpetua, an imperfecta? an cum furore conjuncta, an sine hoc? Certum est, quando conjuges, vel uterque, vel alteruter, non sunt omnino mente destituti, sed fatui, & aliquantulum cerebro corrupti; vel quando sunt instar infantium sine malitia, aut non omnino mente capti, sed potiùs simplices instar puerorum incipientium uti ratione; vel quando solùm in certo aliquo objecto delirant, non verò in alijs, præsertim in ijs, quæ ad Matrimonium pertinent; vel si habeant

habeant lucida intervalla, certum est, inquam, posse eos, dum ita constituti sunt, licitè petere, ac reddere debitum conjugale, quia pollent eo rationis, & libertatis usu, ut possint agere humano modo. Certum pariter est, quando amentia totalis, & perfecta, eaque sine intermissione est in utroque conjuge, præsertim si sit cum furore conjuncta, à se invicem esse separandos, nec posse licitè absque lethali culpa ipsis permitti copulam, non quòd ipsimet conjuges peccent, qui libertate carent, sed qui hanc ijs permittunt, ob grave damnum proli imminens, & periculum malæ educationis, cùm careat Parentibus, qui educare possint, tum quia tales vix eo modo, quo decet, Matrimonio uti possunt. Si verò unus tantùm è conjugibus amens sit, per se, & ex natura rei, cùm verum sit Matrimonium, concubitus ijsdem illicitus non est, dummodo periculum abortûs, aut proli, vel ipsi conjugi, qui sanus est, damnum notabile timendum non sit; nam sic habebit proles unum saltem è Parentibus, à quo commodè educari poterit. At si uxor habeat cum amentia conjunctum furorem, ut vel propterea, vel aliunde timeri debeat, ne vel in utero ante partum, vel postquam pepererit, à matre proles suffocetur, illicitè petit maritus compos rationis ab ea uxore copulam conjugalem. ita Sanchez *L. 9. disp. 23. per totum.* Perez *disp. 49. Sect. 6.* Dicastillo *disp. cit. dub. 4.* Hurtadus, Coninck, Palao *ll. cc.* cum Præposito. Addunt verò ex opposito, quando maritus plenè amens est, imò & furiosus, sed uxor sanæ mentis, posse hanc à viro insano debitum conjugale petere, quia petit rem sibi debitam, qua ob defectum judicij in altero conjuge privari non debet; idque verum est, etiamsi adsit periculum, ne insanus extra vas seminet, nec enim eapropter tenetur conjux sanæ mentis à debiti petitione abstinere, quia illa effusio est præter ipsius intentionem, neque illi, utpote jure suo utenti, attribuenda est. Interea tamen uxor, quæ sanæ mentis est, etsi petere possit ab amente viro, per se tamen non tenetur debitum petenti reddere, quia illa petitio non est actus humanus, unde sicut vir ob amentiam, & furorem amittit jus ad bonorum administrationem, & usum dominij, ita etiam ad usum Matrimonij. Sed hoc ita limitant Sanchez *n. 11.* & Coninck *dub. 9. n. 80.* dummodo non sit periculum in conjuge furioso, ut negato sibi debito ab uxore, accedat ad aliam, vel pollutionem procuret, nam tunc, asserunt, teneri per accidens ad avertenda hæc mala debitum petenti reddere, quod quoad accessionem ad aliam personam omnino

nino mihi videtur certissimum, si aliter caveri nequeat, tum quia tenetur impedire alienum peccatum, in quod ista persona delabitur, tum quia si hoc permittat, congressum nempe alterius cum suo conjuge insano, peccabit contra justitiam peccato, & malitiâ secundariâ injustitiæ contra se ipsum, nec enim cedere potest suo juri: quoad effusionem verò seminis, quæ forsitan ab insano fiet, censeo cum Dicastillo *disp. 9. de Matr. dub. 4. n. 51.* eam esse prorsus per accidens, nec esse de ea ampliùs curandum, quàm de pollutione in somnis: sicuti ergo conjux sanæ mentis non obligatur petere, vel reddere tali conjugi debitum præcisè ex eo, quia timet, probabiliter sibimet conjugi sano eventuram pollutionem in somnis omnino inculpabiliter, nisi petat, aut reddat debitum tali amenti, ita, ac multò minùs tenetur uxor reddere debitum amenti marito ad evitandam in ipso pollutionem, perinde enim est, an pollutio contingat in amentia, an in somnis.

12. Ista responsio viam nobis aperit, ut alias quoque circumstantias investigemus, in quibus uxor licitè potest negare debitum marito petenti, ita enim facile erit deinceps statuere, quid judicandum sit de nostro casu. Ac primò quidem communis est doctrina, non teneri uxorem per se, & ex natura rei reddere debitum viro ebrio, quia dum ebrius est, non petit actu libero, & humano, sed instar amentis. ita Sanch. *L. 9. disp. 23. n. 12.* Perez, Coninck, Dicastillo &c. Addunt tamen communiter, per accidens aliquando teneri, ut reddat, ratione periculi incontinentiæ in ebrio, si fortè aliquod adesset, ne, debito negato, libidinem aliàs exerceat modo illicito; sed hoc ipsum negare videtur, nec malè, Io. Præpositus *in 3. p. S. Th. q. 6. de Sacr. Matr. dub. 5. n. 14.* ubi postquam multos casus adduxit, in quibus conjux non tenetur reddere debitum, præsertim propter grave periculum morbi, denique sibimet ipse dubium movet, an tunc saltem reddere teneatur quando in comparte periculum est pollutionis? & respondet negativè, quia sicut in alijs varijs eventibus conjugatus tenetur aliter occurrere periculo incontinentiæ, quàm per actum conjugalem, ita & in hoc eventu, quia in hoc pars altera censetur reddi libera ab onere reddendi debitum non ex alterius condonatione, sed ex ipsa natura rei, quæ jus ei tribuit, sibi, suæque corporali saluti consulendi, non obstante traditione corporis in alterius dominium. Diana quoque *p. 6. tr. 7. resol. 64.* etiam in circumstantijs, in quibus videtur esse periculum incontinentiæ, non agnoscit obligationem in conjuge, nisi extrema necessitas sit, qualis in tali homine non est, cum

cùm alijs medijs possit periculo subvenire: si ergo labatur in incontinentinentiam, hoc ejus malitiæ adscribendum est, non verò uxori, quæ circa hoc merè permissivè se habuit; foretque onus sanè durissimum, si teneretur ipsa vitare peccatum alterius, reddendo ipsi debitum cum tanto suo incommodo, & intoleranda molestia, qualis, ut pronum est imaginari, ipsi subeunda erit in concubitu cum marito, vinum, vel cerevisiam eructante, & ob ipsam crapulam in actu conjugali futuro petulantiore, & impudentiore, & forsan bestiæ, quàm homini similiore, quare Fagundez quoque *l. 6. in Præcept. Decal. c. 3. n.* 50. non audet uxorem ad hoc obligare.

13. Similiter à redditione debiti conjux excusatur, quando id petitur irrationabiliter, nam quod irrationabiliter postulatur, rationabiliter negatur. Censetur autem petere irrationabiliter, qui in petendo copulam conjugalem nimius est, & immoderatus, per quod non intelligitur illa duntaxat nimia frequentia, ex qua notabile damnum oriri potest, sed etiam, quæ, abstrahendo ab omni damno, excedit in numero. Quis enim virorum putat se obligatum esse, ut salacissimæ uxori, diu noctuque debitum petenti reddat? ergo, cùm vir, & mulier sint pares in jure petendi, neque uxor ad hoc viro obligata est, ut si nocturna redditione is non contentus, etiam diurnam petat reddere ipsa teneatur, quando id quasi ex consuetudine fit: secus dicendum, si diurnam non nisi rarò petat. Ad importunam verò, & usqueadeò immoderatam, & excessivam redditionem, nulla ex Matrimonio oritur obligatio, nec sunt censendi conjuges ad tantam servitutem se aliquando obligasse. Sanch. *L. 9. disp. 2. n.* 12. Perez *disp.* 10. *Sect. 2. n.* 3. Coninck *disp.* 34. *dub. 2. n.* 16. Dicastillo *disp. 9. de Matr. dub.* 17. *n.* 200. Gobat *tr.* 10. *cas.* 16. *n.* 621. Præpos. Tannerus &c. Sæpè etiam excusatur conjux à reddendo debito, si id petatur statim à sumpto prandio, aut cœnâ, nam & ista petitio irrationabilis est, quia tunc temporis habita copula ex Medicorum judicio solet esse causa gravis nocumenti, cùm coëuntes statim à sumpto cibo necesse sit pati cruditates, aut ciborum corruptionem, unde dolores stomachi, vertigines, debilitas capitis, & aliæ non contemnendæ infirmitates oriuntur, quibus manifestè lædentur, qui eo tempore commiscentur, nisi admodùm validi fuerint, si hoc frequenter faciant, non item, si una tantùm vice, vel rarò fiat. Idem timendum est in balneis, vel statim à balneo. Sanch. *disp.* 24. *n.* 4. *& seq.* Bonac. *q.* 4. *De usu Matr. pu.* 1. *n.* 6.

14. Excusant etiam à redditione debiti morbi omnes, qui aut febres sunt, aut febres conjuncta habent, quæcunque demum illæ sint, sive con-

continuæ, sive intermittentes, sive acutæ, sive hecticæ, sive lethales, sive non lethales, asthma, phthisis, stomachi, & aliarum partium nobiliorum dolores acuti, ut observat Paulus Zacchias *in Quæst. Medico-Legal. L. 7. Tit. 3. q. 2. & 3.* ac generatim, quando reddendo debitum timetur rationabiliter grave damnum corporis, ut si petens laboret peste, nam conjuges non intendunt se obligare ad hunc casum, neque tenentur generationi filiorum, & propagationi speciei vacare cum detrimento proprio, nec tradit unus alteri potestatem sui corporis ad conjugalem usum, nisi salvâ incolumitate suæ personæ, ut bene advertit S. Th. *in 4. dist. 32. q. unic. art. 1.* Ex quo fit, non obligari conjugem reddere debitum laboranti leprâ, morbo gallico, vel alio contagioso, si ex Medicorum judicio periculum contagionis adsit, quia major est obligatio, & quæ charitatis ordine præcedit, ut quis provideat proprio individuo, quàm propagationi speciei. Neque contrarium decidit Alexander III. c. Quoniam nemini. De conjugio leprosor. ubi dicit: *si virum, vel uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum*, nam istud intellexit Pontifex de solutione debiti una tantùm, vel altera vice facta, quando præsumi potest, non adesse in tali congressu periculum contrahendi vel lepram, vel aliud grave malum; at quando meritò timetur etiam ex uno coitu morbi contagiosa malignitas, aut nimius horror adest, ut fiat redditio debiti moraliter impossibilis, reddere non tenetur, ut cit. c. exponunt Pirhing. *n. 9. De Conjug. leprof.* Wiestner *n. 8. eod. Tit.* Wagnereck *in Exegesi c. Quoniam cit. Not. 2.* Barbosa *ibid. n. 2.* quos sequitur Engl, & ex Theologis idem tradunt Sanch. *disp. 24 cit. n. 17.* Laym. *l. 5. p. 3. tr. 10. c. 1. n. 5.* Basil. Pontius *l. 10. c. 14. n. 2.* Palao *disp. 3. de sponsal. pu. 4. §. 10. n 4.* Coninck *disp. 34. dub. 3. n. 20.* Hurtad. *disp. 10. difficult. 12. n. 53.* Bonac. Perez, & alij. Addunt verò etiam hîc Palao, Bas. Pontius, Laym. Coninck, & Hurtadus, hoc verum esse, etiamsi exigenti immineat periculum incontinentiæ, quia non tenemur vitam exponere pro salute proximi, eique succurrere cum tanto damno salutis corporalis, nisi sit in extrema necessitate, in qua talis nullo modo est, cùm possit plura alia remedia adhibere, quibus Divinâ gratiâ adjutus periculum peccandi vincat, ut suprà dictum est.

15. Non excusatur tamen conjux à reddendo debito ex ea solùm causa, ne proles nimiùm multiplicentur; imò ex hac duntaxat ratione negans, ordinarie peccat mortaliter, ut docent Sylvest. *V. Debitum Conjugale 8.* Navarr. *in Manual. c. 16. n. 24.* Sanch. *L. 9. disp. 25. n. 2.* Coninck *disp. 34. dub.*

dub 3. *n.* 24. Bonac. *l. c. n.* 12. Dicastillo, Hurtad. & communiter alij, quia cùm Matrimonium sit institutum ad generationem, & propagationem humanæ speciei, quæ illius præcipuus finis est, absurdum censetur, & fini Matrimonij nimiùm adversans, velle à debiti redditione se eximere, quia timetur multiplicatio prolis, per quam obtinetur exuberantior consecutio istius finis. Imò tam rigorosus est hac in parte Laymannus *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 16. ut non admittat pro excusatione paupertatem, & difficultatem alendi plures liberos, nisi res eo loco sita sit, ut ob novæ prolis generationem vel Parentes, vel ipsi liberi, viventibus parentibus, ad extremam penuriam redigendi sint; quòd ijs, inquit, qui inter Christianos vivunt, rarò eveniet, cùm in piorum hominum, multoque magis Dei auxilio, qui cœli volatilia pascit *Matth.* 6. confidere oporteat; cum quo plenè consentiunt Castropalao *l. n. n.* 9. Rebellus *p.* 2. *l.* 2. *de oblig. Iust. q* 16. *n.* 5. & Coninck *l. c.* atque etiam Gobat de se ipso fatetur *tr.* 10. *cas.* 16. *n.* 625. non meminisse se, quòd unquam impertiverit absolutionem præferenti animum negandi redditionem debiti conjugalis ob metum difficultatis in prole nutrienda, marito instanter, & seriò petituro; præsertim cùm vix sit possibile, ut, si diutiùs negaverit, maritum non exponat ingenti discrimini incontinentiæ, per quod ipsum delinquit mortaliter. Alij è contra satis probabiliter à peccato, saltem mortali, excusant, quando, citra periculum incontinentiæ in altero conjuge, parentes non sufficiunt ad tot liberos alendos, quia sicut à restitutione, & alijs justitiæ debitis persolvendis excusat magna incommoditas, & difficultas, neque tenetur debitor satisfacere creditori cum notabili suo detrimento, quando in creditore nullum simile, vel majus detrimentum timetur, ita nec obligatur conjux comparti debitum reddere; quando ex actu conjugali ea sequeretur prolium multiplicatio, ut parentes eas non possent alere, id enim Parentum maximum gravamen foret, qui proles alere tenentur. Addunt verò AA. *quando in creditore nullum simile, vel majus detrimentum timetur*, nam cùm eo casu debitor teneatur suo creditori satisfacere, sequitur, quòd in præsenti conjux non liberetur à redditione debiti, si in petente subesset morale periculum incontinentiæ. Sed forsan hîc quoque usui erit id, quod suprà diximus; talem non esse in extrema necessitate constitutum, cùm aliter possit periculum istud avertere; extra necessitatem verò nec charitas quidem nos obligat, ut cum ingenti incommodo, ac gravi damno proprio salutem alterius procuremus, cùm facilè possit ipse sibi succurrere: proinde non est censenda peccare graviter uxor, quando

do in hoc quoque justitiæ debito marito non satisfacit, maximè quando cessat incontinentiæ periculum. Accedit, quòd conjux non habeat obligationem reddendi debitum, si timor probabilis adsit periculi, aut detrimenti prolis jam genitæ; tale autem periculum imminet liberis jam natis, si proles adhuc multiplicentur, parentibus ad eos alendos debitis facultatibus destitutis: ergo si media sufficientia non adsint, ut possint Parentes tot liberos alere, & educare, justa est causa excusandi redditionem debiti. Illud verò non sufficit, quòd post parentum obitum singuli è liberis ob eorundem multiplicitatem sint minus habituri, nec portiones suffecturæ sint ad singulorum sustentationem, quia satis est, quòd Parentes sufficienter prolem alant, quamdiu ipsi vivunt; ijs defunctis, si facultates non sufficiant, ad prolem pertinet, ut sibi victum aliunde comparet. Bonac. *l. c. n.* 12. Perez *disp.* 50. *Sect.* 4. *n.* 6. Tambur. *l.* 7. *in Decalog. c.* 3. §. 5. *n.* 23. Jo. Præpos. *in* 3. *p. S. Th. q.* 6. *de Matr. dub.* 6. Diana *p.* 9. *tr.* 7. *resol.* 3. Bassæus *V. Debitum conjugale* 1. *n.* 7. Dicastillo *l. c. n.* 230. Sanch. quoque, *cit. disp.* 25. *n.* 3. & Petrus de Ledesma *q.* 64. *De Matr. art.* 1. *in fine* censent, nec quidem venialem culpam contineri in prædicta negatione.

16. Illud verò certum est, ac indubitatum, posse conjuges licitè, & sine ulla culpa ex communi consensu abstinere à copula, ne prolem ita multiplicent, ut ei deinceps alendæ non sint, quia sic nulli irrogatur injuria, quando uterque conjux communi placito abstinet; neuter enim tenetur ad copulam, altero non petente: nec ea voluntas non habendi plures liberos, quàm alere possint, vitiosa est. Sanch. *l.* 9. *disp.* 25. *n.* 1. Laym. *l. c.* Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 213. An verò gravi culpâ careat uxor, vel maritus, si, dum exercet actum conjugalem, & Matrimonio utitur, habeat desiderium, ut proles non concipiatur, & nulla generatio sequatur, dubium non nemo movet apud Sanch. *l.* 9. *disp.* 8. *n.* 10. putatque, esse lethale crimen, cùm hoc sit expressâ intentione velle excludere finem in ipso contractu Matrimonij intentum. Sed rectiùs ait Sanch. *ibid.* si aliud non faciant, quod prolis conceptioni obstet, non nisi venialiter peccare ejusmodi conjuges. Imò juxta eundem, & Perez *disp.* 18. *Sect.* 7. *n.* 5. Coninck *disp.* 25. *dub.* 2. *conclus.* 2. Basil. Pontium *l.* 10. *c.* 8 *n.* 3. & Hurtad. *disp.* 10. *de Matr. difficult.* 2. *n.* 6 potest ejusmodi votum, seu desiderium carere omni peccato, etiam veniali, nam potest accipere honestatem ex fine honesto, per quod & ipsum evadit honestum, ac licitum: in exem-

plo: si pauper quispiam, qui sentit stimulos carnis vehementes, timetque, ne labatur, ducat uxorem, & quia non habet media, unde possit alere proles, optet in ipso conjugali actu, eas sibi non nasci; vel ex hac ipsa causa ducat uxorem, quam credit esse sterilem, ne prolium multitudine gravetur, talis in neutro casu peccat, quia voluntas non habendi plures liberos, quàm alere possit, vitiosa non est, cùm bono fine vestiatur, nempe ratione defectûs mediorum ad eos liberos alendos. At verò nunquam permissum est conjugibus, ut eo modo congrediantur, quo fiat seminis effusio, ne prolis conceptio, ac generatio sequatur, nam istud agere, & sic positivè generationem impedire mortale peccatum est gravissimum contra naturam, unde culpæ lethalis damnat uxorem Baunius apud Dianam *p. 6. tr. 7 resol. 7.* quæ viro debitum reddit, qui saturandæ libidinis causâ coitum incipit, sed postea, ne generatio sequatur, subtrahit sese, & effundit semen extra vas, quia abominando sceleri mariti non sine gravi scelere cooperatur, & se ipsam exponit præsenti periculo pollutionis, quod sanè verissimum est, si id consultò fiat, uxore consentiente, nam sicut vir hoc agendo peccat graviter, ita & uxor, si ut hoc ita fiat, ipsa quoque velit, aut consensum præbeat: conveniuntque in hoc passim omnes, deliberatam extra vas debitum seminis effusionem, etiam minimam, esse crimen mortale; unde certum est, posse uxorem, cui nota est hæc improba mariti sui intentio, petenti debitum negare, quia reddere non tenetur, nisi copula fiat congruo modo, aptoque ad generationem, cùm uxor concesserit viro potestatem in suum corpus ad usum, non ad abusum, neque hæc est petitio debiti, sed injusta exactio ejus, quod non debet, & cui proinde satisfacere non tenetur. Crediderim verò cum Basilio Pontio *L. 10. de Matrim. c. 11. n 8.* petere nihilominus posse uxorem à marito debibitum, etsi timere debeat ob notam illius libidinem, ne perperam sit redditurus, quia dum petit actum à marito, quem ille bene, vel malè potest ponere, non præbet ipsa causam peccato, sed alter malè facit ex malitia, quod posset bene, ac honestè facere: scelus igitur, quod timetur in viro, uxori non debet esse fraudi, ut nequeat debitum petere ob viri improbam voluntatem, sicut ex communi Sententia non impedimur mutuum petere ab usurario, etsi prævideamus, eum nobis, quod petimus, sine usuris non esse concessurum, nam sufficit, quòd sine usura mutuare possit.

An verò etiam reddere possit uxor debitum viro exigenti, quem novit semen profusurum, magis dubium est. Posse, affirmat, ex eadem ratione eodem loco Pontius, sed

sed contrarium videtur potiùs esse dicendum: nam possumus, atque etiam tenemur vel lege charitatis, vel ex justitia sæpè non reddere rem alienam, vel ejus redditionem differre, ut evitetur grave malum, v. g. si furens in inimicum reposcat depositum apud me gladium, ut vel se ipsum, vel inimicum occidat; si à me petat quis mutuum, ut in libidines absumat. Less. L. 2. *De Iust. dub.* 4. *n.* 53. *& seqq.* Cardin. de Lugo *tom.* 1. *De Iust. disp.* 21. *Sect.* 2. *n.* 27. ergo etiam uxor tenetur non reddere debitum, quod videt cum morte Spirituali mariti esse conjunctum, ut damnum hoc gravissimum, & enorme illius scelus avertat: sed de hoc infrà in *casu quarto variorum dubiorum circa conjuges. n.* 8. *& seqq.* ubi regulæ quædam statuuntur, quandonam reddi possit, vel non possit debitum conjugale illicitè petenti: hoc interim suadendum semper est mulieri, ut, sive reddat, sive petat debitum, virum hortetur, ne committat tantam inordinationem, seque utatur modo debito, & humano; aut si multiplicationem prolium veretur, potiùs ab actu conjugali abstineat, quod si fecerit, tunc locus esse poterit opinioni Pontij.

17. Ex hactenus disputatis satis perspicuum est, posse Erlindam jure merito negare debitum conjugale Ragenulpho suo marito ex multiplici ratione. Nam 1. esto, prolium multiplicatio per se ordinariè non excuset à reddendo debito, sufficientem tamen habet excusationem, quia media non adsunt pro ijs sustentandis, ut dictum est *n.* 15. 2. Excusatur, quia, ut in casu ponitur, debitum exegit plerunque temulentus; cui ut reddat, docuimus *n.* 12. uxorem non obligari: & hoc posse ferè semper, etiam quando maritus solùm est semiebrius, docet Gobat *in Quinario tr.* 5. *c.* 35. *n.* 14. dummodo in illa semiebrietate notabilem molestiam afferre soleat uxori tempore copulæ, quia debitum reddere non tenetur cum notabili sua molestia, si hujus causa, & quidem culpabilis est ipse marius. Accedit, maritum Erlindæ non servare, ad quæ ex justitia obligatur, ut nempe alimenta provideat uxori, & familiæ, nam, ut iterum in casu ponitur, omnia, quæ lucratur, ludendo, & compotando absumit; uxor interea, & liberi domi cum fame luctantur, quare jure non redditur ab uxore, quod aliàs reddere illa teneretur, ut saltem hac ratione maritum suum emendet, & ad meliora compellat. Sanè uxorem multa prole gravatam, si maritus parùm curet œconomiam, ita ut totum onus in uxorem recumbat, à debiti redditione excusat Gobat *tr.* 10. *in Append.* 1. *ad litt. d. post num.* 646. idemque affirmat dictus Author *in Quinario l. c. c.* 5. quando maritus exercet sævitiam erga liberos, qualem exercet Ragenulphus, dum nullam penitus curam eorum haber

habet, sed velut alienos derelinquit, fami, & egestati obnoxios, quia uxor non tenetur marito debitum reddere, à quo admodùm malè, & indignè habetur: atqui habetur Erlinda pessimè, & tanquam pia Mater non potest non sentire acerbissimum dolorem, quando non ipsa solùm, sed liberi quoque, tenerior nempe sui pars, quos se ipsâ magis diligit, ab impio viro tam impiè negliguntur: ergo justè negare potest ipsi debitum, ut vel hac ratione cicuretur, & in Matrem, ac liberos sævire desinat. Et quidni possit uxor marito debitum negare ob crudelitatem in se, & liberos exercitam, cùm olim filios, quos contra pietatem tractaverant, coacti fuerint emancipare, si isti petijssent? ut docet Molina *tr 2. disp. 229.* & habetur *L. ult. ff. Si à Parente quis manumissus fuerit.*

CASUS SECUNDUS

Occulti Adulterij.

Hircanus clam sua uxore commisit adulterium.

Q. An hoc suo delicto amiserit jus petendi debitum conjugale?

SYNOPSIS.

1. *Proponitur duplex Sententia, quarum una negat absolutè, posse adulterum petere debitum. Altera docet, posse petere, sed non exigere.*

2. *Probabilior est tertia, posse exigere, quamdiu adulterium occultum est parti innocenti.*

3. *Proponuntur fundamenta hujus Sententiæ, quæ est decisio præsentis casûs.*

4. *Non tamen potest exigere tanquam debitum, quando illius delictum comparti cognitum est, & hæc non ducitur solis suspicionibus, ac levibus indicijs.*

5. *Enumerantur aliquot casus, in quibus conjux innocens tenetur reddere debitum, quamvis sibi certò constet de adulterio alterius.*

6. *Respondetur ad argumenta num. 1. proposita.*

1. MUltùm controversa est quæstio hujus casûs, & varia variorum circa eam opinio, proinde cùm hoc dubium, proh dolor! nimis frequenter possit evenire, meretur, ut paulò accuratiùs examinetur. Est verò de hoc triplex Sententia. Aliqui admodum rigorosi sunt, nam mordicùs defendunt, non solùm repelli posse adulterum, & debitum ipsi negari, quando de ejus crimine sufficienter constat, sed eo ipso, quòd adulterium commiserit, perdere ipsum jus petendi debitum à conjuge innocente, nec posse hoc exigere in conscientia, quamvis uxorem lateat patratum scelus mariti, & penitus occultum sit. Qui ita sentiunt, neque authoritate, nec rationibus destituuntur; nam post commissum adulterium, etiam occultum, jure petendi debitum privari, absolutè & sine ulla limitatione docent Angelus *V. Adulterium n. 3.* Rosella *V. Debitum n. 17.* Sylvester *V. Adulterium. q. 6 n. 8 in fine.* Eman. Rodriq. *tom. 2. Summæ c. 242. n 16.*

Alij, ut suam opinionem clariùs proponant, discrimen faciunt inter *exigere*, & *petere*; nam vox exigere importat coactionem, & est petere tanquam sibi debitum; vox autem *petere* ex sua significatione tantum non

non dicit, cùm petere possimus etiam ea, quæ nobis debita non sunt, sed gratis conceduntur. Hac factâ differentiâ,

Secunda Sententia docet, Adulterum, etiam occultum, ipso facto privatum esse jure exigendi debitum, & tantùm posse humiliter illud petere. Ita Navarr. *in Manuali c. 22. n. 23.* Petrus de Ledesma *q. 62. de Matr. art. 1. dub. 1.* Armilla *V. Matrimonium. n. 77.* Covarruv. 4. *Decretal. p. 2. c. 7. §. 2. n. 4. in fine.* Rebellus *P. 2. L. 2. De Oblig. Iust. q. 17. n. 3.* Hurtad. *disp. 11. de Matrim. difficult. 7. n. 14.* & plures alij. Fundamenta, quibus tum hæc, tum præcedens Sententia innititur, potissimùm sunt ista. 1. Quia statim, ac conjux adulterium admittit, pars innocens revera, & coram Deo est absoluta à debito reddendo: ergo adulter non potest petere tanquam debitum, cùm revera debitum non sit. Antec. prob. quia si nosset pars innocens alterius adulterium, secundùm omnes maneret absoluta, nec teneretur reddere: atqui hoc jus negandi debitum illi non dat cognitio facti, sive criminis, sed ipsum factum, sive crimen commissum: ergo ante omnem notitiam erat reipsa jam absoluta, & solùm tenebatur ex conscientia erronea, quia nempe putabat, se esse obligatam, cùm ignoraret alterius adulterium, quod jus negandi debitum ipsi concedit. 2. Reddere ex obligatione, & exigere sunt correlativa: sed uxor talis adulteri non tenetur revera reddere, sed solùm, ut modò diximus, ex conscientia erronea: ergo adulter non potest exigere. 3. Creditore ratione ignorantiæ non petente debitum, minimè eximitur debitor ab obligatione solvendi: sed eo ipso, quòd conjux adulteretur, est alteri debitor immunitatis, & exemptionis ab obligatione reddendi: ergo licèt innocens ex ignorantia minimè petat hoc libertatis debitum, non manet propterea adulter liber à suo debito, nec potest alterius partis libertati contravenire exigendo. Vel si velimus adhuc clariùs dicere. Si Petrus debuisset mihi decem aureos, & aliquo casu desineret eos debere, sed hoc ignoraret, injustè eos ab ipso exigerem: ergo à pari injustè exigit adulter actum conjugalem, ad cujus redditionem uxor obligata non est, licèt hoc ipsa ignoret, quia eam latet adulterium viri. 4. Maritus non potest exigere divortium à parte, quam scit esse adulteram, nec debitum negare ob adulterium uxoris sibi notum, licèt uxor suum, id est, mariti, ignoret, si & ipse adulter est: nam adest mutua delictorum compensatio: ergo non potest exigere debitum, si solus ipse adulter sit, licèt pars altera ob ignorantiam non opponat adulterium.

2. Secundæ hujus opinionis Patroni, & eorum sententia non faciunt ad propositum, & præsentem quæ-

quæstionem, nam quando proponitur dubium, an adulter jus habeat exigendi debitum conjugale, non est quæstio, an licitè possit petere rogando, & an innocens conjux possit reddere, si velit? hoc enim certum est apud omnes, sive adulter occultus sit, sive notum illius adulterium, quid enim prohibet, aut facit, ut non liceat adultero rogare humiliter conjugem innocentem, sceleris sui gnaram, ut reddat, quod licitè ipsa potest, etsi non debeat ob notum suum crimen? nam quamvis adulter, saltem quando notum est ejus adulterium, non habeat jus exigendi, non tamen perdidit jus rogandi id, quod Matrimonium permittit, cujus vinculum per adulterium dissolutum non est, nec parti læsæ erepta potestas est reddendi id, quod petit adulter, velut rem licitam, quamvis non debitam, de quo nec primæ sententiæ patroni quidquam dubitant, etsi admissum crimen occultum non sit, ut videre est apud Navarr. & alios. Tota igitur quæstio in eo vertitur, an quando delictum alteri conjugi ignotum est, habeat adulter jus exigendi debitum obligando ex justitia, & jure Matrimonij innocentem conjugem ad reddendum, ita ut reddere teneatur?

Omissis duabus prioribus sententijs, probabilior videtur tertia, conjugem adulterum, quamdiu pars innocens ignorat commissum à se adulterium, non perdere jus exigendi debitum, sed posse conjugij usum petere, non solùm ut licitum, de quo nec adversarij contendunt, sed etiam ut jure debitum, donec Pars innocens adulterij conscia ipsum hoc jure privet. ita Cajet *tom. 1. Opusculor. tract. 31. respons. 4.* in clarissimis terminis, qui perperam à plurimis citatur pro secunda sententia, Sanchez *l. 1. de Matr. disp. 68. n. 4.* & *l. 10. disp. 12. n. 8.* Azor *p. 3. l. 3. c. 31. q. 16.* Coninck *disp. 28. dub. 12. n. 87. & seqq.* & *disp. 35. dub. 1. n. 4.* Bonac. *q. 4. De jus, quæ pertinent ad usum Matrimonij. pu. 6. n. 20.* Palao *disp. 3. de sponsal. pu. 4. §. 10. n. 1.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. n. 4.* Jo. Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 5. de Matrim. dub. 12. n. 96.* Dicastillo *disp. 10. de Matr. dub. 7. n. 81. Less. c. 6. De Sacram. Matrim. dub. 3. n. 119.* Fagundez *l. 6. in Præc. Decal. c. 7. n. 11.* & plures alij ab his citati.

3. Probatur hæc sententia, quia quòd adulter non possit exigere debitum propter commissum adulterium, pœna quædam est, quasi jure naturæ introducta, & consequens rationem contractûs Matrimonij, quia frangenti fidem meritò fides promissa negatur; ad hanc verò pœnam adulter se ipsum condemnare non debet, antequam conjux eam exigat, aut contra debitum petentem excipiat; neque tenetur crimen suum ipse manifestare: ergo donec

donec ab innocente conjuge hoc fiat, eumque illa, & ejus petitionem reijciat, potest ipse jure exigere usum conjugalem, præsertim cùm à petitione debiti plerumque abstinere non possit, quin criminis commissi suspicio, aut alia incommoda oritura sint. Confirmari res potest instantijs: in alijs quoque contractibus, societatibus, fœderibus, conventionibus &c. reus non est ipso jure privatus, sed privandus; &, si censuras excipiamus, & similes aliquas pœnas, quæ non tam infliguntur in meram peccati punitionem, quàm vel in Medicinam, vel ob quandam, quam reus per crimen contraxit, indecentiam exercendi eas actiones, quæ ei in pœnam prohibentur, omnes aliæ pœnæ, tam legales, quàm conventionales, non debentur, antequam vel à Iudice, vel à Parte exigantur: sic filius, qui grave crimen commisit in Parentem, vi cujus meretur, ac potest exhæredari, non eo ipso exhæres est, usquedum talis declaretur, & actu hæreditate privetur; sic excommunicatus toleratus potest agere contra me in judicio; neque tenetur se ipsum excludere, sed me citando, accusando &c. nullam mihi facit injuriam, quamvis ego jus habeam excipiendi contra ipsum tanquam excommunicatum, atque ita elidendi ipsius actionem, quamdiu autem hoc ego non facio, quia vel illius excommunicationem, vel meum jus ignoro, teneor comparere, & ad hoc potest ipse me cogere: ergo pariter quamvis Pars innocens, si ipsi constet de adulterio conjugis, possit contra eum excipere, eique debitum negare, libera tamen non est, sed debet exigenti obsequi, quam diu crimen adulteri occultum est, atque ita in casu præsente Hircanus, quamdiu uxorem latuit ejus adulterium, jure exigere debitum conjugale, nec sine injuria repelli potuit.

4. Dixi *quamdiu latuit ipsius adulterium*, nam si Pars innocens crimen compartis cognoscat, pars nocens non potest ampliùs debitum exigere, vim inferendo, & ad redditionem compellendo, cùm innocens tunc liberè negare possit, si quidem in ipso contractu Matrimonij tacito quodam modo apposita fuit conditionalis hæc pœna, ut posset privari jure petendi debitum, qui alteri fidem fregisset. Ad hoc nihilominus, ut conjux innocens possit adulterum privare usu conjugali, & hanc pœnam debitum petenti irrogare per oppositam adulterij exceptionem, non sufficit sola suspicio commissi sceleris, aut levia quædam indicia, cùm nulla pœna ab homine infligi possit, nisi saltem moraliter constet de crimine perpetrato, & nullus per modum pœnæ debeat deturbari de sua possessione, nisi puniens notitiâ instructus sit sufficiente ad puniendum, cùm cæteris paribus melior sit

conditio

conditio possidentis, & in pari causa reo sit favendum. Unde si, qui nocens est, noverit, compartem solis suspicionibus duci, levibus indicijs, vel argumentis tantùm probabilibus, quæ rem non satis illi aperiant, potest more consueto debitum exigere, etiam tanquam debitum, nam verè illi adhuc debetur, nec potest suo jure in illa circumstantia legitimè privari: imò exceptio hæc adulterij, si eam opponat pars innocens, nec quidem est legitima pro foro conscientiæ. Sanch. *l. 1. disp. 64. n. 5.* Præpos. *l. c. n. 97.* At ex opposito quando adulter animadvertit, partem innocentem habere sufficientem sui adulterij certitudinem, quamvis in foro externo fortassis delictum probare non valeat, nullo modo potest ipsam compellere, ut sibi debitum reddat, sed aliud ipsi tunc non superest, quàm ut humiliter, & amicabiliter petat, quod nequit jam exigere in conscientia, & sic, concessâ à conjuge innocente reconciliatione, iterum acquirat jus amissum per adulterium non jam occultum, sed conjugi innocenti manifestum, quæ licitè potest petenti reddere, si velit, & sic cedere suo juri, quando alterius crimen non publicè notum est, sed solùm ipsis conjugibus cognitum, atque ita cessat ratio scandali, ne videatur favere adulterio, & ejus patrocinium suscipere. Sanch. *L. 10. disp. 12. n. 8.* Laym. *l. c.*

5. Quamquam verò pars innocens ordinariè non teneatur reddere debitum conjugi adultero, quando istius delictum sibi perspectum, ac cognitum est, aliqui tamen casus evenire possunt, in quibus etiam cognito delicto, à debito reddendo non est libera, sed reddere tenetur, & alter jus exigendi non amittit. 1. Si postea ipse quoque innocens committat adulterium, quia tunc ambo conjuges pares sunt, & delicta mutuâ compensatione tolluntur. *c. Cùm intelleximus. De adulter. & stupro.* & sic qui priùs, quamdiu fuit innocens, potuit jure negare, per similem adulterij injuriam amisit jus negandi, & reddere jam tenetur, quod alter jure potest exigere, circa quod proinde rectè monet Fagundez confessarios *l. c. n. 12.* ut obligent maritos, qui propter adulterium uxorum sive verum, sive præsumptum, uxores deserunt, ut redeant ad illas, quando ipsi quoque adulterium commiserunt, quia tunc per mutuam compensationem injuria est abolita, & si id recusent, eosdem non absolvant, nisi priùs debitum reddant uxoribus, illud petentibus, vel saltem concipiant verum, & efficax propositum reddendi illud primo quoque tempore. 2. Tenetur reddere vir uxori adulteræ debitum, si ipse adulterandi causam

pro-

propinquam dedit, veluti si ipse uxorem obtulit alterius libidini, coactamvé tradidit adulterandam. c. Discretionem. De eo, qui cognovit consang. uxor. suæ. ubi dicitur: *adulterium non potest ei objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Idem est, si adulterium commisit uxor, etsi non ultrò oblata, vel coacta à marito, sed tamen cum ejus consensu, sive expresso, sive tacito, nimirum dissimulante viro, & non impediente, cùm posset obsistere absque magno suo incommodo; sic enim vir non habet jus denegandi debitum, & uxor habet jus illud exigendi, quia auctoritate, ac consensu, sive culpâ mariti commisit adulterium. Non verò si remotè tantùm maritus uxori præbuit occasionem peccandi, v. g. quia negavit ipse debitum, vel non dedit necessaria ad victum, vel iratus domo ejecit &c. nam in his casibus propriâ suâ culpâ peccat uxor, habetque vir jus denegandi illi debitum. 3. Conjux innocens tenetur reddere debitum conjugi adulteræ, quando hæc vi oppressa est ab alio. *c. Itane. 32. q 5.* & alijs seqq. Ratio desumitur ex verbis D. Hieronymi in Genesin apud Gonzalez in cit. c. Discretionem, n. 7. *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluptas*, & S. Augustini: *quod enim violenter, non præcedente libidine, patitur corpus, vexatio potiùs, quàm corruptio appellanda est.* Intelligitur verò hîc violentia præcisa; nam conditionata tantùm, scilicet ob metum incussum, uti non excusat à culpa, ita nec à pœna privationis debiti. Rebellus *p. 2. De Oblig. Iust. L. 2. q. 17. n. 6.* 4. Quando uxor ob diuturnam absentiam mariti credens, eum esse mortuum, alteri se conjunxit, non perdit jus exigendi debitum, nec vir reversus potest ei objicere adulterium *c. Cùm per bellicam. 34. q. 1.* nisi tamen fornicata fuerit, postquam de illius vita certior facta est: idemque dicendum de viro, si credit, uxorem esse mortuam. 5. Si alius sub specie Mariti decepit uxorem, non potest maritus ei objicere adulterium. *c. In lectum. 34. q. 11.* 6. Si maritus post adulterium cognovit uxorem, & toleravit eam, sciens illius adulterium, nam sic censetur injuriam condonasse. *c. Si quis uxorem. 32. q. 1.* dummodo tamen copulam spontè habuerit, & non compulsus, vel præcepto Judicis, vel quovis alio modo, quia hæc condonatio proficisci debet ex liberali innocentis voluntate: at in necessitate nemo liberalis præsumitur. *L. Rem legatam ff. De Adimend. vel transferend. legat.* 7. Denique si degens in infidelitate repudiat uxorem suam, & hæc deinde nubit alteri, putans, id esse licitum, tenetur vir ad fidem conversus, si & ipsa convertatur, eandem recipere, nec potest ipsi objicere adulterium, si aliàs fornicata non fuit. Angelus De Clavasio *V. Debitum. n. 7.* Azor *p. 3. L. 3. c. 31. q. 16. V. Altera difficultas est.*

6. Nunc respondendum quoque est ad argumenta, quæ pro utraque opposita Sententia *num. 1.* adducta sunt. Ad primum negatur Anteced. quia non eo ipso, quòd altera pars commiserit adulterium, innocens absolutus est ab obligatione debitum reddendi, sed tantum habet jus, quo se ipse possit absolvere in foro conscientiæ, si sibi de delicto constiterit. Ad probationem conc. Maj. distinguo Min. non cognitio delicti tribuit jus innocenti negandi debitum, sed ipsum delictum, sive adulterium, & tamen ipsa istius cognitio est requisita conditio, ut innocens jus istud consequatur, conc. Min. ipsum delictum tribuit hoc jus, ita ut delicti notitia nihil penitus ad rem faciat, ac prorsus necessaria non sit, nego min. & conseq. Quamvis notitia facti non absolvat ab obligatione reddendi debitum, sed ipsum factum, sive adulterium, est tamen notitia commissi criminis conditio requisita ad hoc, ut se pars innocens justè possit absolvere ab isto onere, & debiti redditionem negare, quia non ipsum crimen secundùm se dat conjugi innocenti plenum jus negandi debitum, sed crimen sufficienter cognitum.

Ad secundum nego min. nam juxta dicta reddere tenetur, usque dum cognito alterius delicto possit se ipsum innocens ab obligatione absolvere, ante quam absolutionem alter sua possessione spoliandus non est.

Ad 3. concessa Maj. nego dist. Min. eo ipso, quòd alter commiserit adulterium, est debitor immunitatis, ut velit partem innocentem esse liberam ab obligatione debitum reddendi, ita ut teneatur se ipsum prodere, & manifestando suum crimen, hactenus occultum, ad pœnam se offerre, ut spolietur suo jure, nego, ita ut teneatur subire hanc pœnam conventionalem, si aliunde hoc suum factum conjugi innotuerit, concedo. In altera instantia paritas non est, quia ex quacunque causa Petrus desierit esse meus debitor, eo ipse, quòd desijt, & ego id scio, etsi ipse ignoret, non possum aliquid ab ipso petere, quia jam nihil debet, at verò conjux innocens non eo ipso nihil debet, quòd maritus commiserit adulterium, sed tunc primùm nihil debet, quando accesserit ista conditio, ut viri delictum ipsi cognitum sit juxta superiùs dicta ad primum argumentum.

Ad quartum nego conseq. quia quòd adulter non possit ab adultera divertere, non habet rationem pœnæ, sed ideo fit, quia illud nulli conceditur, nisi innocenti, ut autem excidat jure petendi debitum, quando ipse solus adulter est, hoc propriè habet rationem pœnæ, ad quam non debet ipse se ultrò offerre.

CASUS

CASUS TERTIUS

Affinitatis Matrimonio supervenientis ex incestu cum consanguinea conjugis.

Philagrius carnaliter cognovit Brasildam Uxoris suæ consanguineam, nescius, incestum privare jure petendi debitum conjugale.

Q. Igitur, an hoc suo peccato istam pœnam incurrerit?

SYNOPSIS.

1. *Qualis incestus privet jure petendi debitum à conjuge?*

2. *Olim incestus privabat jure petendi debitum usque ad quartum gradum inclusivè, idque etiam hodie vigere, aliquorum sententia est.*

3. *Sed probabiliùs copula cum consanguinea conjugis in tertio, vel quarto gradu non impedit petitionem debiti, hancque Sententiam non evertit allata hoc numero objectio.*

4. *Excusat etiam incestuosum ignorantia, qua triplex esse potest: ignorantia*

rantia Juris, facti, & pœnæ; & de prioribus quidem duabus ignorantijs convenit inter AA.

5. *Magis controversum est de sola ignorantia pœnæ; sed etiam hanc excusare, valde probabile est, unde deciditur in casu præsente pro Philagrio.*

1. Recolenda hîc sunt, quæ diximus in secunda parte inter impedimenta dirimentia *Classe III. §. 4. Cas. 1. n. 2. De Affinitate*, etiam in incestu, ut is inducat privationem petendi conjugale debitum, opus esse, ut quis habuerit perfectam copulam, quæ apta fuerit ad generationem, qualis si non fuit copula admissa à Philagrio, quantumcunque de cætero fuerit enormis commixtio, etiam sodomitica, aut quantamcunque pollutionem continens, aliudvé infandum crimen, uti veram affinitatem non inducit, ita neque impedimentum generat exigendi debitum conjugale. Gobat, Palao, Sanchez & alij &c.

Præterea notandum est, quòd, etsi omnes ij vocentur *incestuosi*, qui cum proprijs cognatis, & affinibus usque ad quartum gradum *inclusivè* perfectam copulam contra prohibitionem Ecclesiæ habuerunt, tamen, ut rectè advertunt Sanch. *L. 9. disp. 27. n. 7. & 14.* Gobat *tr. 10. n. 601.* & Patritius Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. Sect. 1. n. 84. Not. 2.* ille solus incestuosus privetur jure petendi debitum, qui habuit perfectam copulam cum consanguinea suæ uxoris: itaque jure petendi debitum non privatur is, qui cum propria sua consanguinea, vel uxor, quæ cum proprio suo cognato incestuosam copulam habuit, cùm nullam inde affinitatem cum conjuge contraxerit, ob quam incestuosus privetur jure petendi debitum à conjuge sibi jam facta affine. Similiter notandum est, jure petendi debitum non privari eum, qui cum affine propriæ uxoris peccavit carnaliter, ut iterum docent Sanchez *n. 4.* & Gobat *l. c.* contra Eman. Rodriquez *tom. 1. Summæ. c. 208. in fine*, quia talis incestus est improprijssimè incestus, siquidem ejusmodi affinitas est respectu adulteri nimis impropriè dicta affinitas, cum affines unius con-

conjugis nullo modo alteri conjuncti sint. Hæc omnia si bene notentur, quòd nempe carnalis copula habita completa, & perfecta fuerit, non cum affine conjugis, sed cum ejusdem consanguinea, ne sic quidem incestuosus adulter statim damnandus est in hanc pœnam, quòd debeat abstinere à petitione debiti, tum quia fortè ipsum eximet, quod indicatur in præsente casu, quòd pœnam hanc lege statutam ignoraverit, quod postea examinabimus, tum quia aliæ rationes rem possunt efficere dubiam, vel reum excusare; de quibus modò.

2. Ac primò quidem diligenter considerandum est, in quoto consanguinitatis gradu Brasilda contingat uxorem Philagrij, aut vice versa, quod enim de viro incestuoso dicitur, intelligendum est etiam de uxore committente incestum cum consanguineis sui mariti: cognito igitur gradu consanguinitatis, in primis certum est, affinitatem Matrimonio supervenientem, quæ orta est ex copula incestuosa cum consanguinea suæ uxoris in primo, vel secundo gradu impedire petitionem debiti, uti constat ex *c. Transmissæ*, & *c. Tuæ fraternitatis. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ*; reddere tamen tenetur, ut manifestum est ex c. Discretionem. De eo, qui cognov. consang. ubi dicitur: *sed nec affinitas post Matrimonium iniquè contracta ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine sua culpa privari*; idemque repetitur *c. penult.* & *c. fin. eod. tit.* Sanch. *L. 9. disp. 27. n. 1.* Dicastillo *disp. 9. de Matr. dub. 9. n. 94.* An verò hæc affinitas, & impedimentum oriatur ex copula cum consanguinea conjugis in tertio, vel quarto gradu, non ita expeditum est apud AA. Nam jure quidem antiquo ejusmodi copula impediebat tum Matrimonium contrahendum, tum post contractum prohibebat petitionem debiti usque ad quartum gradum inclusivè, at verò postmodum Concilium Tridentinum statuit *Sess. 24. c. 4.* ne per copulam fornicariam Matrimonium contrahendum impediretur ultra secundum gradum: quia autem dictum Concilium de privatione debiti mentionem nullam fecit, hinc arbitrantur Authores sat multi, & quidem, teste Perez, probabiliter, in ordine ad petitionem debiti conjugalis vigere etiamnum Jus antiquum, itaque argumentantur: à Jure antiquo recedendum non est, nisi quatenus in Jure novo expressum est: cùm ergo in Jure novo nulla inveniatur restrictio ad debiti petitionem, consequitur, affinitatem hanc, & impedimentum petendi debitum etiamnum extendi usque ad quartum gradum inclusivè, ita Angles, Cannedo, & plures alij apud Sanchez, & Dicastillo, quibus accedit Ludov. Lopez *p. 1. c. 80. §. Sed connumerare*, & Comitolus *L. 1.*

Responsor.

Responsor. Moral. q. 138. qui insuper utitur hoc argumento: Incestus est gravius peccatum, quàm adulterium, ut manifestum est ex *Can. Adulterij.* 32. *q.* 7. sed quodvis adulterium privat jure petendi debitum: ergo multò magis incestus.

3. Quidquid autem sentiant isti AA. sententia opposita est communior, & verior, videlicet copulam cum consanguineis alterius conjugis in tertio, vel quarto gradu habitam, non impedire petitionem debiti conjugalis. ita tenent Palao *disp. 3. de sponsal. pu. 6. n.* 2. Sanch. *l.* 9. *de Matr. disp.* 27. *n.* 14. Dicastillo *tract.* 10. *de Matr. disp.* 9. *dub.* 9. *n.* 106. Mart. Perez *de Matr. disp* 52. *Sect.* 3. *n.* 3. Bonac. *q.* 3. *de imped. Matrim. pu.* 12. *n.* 20. Gobat, Guttierez, & alij. Ratio est, quia privatio exigendi debitum conjugale imponitur in pœnam copulæ incestuosæ: at postquam affinitas, quæ oritur ex illicita copula restricta est à Tridentino ad secundum gradum, ac consequenter sublatum impedimentum contrahendi Matrimonium ob copulam cum consanguineis in tertio, vel quarto gradu, ea copula non est incestuosa propriè loquendo, quia non est censenda cum affine habita, neque inducit affinitatem, ex qua consurgat istud impedimentum; sicuti non censentur consanguinei rigorosè loquendo, in ordine ad hunc effectum, qui sunt extra quartum gradum, eo quòd extra illum non sit impedimentum Matrimonij contrahendi: ergo nec adest impedimentum petendi debitum ob ejusmodi illicitam copulam.

Si dicas, non omninò cessasse affinitatem ex copula illicita ultra secundum gradum, sed solùm cessâsse in ordine ad impediendum Matrimonium.

Contra est: cui licet, quod plus est, licet etiam, quod minus est juxta Regulam Iuris 53. in 6. Sed Tridentinum concedit, ut nulla oriatur affinitas ultra secundum gradum ad impediendum Matrimonium, quod plus est: ergo neque ad ejus usum, quod minus est. Confirmatur, quia Concilium Tridentinum restringit istam affinitatem, ut *simpliciter* Matrimonium neque impediat, neque dirimat: ergo restringit etiam, ut non impediat *secundùm quid*, scilicet *quoad usum*, quia si etiamnum obstaret usui, jam ex aliqua parte obstaret Matrimonio: dum ergo fecit, ne deinceps obstaret Matrimonio, fecit pariter, ut non obstaret ijs, quæ Matrimonium consequuntur, & illius sunt propria.

Denique apud cit. Sanchez, Dicastillo, Bonac & Gobat id Congregatio Cardinalium declaravit his verbis: *Congregatio Concilij censuit, Decretum Tridentini Sess.* 24. *De Matrim. c.* 4. *ad primum, & secundum gradum restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractam, censeri etiam quoad eosdem gradus restrinxisse*

restrinxisse impedimentum exigendi debitum ab uxore, quod inducitur ex affinitate proveniente ex illicita copula à viro cum consanguinea suæ uxoris post Matrimonium habita. Ex quibus omnibus manifestè corruit primum Adversariorum argumentum. De altero, quod affert Comitolus, non multùm nobis hîc laborandum est, nam casu præcedente sufficienter ostendimus, non quodvis adulterium privare adulterum jure petendi debitum conjugale, etiam quando occultum est, sed solùm quando id cognitum est parti innocenti, circa quod sibi Comitolus planè non constat in tradita à se doctrina, nam in hoc loco asserit, quodlibet adulterium privare adulterum jure petendi debitum, & tamen paulò antè, videlicet q. 135. apertis verbis docuit, quoties adulterium occultum est, non impediri adulterum à debiti exactione, aitque, hanc sententiam veram esse, & se in ea libenter conquiescere, cùm videatur non quidquam rationis habere, ut intermissa consuetudine exigendi debitum in suspicionem uxori ijs de rebus veniat, quas in viris suis metuunt mulieres. Omissa igitur hoc Pauli Comitoli fundamento, dicendum, à Confessario nequaquam damnari debere Philagrium ad abstinentiam à debiti petitione, quando ei patescit, hunc suum pœnitentem rem habuisse cum consanguinea uxoris in tertio, vel quarto gradu, sed solùm tunc, quando peccavit cum conjuncta in primo, vel secundo gradu, & hoc, ait Gobat, habere certissimò hodiernam praxim.

4. Præterea excusantur incestuosi ulteriùs à prædicta pœna per ignorantiam, quia triplex esse potest; nimirum ignorantia Juris, ignorantia facti, & ignorantia pœnæ. Ignorantia Iuris est illa, dum quis accedit ad consanguineam uxoris, vel vicissim, ignorans, extare legem specialiter prohibentem talem accessum ad conjugis consanguineam, legem, inquam, positivam; quamvis enim noverit, prohibitum hoc esse jure naturæ, potest nihilominus ignorare, quòd specialiter prohibitum hoc sit lege humanâ positivâ.

Ignorantia facti est, quando scit quidem, adesse legem Ecclesiasticam prohibentem accessum ad consanguineam uxoris, ignorat tamen eam, quam hîc & nunc cognoscit carnaliter, esse uxoris suæ consanguineam, vel, quod addunt Sanch. *l. 9. de Matr. disp. 32. n. 48.* Gobat, & Perez, si sciat quidem, esse consanguineam, ignorat tamen, esse in gradu tam propinquo conjunctam, existimans, esse in tertio, vel quarto gradu, cùm sit in secundo, vel primo, quia perinde est, ignorare consanguinitatem, & ignorare ejus gradum.

Denique

Denique ignoratia pœnæ est, quando quis, etsi sciat specialiter esse prohibitum accedere ad consanguineam suæ uxoris, atque insuper, etsi noverit, illam, ad quam accedit, esse uxoris consanguineam, ignorat tamen congredientem cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu puniri privatione juris petendi debitum.

His positis, communis ferè est Sententia, ignorantiam facti, uti & Juris invincibilem, imò & vincibilem, seu culpabilem, dummodo non fuerit affectata, vel adeò crassa, ut sit ingens temeritas ignorare, excusare ab incurrenda hac pœna, atque ideo taliter delinquentem non privari jure petendi debitum. ita Sanch. *L.* 9. *de Matr. disp.* 32. Perez *de Matrim. disp.* 52. *Sect.* 5. Dicastillo *tr.* 10. *disp.* 9. *de Matr. dub.* 9. *n.* 104. Bonac. *q.* 4. *de Matr. pu.* 2. *n.* 6. Gobat, Reginald. Navarr. & complures alij ab his citati.

Probatur hæc decisio textu Juris c. 1. De eo, qui cognov. consang. uxoris suæ, ubi dicitur: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem.* In hoc textu manifestè, & expressè petitur scientia ad hoc, ut contrahatur impedimentum petendi debitum: ergo laborans ignorantiâ, saltem facti, non incurrit hanc pœnam.

Quòd autem ignorantia Juris quoque excuset, iterum patet, quia ignorantia Juris, seu legis specialiter prohibentis accessum ad consanguineam suæ uxoris excusat à voluntaria transgressione talis legis: ergo necessariò etiam excusat à pœna, quæ transgressoribus talis legis imponitur. Anteced. prob. quia licèt copula *illa*, ut est fornicaria, sit jure naturali vetita, tamen in quantum est incestuosa, prohibetur per jus positivum Ecclesiasticum, quod statuit, intra hunc gradum committi incestum, ex quo oriatur affinitas, eique in pœnam constituit privationem debiti: ergo ignorans hanc legem positivam, non peccat contra eandem, sed offendit solùm Jus naturale, & Divinum, contra quod se agere novit; non autem positivum, quod ignorabat: ergo solius prioris Juris pœnas incurrit, non autem secundi.

Hæc de ignorantia invincibili sat certa sunt. Quòd verò etiam procedat de ignorantia vincibili, probatur, quia quando lex aliqua requirit scientiam, vel dolum ad incurrendam aliquam pœnam, non sufficit dolus præsumptus, & virtualis, sed debet delictum esse expressè, & formaliter volitum: atqui ad incurrendum incestum, cui imponitur pro pœna privatio debiti, requirit lex scientiam, ut patet ex cit. c. 1. De eo, qui cognov. consang. ux. suæ: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit &c.* ergo ab hac incurrenda excusat

cusat ignorantia, quæ affectata non est.

Neque obest, si quis dicat, idem esse, scire, ac debere scire, juxta *L. Quod te mihi. 5. ff. De reb. credit.* Respondeo enim, à nobis non excusari ignorantem per affectationem, imò & illum, cujus ignorantia ita crassa est, ut ingens temeritas sit, ignorare; quod solum vult iste textus. Præterea axioma hoc verum est in ordine ad contrahendum peccatum, non tamen in ordine ad pœnam, pœnæ enim leniendæ potiùs sunt, quàm exaggerandæ juxta *c. 18. dist. 1. De Pœnit.* Quamquam igitur talis ignorantia non excuset absolutam gravitatem peccati, excusat tamen ab illo modo gravitatis peccati, sine quo noluit lex peccatum punire. ita Sanch. Bonac. Perez & alij suprà citati omnes.

5. Majoris verò indaginis est, an excusetur etiam ab incurrenda hac pœna, qui laboravit solâ ignorantiâ pœnæ? Negant hoc absolutè Perez *l. c. n. 6.* malè citatus à Dicastillo pro parte contraria, Basil. Pontius & alij. Sed probabiliter affirmant Dicastillo, Bonac. Gobat, Diana *p. 3. tr. 5. resol. 12. & p. 11. tr. 5. resol. 39.* Idem censet Sanch. esse probabile, licèt in oppositum magis inclinet. Accedit denique Castropalao *p. 1. tr. 2. disp. 1. pu. 17. n. 8.* ubi, postquam dixisset, *peccantem cum consanguineis alterius conjugis in secundo gradu, ignorando, hunc accessum esse specialiter ab Ecclesia prohibitum, non impedire à debiti petitione*, subjungit in fine: *idem dicendum de ignorante solam pœnam*, hoc est, de ignorante, sibi esse prohibitam debiti petitionem ob incestum commissum, etsi sciat, hunc specialiter prohiberi. Ratio est, quia ignorantia pœnæ excusat ab incurrenda excommunicatione, & alijs censuris, ut tenent Suar. Laym. Coninck, Bonac. Filliuc. & plurimi alij agentes de censuris: imò probabiliter juxta Palao, & alios citatos, etiam ab irregularitate proveniente ex delicto, & consequenter quæ verè habet rationem pœnæ, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio injusto, hoc enim qui committit, evadit irregularis, etsi nesciat, huic delicto irregularitatem esse annexam, ut advertit Tamb. *c. 6. De Irregular. §. 5. n. 7.* ergo excusat etiam ab incurrenda privatione juris petendi debitum conjugale. Quod confirmatur, quia quantitas pœnæ proportionari debet quantitati delicti, *c. Felicis. De Pœnis. in 6.* ergo ubi minus delictum est, debet infligi minor pœna: sed minùs delinquit nescius per legem intentari gravem pœnam: quàm is, qui novit, minùs enim legem contemnit: ergo non potest eâdem, ut iste, pœnâ puniri.

At dicere quis poterit, hanc ignorantiam pœnæ non facere, ut delictum non sit voluntarium, & consequenter meritorium pœnæ, quia ubi est culpa, quæ est causa, consequitur

quitur etiam pœna, quæ est effectus, probat adeò ad summum, & efficit hæc ignorantia, ut pœna non sit voluntaria, quod nullo modo est necessarium, cùm pœna ex natura sua potiùs exigat, ut sit involuntaria.

Respondeo. nego antec. vel distinguo: hæc ignorantia non facit, ut delictum non sit voluntarium, materialiter illud accipiendo, conced. formaliter, nego, & explico distinctionem: etsi ad hoc, ut pœna aliqua incurratur, non requiratur consensus in ipsam pœnam, requiritur tamen consensus in causam pœnæ, nempe delictum, non solùm materialiter acceptum, sed formaliter, in quantum est causa: hoc autem non evenit, ubi delinquens non novit quidquam de pœna in talem transgressionem statuta: ergo ob ignorantiam pœnæ non incurrit hanc ipsam pœnam.

Opponi potest 2. Copula, ex qua oriri possit affinitas, quando præcedit Matrimonium contrahendum, id dirimit: ergo quando supervenit jam contracto, impedit petitionem debiti.

Resp. conc. antec. nego cons quam nullo modo sequi, patet ex instantia. Certum est, affinitatem contractam per copulam omnino violentam, si Matrimonium antecedit, id irritare, & tamen quando subsequitur, non impedit exactionem debiti, ut docet communior. Ratio ulterior est, quia copula prioris casûs inducit non tam pœnam, quàm impedimentum, & inhabilitatem ad Matrimonium, quod potest afficere etiam innocentem; in casu autem posteriore privatio debiti est pœna propriè dicta, quia privat jure jam acquisito per Matrimonium petendi debitum; pœnæ autem, quæ graves sunt, & extraordinariæ, qualis est ista, ut probatum est, à nescientibus non incurruntur, & plus est, perdere jus acquisitum, quàm acquirendum; dicendum ergo siqua ejusmodi ignorantia deprehendatur in Philagrio, non esse ipsum à confessario damnandum ad istam pœnam; ita videtur probabilius. Id interim certum est, quòd teneatur uxori innocenti petenti debitum reddere, etsi tantùm interpretativè petat, ut habent Gobat, Palao, Tannerus, & alij communiter. Id verò nullo modo videtur probabile, quod Sylvester, Sà, & alij quidam dicunt, non incurrere pœnam privationis debiti, si incestus fuerit occultus, quia ex nullo textu Juris hoc potest colligi, nec ulla ratione efficaci probari; & denique hac ratione vix unquam locus esset huic impedimento vel ad contrahendum Matrimonium, vel ad petendum debitum, cùm ordinariè incestus committatur occultè, &, quantùm fieri potest, tegatur.

Denique sive incestus occultè committatur,

mittatur, sive publicè, vel saltem postea publicetur, & occultus non permaneat, sed in notitiam alterius conjugis deveniat, utroque casu contrahitur affinitas cum conjuge, quæ sola causa est, cur in petitione debiti impediatur incestuosus: ergo ad pœnam hanc incurrendam nihil refert, an publicus sit, an occultus. Laym. Sanch. & alij passim.

CASUS QUARTUS

Variorum dubiorum circa conjuges, & usum Matrimonij illicitum.

Julitta aditura S. Synaxin in confessione proponit, nocte præcedente petenti conjugi se debitum reddidisse, nunc verò dubitare, an eapropter licitè possit adire sacram mensam? adjungit, se aliàs quoque passam esse à marito tactus impudicos; eidem debitum aliquando reddidisse, cùm manifestè agnosceret, eundem petere ex sola voluptate; in ejus verò absentia se delectatam fuisse de actu conjugali præterito, & futuro post mariti reditum: rescire ergo desiderat, an graviter per hæc peccaverit?

Q. Quid in his, & similibus dubijs respondendum?

SYNOPSIS.

1. *Ratione loci semper est peccatum grave, copulam conjugalem habere in publico.*

2. *An idem dicendum sit de loco sacro? Refertur duplex Sententia.*

3. *Vtraque componitur mediante distinctione, dicendo, esse illicitum, si fiat sine necessitate; per hanc verò excusari talem copulam à peccato, & sic non pollui Ecclesiam.*

4. *Quid nomine loci sacri intelligatur, & qualiter ejusmodi factum extra necessitatem illius reverentiæ, & Sanctati repugnet, etiam quando occultum est?*

5. *An ratione temporis illicita sit copula conjugalis Dominicis diebus, festisque solemnioribus, aut tempore jejuniorum?*

6. *Quid sentiendum, quando postridie percipienda est sacra Eucharistia? ubi habetur, quid respondendum sit ad primum dubium præsentis casûs?*

7. *Quandoque redditur illicita ob circumstantias personæ, quia v. g. intercedit impedimentum dirimens: & quid tenendum sit, quando est dubium de valore conjugij?*

8. *Eadem copula vitiatur ex intentione, ut si accedat ad uxorem, velut ad non suam, vel animo in aliam defixo. Si copulæ conjugali vacetur ob solam voluptatem, censuerunt aliqui, esse peccatum mortale; alij, omnino nullum.*

9. *Ostenditur, esse peccatum veniale, & argumenta contraria evertuntur.*

10. *An*

10. *An liceat conjugi debitum reddere ex sola voluptate, vel aliàs cum peccato exigenti? ubi iterum solvitur dubium in hoc casu propositum.*

11. *Quomodo reddatur illicita copula ratione situs? quale hoc sit peccatum? & num in confessione specialiter explicandum, abusum commissum esse cum propria uxore?*

12. *An, & qualiter liceant conjugibus tactus impudici, amplexus, & similia?*

13. *An peccet mortaliter conjux, dum in absentia alterius conjugis oblectat se cogitatione copulæ maritalis, vel se ipsum tangit libidinosè.*

14. *An idem liceat quoad has oblectationes viduis, & Sponsis de futuro, quod licet conjugatis?*

1. DIversa dubiá complectitur iste casus. Aliqua ipsum conjugale debitum attingunt, an illud in certis circumstantijs licitè petatur, aut reddatur; alia versantur circa ea, quæ extra actum Matrimonij conjugibus aliquando eveniunt. Quantùm ad debitum conjugale, multa in primo casu istius quæstionis jam pertractata sunt; aliqua tamen reservavimus in hunc locum, ut accuratiùs examinari posset, quandonam actus Matrimonij, ex se cæteroquin licitus, & honestus, reddatur illicitus? quod fieri potest ob circumstantias *loci*, *temporis*, *personæ*, *intentionis*, ac *modi*, de quibus singulis modò agemus: subjungemus deinde cæteta, quæ in hoc casu continentur, vel ad eundem reducuntur.

Ratione *loci* potest actus conjugij in duplici eventu vitiari, nempe dum publicè, id est, coram aliis, & dum in loco sacro exercetur. Et quidem in loco publico petere, aut reddere debitũ manifesta culpa lethalis est, tum ratione scandali, cùm sit ex se occasio ruinæ aspicientibus, in quibus excitat, vel excitare potest lasciva desideria, vel saltem delectationem morosam, tum, etiamsi omne scandalum abesset, quia

quia ob turpitudinem actûs graviter dissonat rationi, si conjuges in publico commisceantur, nimiúmque adversatur decentiæ, & honestati humanæ, adeò, ut nulla necessitate hoc excusari valeat juxta Perez *disp. 49. de Matr. Sect. 4. n. 2.* nec mirum est, quòd naturalis verecundia hominibus istud dictet, ut locum secretum in actu conjugali inquirant, hominumque oculos devitent, cùm bruta quoque animalia, quæ ratione carent, ex ipso naturæ instinctu in coitu aliorum aspectum fugiant, ac solitudinem quærant, ut de camelis, & elephantis tradunt Aristoteles *l. 5. Hist. animal. c. 2.* & Plinius *Hist. Natural. tom. 1. l. 8. c. 5. & L. 10. c. 63.* Quare propter ingentem verecundiam, quæ in hoc actu reperitur, abrumpi posse copulam, si aliqui ex improviso superveniant, docet Præpos. *q. 6. de Matr. dub. 12. n. 86.* licèt inde sequatur aliqua effusio seminis extra vas naturale, quia in tali circumstantia non censetur voluntaria. Quod verò dictum est de copula, id ipsum extenditur ad tactus quoque inter conjuges, quando inspicientibus alijs exercentur, & ex se tales sunt, qui possint adstantes ad venerem valde incitare, attenta eorum fragilitate, tunc enim sine culpa lethali non fiunt, quia mortale est, coram alijs efficere id, quod suapte naturâ ad mortale induci. Sanch. *l. 9. disp. 15. n. 2.* Perez *l. 6. n. 3.* Palao *disp. 3. De sponsal. pu. 4. §. 4. n. 1.*

2. An idem actus conjugij illicitus sit ratione *loci sacri*, triplex sententia est. Aliqui absolutè affirmant, actum conjugalem habitum in dicto loco, esse illicitum, & sacrilegum, ac per eum Ecclesiam pollui; hoc enim prohibitum est intuitu loci sacri. c. Vnic. De Consecrat. Eccles. in 6. & c. fin. eod. ubi dicitur: *si Ecclesia cujuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta &c.* in quibus locis cùm textus loquatur generaliter, intelligendi sunt de quavis copula, sive secundùm se illicita, sive aliàs licita, si fieret in alio loco, quia actus conjugalis, etsi ex se licitus, ob suam turpitudinem semper indecentiam habet, si fiat in loco sacro: proinde ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. *L. De Pretio ff. De Publiciana in rem actione,* ita Navarr. *in Manuali c. 16. n. 32.* Cajet. *V. Matrimonialis usus. Vers. Sextum caput.* Armilla *V. Debitum conjugale. n. 26.* Eman. Rodriq. *tom. 1. summæ c. 242. n. 19.* Vivald. *in candelabro aureo p. 1. De Matr. c. De debito conjugali. n. 12.*

Altera sententia directè opposita negat absolutè, actum conjugalem eo in loco esse prohibitum, & præcitatos textus arbitratur intelligendos esse duntaxat de copula illicita, non verò de conjugali, cùm quæ pœnalia sunt, & odiosa, potius

tiùs restringi debeant, & in mitiorem partem explicari. Quare dicendum, solâ seminis effusione ex se illicitâ Ecclesiam pollui, ac proinde illicitam eam esse etiam specialiter, in quantum exercetur in hoc loco, non autem pollui Ecclesiam copulâ conjugali, quemadmodum, etsi voluntariâ humani sanguinis effusione Ecclesia polluatur, non tamen polluitur, quando illa justa, & licita, ac in legitimam sui defensionem facta est. ita Glossa *in c. Ecclesijs. Dist. 1. De Consecrat. V. Semine.* Basil. Pontius *L. 10. De Matrim. c. 10. n. 13.* Perez *disp. 49. Sect. 4. n. 7.* Hurtad. *disp 10. difficult. 4. n. 16. & 17.* & plures alij ab his citati. Sed hæc sententia mihi non placet, cùm actus iste semper videatur habere in se magnam inordinationem, & sanctitati loci plurimùm adversetur, si extra necessitatem in eo exerceatur, ac proinde ex hoc, quòd actus conjugalis secundùm se licitus sit, non sequitur, licitum esse etiam in istis circumstantijs, nisi necessitas excusset, sicut occisio hominis, quæ imperatur à Iudice, etsi secundùm se licita, ac justa sit, non tamen fieri debet, aut potest in Ecclesia, seu loco sacro, cùm reverentiæ, ac sanctitati Ecclesiarum semper adversetur, ibi humanum sanguinem fundere, nisi necessitas ad istud adigat.

3. Tenenda igitur est tertia sententia inter utramque præcedentem media, quæ mediante distinctione utramque præcedentem conciliat, ac probabilior est, pollui Ecclesiam, aut locum sacrum, quando conjuges sine necessitate in eo utuntur conjugio, quia talis actus est loco sacro injuriosus, & consequenter sacrilegus: secùs, quando est gravis necessitas, veluti si ratione obsidionis, aut similem ob causam conjuges debeant intra Ecclesiam manere, ita ut neque diu, neque noctu possint egredi ad alium locum non sacrum, quo maritaliter copulentur, tunc enim videtur nimis grave, & periculosum ob humanam fragilitatem, eos cogere, perpetuò toto illo tempore conjugij usu abstinere. Nec audiendi sunt Authores aliqui, qui tunc solùm existimant, adesse necessitatem, quæ à peccato excusare valeat conjugalem concubitum in Ecclesia, si in alterutro è conjugibus immineat periculum incontinentiæ; hoc verò si absit, fore lethaliter peccaminosum. Sed absolutè dicendum est, usum conjugij in loco sacro habitum excusari, quando mora est diuturnior, quamvis fortè in aliquibus non subsit hoc periculum, quia sufficit, quòd plerunque possit subesse, ut licentia censeatur ab Ecclesia concessa, aliàs ejus præceptum, spectatâ humanâ fragilitate, nimis esset rigidum, pro hominibus præsertim plebeijs, quibus grave est, etiam seposito incontinentiæ periculo, diutiùs abstinere ab actu conjugali: non

erit

erit igitur actus ille illicitus, aut injuriosus Ecclesiæ, quia necessitas irreverentiam excusat, consequenter Ecclesia per eum non polluitur. Imò plùs dicunt Sanchez, Præpositus, & Lessius, quando conclusio putatur futura diuturna, actum conjugalem etiam in principio tore licitum, nec opus esse, ut expectent conjuges, donec aliquod tempus elabatur. Tempus autem diuturnum censetur juxta dictos Authores inclusio unius mensis, vel saltem per quindecim, aut viginti dies, non verò, quæ duret solùm ad unam, alteramvé diem, vel etiam ad quinque, aut sex, quia non difficile est tot dies continere. Minùs attendendi sunt AA. illi, qui docent, reddentem in hac necessitate esse immunem à culpa, petentem verò reum culpæ saltem venialis, nam hoc immeritò dicitur, quia si necessitas omnem irreverentiæ rationem aufert, totam deformitatem, & culpam evacuat, proinde nulla culpa contrahitur ratione loci sacri, sive reddatur, sive petatur debitum, ita Sanch. *L. 9. disp. 15. n. 12. & seqq.* Less. *L. 4. De Iust. c. 3. dub. 12. n. 85. & seq.* Coninck *q. 83. De Ritu Venerab. Sacrament. art. 3. dub. 1. n. 231.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 6. de Matr. dub. 12. n. 85.* Tannerus *tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 2. n. 29.* Laym. *L. 5. tr. 5. c. 5. n. 8.* Azor *p. 3. L. 3. c. 31. q. 5.* Scorcia *L. 2. de Sacrif. Missæ c. 13. n. 7.* Sayrus *L. 5. De Censuris c. 16. n. 17.* alijque plures, quibus non adnumero eos, qui minùs clarè hanc nostram Sententiam tenent, quòd diuturnitas inclusionis excuset, sed totam hanc excusationem refundunt in periculum incontinentiæ, inter quos est Cardinalis Toletus *L. 5. Summæ c. 12. ad finem.* qui malè à pluribus, & falsò citatur pro prima opinione, cùm potiùs secundam teneat; imò nostræ faveat. Eandem hanc nostram Sententiam defendunt etiam è Canonistis Covarruv. *in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 2. n. 3.* Sylvest. *V. Consecratio 2. q. 5.* Pax Jordan. *L. 5. Tit. 12. n. 113. & seq.* Barbosa *De Offic. & potest. Episc. Alleg. 28. n. 48.* Pirhing *De Consecr. Eccles. n. 12.* Wiestner *n. 42. eod. tit.* Engl *n. 20.* Anacletus Reiffenstuel *n. 20. eod. &c.*

4. Cæterùm sub nomine loci sacri, quem diximus copulâ etiam conjugali extra casum necessitatis violari, non intelligimus omnem eum locum, quem eo nomine aliàs comprehendimus, quando de immunitate Ecclesiastica agimus; sunt enim loci plurimi, è quibus sine Sacrilega violatione Rei eò confugientes à ministris Justitiæ extrahi nequeunt, qui tamen per actum conjugalem, vel etiam copulam illicitam non pariter violantur, ac profanantur, quia cùm immunitas cedat in specialem Ecclesiæ favorem, ejusque privilegium sit, nomen Ecclesiæ, aut loci sacri latius accipiendum est, & ampliùs extendendum, quàm quando agitur de

de ejus pollutione, ac profanatione, quæ pœnalis, & odiosa est, ac proinde strictè accipi debet juxta *Reg. Iur. Odia. 15. in 6.* ut notat Thomas del Bene *De Immunit. Eccles. c. 16. dub. 9. Sect. 3. n. 2.* Igitur nomine *loci sacri* in hac materia intelligitur Ecclesia consecrata, vel benedicta, cœmeteria, & oratoria constituta authoritate Episcopi, ac deputata ad Divinum cultum: secùs dicendum est de Monasterijs, dormitoriis, cubiculis Religiosorum, vel Sacerdotum, & oratorijs privatis, non constitutis authoritate Episcopi, quamvis enim hæc loca sint sacra, ita ut gaudeant immunitate Ecclesiæ, non tamen ita sacra sunt, ut copula, vel pollutio in illis habita specialem sacrilegij malitiam contineat, nisi in ipsis extet altare ad facienda Divina. Sanch. *l. c. n. 23. & seqq.* Bonac. *q. 4. De ijs, quæ pertinent ad usum Matrimonij. pu. ult. n. 9.* Azor *l. cit. c. 27. q. 13. & seq.* Basil. Pontius *l. c. n. 3. & seqq.* Quare non violatur locus sacer, neque committitur sacrilegium, si copula habeatur supra tectum, vel fornicem Ecclesiæ, vel in loco subterraneo, ut in caverna fabricata sub pavimento, nisi locus ille subterraneus sit sepultura; neque in turri, seu campanili, neque in Sacristia, aut cameris adhærentibus ad sacrarum vestium, rerumque aliarum Ecclesiæ custodiam, hæc enim omnia sunt extra Ecclesiam, nec spectant ad interius illius corpus. Quòd verò addunt aliqui, nimirum Vasq. 1. 2. *disp. 98. c. 3. n. 6.* Perez *l. c n. 9.* Basil. Pontius *l. c. n. 15.* Coninck *l. c. n. 230. &c.* copulam conjugalem extra necessitatem in Ecclesia habitam, vel aliam illicitam, v. g. fornicariam, aut quamvis seminis humani, aut sanguinis peccaminosam effusionem non continere peculiare peccatum sacrilegij, nec pollui per eam locum sacrum, quando occulta est, vel uni tantùm, alterivé, aut paucis hominibus nota, id equidem probare non possum, quia contrarium constat ex *c. Significasti. De Adulter.* ibi enim adulterium cum Sacerdote intra Ecclesiam occultè contigit, & tamen, quia ex post facto per confessionem mulieris adulteræ publicè factam de crimine constitit, præcepit Alexander III. ut Ecclesia reconciliaretur, quod fieri non debuisset, nisi à principio tunc statim polluta fuisset Ecclesia, quando in ea adulterium patratum est, nec enim confessio criminis, vel populi notitia superveniens eandem violavit, sed potiùs violatam ostendit, ipsumque tale facinus illius Sanctitati summopere adversatur, atque ideo dici non debet, quòd specialem sacrilegij malitiam non complectatur, cùm reverentiæ Ecclesiæ non solùm repugnet, ejusmodi actus ibi publicè fieri, sed absolutè criminosum est ibi fieri ob loci Sanctitatem. Id nihilominus verum est, quamdiu crimen

men occultum manet, non indigere Ecclesiam reconciliatione, quia in judicio, & æstimatione hominum nondum censetur esse violata, nec ejus Sanctitas pro læsa, & profanata habetur in mentibus hominum, sed retinet quasi suam bonam famam, cùm nulla adhuc adsit notoria illius diffamatio, atque ideo necesse non est, ut ejus honor reconciliatione reparetur, propemodum ut evenit in excommunicatione, nam verè excommunicatus dicitur, qui talis est à parte rei, quamvis, dum est occultus, vitandus non sit, & pro excommunicato non habeatur. ita Lessius *l. c. n. 86. ad finem.* Barbosa *l. c. n. 40. & 50.* Reiffenstuel *n. 22.*

5. Ob circumstantias temporis an aliquando illicitus reddatur usus Matrimonij, moveri potest controversia in tribus punctis. 1. An diebus Dominicis, ac festis, præsertim solemnioribus? 2. An diebus jejunij ab Ecclesia præcepti, velut in quadragesima, maximè verò in hebdomade sancta, quando memoria agitur Passionis Dominicæ, & quando ducuntur solemnes supplicationes, ut in ferijs Rogationum? 3. An die, quo conjuges volunt adire S. Synaxin, aut pane Angelico refecti sunt? Aliqui judicarunt apud Sanchez *L. 9. disp. 12.* istis diebus exigere debitum conjugale, esse peccatum lethale, pro qua opinione citantur Magister Sententiarum, & Durandus. Alij, in quorum opinionem inclinat Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 6. dub. 3. n. 52.* paulò mitiores exactionem debiti ijs diebus arbitrantur culpam continere, sed venialem duntaxat. Moventur tum isti, tum illi diversis testimonijs SS. PP. Hieron., Augustini, Ambrosij, & aliorum, quorum dicta referuntur per plures canones caus. 33. q. 4. & de festis quidem, & Dominicis diebus. *c. Quotiescunque*, additurque ratio, quia diebus festis, præsertim solemnioribus, vacandum est Deo: ergo contra rationem est, vacare actui conjugali, quo mens à Divinis abstrahitur. Pro diebus Rogationum, alijsque, quibus instituuntur solemnes Litaniæ, ac supplicationes, & quibus Ecclesia jejunium præscribit, allegantur c. *Christiano*, *c. Si causa. c. Tres. caus. & quæst. cit.* estque iterum ratio, quia dies Rogationum, & alij similes pro publicis supplicationibus instituti, ab Ecclesia destinantur Divino cultui, & orationi pro publicis ejusdem Ecclesiæ necessitatibus; carnalis autem delectatio mentem absorbet, & ad spiritualia ineptam reddit: jejunia item præscribuntur, ut caro maceretur, & voluptate etiam licita privetur: ergo obligatio est abstinendi illis diebus à vehementi delectatione, qualis in actu conjugali invenitur.

Dicen-

Dicendum verò est, etsi convenientissimum sit, prædictis diebus ab opere conjugali abstinere, ut ferventiùs possint conjuges orationi, alijsque pijs operibus vacare, cui fervori non leviter obstat conjugalis usus ob voluptatem sibi innatam, at quia is nuspiam prohibitus reperitur, nulla est culpa, si dictis diebus habeatur. Quod autem SS. Patres in citatis textibus asserant, diebus feriatis, & jejuniorum conjuges à copula debere abstinere, intelligendi sunt ex decentia, & honestate, ut liberiùs orationi assistant, & dicta eorum continent consilium, non præceptum; vel si antiquitùs fuit aliqua Ecclesiæ prohibitio, ea hoc tempore prorsus evanuit, ut ajunt Basil. Pontius *l.* 10. *c.* 9. *n.* 5. & Perez *disp.* 49. *Sect.* 3. *n.* 2. unde cessante ea prohibitione, nunc cessat quoque ea obligatio. Imò *can. Vir cum propria conjuge. cit. loc.* qui est desumptus ex Divo Gregorio, apertè dicitur, licitam esse copulam conjugalem, debitè factam, omni tempore: nullum proinde peccatum est, sive petatur, sive reddatur debitum ijs diebus. Quòd si verò omni e Ipâ vacat, etiam veniali, infertur ex hoc ipso, ijs diebus debitum petenti obligatum esse conjugem illud reddere sub gravi culpa, quia per illam indecentiam, quæ his diebus inesse videtur, obligatio justitiæ non suspenditur, ita Sanch. *L.* 9. *disp.* 12. *n.* 5. Palao *disp.* 3. *de sponsal. pu:* 4. §. 4. *n.* 5. Coninck *disp.* 34. *dub.* 9. *n.* 75. Azor *tom.* 3. *L.* 3. *c.* 31. *q.* 7. Gobat *tr.* 10. *n.* 582.

6. Illicitum verò esse usum conjugalem, quando sequente die percipienda est sacra communio, videtur, desumi posse ex verbis c. Sciatis. 33. q. 4. *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere debet*, & paulò post: *Si panes propositionis ab ijs, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò antè hæserunt amplexibus, violari, atque contingi.* Quare rursum affirmat Tannerus *l. c.* peccare venialiter contra reverentiam Sacramenti, qui absque causa urgente pridie communionis debitum exigit: idemque sentit Victoria *in Summa. De Sacram. Matr. n.* 278. Eman. Sà *V. Debitum conjugale n.* 19. Vivaldus *in Candelab. aureo p.* 1. *de Matr. c. ult. De debito conjugali. n.* 13. & plures alij, qui tamen communiter à peccato excusant, quando pars altera instanter petijt. Victoria verò cum alijs quibusdam utrumque conjugem obligat sub culpa veniali, ut post Matrimonij usum à communione abstineat, cùm debiti redditio non minùs animum à spiritualibus avocet, ipsumque absorbeat, quàm illius spontanea petitio.

Dicendum circa hoc dubium, decens quidem, atque convenientissimum

mum esse, post usum conjugalem sive petendo, sive reddendo exercitum abstinere ea die à sacra communione, nisi justa aliqua causa oppositum suadeat, quia indecens est, tali tempore ejusmodi voluptati indulgere, & ad sacram Communionem maxima requiritur devotio, & puritas affectûs, quam talis voluptas funditus evertit, & ad omnem pietatem hominem reddit inhabilem: igitur talibus communiter suadendum est, ut tunc communionem differant in alium diem; non tamen peccat etiam venialiter, qui eo die ad S. communionem accedit, si debitum petijt ex recto fine, v. g. ex causa prolis, vel quia ob singularem corporis dispositionem speravit tunc potiùs, quàm aliàs, prolem esse concipiendam, quàm unicè intendit, vel propter suam, aut alterius gravem tentationem superandam, quia tunc actus nullo modo est malus, neque impediet communionem, si nullus eius effectus remaneat. At verò si debitum petijt ex nimia carnis concupiscentia ob capiendam voluptatem, regulariter censendus est peccare venialiter, si post copulam conjugalem accedat ad sacram synaxin, non quidem, ut rectè observat Basil. Pontius *l. c. n.* 5. quòd agat contra præceptum aliquod Ecclesiasticum, sed quia agit contra præceptum Divinum, quòd prohibet hanc indecentiam, & exigit ut puriore dispositione ad fontem puritatis accedamus. Dixi autem, peccare talem venialiter *ordinariè*, ac *regulariter*, quia possunt aliquando justæ causæ adesse, quæ indecentiam illam tollant, ut consequenter nulla culpa sit, accedere tunc ad sacram Eucharistiam, veluti si sit magna festi solemnitas, in qua decentissimum sit, sacram Eucharistiam percipere, vel si sit jubilæum exigens communionem, ut indulgentiæ obtineantur; si adsit specialis quædam devotio, & præparatio ad communionem, vel denique si sine nota aliqua communio omitti non possit, ita Sanch. *L.* 9. *disp.* 13. *n.* 4. *& seqq.* Perez *l. c. à. n.* 7. Coninck *q.* 80 *art.* 7. *n.* 44. *& seqq.* Palao *disp. unic. De sacram. Euchar. pu.* 15. *n.* 3. *& seqq.* nec intermittam hîc annotare, quæ in eundem sensum hac de re scripsit Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *De Euchar.* quid à confessario in simili casu sit respondendum, si mulieres ex eo quærant, utrùm marito debitum reddere debeant eo die, vel pridie diei, qua communicaturæ sunt? si mulier, inquit, frequenter communicare soleat, v. g. omnibus diebus Dominicis, aut festis, tunc confessarius respondeat, eam obligari ad reddendum, alioquin periculum esse, ne mortaliter peccet tum contra justitiam, si maritò seriò, & constanter petenti neget, tum contra charitatem ratione scandali, quia exinde rixæ, & odia oriuntur, & interdum maritus ea occasione frequentem uxoris communionem aversari

aversari solet, non sine Sacramenti irreverentia. Nihilominus tamen mulier communicare poterit, etsi compulsa necessitate debitum marito reddiderit, quia implevit opus bonum, & ex justitia debitum; si tamen ob mentis evagationem indispositam se sentiat, consulendum ipsi erit, ut intermittat, nisi justa ratione cogatur.

Si verò mulier non frequenter communicat, sed in præcipuis festivitatibus, tunc respondeat Confessarius, quòd maritum commonere, & rogare possit, ut abstineat in honorem festivitatis, aut sacræ suæ communionis, nisi ex tali commonitione mariti iram, aut offensionem incurrere debeat; tunc enim si admonere facilè non possit, vel admonendo nihil proficiat, debitum reddendum est petenti, & nihilominus ad S. Synaxin accedere poterit, si animi distractionem, & indispositionem insolitam non patiatur, vel etiamsi patiatur, tamen sine nota aliqua sacram communionem intermittere non possit. ita Laym. idemque ferè dicendum est de petitione, ac redditione debiti eo die, quo conjuges sacrâ Eucharistiâ refecti sunt, quod per se loquendo omni culpa vacare testatur Sanch. *disp cit. n.* 17. cùm nullibi inveniat prohibitionem, nec indecentiam, quæ culpam constituat. Atque ita patet, quid circa hoc dubium Iulittæ respondere potuerit confessarius.

7. Ob circumstantiam personæ diversis modis vitiari potest, reddique illicita copula conjugalis, ac primò quidem, si vel uterque conjugum, vel eorum alteruter castitatis voto obstrictus sit, ante, vel post Matrimonium contractum edito, quod usum conjugij vel ex toto, vel ex parte impediat, eidemque adversetur, de quo ex instituto egimus inter impedimenta, eandemque materiam bellè, ac fusè pertractat Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 6. *dub.* 3. *n.* 53. *& seqq.* fussissimè autem Sanch. *L.* 9. *disp.* 7. *& 23. cum pluribus seqq.* Secundò illicita fit eadem copula ob circumstantiam personæ, si post contractum Matrimonium impedimentum affinitatis superveniat, ut si maritus per incestum cognoscat consanguineam uxoris suæ in primo, vel secundo gradu, de quo pariter suprà egimus. Tertiò. si fuerit contractum Matrimonium cum quocunque impedimento dirimente, ex quo illud invalidum sit, de quo similiter à nobis dictum est in præcedentibus, vel etiam si superveniat dubium de valore conjugij, quod hoc loco examinandum est.

Circa hoc clarum, atque indubitatum est, quando uterque conjux certò novit Matrimonium esse nullum, utrumque peccare moraliter sive petendo, sive reddendo debitum, cùm talis congressus sit commixtio cum non sua, ac consequenter mera fornicatio

fornicatio, quæ est intrinsecè mala, & nullo casu licita juxta communem DD. At verò si unus conjugum bona fide sibi persuadet, ac pro certo habet, Matrimonium esse validum, alteri autem soli constat, esse nullum, quia vel physicè certus est, vel moraliter, adeò ut prudenter non possit dubitare, adesse impedimentum dirimens, tunc iste non solùm non potest debitum petere, sed neque reddere, etsi pars altera, quæ bona fide indubitanter putat, valere Matrimonium, prædictum debitum urgeat: ita deciditur ab Innocentio III. in c. Inquisitione. De Sentent. Excomm. ubi consultus Pontifex, quid faciendum sit conjugi, qui certò scit, adesse impedimentum conjugij, propter quod sine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, ita respondet: *debet potiùs Sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quàm per commercium carnale cooperari peccato mortali*; idque verum est, etiamsi hoc impedimentum, de quo sibi certò constat, apud Ecclesiam probare non possit. Perez *disp. 53. Sect. 1. n. 2.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 4. §. 9. n. 1.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 6. dub. 3. n. 34.* Bonac. *q. 4. de Matr. pu. 4. n. 17.* Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 2. n. 471.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 6 de Matr. dub 21. n. 160.* Ratio est, quia etiam sic committitur vera fornicatio, quamvis enim pars ignara impedimenti, & in bona fide persistens, debitum licitè exigat, cùm illam excuset invincibilis ignorantia nullitatis, ex qua putat, habere se jus petendi, non tamen propterea potest alter reddere, cùm ipsi constet, quòd altera pars invalidè petat, & re ipsa jus nullum habeat, atque ideo, si ipse reddendo consentiret in copulam, non consentiret in debitum conjugij, sed in crimen fornicationis.

Quòd si ambo contraxerunt bona fide, postea verò dubitant de Matrimonij valore, quamdiu dubium non deponunt, nec petere possunt, nec reddere debitum, ne se peccandi periculo exponant: si verò unus duntaxat, sine certitudine de nullitate, opinatur Matrimonium esse invalidum, vel de illius valore dubitat, stante hoc dubio, is quidem petere debitum conjugale non potest, reddere tamen tenetur exigenti debitum alteri parti, quæ bona fide contraxit, nec conscia est alicujus impedimenti, aut de valore dubitat. Ratio est, quia pars ista est in possessione: hac igitur, & jure debitum petendi privari non debet ob dubias alterius, vel etiam probabiles, non tamen certas rationes, nisi ostendi possit, quòd jure isto careat; idque iterum deciditur clarissimè in suprà cit. c. Inquisitioni. De Sententia Excom. in casu, quo de invaliditate conjugij certitudo non habetur, sed sola opinio, vel dubium, ita enim ibi Pontifex loquitur: *Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credu-*

litate

litate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugij, vel contra judicium conscientiæ committat offensam, idemque colligitur ex c. Dominus. De Secundis nuptijs: *si verò aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* Dixi autem, *stante hoc dubio*, quia communis est DD. Sententia, quòd si vel ambo conjuges, vel eorum alteruter post initum bona fide conjugium incipiant de ejus valore dubitare, eum, qui ita dubius est, teneri moralem & exactam diligentiam adhibere, qua in cognitionem veritatis deveniat, & interim à debiti petitione abstinere, quamvis reddere possit non dubitanti; si autem sufficiente adhibitâ diligentiâ veritas deprehendi non possit, & dubium perseveret, tunc posse ipsum non solùm reddere, sed etiam licitè debitum petere, quia in omnibus contractibus ille, qui bona fide cepit possidere, utitur liberrimè re sic possideri cæpta, si orto dubio nequeat deprehendere, non esse suam. Bonacin. *l. c. n. 5.* Perez *disp. cit. Sect. 2. n. 3. & seqq.* Coninck *disp. 34. dub. 10. n. 105.* Sporer &c.

Addo denique, quando conjux nullam habet justam rationem de Matrimonij valore dubitandi, vel opinandi, id esse invalidum, sed solùm inanibus scrupulis, aut levibus quibusdam fundamentis movetur, debere tunc eum ex judicio viri prudentis eosdem scrupulos, & opiniones deponere, & sic liberè ut posse Matrimonio, ut rursum patet ex præcitato c. Inquisitioni. De Sent. Excom. *In secundo casu distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & discreta? & quidem ad sui pastoris consilium (conscientiâ levis, & temerariæ credulitatis explosa) licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.* Coninck *l. c. n. 100.*

8. Ex parte intentionis illicita redditur copula conjugalis, & quidem mortaliter peccaminosa, si quis accedat ad conjugem mente adulterâ tanquam ad non suam, ut per se clarum est; vel si maritus, & eodem modo si uxor in actu conjugali delectetur in alterius viri, aut fæminæ imaginatione, quam vel iste, vel quem illa carnaliter diligit, & in illius imaginatione animum pascat, seque ita gerat, perinde acsi rem cum illa haberet, is utique mortaliter peccat, quia est delectatio morosa in objecto mortaliter malo. At si delectatio in nulla re turpi esset, sed in sola pulchritudine viri, aut fæminæ cogitanda, sibique in animo repræsentanda consisteret, quemadmodum delectari quis potest in cogitatione pulchræ arboris, prati

prati florigeri, picturæ &c. ut sic ad actum conjugalem excitetur, & ardentiùs feratur in uxorem; ibidem sistendo, à culpa lethali excusant Gobat *tr.* 10. *cas.* 15 *n.* 587 & Sanch. *l.* 9. *disp.* 17. *n.* 6. quia hæc delectatio non fertur in turpe objectum, & ad honestum finem dirigitur, non tamen est hoc alicui permittendum, sed vel maximè dissuadendum propter periculum mentalis adulterij.

An autem illicita sit conjugalis copula, dum petitur voluptatis causa, major aliquando controversia fuit, quàm modo sit. Complures sunt apud Sanch. *l.* 9 *disp.* 11. *n.* 1. qui actum conjugalem ob libidinem explendam, & voluptatis causâ exercitum damnarunt peccati mortalis. Alij ex opposito putarunt, nullam omnino culpam esse, uti conjugio ex sola voluptate. ita præter Almainum, aliosque antiquiores aliquos, quos citat dictus Sanch. *n.* 2. docuere Basilius Pontius *l.* 10. *c.* 8. *n.* 8. Jo. Sanch. *in Selectis. disp.* 23. *n.* 25. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 216., qui tamen *p.* 11. *tr.* 8. *resol.* 33. ait, nihilominus probabilius esse, hoc non carere culpâ, maximè si fiat ob nimiam illam delectationem, & solùm ex desiderio illius, quo modo hoc etiam limitant Perez *disp.* 18. *de Matr Sect.* 7 *n.* 9. Dicastillo *disp* 9. *de Matr. dub.* 2. *n.* 14. & Hurtad. *disp.* 10. *de Matr difficult* 2. *n.* 7 qui pro eadem sententia citari solent.

Fundamenta hujus opinionis sunt 1. quia delectari cum uxore de se non est malum, aliàs quilibet cognoscens uxorem peccaret; ergo ferri in eam delectationem non est ferri in aliquid malum, sive prohibitum, ac consequenter ob solam delectationem uti conjugio non est malum ex objecto; neque est malum ob circumstantiam mali finis, cùm supponatur, non ferri in alium malum finem: ergo simpliciter vacat culpâ. 2. Si intendere delectationem actûs conjugalis esset culpa, saltem venialis, actus conjugalis esset illicitus, unde illicitus quoque esset contractus Matrimonij ad hunc actum ordinatus ob prolis generationem, cùm nemo se possit obligare ad culpam venialem: ergo ea delectatio, & voluptas carnalis ex se verè est licita, sicut actus conjugalis, atque ideo potest ea unicè intendi.

9. Dicendum nihilominus cum Sanch. *l. c. n.* 4. Bonac. *q.* 4. *De Matr. pu* 6. *n.* 7. Vgolino *De Sacramentis tract. de Matrim. c.* 10. *in fine*, Tamb. *l.* 7. *in Decal. c.* 3. §. 5. *n.* 9. Armilla *V. Luxuria. n.* 2. Petro de Ledesma *q.* 49. *De Matrim. art.* 6 *dub.* 1. Azor *tom.* 3. *l.* 3. *c.* 31. *Difficult* 3. Coninck *disp.* 34. *dub.* 1. *n.* 12. Reginaldo *l.* 31. *n.* 340. actum conjugalem solius voluptatis gratiâ exercitum, si fines Matrimonij cæteroquin non transgrediatur, non esse quidem peccatum mortale, sed tamen veniale. Prior pars inde patet,

tet, quia hæc delectatio, cùm versetur circa actum conjugij, qui per se licitus est, non usque adeò est aliena à recta ratione, ut censeri debeat, dissolvere Divinam amicitiam, quod facit peccatum mortale; quia tamen eiusmodi voluptas nimiùm abijcit mentem hominis, & brutis potiùs convenit, indigna est, quæ per se appetatur, atque adeò datur hic aliqua inordinatio, & debiti ordinis perversio, dum actus suapte naturâ tendens ad bonum prolis statuitur pro ipso fine, ut sistatur in sola perceptione voluptatis, cùm delectatio sit propter actum, & operi conjugali voluptas hæc apposita fuerit, ut homines ad gravia Matrimonij onera allicerentur, non verò actus propter delectationem, ac voluptatem, ut ea pro fine statuatur, quod sine culpa veniali fieri non potest, ut etiam testatur S. Augustinus Lib. de bono conjugali c. 6. *Conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam; concupiscentiæ verò satiandæ, tamen cum conjuge, venialem*: & hoc quidem tempore sententia ista indubitata est, postquam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: quæ inter prohibitas ordine nona est: *opus conjugij ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpâ, ac defectu veniali.*

Ad fundamenta quoque contraria respondeo: delectari cum uxore, & vacare actui conjugali malum non est, si ordinetur ad debitum finem, nimirum prolis generationem, *conc.* si hoc fiat ob solam voluptatem, & in hac, velut in fine, sistatur: *nego*; sicut malum non est abscindere sibi brachium, si ordinetur ad vitam conservandam, licèt id malum sit, si fiat ex alio fine. Ad secundum respondeo: Sequela malè deducta est, quòd nempe ex hoc, quòd intendere directè delectationem actûs conjugalis sit culpa venialis, sequeretur, actum conjugij, & contractum Matrimonialem esse illicitum. Contractus Matrimonialis ordinatur quidem ad actum conjugalem immediatè, & ultimatò ob generationem prolis, non tamen ad voluptatem ex actu conjugali percipiendam, sed hæc voluptas actui conjugali annectitur, ne homines ab oneribus Matrimonij retrahantur; sicut comestioni adnectitur delectatio, non ut ea ultimatè intendatur, sed ut ex illa ad vires per cibum reficiendas, & ad vitam sustentandam alliciamur. Hinc licèt ea voluptas inordinatè, & veluti finis intenta, sit peccaminosa, non tamen propterea dici debet peccaminosus actus conjugalis, ad quem consequitur, & cui annexa est delectatio, non ut ea propter se intendatur, sed ut ordinetur ad prolis generationem; nec contractus Matrimonialis obligans ad reddendũ debitum, obligabit ad aliquid illicitum, cùm non obliget ad intendendam

dam finaliter delectationem in eo actu, ut bene advertunt Sanch. *l. c. n. 16.* & Dominicus Viva *in prædictam propositionem prohibitam n. 12.*

10. Prædicta controversia ansam dat novo dubio, cujus solutio continebit responsionem ad interrogationem Julittæ in præsente casu; an marito ex sola voluptate debitum conjugale petenti peccaverit, saltem venialiter, illud reddendo? nam consensit petitioni, quæ erat peccatum veniale: ergo videtur ipsa quoque commisisse peccatum, quia peccato veniali fuit cooperata.

Ad dubium hoc particulare dissolvendum lubet formare quæstionem universalem: an, quoties peccat conjux petendo debitum, peccet similiter is, qui exigenti debitum reddit?

Circa hoc animadverto, ex duplici capite posse contingere, ut petens debitum peccet. 1. ratione ipsius actûs externi, qui ratione alicujus circumstantiæ hic, & nunc illicitus est, ut si sine necessitate petat debitum in loco sacro, aut quando copula est graviter noxia alterutri conjugi, aut proli jam conceptæ. 2. quando solùm ratione alicujus circumstantiæ, quæ non afficiat ipsum actum secundùm se, sed solam personam exigentis, ut, quia hæc vovit continentiam, aut ex malo fine petit debitum. His prænotatis, duplex, imò triplex quoad hoc punctum statui potest regula.

Prima est. Quando petere est peccatum mortale ex circumstantia tenente se ex parte ipsius copulæ, ut si petatur in loco sacro, cum periculo abortûs &c. tunc etiam reddere est peccatum mortale, quia cùm actus externus tunc sit verum, & grave peccatum, à neutro potest licitè exerceri.

Altera regula est. Quando petere est culpa mortalis non ob circumstantiam tenentem se ex parte ipsius actûs, sed ex circumstantia se tenente ex parte solius petentis, quia v. g. petit ex malo fine, vel voto castitatis adstrictus, tunc reddere debitum nulla culpa est, quia cùm actus ille ex natura sua non sit illicitus, sed solùm ex circumstantia tenente se ex parte petentis, hinc idem actus, ut se tenet ex parte conjugis reddentis, in qua non reperitur aliqua circumstantia vitians actum, erit licitus; imò etiam debitus ex justitia; nec potest dici sic reddens cooperari peccato exigentis, formaliter loquendo, quia tantùm cooperatur actui ex natura sua licito conjugatis, & quem ipse debet alteri reddere; quamvis aliunde sit peccatum in altero conjuge exigere, at reddens non cooperatur petitioni alterius, sed, eâ suppositâ, cooperatur copulæ, quæ licita est, & à se debita, sicut si quis pecunias apud me depositas repeteret ad fornicandum, ei reddendo non cooperarer ipsius peccato, imò teneor red-

reddere. Excipitur tamen casus unicus, quo pars altera per culpam suam amisisset jus petendi debitum ob affinitatem contractam per incestum, tunc enim, etsi probabiliter possit juxta Sanch. *l. c. n.* 12. Laym. *l. c. n.* 15. *ad finem*, Palao *disp.* 3. *de sponsal. pu.* 4. §. 6. *n.* 7. Diana *p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 32. non tenetur reddere; imò in hoc, & similibus casibus, saltem ex charitate tenetur non reddere, si commodè absque timore odij, indignationis &c. & absque suo damno valeat avertere peccantem mortaliter in exactione. ita tradunt utramque regulam Sanch. *l.* 9. *disp.* 6. *n.* 4. *& seqq.* Palao *disp.* 3. *de sponsal. pu.* 5. §. 11. *n.* 1. Coninck *disp.* 34. *dub.* 4. *n.* 25. *& seqq.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 17. Perez *disp.* 50. *Sect.* 5. *n.* 2. *& seqq.* Sporer *Theol. Sacramental.* p. 4. *c.* 2. *n.* 510. *& seqq.*

Tertiam regulam addunt Laym. *l. c. n.* 18. cum Sanch. *l. c. n.* 6. & Sporer, quoties exigere debitum est solùm culpa venialis, id reddere nullam culpam esse, quia ordinariè adest causa excusans, v. g. ne uxor marito petenti displiceat, eumque offendat, ac odium, vel rixam excitet, aut mutuus amor defervescat. Ex quo rursum patet, quid respondendum sit ad dubium Julittæ circa redditionem debiti factam marito ex sola voluptate id exigenti, quia cùm hoc in marito petente fuerit duntaxat culpa venialis, ipsa reddendo non peccavit, imò reddere tenebatur, ita Sanch. *Lib. cit. disp.* 11. *n.* 7. Perez *disp.* 49. *Sect.* 7. *n.* 17. Dominicus Viva *in propositionem nonam inter damnatas ab Innocentio XI. n.* 14. Basil. Pontius *L.* 10. *c.* 11. *n.* 4.

11. Ratione situs quoque peccaminosa non rarò evadit copula, idque dupliciter. 1. Si non servetur ille situs corporum, quem natura in hoc actu postulat. 2. Si non servetur debitum vas à natura ad hoc destinatum. Nihilominus etiam situs variatio peccatum mortale non est, sive copula fiat à latere, sive à tergo more brutorum, sive sedendo, sive stando &c. etiam absque justa causa, & solius voluptatis gratiâ, ut contra multos docent Sanch. *L.* 9. *disp.* 16. *n.* 3. Azor *p.* 3. *L.* 3. *c.* 21. Palao *disp.* 3. *De Sponsal. pu.* 4. §. 3. *n.* 1. Perez *disp.* 49. *de Matr. Sect.* 7. *n.* 8. *& seq.* Coninck *disp.* 34. *dub.* 9. *n.* 8. Bonac. *q.* 4. *de Matr. pu.* 13. *n.* 2. Hurtad. *disp.* 10. *difficult.* 5. *n.* 19. Reginald. *L.* 31. *n.* 335. Filliuc *tr.* 30. *c.* 8. *n.* 157. Dicastillo *disp.* 9. *de Matr. dub.* 6. *n.* 63. Sporer, Gobat &c. qui hac de re consuli possunt; estque hæc Sententia multò communior, & probabilior. Rationem assignant, quia ejusmodi variatione non impeditur emissi seminis receptio, atque retentio intra vas debitum, nam etsi hoc ad Matricem non deveniat per descensum, eò tamen fertur per attractionem, cùm ipsi matrici virtus quædam attractiva à

natura indita sit, teste Aristotele *L. 2. de generatione animal. c. 4.* consequenter hæc variatio nec generationem impedit, nec obstat fini Matrimonij, qui est sobolem concipi, ac proinde peccatum mortale non est. Erit tamen mortale ex omnium sensu, quoties adest probabile periculum effusionis seminis extra legitimum vas, & tunc lethalem culpam continet æquè redditio, ac petitio debiti in tali situ: extra hunc casum verò etsi peccatum mortale non sit, certum nihilominus est, nisi justa causa ab omni culpa excuset, v. g. ægritudo, aut dispositio corporis, puta, quia vir ob pinguedinem aliter congredi non potest, quàm situ inverso; vel si in prægnante aliàs esset periculum suffocandi fœtum, certum, inquam, est, & negari non potest, esse saltem peccatum è gravioribus venialibus unum; indicantque prædicti modi depravatum sanè animum, & nimiæ voluptati addictum, quocirca graviter reprehendi debent, qui ista agunt, & seriò moneri, ut à tali concubitu deinceps abstineant, eò quòd multi sapientes eum damnent peccati mortalis, addique potest viris, ut parcant etiam conscientiæ, ac pudori uxorum, quæ fortè credent, per hoc se crimen lethale committere, & nihilominus præ verecundia non audebunt de eo se in confessione accusare. De istis legi possunt allegati AA. ac præsertim Patritius Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 2. à n. 492.*

Quòad alteram variationem, quæ circa vas contingit, iterum certum est, semper committi peccatum mortale gravissimum, quando vas naturale fœminæ ad actum conjugalem destinatum non servatur, sed alteri semen instillatur, vel penitus extra omne vas effunditur. Posterius hoc pollutio mortalis est; prius sodomia, quamvis non perfecta, & propriè dicta, quæ tamen etiam solùm inchoata, nec planè consummata, semper peccatum mortale gravissimum est, nec ulla ratione à culpa lethali excusari potest, cùm hæc omnino ordinentur ad aliam speciem luxuriæ, & copulæ naturali sint prorsus improportionata. De quo iterum legi possunt Sanch. *L. 9 disp. 17. n. 5.* Tamb. *L. 7. in Decal. c. 3. §. 4. n. 32.* Bonac. *l. c. n. 12.* Palao *disp. 3. De Sponsal. pu. 4. §. 2. n. 6.* Sporer *l. c. n. 498.* Basil. Pontius *L. 10. c. 11. n. 5.* qui ait, contrarium dicere meram esse turpitudinem, & habenas laxare libidini.

12. De tactibus quoque impudicis inter conjuges cùm in præsente casu dubium proponatur à Julitta, respondendum est sub distinctione. Si tactus isti limites honestatis naturalis notabiliter excedant, ita ut vel ad sodomiam, aut mollitiem ex natura sua referantur, & sic jam non consistant intra terminos honestatis natu-

naturalis, aut si fiant cum expressa intentione pollutionis, vel saltem cum probabili illius periculo, dicendum est, esse mortaliter peccaminosos, ut communis docet, etiamsi pollutio directè non intendatur, nec sit periculum consensûs in illam, si tactus ejusmodi fiant solius voluptatis gratiâ, & nulla alia adsit justa causa excusans, & eosdem cohonestans. At verò si fiant ob copulam conjugalem, in quam suapte naturâ ordinantur, etsi in partibus inhonestis exerceantur, vacant omni culpa. ita rursùm communis. Ratio est, quia licitum est juvare naturam ad actum rationi consonum medijs ex natura sua ad illum ordinatis: at prædicti tactus juvant naturam ad copulam coujugalem ex se licitam, & honestam, & ordinantur ad hunc actum veluti dispositio ad eundem: liciti igitur sunt; idemque dicendum est, si fiant ob alium finem honestum, v. g. ad ostendendum, & contestandum amorem conjugalem erga alterum conjugem, vel ad sedandas tentationes &c. Si autem tactus illi referantur ad majorem voluptatem in ipsa copula captandam, sunt culpa venialis. Ratio est, quia cùm illa voluptas, & copula ipsa conjugalis ad hunc finem habita, sit culpa venialis, ipsos quoque hos tactus peccatum veniale continere necesse est. Id ipsum, quod diximus de tactibus, dicendum est de amplexibus, osculis, aspectibus non nimis turpibus, & ex natura sua ad pollutionem quasi pertrahentibus, verbis item turpibus inter conjuges, secluso semper pollutionis periculo, non esse hæc peccata mortalia, quia per Matrimonium excusantur. Si tamen ista quoque ordinentur ad majorem voluptatem capiendam in ipsa copula, erunt peccata venialia, at si per ea alius finis non intendatur, quàm ut sint media, vel dispositio ad copulam conjugalem, aut mutua amoris indicia, licita sunt, & absque omni culpa. Perez *disp. 54. Sect. 2. per totum.* Sanch. *L. 9. disp. 44. n. 8. & seqq. & disp. 45. à num. 34.* Dicastillo *disp. 9. de Matr. dub. 16.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 4. §. 2. n. 1. & seqq.* Bonac. *q. 4. de Matrim. pu. 9. n. 6.* Azor *p. 3. L. 3. c. 25. q. 2.* Coninck *disp. 34. dub. 11. n. 113.* Sporer *l. c. fusè à n. 492.* cujus regulæ de hac materia utiliter leguntur. Gobat *tr. 10. à num. 655.* per plures numeros subsequentes, qui etiam *n 649.* regulas valde utiles tradit pro Confessario, quid respondere habeat, si fortè à recèns nupta consulatur, quid in præsente statu Matrimonij licitum sibi, illicitumvé sit?

13. His expositis superest ultimum dubium in hoc casu propositum, an conjux peccet mortaliter, si in absentia alterius conjugis delectetur in actu conjugij præterito, vel futuro, nam talem conjugem peccare mortaliter, contendit acriter

ter Comitolus *L. 1. respons. Moral. q. 134.* idque ante ipsum docuerunt Sylvester *V. Delectatio. q. 2.* Navarr. *in Manuali c. 16. n. 10.* & Azor *p. 1. L. 4. c. 6. q. 8.* Intelligitur verò per delectationem morosam illa imaginatio, & approbatio voluptatis, ita apprehensæ, quasi illa de facto ex actu conjugali conciperetur. Et hanc delectationem si habeant conjugati in absentia alterius conjugis, dummodo absit periculum pollutionis, non committere eos culpam lethalem, etiamsi sequatur in membris aliqua alteratio, ac commotio, quia hæc sequitur ex cogitatione, & delectatione licita, vel certè non mortali, meritò docent Sanch. *L. 9. disp. 44. n. 3.* Dicastillo *disp. 9. de Matr. dub. 21. n. 274.* Laym. *L. 1. tr. 3. c. 6. n. 12.* Vasquez *in 1. 2. S. Th. disp. 113. c. 2.* Caiet. *in Summula V. delectatio morosa. §. Tertium est.* Perez *disp. 54. Sect. 1.* Bonac. *q. 4. De Matr. pu. 8. n. 12.* Reginald. *L. 11. c. 5. n. 52.* Coninck *disp. 34. dub. 11. n. 113.* Less. *L. 4. de Iust. c. 3. n. 131,* Filliuc. *tr. 10. c. 9. n. 353* Diana *p. 2. tr. 17. resol. 36.* & *p. 3. tr. 4. resol. 200.* cum pluribus alijs. Ratio est, quia mortalis malitia delectationis morosæ desumitur ex malitia objecti, sive rei cogitatæ, cùm juxta Aristotelem *L. 10. Ethic. c. 4. & 5* talis sit delectatio, quale est objectum: atqui copula maritalis mortalem malitiam non habet: ergo de ea cum voluntatis approbatione, & delectatione cogitare, non est peccatum mortale. Esse tamen peccatum veniale, rectè dicunt Cajetan. Laym. Reginald. Coninck, tum quia talis delectatio, continet quandam inordinationem, & nimium circa talia affectum, tum quia ejusmodi mentis occupatio necessitate caret, & debito fine. Imò addit Lessius, quia periculosum est, talibus cogitationibus immorari, posse sæpiùs esse peccatum mortale.

Hoc ipsum verum esse, putant Sanch. *l. c. n. 16.* Præpos. *in 3. p. S. Th. q. 6. de Matr. dub. 26. n. 192.* & Hurtad. *disp. 10. de Matr. difficult. 10. n. 47.* idque probabile esse censet etiam Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 4. §. 2. n. 4.* quando conjux in absentia alterius conjugis ob voluptatem captandam tangit se ipsum libidinosè in partibus inhonestis, quamvis sequatur commotio, dummodo absit probabile periculum pollutionis. Sed hanc Sententiam Dicastillo dicit esse falsissimam *disp. cit. dub. 16 n. 189.* eandemque iterum reijcit *dub. 21. n. 274.* & singulariter in suo opere de Justitia *L. 1. disp. 3. dub. 15 n. 218.* Gobat verò *tr. 10. cas. 17. n. 660.* de ea ita judicat, paràm, aut nihil probabilitatis practicæ eam habere, quidquid demum de veritate illius speculativa sit. Eandem etiam improbant Vasq. *l. c. n 4.* Laym. *L. 3. Sect. 4. n. 12. ad finem*, Diana *p. 3. tr. 4. resol. 215. p. 4. tr. 4. resol. 137.* & *p. 9. tr. 8. resol. 31. q. 6. ad finem.* Sporer *Theol. Sacramental. p.*

4. c. 2. n. 503. cum quibus pro certo tenendum est, peccare mortaliter conjugem absente altero conjuge prædicto modo libidinosè se tangendo. Ratio est, quia conjux non habet jus in proprium corpus ad usum venereum, nisi tantùm per accidens, ut hîc, & nunc possit copulari cum conjuge præsente: ergo extra casum, quo possit copulari cum conjuge, per se illicitus est conjugi tactus libidinosus sui ipsius, quippe proximè ordinatus ad pollutionem, ideoque ex genere suo peccatum mortale: & certè incipiens talem tactum cum intentione delectationis venereæ captandæ, exponit se nimio periculo pollutionis, cùm absente conjuge desit facultas copulæ conjugalis; quod non ita contingit in illo, qui id facit, dum uxorem habet ad latus, aut non procul distantem, ac propediem adfuturam.

14. Quæres denique, an sicut conjuges, ita viduæ quoque possint de actu conjugij præterito, & solutus, vel Sponsa de futuro de actu Matrimonij futuro carnaliter delectari, quin peccent mortaliter?

Respondeo, Sponsos de futuro non posse sine peccato mortali se oblectare imaginatione copulæ futuræ, eam tanquam præsentem fingendo. Ratio est, quia cùm hoc opus, & corporis immutatio, seu commotio, quæ inde sequitur, illis sit illicita in hoc statu, etiam illicita est voluptas, quæ inde proximè resultat: si tamen illam apprehendant solùm tanquam futuram, possunt de ea gaudere, hoc enim nihil aliud est, quàm gaudere spe, & expectatione boni futuri, quæ spes modò præsens est per se licita; peccatum enim non est, conjugium optare, aut sperare, & desiderare actus, qui conjugium expectatum consequentur, eamque delectationem, quæ proveniet ex conjugio futuro, & exspectato: sed est peccatum consentire in delectationem præsentem, quæ in sensum, vel appetitum irrepit, & influit ex desiderio, & spe ejus, quod sequetur, optati conjugij, & dum Sponsus hoc sibi fingit, quasi jam actu cum sua Sponsa rem haberet, & hac cogitatione, atque imaginatione delectatur, hæc cogitatio peccaminosa est, utpote orta ex mortali congressu non vero, sed cogitato, & conficto.

Vidua quoque non potest delectari actu conjugij præterito, si illum tanquam præsentem, & nunc exercitum per imaginationem constituat, nam hoc agendo peccat mortaliter, quia ille actus, & corporis immutatio inde consequens in hoc statu illi non sunt concessa; quamvis enim actus præteriti conjugales reipsa inter conjuges boni fuerint, justi, & honesti, dum tamen illi tanquam præsentes animo concipiuntur ab ijs, qui Matrimonio soluti jam sunt, si voluntatem, & animum sua jucunditate, & delectatione decli-

deliniant, culpâ non carent, quia ejusmodi delectatio est de actu, qui in eo, qui delectatur, ampliùs conjugalis non est: omnis autem delectatio ex viri, & fœminæ complexu percepta extra Matrimonium, libidinosa, & venerea est, ac propterea mala, eamque solummodo excusat maritalis congressus intra legitimum conjugium. Si item ex memoria actûs conjugalis, qui præterijt, oriatur, & surgat in appetitu, vel sensu delectatio, quam sua sponte vidua acceptam habeat, & sibi gratam, culpâ non vacat, licèt nullius alterius peccati periculum vidua incurrat. At verò, si vidua solùm ratum, & firmum, vel etiam gratum, & acceptum habeat actum conjugalem pristinum, ex quo olim delectationem percepit, tunc nullum peccatum committit, quia solùm placet ei actus, qui trasijt, & fuit bonus, atque legitimus, & tota delectatio ex actu bono fuit antè percepta. ita rursum Lessius *l. c. n.* 120. Sanch. *L.* 9. *disp.* 47. *n.* 4. *&* 7. Vasq. *in* 1. 2. *S. Th. q.* 114. *c.* 2. Azor *p.* 1. *L.* 4. *c.* 6. *q.* 6. *&* 7. Bonac. *q.* 4. *de Matrim. pu.* 8. *n.* 13. Palao *tr.* 2. *disp.* 2. *De peccatis. pu.* 10. *§.* 2. *n.* 7. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 2. Plerunque tamen in hoc ultimo magnum periculum est, ne, dum volunt solùm gaudere de actu præterito, aut desiderare futurum, practicè ferantur in præsentem copulam, & eâ venereè delectentur, quod sine peccato mortali non fit, nam quia, ut modò dictum est, Matrimonium est dissolutum in vidua, & in Sponsa nondum contractum, tum huic, tum illi copula est prohibita, & consequenter etiam delectatio sensitiva, ac carnalis, quæ ex hac copulæ cogitatione oritur, & cum consensu percipitur. Ex hoc verò à fortiori patet, gravissimè peccare viduas, & Sponsos de futuro, aut alios solutos, quando seipsos tangunt impudicè, vel aspiciunt ad excitandam voluptatem veneream, quia nihil adest, quod hîc, & nunc possit ejusmodi tactum aliquo modo excusare. Gobat *l. c.*

Sectio



SECTIO II.

De Divortio.

Gimus in præcedentibus de Matrimonio, ejusque proprietatibus, & obligationibus, tum etiam de illius impedimentis; dicendum nunc etiam est de eius dissolutione, non quoad vinculum, nam hoc quoque, an fieri possit, in superioribus tractavimus, verùm de ejus dissolutione quoad torum, & cohabitationem conjugum, quæ dissolutio *divortium* appellatur, quia conjuges à se mutuò divertunt, manente coniugali vinculo, ita ut neutri liceat, nec viro, nec mulieri, aliud Matrimonium inire, vivente altero. Huiusmodi separationem fieri posse ex iusta causa, certum est, & quidem posse coniuges quoad torum duntaxat, seu carnalem copulam ex mutuo consensu divertere, nemini dubium est, sive id fiat ob maiorem vitæ perfectionem, ut meliùs Deo serviant, sive ex alia honesta causa, ne v g. proles supra eorum facultates nimiùm multiplicentur; sicque licitè abstinent à communi toro vel in perpetuum, vel solùm ad tempus, etsi ad hoc nullo se voto obligent. In idem mutua voluntate convenire possunt, ut votum insuper

adiiciant servandi continentiam, vel perpetuam, vel temporalem, cuius rei plura extant commendata exempla, quamquam ad hoc opus sit matura deliberatione, ne in periculum incontinentiæ sese coniiciant. Eadem separatio fieri potest, si coniux uterque mutuo consensu Religionem ingrediatur, vel uno ingrediente, aut marito Sacrum Ordinem cum consensu uxoris suscipiente, altera quoque perpetuam continentiam promittat, de quibus jam suprà egimus.

Eadem separatio etiam sine mutuo consensu, & invitâ altera parte ex alijs quoque causis fieri potest, quæ aliquando ex culpa, aliquando verò ex nulla culpa proveniunt, licentiamque præbent, ut instituatur divortium, vel in perpetuum, vel quoad tempus, donec occasio, & causa factæ separationis vel ipsa cesset, vel conjugis emendatione tollatur. Jus separandi se in perpetuum tribuit fornicatio conjugis, sive commissum adulterium, ut infrà pluribus exponemus, estque hoc manifestum ex verbis ipsius Christi Domini Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur*, quæ quidem verba videri possunt indicare, ex sola fornicationis causa, & nullâ aliâ, fieri posse divortium inter conjuges, sed quamvis adulterium unica causa sit ad faciendum divortium perpetuum, de quo tunc locutus est Christus, plures tamen causæ sunt, ob quas vel vir ab uxore, vel uxor à viro possit divertere quoad torum, & cohabitationem saltem ad tempus, ut manifestum est ex Concilio Tridentino Sess. 24. de Sacram. Matrim. can. 8. *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumvè tempus fieri posse decernit, anathema sit*, & c. Literas. 13. De Restitut. Spoliat. Causæ omnes, ob quas divortium institui potest, cùm ad quatuor capita commodè reduci queant, videlicet ob periculum animæ, periculum corporis, sævitiam, & adulterium conjugis, idcirco hanc omnem materiam distinctis quatuor paragraphis proponemus.

§. I.

§. I.

De Divortio ob periculum animæ.

CASUS

Mariti fœdè, ac periculosè à perjura conjuge decepti.

Bristanus juvenis opifex, dum artis suæ majorem notitiam sibi inter exteros comparaturus per varias provincias more opificibus usitato peregrinatur, operam suam locavit Argolinæ viduæ in loco Acatholico, ubi illius officinam, & quidquid ipsi pertractandum injungebatur, aut ex officio incumbebat, adeò gnaviter, ac fideliter administravit, ut capta amore famuli tam seduli, atque industrij hera, eundem in maritum expeteret, quia verò meritò timere repulsam potuit ob Religionis diversitatem, & re ipsa etiam passa est, nisi fidem Catholicam profiteretur, cùm nollet Bristanus habere coniugem Lutheranam, consensit denique ipsa in hanc quoque petitionem, ut nostram fidem amplecteretur, idque se certò facturam, coram vicino quodam Parocho Catholico non modò pollicita est Bristano, sed juramento quoque confirmavit. Duxit hic ergo suam Argolinam, hortante Parocho, & exultante ob conversionem istius fæminæ ad

nostram fidem. Sed spes fefellit utrumque; vixdum enim transactæ sunt nuptiæ, cùm & à coniuge, & eius consanguineis, ipsoque adeò Magistratu Lutherano iubetur iam vinculo coniugali uxori Acatholicæ obstrictus, fidem Romanam eiurare, & ad illius exemplum Luthero se sociare, promissis, ut dici amat, aureis montibus, si istud ageret. At quia is fortiter restitit, ut, quod blanditiæ, atque promissa non poterant, vis, & ærumnæ extorquerent, includitur in arctum carcerem, ubi cùm fame, sitique, ac mille aliis molestiis ipsi colluctandum fuit, &, nisi mutato animo in postulata vellet annuere, diu in hoc ergastulo ipsi hærendum fuisset, si alius quidam iuvenis Catholicus opificio faber serarius afflicto non succurrisset, is namque socij misertus, cùm se inobservatum adverteret, seris, vectibusque patefactis, carcerem ad egressum, & fugam aperuit, quam ille, relicta supellectili, rebusque omnibus, & perjurâ uxore, ut se, fidemque servaret ab ulteriore periculo, propediem ad Catholicos arripuit.

Q. An justam Bristanus causam habeat instituendi divortium?

SYNOPSIS.

1. *Quæstio hîc instituitur ex supposito, quòd validum fuerit hoc Matrimonium, de quo ipso tamen multùm dubitari potest.*

2. *Universim vita improba conjugis non præbet causam ad divortium, licet tamen quandoque divertere ex causa correctionis.*

3. *Potest verò, & aliquando tenetur divertere conjux, quando flagitiosa alterius*

terius vita ipsi occasio est spiritualis ruinæ, sed hoc divortium est temporale.

4. *Etiam divortium ob hæresin non est perpetuum, si factum sit propria authoritate, secùs, si authoritate Judicis Ecclesiastici. Est verò in quæstione divortij propter hæresin faciendum discrimen, an vir, an mulier hæretica sit, & an præcesserit hæresis Matrimonium, an subsecuta sit?*

5. *Deciditur quæstio, quandonam licitum sit propter hæresin alterius conjugis divortium instituere, & num ad hoc faciendum aliquando obligatio detur?*

6. *Quid, si conjux hæreticus solicitet, non quidem ad deserendam fidem, sed ad comestionem carnium diebus prohibitis, violationem festorum &c.*

7. *Respondetur ultimatò ad dubium præsentis casûs.*

1. CAsum propono, qui paucis ab hinc mensibus contigit, dum exaro hunc ipsum librum, in quo jam non examino, an Matrimonium hoc validum, an verò propter conditionem non impletam invalidum, ac nullum fuerit, de quo quid judicandum sit, colligi potest ex ijs, quæ scribit Gobat ad geminum casum huic ex parte similem *tr. 9. cas. 4. n. 144.* & *tr. 10. in appendice ad num. 713. lit. h.* potuit enim fuisse validum, & invalidum pro circumstantiarum, & hypothesis diversitate, vel enim Argolina non solùm promisit suo sponso, quòd vellet Lutherum ejurare, sed, quod se facturam cum juramento affirmavit coram vicino Parocho, re ipsa etiam præstitit, priusquàm nuptiæ contraherentur, fidem Romano-Catholicam profitendo, paulò post verò inter suos iterum ad vomitum redijt? & tunc sanè validum erat conjugium, manetque etiamnum illius

illius vinculum, non obstante relapsu in hæresin, quia verè, quod petebatur, implevit, nec plus exegit Bristanus, quàm ut Lutheri dogmata sincerè ejuraret: an verò, quod indicant circumstantiæ, per fictionem hoc juravit, quin vel impleverit, vel unquam habuerit animum implendi id, quod Bristano jurata sponderat, isque consensum suum in Matrimonium alligavit huic conditioni, ut nollet habere uxorem, nisi verè Catholicam? tunc enimverò non impletâ conditione invalidum fuit Matrimonium, quia defuit consensus ex parte viri, & quamvis millies dixisset: *duco te in uxorem*, nullum præstitissent hæc verba effectum, nec confecissent Matrimonium, quia, ut habet argument. c. Intelligentia. De Verb. Signif. *verba sunt intelligenda non secundùm quod sonant, sed secundùm mentem proferentis*: mens autem illius erat, habere non aliam, quàm quæ vel actu esset, vel certò futura esset Catholica: ergo non impleta conditione contractus Matrimonij impletus non fuit, atque ita potuit Bristanus non solùm divertere à sua conjuge, sed etiam transire ad alias nuptias, si, revocatâ in memoriam promissione sibi factâ, spes nulla superfuit, futurum aliquando, ut promissi admonita saniora consilia sequeretur, & consensum Matrimonij conditionatum, &, ipsa remorante, suspensum, purificata demum conditione transire faceret in absolutum. Nec aliud docet Gobat *tr.* 10. *n.* 457. dum ait, permanere suspensum contractum Matrimonialem, donec impleatur conditio consensui in Matrimonium apposita, sive illud ratum duntaxat fuerit, sive etiam consummatum. Circa quod tamen duo adverto: 1. De illo, qui ante impletam conditionem carnaliter cognoscit sponsam, in foro externo præsumptum iri, quòd ad eandem accesserit affectu maritali, adeoque voluerit recedere à sua conditione, eamque habere pro non apposita. 2. Etiamsi reipsa nullum sit, & invalidum ejusmodi Matrimonium, non tamen facilè transeundum ad aliud connubium sine præscitu, & sententia Iudicis Ecclesiastici, nullitatem illius declarantis, ut scandalum evitetur. Hæc circa validitatem istius Matrimonij, quam ulteriùs examinare non vacat, cum locus hic non sit disputandi de dissolutione ipsius vinculi, sed an, supposito etiam, quòd validum fuerit hoc Argolinæ, & Bristani conjugium, causam sufficientem hic habuerit, ab hac sua conjuge divertendi, ad cujus casûs particularis clariorem decisionem aliqua nobis universaliter, ac in genere statuenda sunt.

2. Ac primò quidem in hoc conveniunt AA. ob nullum aliud crimen à fornicatione carnali diversum, de qua

qua in casu quarto hujus sectionis, vel spirituali, de qua agetur in hoc ipso casu, licitum esse conjugibus divertere, si conjux illo implicitus non pertrahat alterum ad peccandum, ut constat ex c. 2. De Divortijs, cujus verba inferiùs citantur *n.* 5. atque ita tradunt Sanch. *l.* 10. *disp.* 17. *n.* 3. Basil. Pontius *l.* 9. *c.* 23. *n.* 3. Palao *disp.* 3. *De sponsal. pu.* 6. §. 9. *n.* 4. Perez *disp.* 58. *de Matr. Sect.* 4. *n.* 7. Gonzal. *in cit. c.* 2. *n.* 4. *&* 6. Et quidem, hoc propter quodlibet peccatum licitum non esse, per se patet, quia si propter quodlibet peccatum posset divortium fieri, ferè omnia Matrimonia dissolverentur, cùm nullus sit, qui sine crimine vivat; aitque Sanchez, exceptis duobus suprà dictis criminibus, fornicatione scilicet carnali, & spirituali, sive hæresi, quantumvis conjux alijs gravissimis peccatis, & scelerbus deditus sit, & omnino incorrigibilis, dummodo conjugem alterum non inducat ad peccandum, minimè licere divortium. Permittunt tamen hoc aliquando conjugi, ut possit ad tempus recedere à consortio conjugali per modum correctionis; & quidem circa virum hoc passim affirmant omnes, licitum ipsi esse, si uxor gravibus sceleribus irretita sit, ut hoc solatio, & viri præsentiâ destituta resipiscat, quia, inquiunt, ipse est caput familiæ, & ad ipsum pertinet, uxorem corrigere. At non vicissim hoc idem uxori respectu Mariti concedit Petrus de Ledesma *disp.* 59. *De Sacram. Matrim. Art.* 6. *ad finem*, quia mulier est subdita viro, ac proinde ipsius non est, illum corrigere. Sed rectiùs hoc de muliere quoque affirmant Sanch. *l. c. n.* 4. Laym. l. 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 16. *V. Adde ex S. Thoma* cum alijs citatis, si commodè hoc fieri possit, ac probabiliter speretur, fore, ut hac ratione vir resipiscat. Verùm in hoc exequendo utrobique maturo judicio, & magnâ prudentiâ opus est, nam facilè possunt ex tali separatione multò majora damna sequi tam animæ, quàm corporis, graves iræ, dissensiones, & irreparabiles ruinæ, ac scandala, ut experientiâ ipsâ compertum est.

3. At verò quando improba vita conjugis ita constituta est, ut sine gravi periculo animæ, ac propriæ perversionis non possit pars altera eidem cohabitare, licitè potest ab eo divertere, quamdiu tale periculum durat; imò ad hoc quandoque obligatur, si alijs remedijs periculo occurrere se posse non confidat. ita c. Idololatria. 28. q. 1. ubi dicitur: *ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias, non tantùm, quæ in stupris cum alienis viris, aut fœminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè, turpiterq; corrumpunt, possit sine crimine & vir uxo-*

uxorem dimittere, & uxor virum. Ratio ulteriùs est, quia licitum est etiam jure naturali periculo corporis cavere, atque ideo quando infectionis periculum conjugi sano imminere videtur, recedere is potest à consortio conjugis leprosi, ut in sequente casu dicetur: ergo à fortiore, quando impendet periculum animæ. Atque huc referuntur Verba Christi Matth. 5. ubi ait: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te,* in quæ verba Divus Hieronymus inquit, sententiam Christi esse, ut, si hi, qui nobis conjuncti sunt, & instar oculorum, ut Parentes, liberi, uxor &c. sint causa nostræ ruinæ, ab illis recedamus. Imò tum ex his ipsis verbis, tum quia quisque tenetur proximas occasiones peccandi, & animæ suæ periculum vitare, colligunt AA. adesse præceptum, & obligationem divertendi, quando conjux probabiliter timet, ne consentiat alterius provocationibus ad malum, dummodo possit facere secessionem, vel saltem quoties credit, moraliter se non posse aliâ viâ incolumem evadere, alijsvé medijs periculo occurrere. Sanch. *l. c. n. 5. & 11.* Coninck *disp. 35. dub. 4. n. 24.* Laym. *l. c.* Gobat *in Quinario tr. 5. c. 33. n. 47. & seq.* Censetur autem periculum animæ conjugi imminere, quando pars altera pertrahit ad peccandum, quod vel directè fit, vel indirectè. Directè, si verbis solicitet, & alliciat ad peccatum, ut si vir invitet suam uxorem ad furta vel committenda, vel tegenda, fures, latrones, pellices fovendos, vel occultandos; si agat lenonem, velitque uxorem alijs prostituere, & ad damnatos congressus ipse adhortetur; si deditus magiæ nitatur eandem pertrahere in veneficium, vel dæmonis societatem &c. Indirectè, si viros, aut juvenes procaces, & parùm pudicos in domum introducat, eosque solos cum sola relinquat sive studiosè, sive ex incuria, & negligentia, à quibus illa in absentia mariti tentetur, verbis, nutibus, tactibus impudicis &c. Hæc, & similia si eveniant, & vir admonitus (quod priùs fieri necessum est) se non emendet, potest innocens ob imminens periculum divertere, nec opus est sententiâ Iudicis ad hoc divortium, ut habent Sanch. *cit. n. 10.* Perez *disp. 57. Sect. 4. n. 4.* Pirhing *de Divortijs n. 54.* tum quia ob moram potest esse periculum lapsûs in peccatum, tum quia divortium istud non est perpetuum, sed temporale, quamdiu nempe periculum, & inductio illa ad peccandum durat; Quòd si enim seriò se emendet, ac resipiscat conjux, qui antea ad peccatum induxit, ita ut nullum jam ab eo periculum ampliùs immineat, tenetur illum innocens denuo admittere. Sanch. *n. 14.* Perez *n. 4.*

4. Ob

4. Ob hæresin quoque factum divortium privata authoritate perpetuum non est, sed sicut in alijs sceleribus, si ea deponantur, & emendatio sequatur, tenetur conjux conjugem ad meliora conversum recipere, ita quamprimùm resipuit conjux hæreticus, redintegranda est cohabitatio, in quo discrepat hæresis, quæ fornicatio spiritualis est, à fornicatione carnali, sive adulterio, nam in isto ad faciendum divortium perpetuum sufficit unicus actus. Si tamen factum est divortium ob hæresin alterius è conjugibus authoritate Ecclesiæ, etiam post ejus reconciliationem cum Ecclesia non tenetur innocens eum recipere. ita quoad utrumque clarè deciditur ab Urbano III. in *c. De illa, quæ viro. De Divort.* & pulchrè exponit Gonzalez *in idem c. n. 2.* cum alijs. Cæterùm ut explicemus, quandonam licitum sit se separare à conjuge ratione hæresis, duo nobis antecedenter prænotanda sunt. 1. Quia divortium istud potissimùm conceditur ratione periculi, quod alteri potest imminere à conjuge hæretico, faciendum est hîc discrimen inter virum hæreticum, & uxorem hæreticam, quia, ut rectè observat Gobat *in Quinario tr. 5. c. 33. n. 14.* experientia docet, maritos Catholicos non tam facilè, nec tam frequenter ad hæresin ab hæreticis uxoribus pertrahi, quàm Catholicas uxores ab hæreticis maritis. Imò constat, crebrò fieri, ut uxores, quæ videbantur esse admodum pertinaces, aut denique ponant contumaciam, aut certè maritum à vera religione non abducant; sicuti è diverso constat, quando maritus fit ex hæretico Catholicus, plerunque ejus vestigia sequi uxorem; minus igitur periculum ordinariè imminet marito ab uxore heterodoxa, quàm vicissim. 2. Distinguendum est inter conjugem, qui constante jam Matrimonio labitur in hæresin, & inter illum, qui jam erat, & sciebatur esse obstinatus hæreticus ante Matrimonium, ut rursum advertit Gobat *l. c. n. 20.* His prænotatis.

5. Dicendum. Hæresis Matrimonium præcedens non præbet causam divortio, cùm aliquando ex justa, & gravi ratione ejusmodi Matrimonium etiam licitum esse queat. Imò quantumvis ex *c. Idololatria. 28. q. 1.* & *c. Non solùm. ibid. junctâ Glossâ V. Recede.* colligi videatur, divortium institui posse, saltem si post contractum Matrimonium alter conjugum in hæresin labatur, vel in Apostasiam à fide, nihilominus ne sic quidem permissum est, ut statim fiat separatio, sed opus est, ut admonitio, sive correptio præmittatur, ut patet ex verbis Divi Pauli c. 3. ad Titum: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.* Quòd si factâ monitione maneat pertinax

tinax in suo errore, potest eum deserere bonâ conscientiâ, ut in c. Non solum suprà cit. his verbis indicatur: *Quòd si in his factis perseverat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli vivere cum illa.* idemque constat ex *c. fin. De Hæreticis. c. Quanto. De Divortijs. c. Idololatriam. suprà. cit.* in quibus locis absolutè permittitur divortium ob hæresin, vel infidelitatem, etsi ab eo nullum innocenti periculum impendeat, & ad hæresin non solicitetur; obligatio tamen tunc nulla est divertendi, ut docet Gobat *in Quinario tr.* 5. *c.* 33. *n.* 16. cum Laymanno *L.* 5. *p.* 3. *tr.* 10. *c.* 7. *n.* 16. & Palao *disp.* 3. *de Sponsal. p.* 6. §. 8. *n.* 2. Si verò Catholico conjugi, ejusvé prolibus immineret periculum perversionis ex cohabitatione cum hæretico, ne vel ipsi, vel liberis eadem pestis affletur, posse tunc ab eodem divertere, iterum manifestum est ex c. 2. De Divortijs, ubi ita dicitur: *Mulier pro furto, vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ Religionem corrumpere velit,) ab eo separari non debet. Verùm si conjugem ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alij non licebit, quia licèt separentur, semper tamen conjuges erunt.* Atque hoc ipsi permittit non modò jus Ecclesiasticum, sed naturale quoque, & Divinum, quia utroque Jure licitum est cavere periculum corporis: ergo à fortiore etiam periculum animæ. Imò tunc non solùm posse, sed etiam obligari utroque Jure ad faciendum divortium, cùm Jure naturæ, & Divino quilibet teneatur vitare periculum peccandi, docent Sanch. *L.* 10. *disp.* 15 *n.* 5. Laym. *l. c.* Basilius Pontius *L.* 9. *c.* 22 *n.* 2. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 10. *n* 396. Reginald. *L.* 31. *n.* 314. quos tamen Palao *l. c.* ita limitat; hoc esse intelligendum, quando conjux hæreticus Catholicum niteretur pervertere, gravissimumque esset periculum assentiendi, aliàs, ait, non videri, Catholicum obligatum esse, ut faciat divortium, cùm nemo teneatur communia pericula peccandi cum gravi suo detrimento fugere; negari autem non potest, Catholico grave esse, se à conjuge separare, ejus cohabitatione, & obsequio carere, & cœlibem vitam agere. Accedit, quòd sæpè ex tali separatione immineat conjugi incontinentiæ periculum: obligandus ergo non est, fugere periculum perversionis non graviter urgens, si ex ejus fuga incidat in periculum grave incontinentiæ.

6. Dubium verò esse potest, an eodem modo permissum sit conjugi divortium instituere, quando à viro hæretico non quidem solicitatur ad eandem hæresin, verùm ad violationem festorum, comestionem carnium diebus ab Ecclesia prohibitis &c.?

Resp. Si ista faciant, petantque mariti

mariti in contemptum Religionis Catholicæ, ut jubeant coquere, secumque comedere carnes ferijs sextis, ipsoque die Parasceves, exercere servilem laborem diebus festis, & Dominicis, vel ab auditione Sacri ijsdem diebus abstrahant ex eodem motivo, certum est, conjuges posse ab eis recedere, quia eorum improbæ voluntati acquiescere neutiquam possunt absque vera, & gravi offensa Dei, cùm absque dubio peccet mortaliter, qui paret alteri quidpiam mandanti in contemptum Religionis. Azor *tom. 1. L. 7. c. 7. q. 1. V. Rursus certi juris est.* Suar *tom. 3. in 3. p. S. Th. disp. 88. Sect. 6. Quintum caput excusationis est*: cùm ergo separatio fieri possit à conjuge, qui ad peccatum solicitat, licebit id ipsum in istis circumstantijs, in quibus vera datur solicitatio ad peccatum, quod licitum esse, suprà *num. 3.* diximus. Censentur autem in contemptum Religionis similia peti, vel mandari, quando petuntur, vel mandantur eo fine, ut præceptum Ecclesiæ, tanquam superstitiosum, violetur, vel ut risus ex violatione captetur, vel quia, qui mandat vult videri, esse potiùs obediendum sibi, quàm Ecclesiæ Catholicæ; & ejus Prælatis; vel denique quia in similibus obediendo fit, ut Catholica Religio parvi æstimari incipiat, cùm videant, ipsius scita tam facilè negligi ab illius cultoribus. Contingit verò aliquando, ut similia imperentur, vel prohibeantur à maritis non in contemptum Religionis, sed quia aliquod commodum temporale, aut delectatio sensitiva inde in eos redundat, ut, cùm die Veneris carnes coqui jubent ideo, quòd magis sapiant, quàm pisces, vel parabiliores sint; & tunc certum est, posse aliquando occurrere tales circumstantias, ut uxor non delinquat parendo, quantumvis iniquæ, impiæque petitioni mariti, ut patet ex ijs, quæ DD. tradunt in materia de jejunio, & festorum observatione; item in materia de causis excusantibus ab observatione legum positivarum, in quibus occasionibus, & circumstantijs non obligatur quidem conjux se separare, addit nihilominus Gobat, etiam hîc, quando non ita solicitantur, ut nequeant sine peccato formali obedire, si tamen hæc solicitatio, & inductio ad similia facienda, vel omittenda frequens sit, videri permissum esse divortium. ita dictus Author *in Quinario tr. 5. c. 33. Sect. 2. n. 51.* apud quem plura huc facientia utiliter legi possunt in citata; & sequente Sectione tertia.

7. Ex istis verò non difficulter colliges, dato etiam hoc, quòd Matrimonium Bristani validum fuerit, & consensus in illud absolutus, potuisse tamen eundem licitè à propria uxore

uxore se separare quoad cohabitationem, & torum, vera enim hîc fuit ad ejurandam Catholicam Religionem, & Lutheranæ Sectæ professionem solicitatio, non nuda, & qualiscunque, sed validè armata, & conjuncta cum pessima tractatione, pædore carceris, fame, alijsque gravibus ærumnis, in quibus periculum esse poterat, ne frangeretur denique insontis mariti animus, & ad defectionem pertraheretur, & si hoc quoque abfuisset, sufficere ipsi poterat ad licitè divertendum, quòd fidem sibi datam, & juramento confirmatam perfida uxor non servaverit, ut clarè iterum docet Gobat *cit. loc. n.* 22. cujus verba recito: Ex qua ratione deducas, si Sponsus Catholicus hæreticam Sponsam duxit, cum promissione, aut spe, quòd vellet fieri Catholica, non teneri cum ea habitare, si ea nolit se convertere, nam in tali casu non cessit juri concesso in c. fin. De Hæreticis: ita ille: liberantur verò in dicto c. ab omni obligatione, qua hæreticis tenebantur adstricti.

§. II.

§. II.

De Divortio ob periculum corporis.

CASUS

Vxoris ferreâ, & inauditâ patientiâ ægro Marito servientis.

Clara Cerventa Bernardi Valdauræ coniux, cùm Virgo tenerrima, & formosissima Brugas esset ad sponsum deducta, iam plus quadraginta annos natum, prima nuptiarum nocte crura eius fasciis involuta vidit, deprehenditque, maritum sibi ægrum, & valetudinarium obvenisse. Gallico morbo laborabat, qui aliarum plurium infirmitatum fons, & origo erat, quæ annos integros durabant, eosque etiam plures continuos: verbo, viginti annis nupta vix aliquando virum habuit ab infirmitatibus liberum, sed plerumque gravissimis morbis affectum, ulceribus obsitum, fœtente sanie fluentem, spirans cadaver, cujus alij ipsum anhelitum ad decem passus sustinere non poterant, ipsa suavissimum esse, iurabat. Ipsa lectulo dies, noctesque continuò assidebat, tractabat vulnera, frustra dissuadentibus medicis, ne virum sic contrectaret, aut ad ipsum tam propè accederet. Parabat ipsa sorbitiunculas, pannos, & linteamina pure, & sordibus fœda-

ta

ta mutavit, & mundavit ipsa: arroso ulceribus corpori emplastra ipsa, & medicamina imposuit, & ne deessent necessarij sumptus ad sanandum hominem tot morbis afflictum, ipsa se annulis, torquibus aureis, & pretiosis vestibus lubens spoliavit, donec jam senex ægrotus non tam obijt, quàm abijt ad vitam meliorem, cujus ipsa mortem adeò flevit, acsi juvenem amisisset maritum, formosum, valentem, delicium suum, cujus jacturam ferre non posset. Ludov. Vives De Christiana fœm. L. 2. Laurent. Beyrlinck in Theatro vitæ humanæ Litt. A. fol. 366.

SYNOPSIS.

1. *Licitè fit separatio à conjuge, quando ex ejus cohabitatione imminet corporale periculum, sive ob ejus scelera, sive ob morbum contagiosum.*

2. *Morbus contagiosus tamen, si Matrimonium præcedat, & cognitus fuerit à contrahente, non præbet causam divortij.*

3. *Imò dubium reddi potest ob textum Juris, an lepra quoque superveniens sufficiat ad separationem?*

4. *Quamcunque non sufficere certum est; sufficit tamen ea, qua manifestum inducit periculum infectionis.*

5. *Aliquando tamen solùm permittitur separatio quoad torum, non etiam quoad cohabitationem.*

6. *Quid sentiendum de morbo Gallico? ubi simul responsio datur pro præsente casu.*

7. *An licita sit separatio à conjuge phthisi laborante?*

8. *Quid*

8. *Quid in furore Conjugis, aut morbo epileptico? & apud quem remanere debeant proles facto divortio ob morbum contagiosum?*

1. POtuisse Claram à suo conjuge separari, nemini dubium esse potest, ut infrà *n. 6.* dicemus, nam sicut, dum animæ saluti spirituali periculum imminet ex conjugis cohabitatione, divortium permissum est, ut casu præcedente ostendimus, ita jure naturæ concessum quoque est, ut fiat à conjuge separatio, quando ex ejus consortio grave corporis damnum meritò timetur, sive id oriatur ex sceleribus conjugis, vitaque flagitiosa, & improba, sive ex morbo contagioso. Ex vi prioris concedunt Sanch. *L.* 10. *de Matr. disp.* 18. *n.* 21. Palao *disp.* 3. *de Sponsal. pu.* 6. §. 9. *n.* 5. & Reginald. *L.* 31. *n.* 318. quando vir latrocinijs, aut furtis deditus est, atque incorrigibilis ijs abstinere non vult, & eapropter periclitatur uxor, ac prudenter timet, ne & ipsa criminum socia reputetur, & consentiens furtis, aut latrocinijs viri, ac veluti furum & latronum receptatrix pariter cum viro luat, posse ipsam in istis circumstantijs, si alia via, præter fugam, non suppetat subveniendi huic periculo, viri consortium fugere, ac ab illius cohabitatione & toro discedere, nec enim illius societati adstricta est cum gravi suæ vitæ, & honoris detrimento, in quo consentit etiam Petrus Barbosa *p.* 2. *n.* 29. *Rubricæ. ff. Soluto Matrimonio.* Inter morbos, propter quos possit divortium fieri, annumerant AA. hoc quoque, quando conjux evadit furiosus, aut morbo laborat, qui contagiosus sit, quales esse censentur pestis, lepra, morbus Gallicus, phthisis, & alij similes, in quibus adesse queat probabile infectionis periculum. Verùm de hoc posteriore multa sunt, quæ discussione indigent.

2. Ante omnia dicendum est, quando morbus, licèt contagiosus sit, jam ante nuptias cognitus fuit alteri conjugi, teneri tunc, qui sanus est, huic cohabitare, & petenti debitum reddere etiam cum contagionis periculo, ita Sanch. *L.* 9. *disp.* 24. *n.* 22. Petrus de Ledesma *q.* 64. *de Matrim. art.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 2. Eman. Rodriq. *tom.* 1. *Summæ c.* 242. *n.* 2.

n. 2. Bonac. *q.* 4. *De Matr. pa.* 1. *n.* 8. Gobat *in Quinario tr.* 5. *c.* 34. *n.* 59. Ratio est, quia potuit se obligare ad id, & voluit: ergo tenetur. Quòd potuerit, patet ex c. Quoniam. De Conjug. leprof. ubi dicitur: *Si leprosi aliquam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis, ad Matrimonium convolare.* Quòd verò etiam voluerit se obligare ad cohabitandum, & reddendum debitum, iterum patet, quia non ignorabat, quòd per contractum Matrimonij conjuges obligationem subeant ad reddendum sibi invicem debitum, & cohabitandum: nequijt ergo obtendere ullam ignorantiam illius, quod sponte elegit. Neque excusat eum morbus conjugis, quia sicut per L. Nihil consensui. ff. De Reg. Jur. *non videntur, qui errant, consentire*, ita vice versa consentit, qui non errat, sed novit vitia mercis, quam emit; quemadmodum in alijs quoque contractibus observatur, in his enim si venditor vitium rei patefecit emptori, contractus omnino obligat, non minùs, quàm si res esset absque ullo vitio. Quare qui sic contraxit cum persona, quam morbo contagioso infectam esse novit, sibi periculum infectionis imputare debet, cui se liberè ipse exposuit accipiendo talem conjugem.

3. Magis dubium esse potest, quando vel lepra, vel alius morbus contagiosus non antecessit Matrimonium, sed supervenit, an tunc, qui sanus est, valeat ab infecto divertere propter periculum, in quo versatur? Et quidem ut primò loquamur de lepra, pro parte affirmativa videtur facere, quòd propter infectionis periculum leprosi passim ab humano consortio arceantur, nam & in veteri lege apud Judæos Dei jussu extra castra eijciebantur *Levit. c.* 13. & 14., & in Lege nova primis statim Ecclesiæ sæculis à communi hominum consortio extra urbes segregabantur. Statutum deinde est *c.* 2. *De Eccles. ædificand.* ut ipsis Ecclesia cum cœmeterio peculiaris construeretur; imò ne eleemosynam voce petendo aërem infecerent, atque inde contagium timeri posset, factum est teste Gonzalez *in cit. c. n.* 2. *ad finem*, ut ligneo crepitaculo eandem petere deberent: & quamquam aliàs strictissima sit obligatio clausuræ Monialium, tamen ob supervenientem lepram è monasterio exire ipsis permittitur à S. Pio V. in Constitutione, quæ incipit *Decori, & honestati &c.* ut videre est apud Hyacinthum Donatum *Praxis Regular. tom.* 4. *tr.* 4. *q.* 1. *n.* 2. & Jo. Bapt. Scortiam *in Select. Summor. Pontif. Constit. Epitome* 92. & *theorem.* 228. justissima igitur causa est dicendi, ob eandem infirmitatem unius conjugis, & simile periculum, quod alteri impendet, posse separationem institui à toro, & cohabitatione.

Pro

Pro parte opposita, quòd propter lepram Matrimonio supervenientem conjux, qui sanus est, à leproso separari non possit, expressè statutum habetur c. 2. De Conjug. Leprosor. *Quoniam nemini licet, exceptâ causâ fornicationis, uxorem dimittere, constat, quòd sive mulier leprâ percussa fuerit, sive aliâ gravi infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda.* & infrà: *Quòd si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.*

4. Inter utramque hanc partem Sententia media tenenda est, ut dicamus, non quamlibet lepram justam causam præbere divortio, nam uxor est socia omnis fortunæ bonæ, & malæ. *L. 1. ff. De Ritu nupt.* & sicut felicitas viri auget felicitatem, & honorem uxoris, *L. Si libertam. C. De Nuptijs*, ita particeps quoque est infortuniorum viri: si igitur morbus ille non ita contagiosus sit, eamque malignitatem contineat, ut imminear probabile periculum infectionis, vel certè admodum leve Medicorum, & peritorum judicio, tenebitur sanus ad cohabitandum, cæteraque obsequia conjugalia, ipsamque etiam debiti redditionem, etiamsi in hoc notabilem aliquem horrorem, atque molestiam persentiscat. Quòd si autem judicio Medicorum ex cohabitatione, & redditione debiti conjugalis sano conjugi magnum immineret contagionis periculum, quale ut plurimùm adest ex lepra illa deterrima, atque fœdissima, quæ totum corpus inficiens, imò ipsa quoque ossa vitians, elephantiasis appellatur, & non contactu tantùm, sed etiam ad distans inficit, tunc neque ad hanc, neque ad illam obligabitur, sed potest plenum divortium instituere, atque ita textum suprà cit. c. 2. De Conjug. Leprof. exponunt Gonzalez, Barbosa, Pirhing, Vivianus, Wiestner, & alij è Canonistis, è Theologis verò idem docent Sanch. *L. 9. disp.* 24. *n.* 17. Bonac. *q.* 4. *De Matr. pu.* 1. *n.* 8. Coninck *disp.* 35. *dub.* 4. *n.* 122. Gobat *l. c. n.* 62. *&c.* Ratio est, quia prudenter præsumi non potest, quòd vel ipsi contrahentes se obligare intenderint, vel ipsum Matrimonium eos obliget ad debiti redditionem, & cohabitationem in talibus circumstantijs, nam rectum ordinem naturæ sequi hîc oportet, in cujus officium Matrimonium est institutum: rectus autem naturæ, & charitatis ordo postulat, ut priùs consulatur incolumitati proprij individui, quàm commodis, & solatijs alienis. Idem dicendum est de horrore, quamvis enim horror, quo à leprosis solemus naturaliter abhorrere, non semper sufficiat ad divortium, si tamen horror accedendi ad conjugem, & ei cohabitandi admodum magnus sit, ac tantus, ut istud sano conjugi moraliter ferè impossibile sit ex indita à

natura complexione, profectò nimis rigidum foret, vel ad cohabitandum, vel ad alia officia conjugalia ipsum obligare, quia ad impossibile nemo obligari potest. *c. 6. De Reg. Iur. in 6.* & *L. Impossibilium. 185. ff. eod.* atque huc spectant verba c. 1. De Conjug. leprosi. *Si verò ad hoc* (ut scilicet cohabitent) *induci non potuerunt, eis arctiùs injungas, ut uterque altero vivente continentiam servet.*

5. Illud præterea notandum est, quòd, quia sola cohabitatio non semper affert tantum periculum, quantum afferre solet frequens torus (majus enim plerunque, & vix non ordinariè periculum infectionis imminet ex cohabitatione in eodem lecto cum conjuge leproso) idcirco non quoties permittitur separatio quoad torum, permittitur etiam quoad cohabitationem; quapropter rectè discrimen facit Paulus Zacchias *Quæst. Medico Legal l. 9. Tit. 10. q. 1. n. 2. & 3.* inter divortium, & separationem tori; nam prius totalem, ac integram conjugum à se invicem separationem significat, quoad cohabitationem, & thalamum conjugalem, alterum solam suspensionem usûs Matrimonij: videndum igitur est, an ex judicio Medicorum adsint infirmitates adeò graves, & contagiosæ, quæ dent causam divortio, an minùs graves, quæ dent causam ad solam separationem tori, nam ubi sanus conjux non solùm ex carnali copula cum infirmo, sed etiam ex commoratione in eadem domo periculo infectionis exponitur, habetur justissima causa faciendi divortiũ integrum. Talis est in maligna, & confirmata lepra, in qua non solùm ex prava expiratione infecti conjugis sanus incurrit periculum infectionis, sed etiam ex inquinatione ipsius habitationis, nam putridæ exhalationes indefinenter ab ægrotantis corpore emanantes, ipsis parietibus domûs inhærere solent, teste Paulo Zacchia suprà cit. *q. 4. n. 6.* in his igitur circumstantijs à toro, & cohabitatione conjuges separari possunt: ubi verò tale periculum non imminet ex ipsa cohabitatione, timetur autem si utantur eodem toro, fieri quidem potest quoad torum, non tamen quoad cohabitationem. Gobat *l. c. n. 72.* Sanch *l. 9 disp. 24 n. 29.* qui tamen *num. seq.* adjungit, quando morbus ita contagiosus est, ut salva corporis salute nequeat sanus cum infirmo cohabitare, debere ipsum in vicinia constituere domicilium, ut possit infirmi necessitatibus, quantùm patietur justus metus infectionis, succurrere; quia tametsi à cohabitatione ratione periculi absolvatur, non tamen absolvitur ab alijs obsequijs conjugi leproso exhibendis. Illud præterea notatu dignum observat Sanchez *cit. loco n. 19.* testimonio Medicorum ex actu conjugali multò certius periculum imminere viro, accedenti ad mulierem lepra, aliove contagioso morbo

bo infectam; quàm mulieri sanæ accedenti ad virum infectum, atque ideò faciliùs excusandum esse virum à reddendo debito uxori leprosæ, quàm è contrario, ubi uxor sana est, vir autem leprosus.

6. Quamquam verò Navarrus *in Manuali c. 22. n. 22.* absolutè asserat, conjugem à conjuge recedere non posse propter morbum, quem alij Gallicum, alij appellant Neapolitanum, & Aloysius Riccius *in Decisionibus Curiæ Neapolitanæ p. 2. Decis. 65.* de eadem Curia testetur, esse ibi more receptum, ut non permittatur tori separatio ob allegationem morbi Gallici, *quia hodiè*, inquit, *est facillima medela, qua occurri potest præfato morbo*: Nihilominus tamen idem dicendum est de hoc morbo, quod dictum est de lepra ob eandem rationem, videlicet ubi ad eam magnitudinem pervenit, ut totum corpus putridis ulceribus, ac maximè guttur, fauces, & palatum exedentibus ob multam eius malitiam scateat, ubi æger lenta febri simul, præsertim nocturna detinetur, artuumque doloribus indesinenter affligitur, alijsque sævissimis symptomatibus afficitur, quo casu morbus Gallicus leprâ multò gravior, & toleratu difficilior est, dicendum, inquam, justissimam tunc causam esse instituendi divortium. Si autem ad eam gravitatem, ac sævitiem non pervenit, tunc inter minùs graves causas, ob quas torus solummodo separandus sit, connumerandum esse; in priori enim casu tam ex usu coitûs, quàm ex cohabitatione imminet periculum infectionis sano conjugi ab infecto, ita ut non satis sit, eos quoad torum separari, nisi etiam quoad habitationem sejungantur. ita Paulus Zacchias *l. 9. Quæst. Medico - Legal. Tit. 10. q. 4. n. 9.* Ex quo patet, quàm causam multò justissimam habuerit Clara Cerventa instituendi divortium à cadaveroso hoc suo conjuge, quod tamen ipsa non fecit, ne miserum derelinqueret, pluries devotam neci victimam, quem ipsi non unâ tantùm vice eripuit, & inter vivos servavit indefessa sua solicitudine, & obstupenda charitate. Posse autem conjugem, si ita velit, etiam manere cum conjuge ejusmodi morbis afflicto, & petenti debitum reddere citra peccatum ex affectu, & benevolentia conjugali, docent Sanch. *l. 9. disp. 24. n. 23.* & Joan. Præpositus *in 3. p. S. Th. q. 6. de Matr. dub. 5. n. 41.* quia potest salutem corporis postponere amori conjugali, qua ratione conjuges laudabiliter etiam cum periculo sanitatis, & vitæ assistunt comparti peste, vel simili morbo contagioso laboranti, licèt ad id non teneantur. Et verò propter inexplicabilem hanc charitatem Claram Cerventam singulariter à Deo fuisse protectam ex eo manifestum est, quòd

quòd, ut Historicus refert, nunquam contagiosissimo mariti morbo, nec ulla omnino scabie infecta non modò ipsa fuerit, sed nec ullus liberorum, (plures enim ex eo susceperat) corporibus omnium sanissimis, atque mundissimis; ex quo liquidum fit, (pergit Historicus) quanta sit virtus, quanta sanctitas earum, quæ verè, ac toto pectore maritos, ut congruum est, amant, quamque illis Deus in hac quoque vita præsentem gratiam referat.

7. Hecticam quoque, ac phthisin annumerat causis separationis Aloysius Riccius *in Praxi aurea quotidianar. rerum Ecclesiast. fori*, seu *Variar. Resolut. p.* 1. *Resolut.* 219. Verùm negat id Gobat, receptum esse in nostris regionibus, quamvis non dubitet, quin, ubi periculum ex frequenti congressu imminet, possit negari debitum crebrò petenti. Cæterùm quamvis phthisis non usque adeò gravis sufficientem causam non præbeat faciendo divortio, licèt aliquando sufficiens sit ad tori separationem, negari tamen non potest, esse quandòque adeò pestiferam, tantæque malignitatis, ut teste memorato Zacchia *l. c. n.* 7. & Hieron. Fracastorio *De contag. & Morbis contagios. l.* 2. *c.* 9. ipsas domos, in quibus commorantur, putrido halitu, & abominabili evaporatione phthisici ita coinquinent, ut sanis neque simul habitare, neque illorum habitationes frequentare tutum sit, & tanta est ejus contagij-vis, ut aliquando visa sit hæreditaria, ac tanta malignitate insignis, ut interdum usque ad quintam generationem sese propagaverit, personas omnes eodem morbo, ijsdemque symptomatibus associato, eadem ætate, quod multò admirabilius est, absumens. Addit Fracastorius, evenisse, ut vestes, quas phthisici gestavere, sæpè visæ sint post biennium attulisse contagionem: ad hanc ergo gravissimam malignitatem si phthisis pervenerit, causa utique sufficientissima est ad faciendum divortium; secus dicendum de phthisi mitiore, præsertim incipiente, & necdum confirmata. Illud etiam notat Paulus Zacchias *l. 8. Tit.* 1. *q* 10. *n.* 4. quantumvis tantæ malignitatis aliquando sit, ut halitu inficiat, non tamen hoc evenire simplici halitu semel, atque iterum percepto, sed multa, ac longa reiteratione cum persona infecta, nec ita facilè communicari cuicunque subjecto, sed citiùs magis disposito, & à natura propenso ad prædictum contagium contrahendum. Semper etiam gravius, & evidentius periculum imminet conjugi juniori à seniore, quàm vicissim seniori à juniore, ut idem habet *l.* 3. *Tit.* 3. *q.* 6. *n.* 4. & 24. idque confirmat dicto Hippocratis 5. Aphorism. 9. ubi ait, & cum eodem Galenus: *tabes enim maximè fit in ætatibus ab anno decimo octavo usq; ad trigesimum quintum*: proinde qui grandiores natu sunt, minùs periculi

riculi habent. Ratio autem est, cur juniori magis timendum sit à seniore, quàm vicissim, quia junior magis dispositus est ob vividum calorem, & majorem pororum apertionem ad contrahendum contagium, cùm senior ob mitiorem calorem & pororum occlusionem infectioni, quam à juniore contrahere posset, magis obsistere valeat; quod tamen idem Zacchias in confirmata lepra putat non pari modo procedere, nam hanc, ait, omnibus absolutè tam senioribus, quàm junioribus communicabilem esse.

8. Inter morbos, propter quos separatio conjugibus permittitur, superiùs *num.* 1. etiam recensuimus, quando conjux est *furiosus*, loquendo scilicet de vero, ac proprio furore, & non de simplici amentia. De utroque multa jam diximus *in Sect. præced. q.* 4. *cas.* 1. *n.* 11. Simplex dementia etsi fortassis sufficere quandoque possit ad separandum torum, minimè tamen sufficiens est ad instituendum plenum divortium, ad quod tamen furor præstare potest aliquando sufficientem causam, quia ex furioso conjuge poterit sanus, si simul cohabitare cogatur, reportare interdum notabile damnum, imò etiam vitæ periculum incurrere, quale periculum neutiquam datur in simplici amentia. Quòd si autem furor quoque tantus non sit, ut simile quid timeri debeat, non præbet is justam causam divertendi, sed tenetur sanus cohabitare conjugi, illique ministrare; secùs si graviter periclitetur, & non præcisè ipsi molesta sit cohabitatio, quia prævalet jus propriæ vitæ tuendæ: imò nec opus est, ut incurrat periculum ipsius vitæ, sed sufficit periculum aliorum gravium damnorum. Sanch. *L.* 10. *disp.* 18. *n.* 18. Paulus Zacchias *cit. q.* 4. *n.* 4.

De epilepsia, seu morbo comitiali, aut caduco videri potest, præstare hunc causam sufficientem ad instituendum divortium, nam & per se morbus horrificus est, & qui in alijs facilè communicatur per contagium, cùm sciatur, etiam per solum visum in alios translatum esse, teste Christophoro à Vega apud Paulum Zacchiam *L.* 3. *Tit.* 3. *q.* 5. *n.* 5. præsertim quando gravis est ex Symptomatum gravitate, & eorundem multitudine, frequentia accessionum, & earum longa duratione, & ijs, quæ ab accessione relinquuntur. Verùm prædictus Zacchias *lib. & Tit. cit. q.* 6. *n.* 4. negat, epilepsiam esse justam causam, ut propterea conjuges possint separari, quia licèt periculum aliquando sit ab hoc morbo, id tamen evidens non est, sed admodum incertum, cùm, licèt subinde hoc eveniat, plerumque tamen non soleat per contagium communicari ijs, qui in consortio talis infirmi com-

commorantur. Id verum est, faciliùs communicari filijs; & alijs descendentibus, quia morbus hæreditarius est; sed neque ob hoc ad faciendam separationem sufficit, quòd eptilepticus interdum epilepticum generet, quia hoc quoque de futuris contingentibus est, quod licèt aliquando, non tamen ordinatiè, aut necessariò evenit, neque per hoc irrogatur proli injuria, sed ea potiùs afficitur maximo beneficio, ut ait Sanch. *L. 9. disp. 24. n. 25.* & cum ipso Bonacina *q. 4. De Matr. pu. 1. n. 9.* dum vitam consequitur ex concubitu cum epileptico habito, meliùs siquidem ipsi est, hoc morbo affectum, vel etiam leprosum vivere, quàm omnino non esse.

Ex occasione prædictorum addo pro coronide, quando conjuges seorsim habitant propter morbum alterius contagiosum, proles debere educari apud eum, qui sanus est, ne inficiantur. Sanch. *disp. 24. cit. n. 35.* Sylvest. *V. Lepra q. 3.* Armilla *eod. Tit. n. 3.*

§. III.

§. III.

De Divortio ob sævitiem coniugis.

CASUS

Nova Xantippes.

Alforannus, & Herminia conjuges, ijque non de plebe, pluribus annis inter meras discordias cohabitarunt: dubium est, an illi magis, an isti culpa tribuenda sit. Calumniæ, atque convitia ultrò, citroque jactabantur quotidie, uxore cum fœnore in virum refundente, quibus ab ipso impetebatur, nam erat linguæ dicacis fœmina, & quæ loquente viro sibi probro duxerat silere. Gravior tempestas plerunque incubuit, quando vir potui deditus, domum temulentus, quod sæpè eveniebat, & vino gravis rediit, tunc enim intra verba non stetit, sed ipsis accesserunt verbera, quoties jubenti aliquid marito ipsa obloqui ausa est; remque malè cum viro ipsi cessisse, sequentibus diebus è vultu legi potuit, & relictis pugnorum vestigijs, oculisque liventibus. Non rarò nocte concubiâ domo eiectæ sub Dio pernoctandum fuerat, aut si in ædes reversa esset, vitæ periculum subeundum, nisi vicini cujuspiam intercessio, cui

Alforannus

Alforannus multùm deferre solitus est, si minùs pacem, saltem inducias impetrasset. Nacta tamen est denique Herminia bellam tot sibi illatas injurias ulciscendi occasionem; nam cùm ex morbo, nescio quo, malè haberet maritus, opus eidem fuit, Medicorum judicio balneo uti, vaporario illo, sive sudatorio, ubi totum corpus velut ergastulo includitur, capite solo prostante. Hanc à propitia fortunâ sibi oblatam rata occasionem uxor læta arripit; exultans ad Maritum advolat, convitia, verbera, pessimam tractationem ipsi exprobrat, & cùm defendere se ipse non posset, nam pessuli foris obducti erant, quidquid mordacium verborum olim in suum Socratem Xantippe poterat, in Maritum velut captivum exonerat. In hoc verò illam adhuc superavit, quòd non jam aquam in eundem effuderit, verùm sonantibus colaphis eundem liberalissimè depalmaverit, usque dum hic sustinendo, & ipsa impingendo contraxit lassitudinem, nihil morata ipsius vociferationes, blasphemias, minas, imprecationes, ac demum etiam preces, perrexit illa strenuè, donec se probè ulta, è conspectu proripuit, atque sic eum fabulam dedit toti urbi.

Q. An uxor ista, an etiam Maritus habuerit causam sufficientem instituendi divortium?

SYNOPSIS.

1. *Sævitia conjugis ex Jure naturali, & Ecclesiastico tribuit jus divertendi.*

2. *Quanta debeat ea esse, ut possit institui divortium?*

3. *An sicut uxor potest à Marito recedere propter illius sævitiem, ita vir possit divertere ab uxore, quando hæc ejus vitæ insidiatur?*

4. *An,*

4. *An, & quando verbera à Marito inflicta uxori præbeant causam divortij?*

5. *Ob percussionem merè præteritam, etiam atrocem, non datur divortium, nisi timeatur simile malum in futurum.*

6. *Statuitur, quid judicandum sit de præsente casu?*

7 *Proponuntur adhuc aliqua dubia ad hanc materiam pertinentia, videlicet, an ob sævitiam conjugis possit divortium fieri propria authoritate?*

8. *An eidem divortio locus sit, quando vir concubinam habet, & quando non ipse, sed Parentes ipsius in uxorem sæviunt?*

9. *An facto divortio maritus teneatur uxori dare alimenta, & apud quem educandi sint liberi?*

1. Conjuges affero in præsente casu, quorum utrumque bene novi; novi etiam quàm optimè virum, qui turbato conjugio frequenter suam malaciam reddidit. Novus omninino hic casus non est, quia jam ante plures annos uterque conjux inter vivos esse desijt, novus tamen dici poterit, quia identidem innovatur, atque inde nova exurgunt dubia, an tanta sit hujus, vel illius è conjugibus sævities, quæ possit divortio locum dare? Posse autem propter sævitiam conjuges ab invicem separari, perspicuum, certumque est, nam id utrumque Jus, Natule, & Canonicum permittit; siquidem Jus naturale unicuique concedit facultatem vitandi grave malum, nec obligat contractus Matrimonij ad cohabitationem cum magno gravis damni periculo, neque etiam censendus est conjux habuisse unquam intentionem, neque habere debuit, cohabitandi conjugi sævo, & crudeli, à quo timere deberet grave nocumentum: igitur cùm ex Jure naturæ hoc habeatur, ut actus agentium ultra eorundem intentionem non extendantur, ut indicatur *in L. Non omnis. ff. De Reb. credit. si cert. pet.* patet

patet, ex Jure naturæ permissum esse divertere conjugibus, quoties ex unius sævitia alteri impendet grave periculum. Quod Jure Canonico quoque confirmatur, quippe id ipsum clarè deciditur in *c. Ex transmissa, & c. Litteras. De Restit. Spoliat.* Quare id nobis modò investigandum est, quænam censenda sit sævitia ad hoc sufficiens, ut possit conjugi præbere causam ad instituendum divortium?

2. Certum est, non qualemcunque unius conjugis asperitatem satis esse, ut propter eam ad divortium alteri transire liceat; nec satis est malum quodcunque, quod forsan à conjuge timeri potest, sed malum, quod timetur, debet esse grave, ac tale, cujus metus cadere valeat in constantem, ac prudentem virum, considerata tamen qualitate personæ, quia nempe in muliere, quæ sexûs, & ingenij imbecillioris est, semper minor metus sufficit, quàm in viro, ut notat Glossa *in c. Cùm locum. De Sponsal. V. Metus.* Ratio verò est, cur non sufficiat cujuscunque mali timor, quia divortium instituere est res gravissima, unde requiritur causa gravis, quæ non habetur, ubi timetur leve malum, aut qualiscunque molestia, secùs enim daretur ansa passim divertendi, cùm vix sit reperire aliquod conjugium usque adeò tranquillum, & pacatum, in quo non aliquando exurgant leviores saltem aliquæ discordiæ, quæ secum afferant aliquam molestiam. Addo, in Jure quoque timorem levis mali non attendi, ut patet ex *L. Metum accipiendum. ff. Quod metûs causâ*: ut ergo justa causa habeatur, ob quam à conjuge conjux separari valeat, tanta debet in altero esse sævitia, ut grave malum inde meritò timeatur imminere conjugi, quod facilè vitari nequeat, nisi facto divortio. Numerantur verò inter mala illa non levia, si v. g. maritus odio fatali consortem suam persequatur, ejusque vitæ ferro, veneno &c. insidietur, mortem, vel mutilationem minitetur, quamvis enim solæ minæ, quæ in futurum intentantur, ordinariè non sufficiant ad faciendum divortium, si tamen ex alijs circumstantijs, aut præteritis effectibus constet, solere virum minas suas exequi, censetur adesse probabile periculum gravis mali, nam ex præteritis præsumi potest, quid sperandum, timendumvé sit circa futura. *Argument. c. Mandata. De Præsumpt.* Justam etiam divortij causam præbent graves, atque frequentes discordiæ, ac rixæ, quippe sic nimis molesta redditur cohabitatio conjugi innocenti, nam grave utique est, debere semper cum illo vivere, quem tibi offensum habeas, & in perpetuis jurgijs eidem commorari. Sanchez *L. 10. disp. 18. n. 11.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 17.* Pirhing *n. 61.*

De

De Divort. Unde præsertim respectu nobilium censet P. Jacobus Wex in *Ariadne Carolino-Canon. p. 4. Decade 4. cas. 8. n. 13.* sufficere posse etiam contumelias, gravesque calumnias à marito frequenter conjectas in uxorem, si inde exurgant graves discordiæ, ac jurgia, quando hæc nimis frequenter, & quasi assiduè imminent: hanc tamen respectu plebejarum causam sufficientem esse negat Gobat *in Quinario tr. 5. c. 34. n. 14.* neque admissum iri asserit in tribunali Ecclesiastico, quæ omnia paucis comprehenduntur in suprà cit. c. Ad litteras. De Restitut. spoliat. ubi ad finem dicitur, mulierem à viro divertentem ei restituendam esse, *nisi tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri;* quo casu *non solùm non debet ei restitui, sed ab eo potiùs amoveri*, quibus similia habentur etiam in c. Ex transmissa, eod. tit.

3. Cæterùm ex his citatis textibus dubium moveri potest, an ob sævitiem uxoris Marito quoque liceat ab eadem divertere, quemadmodum uxori permissum est à viro recedere ob illius sævitiam, si quidem in dictis textibus, & in *c. 1. Vt lite non contest.* in quibus divortij ex causa sævitiæ mentio fit, solùm conceditur istud uxori à viro sibi timenti, at de marito nihil tal dicitur, sed potiùs videtur, contrarium esse decisum à Nicolao I. in *c.* Quidquid. 32. q. 5. *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, non est, exceptâ fornicationis causâ, reijcienda*, unde Glossa quoque *in c. Quæsivit. De Divortijs. V. Vel alio.* negat meritò, hoc esse licitum, etiamsi uxor viro suo mortem machinetur. Neque hîc dici potest, uxorem & maritum esse correlativa, proinde quod dispositum est in Jure de uno, censeri quoque de altero dispositum *L. fin. C. De indicta viduit.* nam hoc solummodo tunc locum habet, quando eadem utriusque correlativi ratio est, ut probat Euerardus in suis topicis, *loco à Correlativis. n. 8.* & Barbosa *in locis commun. Argument. Juris. loc. 29. n. 2.* at non est eadem, sed valde diversa ratio mariti, & uxoris; hæc enim nequit coërcere virum, eumque punire, quæ tamen potestas concessa est viro in uxorem, cujus ipse caput est, ipsa autem viro subjecta *c. Fæminæ. 30. q. 5. c. Est ordo.* & *c. Cùm caput. 33. q. 5.* ex eo igitur, quòd uxor possit à marito divertere propter illius sævitiam, non sequitur, id ipsum dispositum esse etiam de marito.

Verùm meliore ratione contrarium fundatum est, atque ideo absque dubio dicendum, id ipsum permitti etiam marito, quando mortem ipsi machinatur uxor, & is compescere aliter illam nequit, sibique adversùs illius insidias consulere, nisi ab ea se separando ita expressè Sanchez *L. 10. disp. 18. n. 8.* Basilius Pontius *L. 9. c. 23. n. 8.* Palao *disp. 3. De Sponsal. pu. 6. §. 9. n. 6.*

Petrus de Ledesma *q.* 62. *de Matrim. art.* 1. *dub.* 4 Petrus Barbosa *in Rubric. ff. Soluto Matrim. p.* 2. *n.* 23. Gobat *in Quinario l. c. n.* 21. Wiestner *n.* 103. *De Divortijs.* Ratio est, quia Jus naturale cuivis concedit facultatem vitandi mortis periculum, neque contractus Matrimonij obligat ad cohabitationem cum tanto vitæ discrimine, quæ ratio non minùs militat pro viro, quàm pro uxore; nec voluit in suo canone suprà citato Nicolaus I. hunc casum comprehendere, quando cohabitatio cum uxore conjuncta est cum probabili vitæ periculo, nam cùm Jus naturale cuilibet permittat, ut contra ejusmodi insidias se se tueri possit, noluit Pontifex, imò nec potuit huic juri derogare. Quòd autem citati canones de sola uxore, & non de Marito loquantur, ex eo est, quia frequentior esse solet viri sævitia in uxorem, rara autem sævitia uxoris in virum: igitur quia istud est frequens, ut vir in uxorem, hoc autem valde rarum, ut è converso uxor sævitiam exerceat in maritum, idcirco hac tacitâ, solius sævitiæ, quæ in maritis est, Jura meminerunt; verba autem posita in lege gratiâ frequentioris usûs nec eam limitant, nec in alijs dispositionem mutant, ut exponit Glossa *in Clement.* 1. *V. Præsidentes. De Rescriptis.* cum Sanch. *l. c. & L.* 6. *disp.* 19. *n.* 10.

4 An autem verbera inflicta, vel etiamnum timenda à marito justam uxori causam præbeant divertendi, litem aliquando movit inter AA. Petrus Barbosa *in Rubric. ff Soluto Matrim. pu.* 2. *n* 31. *&* 32. ac alij quidam apud Sanchez *l. c. n.* 15. tunc solùm permittunt hoc uxori, quando ex verberationis atrocitate timetur probabiliter mortis periculum, aut quando propter verbera contracta est inimicitia capitalis inter conjuges, quo casu idem periculum probabiliter timeri potest; hoc verò si non adsit, negant, divortio locum esse. Verùm ista Sententia nimis arctos limites uxoribus ponit: meliùs dicitur, non quamlibet quidem verberum inflictionem justam divortio causam præbere, justè tamen à marito uxorem recedere ob excessivam, & immoderatam verberationem, etsi mortis periculum inde non immineat. Ratio est, quia cùm vir sit caput uxoris, ejusque Superior, & quasi Magister, id ipsum concessum est viro, quod à Jure Magistro conceditur erga discipulum: huic autem *L. Sed & si. §. ult. ff. Ad leg. Aquil.* permittitur, ut levi castigatione puniat, quem docet: idipsum igitur Marito licitum est, ut uxorem castiget levi, ac moderata punitione, quæ non tam pœnam, quàm correctionem spectet. Quia igitur moderata, ac levis verberatio domestica castigationis limites non excedit, eâque etiam ingenui puniri possunt, non est, cur viro denegetur jus verberandi uxorem, servatâ moderatione, atque hinc quando

do levis est verberatio, & ex urgenti causa, manifestum est, non licere uxori divertere. Imò etiam quando inflicta sunt verbera, levia tamen, absque ulla causa, adhuc non apparet, qua ratione justam divortij causam præbeat hæc verberatio, nam quamvis vir injustè tunc egerit, non tamen hæc castigatio tanti momenti est, ut possit sævitia dici, nec timor levium verberum cadit in virum constantem. ita Sanch. *l. c. n.* 16. Palao *disp. 3. de Matr. pu. 5. §. 3. n. 2.* Bonac. *in 4. Præcept. Decal. disp. 5. q. unic. pu. 7. n. 2.* Sayrus in *Clavi Regia l. 7. c. 7. n. 8.* Gobat *in Quinario tr. 5. c. 29. n. 9.* & passim alij Theologi, ac Canonistæ. At verò quando verberatio gravis, & immoderata est, quæ limites correctionis marito concessæ excedat, justam uxor causam habet instituendi à viro divortium, quia ejusmodi atrox, & sæva castigatio nuspiam viro concessa est, sed prudens, & moderata, etsi enim uxor viro subdita sit, est tamen interim socia, & adjutrix domesticæ administrationis, atque ideo quodammodo par, quam proinde tractare debet ut sociam affectu maritali, non ut mancipium. Neque refert, quòd ea graviter deliquerit, quia acris castigatio, si eam delicti gravitas postulet, judici relinquenda est, cujus est juridicam, & delicto condignam pœnam inferre. ita præter citatos Layman. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 6.* & *c. 7. n. 17.* Gonzal. *in c. 1. De Divortijs n. 2.* Imò quantumvis ipsa causam dederit suâ culpâ ad ejusmodi atrocem verberationem, gaudebit tamen jure divertendi. Sanch. *l. c. n. 5.* Coninck *disp. 35. dub. 4. n. 23.* Dicastillo *disp. 10. de Matr. dub. 5. n. 66.* Pirhing *n. 61. De Divortijs.*

Quænam autem censenda sit verberatio atrox, rectè docent Palao, & Layman. *ll. cc.* potissimùm esse desumendum ex qualitate, & conditione uxoris, nam humilis, & plebeja graviùs puniri potest, quàm nobilis: universim tamen præter eam, quæ cum mortis periculo, mutilatione membri, aut vulneratione conjuncta est, sæva videtur esse illa, qua uxor fuste percutitur, in terram proijcitur, pedibus calcatur, ita acriter accipitur, ut teneatur aliquot dies lecto decumbere, sanguinem spuere, vel si secutus sit ex percussione abortus &c. quòd si tamen mulier plebeja merobibula, seu ebriosa, vel nolens vitare suspecta consortia, post leviorem pœnam sine effectu illatam, fuste vapulet à marito, ut biduo, triduóve duret verberum aliquis sensus, non multùm reprehendendos esse maritos, opinatur Gobat *l. cit. c. 29. n. 18.* Cædere alapis uxorem sævitiæ arguit memoratus Palao: sed in plebeis hoc parùm attendi arbitror, etsi per aliquot dies vultum livore notatum circumferant, quod tamen in conjuge nobili gravius apprehenditur, quia si uxor Matrona gravis sit, & ingenua, quæque familiam

miliam bene administret, inter gravia mala numerare potest, & quæ sævitiam redoleant, si sæpiùs absque causa, etsi non graviter, verberetur, ut tenet Gobat *c.* 34. *n.* 11.: igitur grave quoque censebitur, & quod ad separationem valeat ansam dare, cædi alapis conjugem nobilem, vel Baronissam, aut Comitem, saltem si istud sæpiùs eveniat, cùm nihil ferè sibi probrosius Nobilitas ducat, quàm cædi alapis, & nimis graviter hæc pœna repugnet affectui conjugali. Gravem quoque, & illicitam percussionem judicat Gobat *c.* 29. *n.* 17. cum Palao, atque ideo peccati morralis damnant maritum, qui uxorem cædit flagellis, etiamsi ea verberatio in suo genere levis sit, ac moderata, eò quòd sit servorum propria, & ingenuis non nisi in minore ætate inferri soleat.

5. Etsi verò verberatio atrox justam divortio causam præbeat, ut modò dictum est, hoc nihilominus ita limitant Sanch. *l. c. n.* 16. Gobat *c.* 34. *n.* 13. *&* 28. Palao *disp.* 3. *De sponsal. pu.* 6. §. 9. *n.* 7. Laym. *l. c. n.* 17. Wiestner &c. verberationem merè præteritam, quantumcunque sævam, & atrocem, non facere jus divortij, nisi præbeat justam causam malum simile etiam in futurum metuendi. Hinc si maritus præter consuetudinem semel uxorem verberaverit crudeliùs, quàm par erat, ex planè insolito motu iræ, vel perturbatione, & rationabilis timor non habetur, ne simili œstro correptus talem sævitiam iterum exerceat, non potest propterea uxor à marito divertere, nam, ut taceam, ex unica, & inoptinata, etiam multùm excessiva, verberatione, sævitiam non concludi, cùm ea assiduitatem, aut saltem ad grave malum inferendum propensionem, & proclivitatem quandam exposcere videatur, ut inquam istud taceam, unicam talem immoderatam verberationem præteritam sufficientem causam divortij non esse, clarè colligi potest ex suprà cit. *c. Literas, & c. Ex transmissa. De Restit spoliat.* nam si sævitia merè præterita sufficeret ad divortium, uxor, quæ maritum deseruit ob sævitiam, non juberetur ibi, præstitâ sibi cautione futuræ incolumitatis, ad maritum redire: ergo damnum illatum non præbet causam divertendi, nisi inde sumatur præsumptio sufficiens, simile malum rursus esse inferendum, atque ita tota causa divortij ex solo damni futuri timore proficiscitur, & ubi metus iste deficit, ibi divortium nullo modo permittitur. Quòd si verò in futurum aliquid tale metuendum est, tunc enim verò habet uxor causam justam, atque sufficientem divertendi, etiamsi tantùm semel se graviter verberatum iri sciat, vel probabiliter præsumere queat. Gobat *cit. c.* 34. *n.* 12. nam etiam unica gravis verberatio grave malum est, & AA. non requirunt multiplicem verberationem,

berationem, licèt Laymannus *l. c. n.* 27. loquatur de sæpius repetenda.

6. Quæres modò, quodnam igitur circa præsentem casum ferendum sit judicium? Anne Herminia potuerit jure ab Alforanno, an verò etiam ipse propter verbera, quibus uxor sudantem in balneo detersit, divertere ab Herminia? Hanc quod attinet, potuisse ipsam divortium instituere, ex præcedentibus satis apertum est, nam verè exercuit maritus erga ipsam sævitiem, potuitque meritò annumerari ijs, quos ipse Pontifex Alexander III. *c.* 1. *De his, quæ vi &c.* tyrannos nuncupat. Tales enim revera sunt ij non tam mariti, quàm carnifices, qui pugnis, fustibus, & quid quid primò manibus furentium occurrit, in miseras uxores continuò desæviunt, ut vix aliquando has videre detur sine vibicibus, aut liventibus oculis, quæ sunt patentia testimonia, quàm feram bestiam omni humanitate, & ratione carentem loco mariti domi alant, cujus ferociam diu, noctuque timere debeant, ita ut ijs nunquam liceat sine metu, & extra periculum esse. De Alforanno autem videtur idem ferè dici posse, quod in casu non multùm absimili respondet Gobat *tr.* 10. *n.* 720. ubi proponit conjugem quampiam persæpè indignissimis modis habitam à marito, ut tandem hunc etiam invitum cicuraret, decumbentis ex podagra pedes, manusque tamdiu cæcidisse bacillo, donec Maritus per omnia sancta juraret, se æternùm abstenturum manus ab illa; & tum ad quæstionem, an, si Maritus meritò formidâsset imposterum aliquid ejusmodi, habuisset jus separandi se à sua? ita respondet: Si prudenter potuit timere imposterum eam sanè cruciabilem simul, & probrosam molestiam illatum iri sibi innocenti ab uxore, utique licebat implorare opem Magistratûs Ecclesiastici; si autem solùm timuit, ne, si ipsemet rediret ad ingenium, rursum experiretur tam immites manus conjugis, putat dictus Author, dici tunc ipsi potuisse: *damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alijs, imputare* De Alforanno nostro ita ego censeo, eum nec potuisse ob hoc Herminiæ factum ab eadem recedere, neque in tribunali Ecclesiastico fuisse audiendum, si separationem postulâsset, nam & facinus unicum est, quod ausa fuit facere Herminia; sævitia autem, quæ divortio causam præbeat, ab uno facto non habetur, ut paulò antè dixi in num. præcedente, nec eidem ipse periculo subjectus est, cui podagrâ laborans in altero casu exponebatur, nam redeunte per suas periodos articulari morbo, & notas pedicas iterum inijciente, etsi prior vexatio agno mansuetiorem effecerit, eandem tamen, iterum timere debuit, ne læta priore

successu

successu uxor repeteret, si similem ipse, ut olim Socrates, nactus est; ut verò idem vaporarium Alforannus iterum subiret, nihil erat, quod ad hoc ipsum cogeret: aut si infirmo hocce remedio opus erat, præcavere facilè potuit, ne denuò uxor accederet, & eodem modo sudorem abstergeret. At si, reversus ipse ad suum genium, perrexerit, ut antè, in miseram uxorem desævire, mirum non est, si & ipsa eadem arma rursum arripuerit eaque iterum egerit, quæ vel putaverit, ad suam defensionem esse profutura, quam Jus Naturæ singulis permittit, vel ad injuriarum toties sibi illatarum commensuratam ultionem accommodata esse crediderit. Recordari nempe debuerat Alforannus, quod dicit Juvenalis Satyrâ 13. & experientia probat:

- - - - continuò sic collige, quòd vindictâ
Nemo magìs gaudet, quàm fœmina,

Atque ita sibi imputare debuit, quòd fero agendi modo uxorem in se efferaverit, risu dignior, quàm commiseratione.

7. Supersunt modò adhuc aliqua dubia, quæ circa hanc materiam merentur examinari, ac primò quidem, an ob sævitiam conjugis liceat divortium facere propriâ authoritate? Negativam absolutè tenet König *n. 14. De Divortijs*, ubi ait, certissimum esse, conjuges propriâ authoritate divortium facere non posse, eo quòd nemo possit in sua causa sibi jus dicere, excipit tamen hæresin propter *c. De illa. 6. De Divort.* ubi docetur, ob hæresin, in quam lapsus est maritus, posse uxorem propria authoritate illum dimittere propter instans periculum perversionis. Sed dicendum, in praxi quidem semper suadendum, imò plerunque esse necessarium, ut imploretur ad hoc Iudicis Ecclesiastici sententia, ut, sicut per potestatem Ecclesiasticam conjuncti fuerè conjuges, ita per eandem separentur, per quod evitabuntur plurima scandala, quæ aliàs pronum est ex separatione conjugum oriri; tum ut constare possit, an aliter fortassis sub certis cautionibus prospici valeat securitati innocentis. Si verò esset in mora periculum, quod in casu sævitiæ frequenter esse solet, aut facilis accessus ad Iudicem haberi nequeat, non est vertendum vitio conjugi, si, quando sævitia mariti notoria est, atque ideo cessat scandalum, ad aliquod tempus propria authoritate à sæviente recedat, nisi ab eo idonea cautio de non offendendo præstetur, ita Sanch. *l. 10. disp. 18. n. 3.* Filliuc. *tr. 10. p. 1. c. 10. q. 3. n. 402.* Reginald. *l. 31. n. 316.* Basil. Pontius *l. 9. c. 23. n. 7.* Palao *disp. 3. De sponsal. pu. 6. §. 9. n. 6.* Laym. *l. c. n. 18.* Gobat *tr. 10. cas. 20. n. 718* & *in Quinario tr. 5. c. 34. n. 38.* Barbosa *in Votis Decisivis. L. 1. Vot. 9. n. 8.* Pirhing *n. 62. De Divortijs.* Engl *n. 23.*

n. 23. eod. Tit. Neque contrarium hîc probat argumentum, quo utitur König, cùm conjux recedens à conjuge propria authoritate, quando sævitia moram non patitur, non ipsa sibi jus dicat, sed jure utatur, quod sibi à natura concessum est. Dixi autem *ad aliquod tempus*, quia divortium hoc etiam à Iudice Ecclesiastico non solet concedi in perpetuum, nisi fortè per accidens, quando causa illius, videlicet sævitia, censetur semper duratura, nec ulla cautione creditur securitati conjugis sufficienter posse prospici, atque adeò penitus desperatur de cautione, & securitate, tunc enim, stante periculo, nec debet, neque potest compelli uxor ad cohabitandum marito. At verò quando cessavit sævitia, & in Marito secuta est emendatio, vel data cautione videtur sufficienter esse conjugi prospectum, cohabitatio separata rursus restaurari debet, quia præstita sufficiente cautione desinit metus esse probabilis, & prudens: ergo non subest causa divertendi. *c. Literas c. ex Transmissa. De Restitut. spoliat.* Porrò hæc cautio, quæ ordinariè exigenda est, quoties probabile periculum offensionis imminet, præstanda est regulariter per pignora, aut fidejussores, ut mulier in eventum læsionis habeat, unde satisfactionem, etiam pecuniariam propter injuriam exigere possit. Si autem conjux ob inopiam pignora, aut fidejussores habere nequeat, illius juramentum pro cautione acceptatur, dummodo talis persona sit, ut juramento ipsius, vel alij cautioni verisimiliter credi possit. *Authent. Generaliter. C. De Episc. & Cleric.* Quin imò universim, si vir est cæteroquin bonæ vitæ, sufficiet, ut præstet cautionem juratoriam, tametsi pignoratitiam, vel fidejussoriam præstare posset, quia sic meritò præsumi de ipso potest, majorem timorem habiturum violandi juramentum, quàm aliam quamlibet cautionem. Palao *l. c. n. 11.* Bonac. *q. 4. De Matr. pu. 5. n. 25.* At verò quando odium inter conjuges est capitale, rectè notat Sanch. *l. c. n. 33.* parùm fidei habendum esse cautioni, utpote quæ tunc solet infirma, & fragilis esse, cùm cautio malevolum animum non mutet. §. *Novissimè 12. Instit. De suspect. Tutor.* Verum nihilominus est, virum etiam post præstitam cautionem adhuc posse moderatè verberibus uxorem castigare, sicut antea licitè poterat, quia in tali punitione nulla est atrocitas, nec consentaneum est, ut sinat Maritus uxorem omnino impunè delinquere. Bonac. & Reginald. *ll. cc.*

8. Secundò dubitatur, an possit uxor à marito discedere, quando is domi concubinam habet, vel quando non quidem ipse, sed Parentes Mariti in uxorem sævitiem exercent?

Resp. ad primum affirmativè, sive

sive domi concubinam retineat, sive alibi extra domum, quia non bene conveniunt uxor, & concubina, semperque metuendum est, ne hæc illius vitæ insidietur, atque ipse etiam maritus in tali casu facilè movetur ad pessimè tractandam uxorem, fierique vix potest, ut ejusmodi concubinatus non sit causa per petuæ discordiæ inter conjuges, & molestissimæ cohabitationis. Duplex igitur jus habet uxor, quando ipsa innocens est, deserendi in tali casu maritum, & quia adulter est, & quia sævus est. At si fortassis ipsa quoque commisit adulterium, quamvis tunc ob factam compensationem delictorum non liceret ipsi ratione adulterij, in quod maritus prolapsus est, ab eodem discedere, hoc tamen ipsi adhuc integrum est ratione sævitiæ futuræ, quam probabiliter potest præsumere ex retentione concubinæ: potest itaque uxor etiam tunc à viro recedere, neque tenetur ad eundem redire, donec is dederit sufficientem cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, vel saltem juratoriam expellendi concubinam, illamque non recipiendi in futurum. Sanch. *l. c, n.* 20 Palao *n. 8.* Bonac. *n. 25.* Gobat *in Quinario tr. 5. c. 34. n. 32. & seqq.*

Ad alterum eadem responsio est, nimirum quando Parentes Mariti ea mala irrogant nuru, quæ, si à Marito impenderent, uxori jus præberent ad separationem, tunc sanè potest uxor à marito discedere, ut colligitur ex verbis sæpè citati c. Ex transmissa. De Restit. spoliat. *custodienda committatur in loco, ubi vir, vel Parentes ejus mulieri nullam possint violentiam inferre.* Sed hoc intellige, quando vir in culpa est illius sævitiæ, & negligit hæc mala impedire, cùm posset, & deberet, veluti si uxorem cum eo periculo retinet in Parentum domo, vel Parentes in suas ipse ædes assumpsit. Si hoc: debet eosdem domo pellere, si pergant uxori ita molesti esse, quia quoad cohabitationem debet vir magis diligere uxorem, quàm Parentes, ut probat S. Thomas 2. 2. *q. 26 art.* 11. Atque idem dicendum est, si ista fiant, quia Parentes domum filij frequenter adeunt; si inde hoc periculum uxori immineat, debet Maritus præcavere, ne suam domum ampliùs frequentent. Si verò alterum sit, videlicet, si ista eveniant, quia vir cum uxore sua in domo Parentum habitat, tunc debet sibi, & uxori alios lares constituere, juxta illud Genesis 2. *relinquet homo patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Sanch. *cit. n* 23. Gobat *l. c. n.* 15. Jac. de Graffijs *p.* 1. *Decisionum L.* 2. *c.* 84 *n.* 3. Barbosa *in cit. c. Ex transmissa. n. 7.*

9. Postremò denique dubitatur, an facto ob viri sævitiam divortio tenea-

teneatur Maritus uxori præstare alimenta, & penes quem educandi sint liberi?

Respondeo ad primum, si de sævitia Mariti sufficienter constet ex una parte, & ex altera de innocentia uxoris, atque adeò quando is causam dedit divortio, tenetur Maritus uxorem justè separatam alere vel restituere dotem, unde ali possit, esto, nullum commodum, aut obsequium accipiat tunc ab uxore Sanch. *L* 10. *disp.* 4. *n.* 22. Palao *disp.* 3. *de Sponsal.* §. 2. *n.* 3. Reginald. *L* 20. *n.* 48. Bonac. *in* 4. *præcept. Decal. disp.* 6. *q. unic. pu.* 7. *n.* 3. Gabat *in Quinario tr.* 5. *c.* 39. *n.* 1. Ratio est, quia Marito incumbit per se obligatio alendæ uxoris, ut in præcedentibus dictum est, ab hac autem obligatione non liberatur per id, quòd ab uxore non accipiat ullum obsequium, nam istud tunc non uxoris, sed viri culpæ tribuendum est juxta Regulam Juris 86. in 6. quæ dicit: *damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alijs imputare* Observat tamen circa hoc Bonacina *ibid. n.* 4. cum Sanch. *n.* 24. si uxor, quæ ob sævitiam mariti se separavit, redire renuat ad eundem, postquam maritus judicio viri prudentis sufficientem cautionem præstitit, qua ejus incolumitati consulatur, non obligari ipsum ex tunc extra ejus consortium existenti alimenta subministrare, quia tunc uxor suâ culpâ dicitur abesse, sicut si recessisset à viro ob moderatam castigationem, cùm enim viro permissum sit uxorem moderatè corrigere, censetur uxor suâ culpâ abesse.

Ad secundum respondeo. Henriquez quidem *L.* 11. *de Matr. c.* 18. *in fine* ait, post factum divortium educationem prolis pertinere ad patrem, sed contrarium apertè habetur in Authent. Si Pater. C. Divortio facto. *Si Pater divortij causam præstiterit, apud matrem ad secundas nuptias non venientem liberi nutriantur patris expensis; si verò contra, tunc apud patrem matris locupletis expensis, nisi pater minùs idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Idemque statuitur *in authent. Ut liceat Matri, & Aviæ.* §. *illud &c. Collat.* 8. *seu Novella* 117. *c.* 7. patet ergo, facto divortio, liberos alendos, & educandos esse apud innocentem expensis illius, qui dedit causam divortio. Quare si patris culpâ factum est divortium, educari debent expensis Patris apud Matrem, & ex opposito, si culpâ Matris, apud patrem proles alendæ sunt, expensas suppeditante Matre, etiam postquam egressi sunt triennium. Excipe tamen, si pars innocens esset infidelis, videlicet hæresi, vel alio errore infecta, tunc enim liberi apud conjugem fidelem, etiamsi in eo culpa fuerit, educandi sunt, ne in eundem errorem pertrahantur. Excipe secundò, nisi pars innocens non sit idonea ad prolem educandam, nam tunc, cùm hac in re maximè spectandum sit id, quod

quod soboli magis conducit, & utilius est, relinquitur illi, quæ aptior censetur ad hoc Officium. Tertiò denique, nisi pars innocens sit pauper, nocens autem locuples, tunc enim ali debet apud nocentem, quia si v. g. apud matrem innocentem liberi educarentur, quæ pauper est, viro locuplete subministrante expensas pro alendis, & vestiendis prolibus, timendum esset, ne data in sustentationem liberorum ipsa in suos usus converteret. ita Sanch. *L. 10. disp. 20. n. 2. & seqq.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 6* §. 10. *n.* 5. Pelliuc. *tr. 10. c. 10. p. 1. n. 417. & seq.* Bonac. Laym.



§. IV.

De Divortio propter Adulterium.

CASUS PRIMUS

Adulteræ incorrigibilis.

Coralbus uxorem duxit Leonildam, cujus virginalis integritas in primo congressu ei suspecta fuit. Post aliquot annos solam cum solo deprehendit in cubili. Juvenis hic erat Leonildæ familiaris, antequam nuberet, quem nupta quoque non desijt amare, & ad quem etiam tunc, postquam à viro propter hoc factum pro merito correpta est, non desijt identidem furti-

vè

vè litteras missitare, quarum aliquæ à marito interceptæ, & lectæ sunt. Consistebant verò illæ intra consuetas ferè humanitatis formulas, & ea verborum involucra, ut nihil apertè proderent, ex quo, si prius illud facinus abfuisset, posset connubiali toro admodùm timeri, nisi quòd antecedens familiaritas, & deinceps etiam continuata suspicionem aliquam viro movebant. Interea hic ab amico invitatus rus abit, conjugemque & rem domesticam Matri suæ commendat. Sed quis tueri possit fæminam libidinosam! huic custodiendæ nec Argus sufficit. Mille vias ipsa reperit, quibus socrum falleret, & suis amoribus frueretur. Denique eò ventum est, ut, cùm adventus Mariti in expectatione esset, eumque ipsa malè sibi conscia magnoperè metueret, monilibus, & non exiguâ pecuniarum summâ clam sublatis, cum suo amasio aliò migraverit, eique ultra triennium adhæserit, donec tandem ærumnis ad meliorem vitam erudita, redeundi veniam supplici libello à viro petijt, fidem pollicita, nunquam deinceps violandam, fuitque à Marito, ut erat mitis vir ingenij, in gratiam recepta. Sed non diu ipsa sibi constitit, nam brevì iterum in adulterinos amplexus exardescens in ipso turpi facinore cum novo mœcho à viro superveniente deprehensa est adultera, & domo exturbata.

Q. An pœnitentem primâ vice debuerit Coralbus recipere? deinde an ad pristinas sordes reversam potuerit authoritate propria expellere, vel etiam hoc agere debuerit? an verò eidem hac quoque vice potuerit ignoscere, eamque retinere?

SYNOPSIS.

1. *Adulterium est causa sufficiens ad instituendum divortium perpetuum.*
2. *Idque non solùm conceditur viro, sed etiam uxori ob adulterium mariti.*

3. *Quid*

3. *Quid nomine adulterij intelligatur?*

4. *An etiam oscula, amplexus, & tactus præbeant jus ad divortium.*

5. *Non est omnino reijciendum P. Dicastillo de hac re judicium.*

6. *Ad faciendum divortium non sufficit sola suspicio patrati adulterij, nisi violenta sit.*

7. *Quandonam dicatur suspicio esse violenta, ut inducat moralem certudinem.*

8. *An propter adulterium fieri possit divortium propria authoritate?*

9 *An conjux innocens teneatur nocentem dimittere?*

10. *An obligetur maritus uxorem adulteram post factum divortium pœnitentem, iterum admittere, & quando ob adulterium conjugis transitus permittatur ad Sacros Ordines, vel Religionem?*

11. *In certis eventibus non licet conjugi celebrare divortium, veluti si uterque hujus delicti reus est.*

12. *Plures aliæ causæ referuntur, propter quas adulterium non sufficit ad divortium.*

13. *Ex præcedentibus deducitur denique conclusio pro casu præsente, & ad illius quæsita respondetur.*

14. *An teneatur Vir innocens uxori adulteræ post factum divortium dare alimenta, & apud quem educandæ sint proles?*

SYNOPSIS

1.

causis huc usque enumeratis, ob quas divortium fieri non potest quoad vinculum, sed quoad torum duntaxat, & cohabitationem, in hoc discrepat adulterium, ut aliàs insinuavimus, quòd illæ facultatem tribuant ad separationem solummodo temporalem, adulterium verò divortium inducat perpetuum, quare cessante hæresi, periculo peccati, sævitiâ, & morbo contagioso, cohabitatio separata iterum restaurari debet, non autem cessante adulterio, quippe divortium ob adulterium fundatur in eo, quod per istud delictum fides conjugi data absolutè frangatur, fides autem conjugij semel violata, semper manet violata, non autem semper ita manet periculum gravis mali, quod probabiliter timeri debeat ex conjugis cohabitatione vel in corpore, vel in anima. Posse verò conjugem innocentem divertere ab adultera, ex ipsis Christi Domini verbis manifestum est Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.* ubi dum potestatem dimittendi adulteram Christus absolutè concedit, consequitur, hoc divortium esse perpetuum, quia dimissio *absolutè* data perpetua est. Id ipsum sacris canonibus stabilitur, præsertim *c. Significasti. c. Ex literis, & c. Gaudemus. De Divortijs.* Atque istius rei ratio clarissimè desumitur ex ipsa natura contractûs Matrimonij, namque frangenti fidem fides servanda non est. c. Pervenit. 3. De Iurejurando, & c. Si infidelis. 28. q. 2. ergo conjux, cui alter adulterans fidem frangit, non tenetur illi fidem servare, manendo cum ipso, sed potest ab ipso divertere, neque enim conjuges censentur se obligâsse, ut parti diutiùs cohabitent, quàm hæc fidem, & torum immaculatum servet.

2. Neque verò hîc audiendus est Cajetanus hac in re singularis, dum putat, facultatem celebrandi divortium viris tantummodo permitti ob adulterium uxoris, sed non pari modo etiam uxoribus ob adulterium Mariti, ita enim loquitur in textum suprà citatum Matth. 19.: *Nec ex his intelligas, uxorem posse dimittere virum fornicantem, quoniam IESVS, qui est verus Deus, hoc non concessit; nec est par ratio, nec etiam in veteri lege uxor poterat repudiare virum*, quam sententiam Sanch. *L. 10. disp. 3. n. 6.* vocat prorsus falsam, & temerariam, eidemque communiter omnes meritò adversantur, quia cùm jus ad divortium oriatur ex violatione fidei conjugalis, ad quam uterque conjux æquali jure obligatur, consequitur sanè, eos quoad hoc pares esse, ut, si alteruter fidem violaverit, alter ab eo possit licitè divertere, sive vir sit, sive fæmina, quia non minùs vir adulterando fidem conjugalem violat,

violat, quàm mulier: eadem proinde ob hanc violationem pœna ipsum manere debet, quæ uxorem, cùm par utriusque causa sit. *c. fin. 32. q. 5.* Quin imò ipse Apostolus 1. ad Cor 7. velut certum supponit, posse uxorem à marito discedere ex justa causa, dum ait: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere* (intellige absque justa causa, ut ex sequentibus patet) *quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Supponit ergo Divus Paulus, posse uxorem à marito aliquando justè discedere, alioquin uxorem cogeret ad illum redire, & non permitteret ipsi optionem vel redeundi ad maritum post stabilitam denuo reconciliationem, vel manendi sine nuptijs continenter vivendo. Quòd si verò uxori conceditur, ut possit à marito discedere ob aliquam justam causam, procul dubio poterit ob adulterium, quo ipsi etiam frangitur Matrimonij fides à marito, cùm uxor & maritus pares omnino sint in obligatione servandi Matrimonialem fidem, & sanè periniquum sit, ut dicitur in *L. Si uxor. §. Iudex. ff. Ad Leg. Iuliam. De Adulter.* ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Quòd autem in citato Evangelij loco, & alijs allatis textibus solius viri mentio fiat, mirum non est; nempe cùm sit frequentius, ut viri petant divortium hac de causa, ideo de fæminis nihil expressum est, idem tamen dicendum est de utroque, quia utriusque æqualis conditio est. Quòd verò in lege veteri uxor repudiare non potuerit maritum, non sequitur inde, in lege nova non posse uxorem petere divortium, nam in hoc ipso differunt repudium antiquæ & divortium novæ legis, quòd illud viris tantùm concessum fuerit, hoc verò etiam permittatur uxori, cujus differentiæ rationem reddit S. Thomas 4 *dist. 35. q. unic. art. 4. ad 1.* nam illud concedebatur in lege veteri ad vitandum homicidium conjugis adulteri, quia autem hoc periculum non inveniebatur, nisi in solis viris, ideo illis tantùm permissum erat, ut possent repudiare uxores, & non vicissim. At divortium conceditur ratione fractæ fidei conjugalis, quæ æquè invenitur in utroque conjuge fornicante, atque ideo utrique divortium conceditur, ut possit resilire à pactis, quando pars altera fidem fregit. Interea non negaverim, adulterium in uxore multò detestabilius esse, quàm in viro, quia, ut ait Tiraquellus *in L. 1. Connub. Glossa 1. pu. 1. n. 45* impudicitia multò fœdior est in muliere, quàm in viro, majusque probrum, & infamia redundat in maritum, totamque familiam ex adulterio mulieris, quàm viri: damnum etiam, atque injuriam patitur hic longè graviorem ob prolis incertitudinem, & alienæ sobolis suppositionem. Denique quando ad

alienam

alienam sive solutam, sive conjugatam vir accedit, nunquam inquinat ipse proprium suum torum, adeoque nec uxoris suæ, sed torum viri illius, cum cujus uxore rem habet; econtra uxor suo delicto semper contaminat thalamum mariti; cui tamen ipsa multò majorem reverentiam, & honorem debet, tanquam capiti, quàm debeat vir uxori; quare spectando jus civile *L. 1. C. Ad Leg. Iul. De Adult.* etsi Maritus uxorem de adulterio accusare possit criminaliter ad legalem pœnam infligendam, non tamen id ipsum potest uxor contra maritum; permittitur tamen agere contra ipsum civiliter ad divortium instituendum; quia in hoc censentur pares esse, præsertim in Jure Canonico. Sanch. *L. 10. disp. 8. n.* 33 Coninck *disp. 35 dub. 1. n. 5.* Tamb. *L. 8. de Matr. tr. 7. §. 2. n. 2.* Pirhing. *n. 6. De Adult. & stupro.* Wesenbecius *in Parat. ff. Ad Leg. Iul. De Adult. n. 12.*

3. Porrò nomine adulterij justam divortio causam præbentis hic venit non solùm copula naturalis cum alieno viro; vel fæmina, sed quivis illicitus concubitus alterius conjugis, si fuerit consummatus, id est, cum emissione seminis factus cum alia persona, qualis est etiam sodomia sive activa; sive passiva; & bestialitas completa; non item incompleta sine seminis effusione, neque peccatum molitiei ita Sanch. *L. 10. disp. 4. n. 3.* Palao *disp. 3. De sponsal. pu. 6. n.* 2. Hurtad. *disp. 11. De Matr. difficult. 2. n. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 7.* Tamb. *l. c. §. 2. n. 5.* Filliuc. *tr. 10. c. 10. p. 1. n. 367.* Pirhing *n. 5. De Divort.* Wiestner *n. 72. eod.* Ratio est, quia justum divortium oritur ex eo, quòd coniux carnem suam in aliam carnem dividat contra fidem Matrimonij explicatam Genes. 2. *Erunt duo in carne una*, & sic gravis injuria infertur Matrimonio: talis autem divisio carnis non solùm fit per fornicationem; sed etiam per sodomiam, & bestialitatem completam, quia verè caro conjugis dividitur in aliam, nempe in carnem bestiæ, cui copulatur, nihil enim refert, an misceatur cum carne ejusdem, an diversæ naturæ. Sanch. *l. c. n. 14.* An verò Sodomia viri completa cum propria uxore, præsertim invita, præbeat justam divortij causam, dubitari potest? alij enim affirmant hoc probabiliter apud Sanch. *l. c. n 6.* eò quòd sit gravis abusus dominij corporis uxoris sibi concessi, & talis actus etiam circa propriam uxorem graviter repugnet fidei coniugali: alij negant, quia sic vir non dividit carnem suam in aliam, sed in propriam uxorem; ergo non potest intelligi nomine adulterij, atque ita præbere jus ad divortium. Inter utramque sententiam media placet, quam tenet idem Sanch. & Pirhing. *ll. cc.* Tamb. *n. 7* ut dicatur, non præbere ejusmodi sodomiam jus ad divortium per-

perpetuum, præbere tamen, nisi vir velit corrigi, jus ab eodem divertendi ad tempus, donec à suo scelere desistat, & cesset uxorem inducere ad peccandum, nam posse propter periculum animæ discedere ad tempus à marito, donec is resipiscat, superiùs docuimus Casu 1. hujus Sectionis. Utrùm verò in foro externo credendum sit mulieri, asserenti, se à viro tentatam fuisse de nefando vitio, dissensio est inter DD. Bonacina *q. 4. de Matrim. pu. 5. n. 4.* cum Aloysio Riccio *p. 4. Decis. 145. n. 18.* probabilius putat, non esse ipsi credendum, tum ne detur occasio fæminis accusandi Maritos, & impediendi vitam conjugalem, tum quia nullus est idoneus testis in propria causa. *L. Nullus. ff. De Testibus.* nisi tamen præter fæminæ assertionem extent alia indicia, quibus Judex inducatur ad credendum assertioni, tunc enim jam non creditur præcisè mulieri. Propter peccatum quoque mollitiei sive viri, sive uxoris non fit divortium, quia, tametsi aliquo modo Matrimonium lædatur, quatenus prodigitur semen viri, vel fæminæ, destinatum, ac debitum usui conjugali, non tamen integrè, & consummatè lædatur, quia non dividitur caro conjugis in alienam carnem. Pirhing *l. c.* Si autem vir extra vas debitum pollueret uxorem propriam minimè consentientem, idem dicendum erit, quod diximus de sodomia cum eadem habita.

Denique debet adulterium, ut præbeat justam causam divortij, esse formale, quare si ex aliquo capite ab ea malitia excusatur, eò quòd ignoranter, vel per violentiam commissum sit, nullo modo occasionem divortij præbere potest, quia alteri conjugi injuriosum non est, de quo plura dicuntur infrà *n. 12.*

4. Ex hactenus dictis dubium moveri potest, an liceat dissolvere Matrimonium quoad cohabitationem, & torum propter oscula, & amplexus uxoris, tactusque mamillarum, vel alios impudicos, aut ob solam suspicionem commissi adulterij? Pro affirmativa facere videtur *L. Consensu. §. Vir quoque. C. De Repudijs*: ubi justa divortij causa esse dicitur, si mulier inscio, vel invito Marito virorum convivia appetat, aut sine justa causa extra domum pernoctet: ergo à fortiori si oscula, & amplexus patiatur. Idem similiter deduci potest ex textu L. 5. Feudor. tit. 5. ubi statuitur, quòd Vasallus feudum perdere debeat, non tantùm, si cum uxore Domini adulterium commiserit, sed etiam si committere attentaverit, vel cum ea turpiter luserit. Sed quidquid sit de istis Legibus, quæ hic attendendæ non sunt, cùm causa Matrimonij non juxta Leges Civiles, verùm secundùm Sacros Canones, & Evangelium tractanda sit, ubi Matrimonium consummatum quoad vinculum nunquam, quoad cohabitationem verò duntaxat propter

ter adulterium in perpetuum separari conceditur. Igitur communis Authorum suprà citatorum, & aliorum ferè omnium Sententia est, ob tactus impudicos, habitos etiam animo perveniendi ad adulterium, oscula libidinosa, amplexus, atque etiam ipsam pollutionem cum tertia persona exercitam, imò & copulam sine seminis emissione, justam divortij causam non haberi, quia hi non sunt actus perfecti contra datam fidem, cùm non dividant carnem conjugis cum alterius carne; ob quam rationem etiam copula cum fœmina mortua non venit nomine adulterij, quia illa non est vera caro, sed veluti statua quædam fœminæ, ut ait Sanchez *l. c. n.* 10. nequit igitur propter ista fieri separatio quoad torum, & cohabitationem, cùm præsertim pœnæ imponendæ non sint, nisi in casibus à Jure expressis: cùm ergo in Jure solùm concedatur divortium, & dos amittatur ob adulterium, extendendum non est ad oscula, & amplexus, eò vel maximè, quia si extensio fieret de adulterio ad osculum, hoc esset arguere de Majori ad minus, quod in pœnalibus, quàm sit absurdum, nemo non videt. Addo cum Gobat *l. c. n.* 63 quòd, cùm ex una parte repulsio uxoris sit res gravissima, ex altera autem parte oscula, amplexus, & tactus satis facilè contingant, nec usque adeò atrocem injuriam contineant, non videatur lex naturalis, à qua jus divortij ortum duxit, ob hasce actiones permittere ejusmodi repulsam: atque hæc, ut dixi, communis ferè omnium Sententia est.

5. Non displicet interea, quod dicit Dicastillo *disp.* 10. *de Matr. dub.* 2. *n.* 11. *& seqq.* ibi, quamvis ob graves Authores, qui tradunt doctrinam præcedentem, non ausit eam improbare, tamen si ratione præcisè agatur, multa distinctione in hac re opus esse censet: nam in primis distinguendum esse, ait, inter virum, & uxorem spectatâ communi hominum æstimatione, quia licèt concederemus, non posse uxorem separari à viro talibus impudicis tactibus indulgente cum alia persona, non videtur æqua conditio vice versa, neque enim tam turpe, & indecorum est uxori, quòd vir ipsius talia commiserit cum alia persona, quàm turpe est Marito, & ignominiosum, quòd tales tactus impudicos admiserit uxor cum alio viro. Præterea quanto conjuges sunt altioris, & nobilioris dignitatis, tantò plùs crescit injuria in similibus tactibus admissis ex parte uxoris cum alio, nec tamen in communi æstimatione tantò plùs crescit ex parte viri, cùm videamus Principes, etiam Serenissimos, indulgere ejusmodi levitatibus, & impudicis jocis, ac tactibus, imò aliquando id ipsum audere spectante uxore, nec censetur tunc nimis ignominiosum uxori hoc videnti, & patienti, cum tamen econtra si faceret id

id uxor, injuria esset gravissima comparatione viri, idque adhuc ampliùs crescceret, si cùm vili aliquo famulo, aut mancipio. Unde sic denique concludit dictus Author: ego sanè, salvo meliori judicio, non nimis asperum, aut rigidum putarem esse talem virum, qui à conjugis impudicæ consortio se subduceret, ut omittam, non nimis temerariè suspicaturum esse virum, fæminam in hujusmodi tactibus deprehensam ulteriùs non modò fore progressuram, si occasio detur, sed jam fuisse progressam. De pollutionibus viri, aut fæminæ cum tertia persona habitis, eadem ipsius opinio est, si vel notæ sint, vel probari possint, posse conjugem innocentem ad divortium progredi; quamvis enim Christus pro causa conjugem dimittendi solùm assignaverit fornicationem, putat ipse nihilominus, hanc vocem non esse accipiendam in stricta significatione, sed in ampliore quadam, ita ut *fornicatio* luxuriam gravem significet, sive ut nomine cujusdam speciei magis universalis, ac notæ significetur genus ipsum luxuriæ. Addit tamen *n.* 11. *ad finem*: verùm hæc omnia relinquo aliorum judicio, maximè Judicum Ecclesiasticorum, ad quos pertinet, si res ad forum externum deferatur, de simili divortio faciendo, aut non faciendo pronunciare. Quid autem dicendum sit, quando sola suspicio adest commissi adulterij, patebit ex sequente numero.

6. Certum est, ad faciendum divortium neque in foro externo, neque interno sufficere, quòd habeatur dubium, vel suspicio probabilis de adulterio alterius conjugis, sed debet haberi de eo certitudo, non quidem Physica, vel Metaphysica, sed moralis. Pars prior patet ex *c. Ex parte. De Sponsal.* ubi dicitur, nemini licere uxorem dimittere absque manifesta fornicationis causa, & c. Oves. 6. q. 1. *omnis suspicio potiùs repellenda est, quàm approbanda, vel recipienda.* Ratio est, quia cùm conjux, de quo est suspicio, sit in possessione Juris Matrimonialis, non potest illo privari ob dubium, aut suspicionem, quia in dubio melior est conditio possidentis, *c. In pari. De Reg. Iuris in 6.* & si liceret conjugem dimittere ob quamlibet suspicionem, sanè niminis frequenter, atque injustè fierent divortia. Neque obest, quòd in c. Dixit Dominus. 32. q. 1. habeatur: *ubicunque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur*, nam ut exponit Glossa ibid. *V. Suspicio*, non intelligitur suspicio quæcunque, sed violenta, quæ æquivaleat morali certitudini, & quæ in foro quoque externo sufficeret ad condemnandum. *c. Literis. De Præsumpt.* quia cùm adulterium sit ex illis criminibus, quæ solent in loco abdito, & omnino occultè committi, ac quæ proinde non nisi difficillimè probari possunt, non opus est, ut habeatur certitudo metaphysica, qualis habe-

ri

ri potest in alijs criminibus, quæ oculis patent, & palàm perpetrantur, sed satis est, quòd habeatur commissi adulterij suspicio violenta. Sanchez *L.* 10 *disp.* 12. *n.* 40. *& seqq.* Perez *disp.* 56. *de Matr. Sect.* 5. *n.* 2. *& seqq.* Palao *disp.* 3. *De Sponsal. pu.* 6. §. 4. *n.* 7.

7. Dicitur autem suspicio violenta, quæ licèt non faciat certam, & indubitatam fidem, facit tamen moralem certitudinem, id est, talem, quæ virum prudentissimum inducere valeat ad judicandum, adulterium esse patratum, & quæ probata in foro externo sufficeret ad Sententiam Divortij ferendam, cujusmodi violentam suspicionem commissi adulterij faciunt diversæ actiones, quarum aliquæ in suprà citato *c. Literis. De Præsumpt.* recensentur, videlicet si solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto jacens deprehendatur, aut in loco secreto, ac abdito ad adulterium patrandum accommodato, hæc enim præbere *certam, ac violentam suspicionem fornicationis*, dicit Alexander III. in cit. c. nam præbent utique hæ circumstantiæ quæsitæ solitudinis, nuditatis, loci obscuri, diversitatis sexuum &c. præsumptiones valde urgentes ad aliquid tale cogitandum. Similis conjectura habetur, si ille, cui Maritus, quem de adulterio suspectum habet, adhibitis tribus testibus fide dignis, ter scriptò denunciavit, ut à colloquio, & occulta uxoris suæ conversatione abstineret, furtivas accessiones ad eandem non evitet. *Authent. Si quis ei. C. Ad Leg. Iul. De Adulter.* Menoch. *De Præsumptionib. L.* 5. *Præsumpt.* 41. *n.* 9. Eadem præsumptio habetur de Adulterio, vel fornicatione commissa, quando domus alicujus mulieris diu, noctuque ab Adolescentibus, præsertim Scholasticis, frequentatur. Menoch *l. c. n.* 21. Verùm hoc Gobat *in Quinario tr.* 5. *c.* 32. *n.* 7. tunc solùm admittit, si in ea domo non habitet vir honestus, aut alia mulier valde honesta. Oscula quoque, & amplexus violentam suspicionem præbere docent Covarruv. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 7. §. 6. *n.* 3. & Mascard. *De Probat. conclus.* 64. *n.* 3. Sed rectiùs hoc negant Sanch. *n.* 47. Perez, & alij, eò quòd neque ex natura rei, neque ex aliqua lege adulterium inde plenè probetur, nisi aliæ conjecturæ accedant, veluti si hæc contingant in loco abdito, & secreto, ubi facilè copula haberi possit, tunc enim efficere suspicionem violentam, atque ad separationem sufficere opinatur Palao *l. c. n.* 8. cum alijs. Verùm ego cum cit. Gobat *n.* 10. puto, plerunque circumstantiam osculorum, & amplexuum potiùs esse signum tentati, seu destinati, quàm jam perfecti adulterij, nec enim, qui suam libidinem ipsâ copulâ jam expleverunt, solent in loco suspecto diutiùs commorari, ubi periculum est, ne deprehendantur. Sed neque certam, ac violentam suspicio-

ſpicionem gignunt xenia, ſive munera hinc inde miſſa, nec literæ amatoriæ, niſi ſint tales, in quibus mulier præteritum adulterium fateretur; nam, eſto, illa confeſſio, utpote extrajudicialis, non plenè delictum probet, at facta in judicio illud plenè probaret: igitur quando loquimur de divortio extrajudicialiter facto, ea confeſſio extrajudicialis ſufficiens eſſe debet. Palao *l. c.* Menoch. *l. c. n. 39.*

8. Nunc ergo quæritur, an poſſit pars innocens adulterum conjugem repellere, vel ab eo diſcedere propria authoritate, quando de adulterio moraliter certò conſtat, an verò ad hoc opus ſit ſententiâ Iudicis?

Reſp. 1. Si adulterium eſt notorium, quia v. g. maritus aliam impregnavit, idque in judicio probatum, vel ipſe hoc ibi ſponte confeſſus eſt, vel ſi notoriè extent liberi ex adulterino congreſſu habiti; aut ſi uxor abſente, vel impotente viro ab alio fuit impregnata, tunc in utroque foro licitum eſt authoritate propria divortium inſtituere, ut manifeſtum eſt ex c. Ex parte. De Sponſal. ubi dicitur: *nemini licet uxorem ſuam ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere*: ergo ubi notoria, ac manifeſta eſt conjugis fornicatio, conceditur innocenti jus divertendi ab adultero; idque adhuc apertiùs deciſum eſſe videtur in c. Significaſti. De Divortijs, ubi habetur, quòd ita divertentem nec quidem compellere poſſit Eccleſia ad recipiendum adulterum: *quòd ſi notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præſatus vir cogi non debet*, quia ubi de delicto notoriè conſtat, perinde eſt, ac ſi publicâ ſententiâ, & in judicio reus damnatus eſſet, ut ait Palao *diſp. cit.* §. 4. *n.* 3. Neque probatur contrarium ex c. Porrò. De Divortijs, ubi ſtatuitur, quòd ob conſanguinitatem, etiam notoriam, propria authoritate non liceat dimittere conjugem: ergo nec ob notorium adulterium, diſparitas enim inter utrumque caſum magna eſt, quia, quando dimittitur conjux ob conſanguinitatem, dimittitur totaliter etiam quoad vinculum; ob adulterium verò tantùm dimittitur quoad torum, & cohabitationem: mirum igitur non eſt, quòd Jura in illo majorem requirant cautelam, quàm in iſto.

Reſp. 2. Dimitti etiam poteſt propriâ authoritate, non expectato Eccleſiæ judicio, tametſi adulterium non ſit notorium, ſed occultum, dummodo de illo conjugi innocenti moraliter certò conſtet, quia nempe habet præſumptiones violentas, etiamſi delictum probare non poſſit. Patet hoc inde, quia Chriſtus Matth. 5. abſolutè conceſſit, ut poſſet innocens propter fornicationem uxorem dimittere, neque ullatenus diſtinxit inter publicum, & occultum; quippe jus divertendi non ex publi-

publicitate, sed ex delicto nascitur, per quod quia pars altera fidem fregit, licet eidem quoque fidem frangere. Sed hoc intelligendum est, si absit scandalum, & pro foro conscientiæ interno tantùm, in quo non requiritur rigorosa probatio, sed sufficit, quòd constet de veritate etiam ex testimonio unius personæ fide dignissimæ, cui merito prudentissimus quisque fidem haberet, vel propria oculari experientiâ. Sanch. *L.* 10. *disp.* 12. *n.* 51. At verò in foro externo commissum adulterium, aut violentæ de eodem præsumptiones probari debent per testes omni exceptione majores. Sanch. *l. c.* & uxorem dimittens ex causa adulterij, quod neque notorium est, neque legitimè probatum, compellitur eandem iterum recipere, ne ansa detur hominum malitiæ sub prætextu occulti, sed sibi noti adulterij conjugem pro libitu dimittendi. ita cum Sanch. *cit.* Palao *l. c.* §. 4. *n.* 2. *& seqq.* Perez *disp.* 60. *de Matr. Sect.* 2. & 3. Hurtad. *disp.* 11. *de Matrim. difficult.* 6. *n.* 22. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *pu.* 3. *c.* 7. *n.* 9. *& seqq.* Gobat *cit. c.* 32. *n.* 64. *& seqq.* Filliuc. Bonac. &c.

9. Non solùm autem posse, sed etiam obligari maritum, ut uxorem adulteram à se dimittat, non pauci ex Authoribus contendunt, quorum plures citantur à Sanchez *L.* 10. *disp.* 13. *n.* 4. eo quòd apud se retinens, & ab eadem debitum exigens, eivè reddens censeatur illius delicto connivere, & grave legitimis hæredibus detrimentum inferre, si illegitimi, & spurij per conniventiam ipsius supponantur, unde Prov. 18. dicitur: *qui tenet adulteram, stultus est, & impius*, & can. 1. caus. 3. q 1. *sicut crudelis est, & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est, & iniquus, qui retinet meretricem, nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.* Denique c. Si vir 3. De Adult. & stupr. *si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps.* atque ita nominatim sentire videntur, & peccati mortalis damnant ejusmodi maritum Covarruv. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 7. §. 2. *n.* 4. Petrus de Ledesma *q.* 64. *de Matr. art.* 2. *conclus.* 2. Sylvest. *V. Debitum conjugale q.* 10. Gonzal. *in cit. c. Si vir. n.* 12.

Verùm communior, & vera sententia est, per se, & ratione adulterij nullam esse obligationem uxorem adulteram dimittendi; quod certum omnino est, quando illius delictum non est notorium, vel publicum, sed soli viro cognitum, vel etiam paucis quibusdam alijs, ut bene probat Sanch *l. c. n.* 14 & Pirh. *n.* 16 *De Adult. & stupro.* quia tunc cessat ratio scandali publici, proinde & obligatio eam dimittendi. Sed neque adest hæc obligatio, etiam quando notorium est illius adulterium, ut satìs patenter indicatur in *c. Quod autem.* 32. *q* 1. & *c. Quemadmodum.* §. *ult. De Jure jur.* ubi dicitur, tutiùs

tutiùs esse, adulteram non accusare, quando videlicet spes aliqua superest futuræ emendationis, aut quando timetur, ex facto divortio majora mala esse eventura, qualia sunt gravissimæ rixæ, cædes inter maritum, & parentes uxoris, aut si periculum sit, ne facta separatione liberiùs ipsa vacet libidini. Quin imò ipse Christus Matth. 19. nunquam præcepit, ut dimittatur adultera, sed solùm id permisit in favorem conjugis innocentis, quemadmodum advertit S. Aug. L. 1. De Serm. Domini in monte c. 27. ut refertur *in can. Idololatria. 28 q.* 1. quòd si igitur hoc est concessum in favorem conjugis innocentis, potest hic utique favori suo renunciare, cùm nemo teneatur jure suo, aut favore uti. *c. Quod ob gratiam. De Reg. Iur. in 6. L. Si Iudex.* ff. De Minorib. Imò cùm divortium ipso jure naturæ introductum sit in pœnam delinquentis, & innocentis favorem, æquitas sanè postulat, ut innocens ad illius executionem non adstringatur, aliàs quod concessum est in ejus favorem, verteretur in ipsius pœnam: igitur innocens non tenetur conjugem adulteram à se dimittere, nisi in casu valde raro ratione scandali, si nempe ex ejus retentione de ipso viro præsumptio sumeretur, quòd non dimittens conjugem pergentem vacare illicitæ veneri, in ejus libidinem ipse consentiat, ejusque delicto patrocinetur, vel etiam lenonem agat; tunc enimverò teneretur per accidens uxorem à se dimittere ad vitandum scandalum, nisi hoc aliter amovere posset: quia autem ferè semper aliter huic malo obviari potest, idcirco rarissimè obligatur maritus, ut uxorem dimittat, dummodo studeat eandem aliter corrigere, ita Sanchez *L.* 10. *disp.* 13. *à n.* 6. Basilius Pontius *L.* 9. *c.* 17. *n.* 2. Laym. *l. c. n* 15. Coninck *disp.* 55. *dub.* 3. Palao *disp.* 3. *De Sponsal. pu.* 6. §. 3 *per totum.* Azor *tom.* 3. *L.* 3. *c.* 31. *q.* 8. Gobat. Bonac. nec aliter intelligendi sunt textus & AA. in contrarium allegati.

Ex his autem à fortiori infertur; rarò vel nunquam obligatam esse uxorem divertere à marito adultero; nec enim ad hoc tenetur ob præceptum correctionis, quia ipsa est subdita, ad quam non pertinet virum corrigere puniendo; sed ad summum suaviter monendo, & exhortando; neque dimissio censenda est aptum medium ad viri correctionem, quippe dimissus, ut ab experientia constat, fiet deterior. Imò hæc ipsa dimissio erit uxori incommodissima; nam sic cogetur cœlibem vitam degere, & esse privata mariti consortio uxoribus regulariter utilissimo: nec denique obligatur ob vitandum scandalum, sive suspicionem, quòd ipsa mariti delictis assentiatur, cùm omnibus compertum sit, mulieres ægerrimè ferre, si earum mariti alijs commisceantur, nec penes ipsas stare, ut illos contineant: igitur ex nullo capite

pite uxor obligatur. Palao *l. c. n.* 4. Coninck *disp.* 35. *dub.* 3. *conclus.* 2. Hurtad. *disp.* 11. *De Matr. diffic.* 4. *in fine.*

10 Novum ex dictis dubium oriri potest, an teneatur maritus innocens, aut vice versa uxor, adulteram resipiscentem denuo recipere, & cum eadem conjugium redintegrare? quòd enim possit, vix est, qui neget, nam potest utique juri suo cedere; imò si reconciliari velit adulteræ, & conjugem dimissam revocare, tenetur ista eidem parére, ac redire, si status utriusque adhuc est integer, & neuter Religionem ingressus est, ut fusè probant Sanch. *L.* 10. *disp.* 10. *n.* 3. & Basilius Pontius *L.* 9. *c.* 19. *n.* 1. Quòd verò non solùm possit, sed etiam teneatur resipiscentem, si redire velit, iterum recipere, videtur ex textibus Juris non obscurè desumi posse, nam sic habetur c. Quod autem. 32. q. 1. *Nunc autem, postquam Christus ait adulteræ, nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare; quis non intelligat, debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen Divina credit miseratione deletum.* c. Ego Dixi. 34. q. 1. *Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur à viro suo? & dixit mihi: imò si non receperit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum sibi admittit, sed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit.* Denique eadem obligatio, saltem quando non sæpe in idem crimen relapsa est, habetur etiam in c. Si vir. De Adult. & Stupro, quod est desumptum ex Concilio Arelatensi: *si mulier pœnitentiam egerit, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem.* Verùm hos omnes textus optimum quidem consilium, sed nullum præceptum continere, & non loqui de debito Justitiæ, ac necessitatis, sed honestatis, & alicujus æquitatis, ac convenientiæ, docet idem Basilius Pontius *L.* 9. *c.* 19. *n.* 6. cum Sanch. *L.* 10. *disp.* 13. *n.* 1. & Wiestner *n.* 85. *De Divortjs*, idque ipsum etiam indicat Glossa *in cit. c. Si vir. V. Debet.* nam etsi tollatur per pœnitentiam culpa apud Deum, non tamen per hanc tollitur etiam injuria facta homini, & omnis pœna delicto debita: adhuc igitur integrum manet jus, quod pars innocens habet ad divortium, idque perpetuum, neque hac pœnâ eximitur adultera, nisi vir ultrò cedat. Quod etiam inde confirmatur, quia potest adultera accusari in ordine ad divortium, postquam multis jam annis egit pœnitentiam de commisso crimine, ut clarè habetur *c. Admonere.* 33. *q.* 2. ergo à fortiore potest vir innocens adulteram pœnitentem non recipere, nam ut proverbium est, turpiùs eijcitur, quàm non admittitur hospes. Excipiuntur nihilominus aliqui casus, in quibus dimissa uxor iterum admitti debet, ac primò quidem per se patet, reci-

pi eam debere, si facto divortio sive authoritate propria, sive etiam per Sententiam Judicis, postmodum innotescit, injuriam factam esse parti dimissæ, falsamque fuisse adulterij suspicionem, aut testes falsum dixisse; tunc enim defecit præsumptio, cui dimissio, vel lata Sententia innititur, atque ideo hac non obstante tenetur in conscientia conjugem innocentem revocare. Pontius *c.* 20. *n.* 1. 2. Si ex resipiscentis receptione magnum aliquod malum averti, aut bonum promoveri potest. idem *c.* 19. *ad fin.* 3. Si innocens illatam sibi per adulterium injuriam condonavit vel expressè, vel tacitè, adulteræ se spontè, ac liberè copulando, vel domi retentæ exhibendo solita obsequia, & signa affectûs conjugalis, talia enim qui conjugi adultero exhibet, ad divortium in foro externo non admittitur. 4. Si, qui innocens erat, ipse post factum divortium prolapsus est in adulterium. *c. Significasti.*, & *c. Ex literis. De Divort.* Extra hos casus verò non obligatur innocens quantumvis pœnitentem recipere, sed potest liberè, quando divortium factum est vel per Sententiam, vel ob notorium adulterium, ad Religionem transire, etiam invito conjuge nocente, aut vir suscipere Sacros Ordines, quia jus conjugale amisit reus ob culpam adulterij commissam, manente licèt vinculo. Pontius *c.* 19. *n.* 5. Perez *disp.* 57. *Sect.* 6. *n.* 5. Hoc si fiat, id est, si v. g. maritus ad SS. Ordines, aut Religionem transeat, etiam pars altera, nempe adultera, non prohibetur assumere statum Religionis. Si autem innocens statum non mutavit, non potest adultera absque expressa, aut tacita licentia innocentis ad Religionem transire, aut vir adulter vel ad hanc, vel ad SS. Ordines, quantumvis divortium judicio Ecclesiæ institutum fuerit, quia Sententia divortij non debet afferre incommodum innocenti, quò minùs conjugem adulterum revocare, & ipsi reconciliari possit, si ita lubitum sit. Quòd si tamen innocens semel, atque iterum monitus, ut conjugem adulterum post emendationem recipiat, id facere recuset, potest adulter Religionem ingredi, ac profiteri juxta *c. Gaudemus. De Converf. conjugat.* aut vir suscipere SS. Ordines. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 3 *c.* 7. *n.* 12. Perez *disp. cit. Sect.* 7.

11. Quamquam verò, ut huc usque diximus, possit Maritus uxorem adulteram à se dimittere, aut vice versa uxor innocens à viro nocente divertere, varij tamen casus sunt, in quibus adulterium non sufficit ad instituendum divortium. Primus est, quando uterque conjux reus est adulterij, iniquum quippe est, ut delictum unius puniatur, altero delinquente indemni permanente, atque ideo jura omnia clamant, paria delicta mutua compensatione tolli. *c. Intelleximus*, & *c. fin.*

De

De Adulterijs, c. Significasti, & *c. Ex literis. De Divortijs. L. Viro, atque uxore. ff. Soluto Matrimonio.* Nec refert, quòd adulterium uxoris gravius sit quàm Mariti; vel quòd unius sit publicum, alterius verò occultum; nec quòd unus ex istis conjugibus priùs, quàm alter in hoc peccatum prolapsus sit, quia Jura solùm attendunt læsam ab utroque fidem conjugalem, nulla habita ratione posterioritatis, aut prioritatis; nec refert, quòd vir adulteratus fuerit cum soluta, uxor autem cum conjugato, vel professo, aut quòd unus sæpius, quàm alter idem crimen patraverit, quia licèt in hoc casu non sit paritas delictorum quoad numerum, aut alias circumstantias, est tamen paritas in hoc, quòd uterque violaverit fidem conjugalem, in quo solo fundatur radix divortij, quod non conceditur nisi innocenti. Sanch. *L. 10. disp. 6. n. 6. & 8.* Palao *disp. 3. de sponsal. p. 6. §. . n. 1.* Perez *disp. 56. sect. 3. n. 1.* Bonac. *q. 4. De Matr. pu. 5. n. 14.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 13.* Pirhing *n. 8. De Divortijs*, & alij passim. Videntur autem hæc locum habere etiam in casu, si v. g. maritus post dimissam uxorem adulteram, facto divortio etiam per sententiam Iudicis, deinceps ipse fornicetur, ut dictum est supra *num. præcedente*; nam & hic datur compensatio, atque ideo tenetur in conscientia uxorem priùs dimissam adulter iterum recipere, etiamsi ipsius adulterium occultum sit. Si autem publicum fuerit, aut ab uxore probari possit, competit huic actio, ut denuo ad torum, & cohabitationem admittatur, atque ad hoc maritus compelli potest, ut non obscurè colligitur ex Argum. c. Ex literis. De Divortijs: *Matrimonium separatur propter adulterium mulieris, & si vir postea fornicetur, redintegratur*, quia sententia, quæ in favorem innocentis lata est, tam diu ipsi patrocinatur, quam diu innocens existit, non autem, postquam factus est nocens, ut contra plures, gravesque AA. probabiliùs docent Basil. Pontius *l. 9. c. 20. n. 6.* Dicastillo *disp. 10. De Matr. n. 31.* Perez *l. c. n. 5.* Coninck *disp. 35. dub. 2. n. 14.* Navarr. *Consil. 1. De Divortijs.* Barbosa *in c. fin. De Adult. n. 4.* Engl *n. 15. de Divort.* Wiestner *n. 89. eod.*

12. Similiter nequit maritus repudiare uxorem propter adulterium si ipse illius author fuit, dum eam vel ipse prostituit, aut lenonem egit, ac adulterium suasit, vel saltem tacitè consensit non impediendo, cùm facilè posset impedire; hoc enim casu maritus æquè, ac uxor culpabilis est, nec potest contra eam conqueri, quia scienti, & consentienti non fit injuria, *c. 27. De Reg. Iur. in 6. Authores cit.* idque aperte indicant verba c. Discretionem. De eo, qui cognov.

cognov. consang. uxor. *Cùm adulterium ei non possit obijcere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Si tamen Maritus uxori causam tantummodo remotam dederit, adulterium committendi, quia non dedit debita alimenta, durius eandem habuit, vel domo ejecit, adhuc potest divortium instituere, quia ob hanc rationem mulier ad fornicandum induci non debet c. Ex literis. De Divortijs, ubi audita non est uxor, allegans se adulterium admisisse, eo quòd vir necessaria ei denegaverit alimenta; cujus judicij æquitas patet ex L. Palam. §. 5. ff. De Ritu nupt. ubi dicitur: *Non est ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam egit*, atque ita sentiunt Sanch. *L.* 10 *disp.* 5. *n.* 6. Palao, Bonac. Engl, & alij citati.

Neque est locus divortio, quando uxor commisit adulterium solùm materiale, quia putavit invincibiliter, virum, cum quo congressa est, esse proprium suum Maritum, quem alter se fraudulenter esse simulavit c. *In lectum.* 34. *q.* 1. & 2. hoc enim casu sicuti bona fides tollit culpam adulterij, ita etiam pœnam divortij. Ad probandam autem hanc conjugis bonam fidem, sufficere ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem, & alias probabiles conjecturas, tradit Engl *l. c. n.* 17. Idem est, si non temerè credens, maritum esse mortuum, alteri nupsit. Sanch. *l. c. n.* 1.. nisi tamen certior reddita de vita prioris conjugis, persteterit in secundo conjugio, debitum reddens, aut petens. tunc enim verè rea censetur adulterij, peccatque formaliter

Nec potest peti divortium, quando oppressa est uxor per violentiam, animo non consentiente c. *Proposito.* 32. *q.* 5 & c. *Ita ne ibid.* Ubi Glossa V. Putaverit, *non debet*, inquit, *quis dici per petrasse, quod nolens fecit, vel passus fuit, nec debent imputari, quæ per coactionem absolutam fiunt*, ubi bene ponderanda sunt illa verba *per coactionem absolutam*, quia si cognita fuit non per violentiam, seu per vim præcisam, sed se ex metu gravi, v. g. intentatæ mortis consenlit, & adulterium commisit, potest maritus, quamvis non possit tunc criminaliter uxorem accusare, divortium instituere, quia cùm talis metus non excuset à culpa mortali, neque à vero, & formali adulterio, etiam non excusabit à pœna, ut habet communior, & probabilior sententia apud Sanch. *cit. disp.* 5. *n.* 16 quem sequuntur Dicastillo, Coninck, Perez &c. contra Sylvestrum, Armillam, & alios quosdam.

Denique non licet ampliùs divortium instituere, ob adulterium commissum, quando pars innocens injuriam adulterij nocenti condonavit, ut dictum est *n.* 10. sive hoc factum fuerit expressè verbis, aut literis condonationem aperè indicantibus; sive tacite fiat, per hoc, quòd sponte,

te, ac liberè, sciens commissum esse adulterium, carnalem copulam cum adultera habeat, sive ante, sive post celebratum divortium; vel eandem domi retineat, eidemque familiarem sese, ut antè, exhibeat cum ea ludendo, ridendo, comedendo, & multò magis eandem amplexando, deosculando &c. nam per ejusmodi actus injuriam aboleri, communis doctrina est. Palao *l. c n. 4.* Sanch. *l. 10. disp. 5. n. 19. & disp. 14. n. 6.* Perez Engl. Pirhing &c.

13. Nunc ut, quæ hucusque diximus, præsenti casui applicemus, & ad illius quæsita denique respondeamus, è *num. 5.* sat luculenter patet, etsi omnimodam certitudinem de adulterio conjugis Coralbus non habuerit, ea tamen habuisse ipsum indicia, quæ ipsi poterant movere suspicionem violentam, nam deprehendit solum cum sola in cubili, juvenem ardentem, & Leonildæ, priusquam nuberet, amantem, & nunc quoque, postquam alteri nupta est, ab ea redamatum, & fortè etiam tunc nimiùm familiarem, nam dubitavit Coralbus post ipsas statim nuptias, an virginem accepisset in thalamum, quam ipsi suspicionem, quòd violata jam fuerit, & forsan ab hoc ipso proco, confirmare meritò poterant hæc ipsa, quæ modò diximus, & conjugalem Leonildæ fidem dubiam eidem reddere continuati deinceps mutui amores, missa hinc inde munera, & literæ, etiam postquam correpta est à marito, & monita desistere à suspecto consortio: apertam verò adulteram moraliter certò, & urgentissimè probavit arrepta fuga cum eodem amasio, & maximè præ omnibus, quòd triennali tempore eidem adhæserit, quia ut cum Abbate *in c. Intelleximus. De Adult. in 6.* loquitur Mascardus *De Probationib. conclus. 64. n. 10.* adulterium manifestum dicitur esse probatum, ubi constat, mulierem à proprio viro discessisse, & alicui publico concubino adhæsisse, vel habere virum alium in domo, mensa, & lecto &c. potuisse igitur ab ea separari, nec obligatum fuisse, etiam resipiscentem denuo recipere, constat ex *n. 10.* An verò altera vice ad pristinas sordes reversam, dum eam in adulterio ipse deprehendit, an, inquam, tunc etiam authoritate propria expellere potuerit, vel ab eadem divertere debuerit, desumi, ac concludi potest ex *num 8 & 9.* unde non est, quod hic ulteriùs addam, nisi hoc unum, quòd facta prima vice condonatio eundem non impediat, ut propter hoc novum delictum adulteram repudiet, nam prior illa condonatio se non extendit ad futura, sed ad præterita tantùm adulteria; tum etiam quia prior illa reconciliatio contractum Matrimonij in pristinum vigorem restituit, acsi nullum usque in hoc tempus adulterium fuisset commissum; at verò si nullum usque nunc fuisset commissum adulterium, posset utique conjux nunc demum

mum adulterij reus ab innocente dimitti: ergo etiam dimitti potest, si post remissionem, & reconciliationem factam de novo fornicetur. Perez *disp. 56. Sect. 3. n. 10.* Gobat *in Quinario c. 32 n. 56.* Dicastillo *disp. 10. de Matr. dub. 3. n. 29.*

14. De liberorum, & uxoris sustentatione, quandò hæc à marito ob adulterium expulsa est, multa desumi possunt ex alibi dictis, præsertim circa liberos in casu præcedente *num. ult.* alendos ipsos esse apud Patrem expensis Matris delinquentis, ita Sanchez *L. 10. disp. 20. n. 7. & 8.* Palao *disp. 3. de Sponsal. pu. 6 §. 10. n. 5.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. in fine.* Ut verò uxori adulteræ vir innocens post factum divortium præstet alimenta, nulla est obligatio juxta Bonac. *disp. 3. De contract. q. 11. pu. 11. n. 24.* Sanch. *L. 10. disp. 8 n. 25.* Gobat *in Quinario tr. 5. c. 39. n. 5. & seqq.* quia potest illam privare omni jure maritali, ac consequenter etiam alimentis; licèt dotem ab ea receperit eo fine, ut ipsam alat, nam hanc ob culpam adulterij amittit, ut probat Palao *l. c. n. 2.* Aliter tamen docet Julius Clarus *Receptar. Sententiar. L. 4 § Adulterium n. 17.* saltem tunc, quando dos ab uxore allata viro adjudicatur propter illius adulterium; teneri ipsum à se dimissam alere; tum quia onus alendæ uxoris annexum doti, non desinit hîc urgere, nam etsi à viro separata sit, non tamen desijt esse uxor; tum quia non ipsa se sponte separavit, sed fuit ejecta à viro: ergo quòd ei non præstet debita obsequia, hoc ab ipsomet marito provenit, & quamquam ipsa ad dimissionem suo delicto causam dederit, adhuc tamen non est privanda alimentis, nam juxta Bonac. *in 4. præcept. Decal. disp. 7. q. unic. pu. 7. n. 3.* nequit maritus negare alimenta uxori, quæ suâ culpâ vel lepram contraxit, ob quam prævidebat, se à marito rejectum iri, vel quæ ex culpa propria in perpetuum carcerem conjecta est, eo quòd culpa illa uxoris non tendat directè ad separationem habitationis, sicut dum propriâ temeritate recedit ipsa à marito: ergo nequit etiam negare maritus alimenta uxori, quæ suâ culpâ eò devenit; ut à viro dimitteretur. Sic ratiocinatur Julius Clarus, cujus Sententia probabilis est, & in hanc ipsam aliquo modo etiam coincidit Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 2.* dicens: si uxor ob suam culpam, puta adulterij, rejecta à marito, bona aliunde non habeat ad sui sustentationem, tunc ad judicem pertinere, ut ei à marito necessaria obtineat, si dotem mulieris hic in delicti pœnam lucrari velit.

CASUS

CASUS SECUNDUS

Adulterae de sua obligatione solicitae circa manifestationem prolis.

Bertilia viri nobilis uxor è quatuor filijs, quos genuit, secundò genitum concepit ex adulterio; dubia nunc est, an teneatur manifestare, etiam cum periculo vitæ, & famæ, hanc suam prolem esse spuriam, ne alij legitimi patiantur damnum?

Q. An ad hoc obliganda sit, saltem in articulo mortis?

SYNOPSIS.

1. *An teneatur adultera, si aliter damnum aliorum avertere nequit, delictum suum manifestare?*
   Referuntur diversæ Sententiæ.

2. *Sed reijciuntur, ac primò quidem, quæ docet, debere Adulterium manifestari filio ex eo genito.*

3. *Minùs placet opinio, quæ dicit, debere crimen commissum revelari Marito.*

4. *Sat-*

4. *Statuitur, nullam esse obligationem manifestandi unquam suum delictum cum periculo vitæ, aut famæ.*

5. *Apponuntur tamen aliquæ limitationes.*

6. *An obligetur adultera saltem in articulo mortis?*

1. NOn ago hîc, ad quid obligetur adultera, ne damnum patiatur vel Maritus in alimentatione prolis non suæ, vel alij liberi legitimi ratione hæreditatis, dotis, & similium, quod illa utique debet avertere, quantùm potest sine propriæ vitæ, & famæ periculo, & compensare ex paraphernis, lucro industriali, alijsque modis, quæ ad aliam quæstionem ab hac diversam pertinent. Solùm hîc quæritur, an, si hac ratione damnum plenè compensare non potest, teneatur crimen suum manifestare, ne propter spurium alij patiantur detrimentum?

Diversæ hac in re AA. opiniones sunt. Affirmant aliqui debere eam revelare, filium esse illegitimum; alij negant. Qui affirmant, nec quidem ipsi inter se conveniunt, nam aliqui existimant, debere eam hoc revelare ipsimet filio, eumque inducere ad dimittendam hæreditatem veris hæredibus, quæ opinio adscribitur Richardo. Alij dicunt, adulteram debere hoc revelare Marito, ut assignet hæreditatem veris, & legitimis hæredibus, quæ sententia tribuitur Hostiensi, Majori, & Adriano, qui putant, hoc fieri debere etiam cum periculo vitæ, ac famæ, quibus accedit Sotus *L. 4. De Iust. q. 7. art. 2.* quoad hoc, quòd cum ijsdem existimet, debere adulteram crimen suum manifestare, quando hæreditas ampla est, & copiosa, v. g. Marchionatus, Ducatus, Regnum, Comitatus, & hujusmodi, tunc enim opinatur, teneri eam ad revelationem sui adulterij, non obstante vitæ periculo, aut famæ.

2. Nulla ex istis sententijs mihi placet, quia omnes denique in hoc conveniunt, adulteram etiam cum discrimine suæ vitæ, & famæ teneri ad revelationem sui delicti, quamvis citati Authores in modo revelandi discrepent. Igitur contra primam opinionem, quæ dicit debere crimen revelari ipsimet filio spurio, sic pugno: vel credet filius Matri hoc affirmanti, vel non credet? Si credet, non eo ipso etiam credibile statim est, quòd

quòd filius eapropter hæreditatem sit dimissurus; nam experimur quotidie, quàm pauci ita perfecti sint, ut propter justitiam servandam in foro conscientiæ dimittant magnas possessiones, quas in foro externo tenere possunt. Magis præsumere Mater poterit, filium, etsi fortassis in animo credat; verbis tamen negaturum esse, neque ideo cessurum hæreditate, sed potius omnia litibus, & tumultibus misturum: igitur cùm incertum sit, ex hac relatione filio facta secuturam ejusdem correctionem, & restitutionem habituram esse effectum; non debet ipsa se exponere certo periculo diffamationis apud suum filium, quem per hoc ipsum conijciet in magnos animi æstus, seque apud illum reddet invisam, quo modo aget imprudenter: potiùs ergo cogitet, quam diu dubium est, an revelatio sit profutura, meliorem esse conditionem possidentis, consulatque famæ, quam huc usque possidet.

Quòd si autem filius non credat, prout sanè non tenetur credere, etiamsi ipsa cum juramento, vel in articulo mortis affirmet, eum esse spurium, isque etiam sciat, ipsam aliquando adulterium commisisse, ut ait Lessius *L. 2. De Iust. c. 10. n. 51.* & Glossa in *c. Officij. 9. De Pœnit. & Remission. V. Deneganda*, quod etiam recepta Regula apud Iuristas probat, quæ dicit, quòd alleganti propriam turpitudinem nulla fides debeatur, quando affirmat aliquid cum alterius præjudicio, quemadmodum fieret in casu præsente. Tum denique quia, cùm ipse & suâ, & publicâ aliorum opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo incommodo se reputare illegitimum, nisi certò convincatur innegabili aliqua ratione. Si igitur non credat, quid tunc sequetur ex revelatione hujus adulteræ facta filio? Duplex fructus sequetur, sed uterque acerbus. Primus est diffamatio ipsius mulieris. Secundus est, quòd eo ipso, quia non credit, hæreditatem nihilominus aditurus sit, & fortè cum aliquo remorsu conscientiæ, nec sine omni dubio, ac proinde non sine mala fide.

3. Minùs placet, quod ajunt, debere hoc revelare Marito, sic enim 1. rursus se ipsam mulier diffamaret apud maritum. 2. Exponeret se probabili mortis periculo, ipsumque Maritum periculo uxoricidij, si sit Zelator sui honoris, ut multi, imò plerique sunt in hoc puncto, qui propter hujus tam enormem læsionem uxores non rarò occidunt; aut saltem timere debebit ista mulier, ne suo Marito perpetuò odio futura sit; ne domo exturbetur, vel saltem repellatur ab actu conjugij. Præterea si Maritus uxori crederet, non posset à spurio auferre hæreditatem, nisi in foro publico probaret, filium hunc esse spurium, sic verò iterum diffa-

diffamaretur mulier coram tota patria; diffamaretur etiam filius, & in maritum non levis macula redundaret: ad ista autem omnia mala, quæ probabiliter eventura essent, non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ.

Similiter non approbat Covarruvias *in Regulam Peccatum p. 1. n. 8.* eam cautelam, qua usa est vidua quædam, ut refert ex Alciato: ea, cùm plures liberos haberet, quorum unus conceptus erat in adulterio, ijs accersitis jam morti proxima dixit: filij mei! unus vestrum est natus ex adulterio, & ideo bona mei mariti detinebit indebitè; ego verò priusquam ex hac vita migrem, ne moriar in hoc peccato, eum vobis nuncupare intendo, nisi vos invicem remiseritis omne jus, quod habet alter adversùs alterum. Tunc filij, cùm quilibet de se ipso dubitaret, mutuò se ipsos ab onere absolverunt, & liberârunt; jusque invicem sibi remiserunt: hanc, inquam, cautelam non probat Covarruvias, uti nec Sayrus *in Clavi Regia L. 8. c. 1. n.* 15. tum quia Mater, licèt non explicet privatim, quis illorum sit spurius, se ipsam tamen infamat adulterij apud eos omnes, ad quod nullo modo tenetur; nec debet hoc facere regulariter loquendo, nisi jam antea læsa sit ejus fama, & publicè suspecta fuerit ex argumentis non levibus, & temerarijs de adulterio, ipseque etiam filius, quòd ex adulterio genitus sit, qui ante reputabatur pro legitimo, ut advertit Pirhing *n.* 22. *not.* 4. *De Pœnit. & Remiss.* Non probatur ulteriùs dicta cautela, quia hac ratione non tollitur damnum illatum ex adulterio, nec fit sufficiens liberatio, siquidem mutua hæc absolutio spontanea non est, cùm fiat ab unoquoque ignorante, ac timente, ne ipse sit ille spurius, quam alioquin non facturus esset: involuntaria igitur est, & quasi coacta, ac consequenter inutilis, minimeque attendenda, quia revera legitimi nullum ex ea commodum habent, sed adhuc damnum patiuntur, nec enim quisquam ex ijs remisisset, si certò sciret, alterum fratrem in adulterio conceptum fuisse, sed consentit huic liberationi metu coactus, dum quisque eorum timet, ne ipse à Matre spurius esse manifestetur, unde consensus iste sufficiens non est.

4. Denique Dico in genere, sive hæreditas magna sit, imò amplissima, vel primogenitura, atque etiam integrum regnum ad spurium devolvi deberet, sive sit exigua; sive mulier nobilis sit, sive non, non obligatur adultera prodere suum adulterium cum periculo vitæ, vel famæ, quamvis certa spes esset, per criminis revelationem damnis hæredum occursum iri. ita Less. *L. 2. De Iust. c.* 10. *dub.* 7. *n.* 53. *& seqq.* Bonac. *q.* 4. *De Matr. pu.* 15. *n.* 20. Azor *tom.* 3.

3 l. 5. c. 6. q. 2. Laym. L. 3. tr. 3. p. 3 c. 14. n. 1. Dicastillo L. 2. De Iure & Iust. tr. 2. disp. 7. dub. 9. n. 190. & seq. Jo. Medina Cod. De Restit. q. 3. conclus. 2. caus. 4. Navarr. in Manuali c. 16. n. 44. Eman. Gonzalez in c. Officij. De Pœnit. & Remiss. n. 2. Vivianus, Pirhing, alijque in idem capitulum, atque hanc vocat Azor sententiam veriorem, & communem opinionem Theologorum, & Canonistarum: idemque admittunt citati Authores, sive vita perclitetur, sive fama. Pauci alij quidam de fama negant, etsi de vita concedant. Sed ratio eadem stat pro utroque: igitur probatur assertio: quia nemo tenetur, ut restituantur bona inferioris ordinis, jacturam facere bonorum ordinis altioris: at bonum vitæ est ordinis superioris, & pretiosius auro, & gemmis, cùm vita non soleat æstimari pecuniâ; quod ipsum de fama dicendum est, nam contra rectam rationem ageret, qui huic pecuniam, aut bona fortunæ præoptaret, cùm dicat sapiens Prov. 22. *melùs est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*: ergo vita, & fama, quæ ad ædificationem proximi necessaria est, commutanda non sunt pro bonis fortunæ, quantumcunque magnis, ac consequenter ad hoc impediendum, ne hæreditas, vel etiam regnum ad spurium devolvatur, vita & fama exponi non debent.

Confirmatur ista opinio efficaciter ex c. Officij. De Pœnit. & Remiss. ibi mulier quædam, cùm prole careret, timeretque, ne bona mariti ad alios devolverentur, succo herbarum, quem potavit, id effecit, ut venter ejus intumesceret, sicque se gravidam fingens, partum alienum supposuit, ex metu autem mariti non ausa est ipsi hoc facinus detegere, qui eam prolem credebat, indubitatò esse suam. Consultus igitur Pontifex Innocentius III. ab eo, cui hoc ipsa confessa fuerat, utrùm durante hac fraude pœnitentia ei injungenda sit; ita respondit: *quòd sicut mulieri, quæ ignorante marito ex adulterio prolem suscepit, quamvis id viro timeat aperire, non est pœnitentia deneganda, ita nec isti debet pœnitentia denegari, maximè si ad alienos timeat bona hæreditaria viri devolvi, sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei injungi debet*, quo canone Pontifex argumentatur à paritate criminis suppositi partûs in prægnatione ficta, qualis fuit ista, & in prole suscepta ex adulterio, utrobique enim metus impedit, ne uxor suum delictum marito detegat; utrobique eodem modo fallitur maritus, existimans, alienum esse filium suum legitimum, & quidem cum damno legitimorum, si qui adsunt, quibus à spurio eripitur pars hæreditatis, mulieremque Papa excusat ob metum, quia ex justa causa timet crimen Marito detegere, quin addat, metuerit-ne periculum vitæ, an famæ, an perpetuæ offensionis, sed loquitur in genere.

5. Circa periculum famæ advertit nihilominus Lessius n. 37. ut suprà jam innui ex Pirhing, quæ dicta sunt, intelligenda esse de muliere honestæ conditionis, & quæ pro tali passim habeatur; hæc enim propriè est bonæ famæ, nam si suspecta sit, tunc, nisi vita periclitetur, non est fama præterenda.

Præterea judicat idem Author cum alijs, unum adhuc dari posse casum, in quo mulier teneatur manifestare, filium esse spurium, etiam cum periculo vitæ, & famæ, & sic obligatam esse, impedire illius successionem, si esset perditis moribus, ita ut ex ejus dominatu timeretur mala reipublicæ administratio, legitimus autem esset optimæ spei, tunc enim adultera teneretur rem manifestare, posthabito vitæ, & famæ dispendio, non quidem propter restitutionem hæreditatis, sed propter damnum commune reipublicæ, quod multò plus valet, quàm vita unius personæ privatæ, adeoque hæc obligatio potius provenit ex Lege Charitatis, vel Justitiæ legalis, quàm commutativæ: extra hunc verò casum semper præponderat vita, & fama, quæ bona sunt ordinis altioris, neque exponi debent pro reparandis damnis inferioris ordinis, quale est damnum hæreditatis, vel Successionis.

6. Sed nunquid saltem in articulo mortis consuli debet tali fæminæ, ut adulterium suum detegat vel ipsa, vel ut jubeat id manifestari per Confessarium, postquam ipsa defuncta fuerit?

Resp. Quoad utrumque negativè cum Azor, & Bonacina, sive ipsa sit morti vicina, sive Maritus, nam potest accidere, ut vel iste, vel ipsa mortis periculum evadat, & postea homicidium committatur; solent enim mariti adhuc impatientes esse adulterij uxoris; quod homicidij periculum non cessat etiam tunc, si revelatio criminis ex voluntate adulteræ per Confessarium fiat, postquam defuncta fuerit, quia habentur exempla, ut notant dictus Azor, & Dicastillo, quòd maritus, hoc audito, postea occiderit Confessarium, filium adulterinum, & adulterum, proinde hoc juxta istos Authores consulendum non est.

INDEX

Index Rerum, & Verborum.

A.

Abraham.

Quo sensu Saram uxorem suam vocaverit sororem? *fol. 561. n. 9. & seq.*

Adoptio.

Quid sit, & quotuplex? 596. n. 1. & 2.
Quis possit adoptare, & quæ in eo conditiones requirantur? 597. n. 3.
Filius Adoptivus potest ducere in uxorem filiam Naturalem illegitimam Adoptantis. 601. n. 8.
V. *Impedimentum Cognationis Legalis.*

Adulterium, Adulter.

Sponsus, vel Sponsa fornicantes an committant adulterium? 92. n. 2. & seqq.
Adulter propter commissum adulterium non perdit ipso facto jus exigendi debitum, quamdiu adulterium conjugi occultum est. 784. § Omissis duabus.
Si autem Parti innocenti delictum adulteri notum est, nequit ab ea exigere debitum. 786. n. 4.
Ex sola suspicione commissi adulterij, non potest pars innocens alteri negare debitum conjugale. *ibid.*
Nequit Maritus negare debitum adulteræ, si ipse quoque commisit adulterium, vel in uxoris adulterium ultrò consensit, aut causam propinquam dedit, vel post commissum ab ea, sibiq́ue notum, adulterium uxorem spontè iterum cognovit. 786. n. 5.
Adulterium justam causam præbet ad instituendum divortium non solùm temporale, sed perpetuum. 8 7. n. 1.
Idq́ue conceditur æquè uxori, ac marito, ut ab adulterante divertat. ibid. n. 2.
Quid intelligatur nomine adulterij justam divortij causam præbentis. 859. n. 3.
Adulterium ex parte uxoris gravius est, quàm ex parte viri. 858. n. 2. *ad finem.*
Solæ suspiciones commissi adulterij non præbent causam sufficientem ad divortium, nisi sint violentæ. 862. n. 6. & seq.
An propter adulterium liceat divortium

tium instituere propria authoritate? 864. n. 8.
An maritus obligetur uxorem adulteram dimittere? 865. n. 9.
An teneatur post factum divortium pœnitentem iterum recipere? 867. n. 10.
An propter adulterium conjugis liceat innocenti transire ad Religionem, vel SS. Ordines? ibidem.
In adulterio delicta mutua compensatione tolluntur, etiamsi unius notorium sit, alterius verò occultum; unde nequit maritus, si etiam ipse commisit adulterium, uxorem adulteram dimittere. 868. n. 11.
Nec potest instituere divortium, si ipse causam dedit uxoris adulterio, aut quando hæc peccavit merè materialiter, ex ignorantia putans, se congredi cum marito, aut vi oppressa est, aut innocens eidem injuriam condonavit &c. 869. n. 12.
An teneatur adultera, si aliter damnum aliorum nequit avertere, delictum suum manifestare? 874 à n. 1. usque ad 6.
An ad hanc manifestationem obliganda sit saltem in articulo mortis? 878. n. 6.

Ætas.

Quæ Ætas requiratur ad contrahenda Sponsalia? 73. n. 2. & seqq.
Quæ ad Professionem Religiosam? 263. §. Denique.

Affinitas.

Quid sit, & unde proveniat? 605. n. 1.
Oritur ex sola copula perfecta, & consummata. 606. n. 2.
Regulæ per dignoscendis gradibus affinitatis. 610. n. 5.
Matrimonio superveniens impedit petitionem debiti conjugalis, tenetur tamen reus illud reddere. 791. n. 2.
Non contrahitur hoc impedimentum ab eo, qui cognovit carnaliter uxoris consanguineam ultrà primum, vel secundum gradum. 792. n. 3.
Nec ab eo, qui laboravit ignorantiâ Juris, vel facti. 795. n. 4.
Et probabiliter neque ab eo, qui laboravit ignorantiâ pœnæ. 795. n. 5.

Agnati.

Qui sint, & in quo differant à cognatis? 550. §. Adhuc aliud.

Alimenta.

Quid nomine alimentorum intelligatur? 734. n. 1. & 754. n. 4.
Tenetur vir alimenta præstare uxori, etiamsi duxerit indotatam, & inopem. 734. n. 1.
Ad Patrem primariò, ac principaliter spectat, alimenta ministrare liberis, ad uxorem verò pertinet solum secundariò, & in defectu Patris. 758. n. 6.
An facto divortio propter sævitiem mariti, teneatur hic dare alimenta

ta uxori, & apud quem tunc liberi sint educandi? 852. n. 9.
An teneatur maritus innocens uxori adulteræ post factum divortium dare alimenta, & apud quem proles educandæ sint? 872. n. 14.
Vide Dos, & Liberi.

Amor.

Amantes comparantur ebrijs, & furiosis. 24. n. 4.

Asylum.

Raptores Virginum an gaudeant asylo? 417. n. 11.

B.

Baptismus.

An vir, & fæmina simul tenentes infantem è Baptismo incurrant impedimentum, ut nequeant invicem contrahere Matrimonium? 579. n. 3.
Quæ conditiones requirantur, ut in baptismo, vel confirmatione contrahatur cognatio Spiritualis? 580. n. 4.
Privatim collatus in necessitate an inducat cognationem Spiritualem, & inter quos? 581. n. 5. & seq.

Benedictiones Nuptiales.

Benedictiones solemnes nuptiarum tempore Interdicti an adhiberi possint? 310. n. 6. & seq.

C.

Castitas.

An pactum servandi perpetuam castitatem præmissum contractui invalidet Matrimonium? 224. n. 7. & seqq.
Votum simplex castitatis impedit Matrimonium, sed non dirimit. 317. n. 1.

Castrensis Missionarius.

An etiam extra castra in hybernis, vel præsidijs possit suis militibus administrare Sacramenta? 464. n. 4. & seqq.
An possit assistere Matrimonio militis alterius Legionis? 469. n. 8.

Catechismus.

Quale fuerit impedimentum, & num etiam hodie observetur? 285. n. 2.

Causæ Majores

Sedi Apostolicæ reservatæ quænam sint? 195. n. 4.

Causæ Matrimoniales.

Non pertinent ad forum sæculare. 299. n. 3. & 571. §. Atque in primis.

Clandestinitas.

Una propria est, alia minùs propria; in quonam utraque consistat? 418. §. V.
Matrimonia Clandestina etiam olim fuerunt illicita, sed tamen valida. 439. n. 1.
Irrita sunt post Concilium Tridentinum. 440. §. Quidquid autem.
Episcopus non potest dispensare, ut Matrimonium contrahatur sine Parocho, & testibus. 443. n. 4.

Satis

Satis est, quòd assistat Parochus alterutrius è Sponsis. 452. n. 12.
An Matrimonium validè contrahi possit ab incolis loci, in quo promulgatum est Concilium Tridentinum, si abeant in alium locum, ubi id promulgatum non fuit! 454. n. 13. & seq.
Quæ pœnæ statuantor in Matrimonium clandestinum? 458. n 16.
Existentes in terris hæreticorum, in quibus Concilium Tridentinum promulgatum non fuit, an, & quando validè contrahant Matrimonium sine Parocho, & testibus, vel coram Prædicante? 480. n. 4. & seqq.
An hoc tempore possint in Gallia sine Parocho, & testibus contrahi Matrimonia? 483. n. 7.
An ex Matrimonio rato clandestino oriatur impedimentum publicæ honestatis? 540. n. 6.
V. Impedimentum Clandestinitatis.

Cognatio Legalis.

Quid sit? 596. n. 1.
Oritur ex sola adoptione perfecta; sive Arrogatione. 599. n. 5.
V. Impedimentum Cognationis Legalis.

Cognatio Spiritualis.

Quid sit? 576. n. 1.
Inter quas personas olim intercesserit, & inter quas præsente tempore? 578. n. 2.
Quæ conditiones requirantur, ut in baptismo, vel confirmatione contrahatur cognatio spiritualis? 580. n. 4.
Baptismus privatim collatus in necessitate, an, & inter quas personas inducat cognationem spiritualem? 581. n. 5.
Ut contrahatur cognatio spiritualis debet, qui tenet in baptismo, esse baptizatus, & qui in confirmatione, confirmatus. 584. n. 7.
Qui ut Procurator levat infantem ex Baptismo, non contrahit cognationem spiritualem, sed ipse Principalis. 590. n. 11.
Vide Patrinus, & Impedimentum Cognationis Spiritualis.

Concilium.

Concilia Provincialia non extenduntur extra suam Provinciam. 372. n. 4.
Concilium Tridentinum tantùm obligat in ijs locis, ubi est publicatum, & receptum. 440. §. Quidquid autem.
Vide Tridentinum.

Concubinarius.

Validè contrahit Matrimonium cum concubina ex metu mortis, vel inferni. 396. n 4.

Cohabitatio.

An uxor licitè cohabitet Marito excommunicato? 730. n. 6.

Conditio.

Quid sit, & quotuplex? 178. n. 1.
Conditio de præterito; vel præsenti, atque etiam de futuro, quando necessariò eventura est, non est vera conditio. ibid. n. 2.
Conditiones turpes, vel impossibiles appo-

appositæ Sponsalibus, quem effectum præstent? 182. n. 6.
Turpes, & impossibiles in Matrimonio habentur pro non adjectis. 232. n. 2.
Conditio dum est impedimentum dirimens, quid per eam intelligatur? 369. n. 1.

Conjuges.

In statu peccati mortalis Matrimonium contrahentes, peccant mortaliter. 205. n. 9.
An uno labente in hæresin, vel paganismum, possit alter transire ad secundas nuptias? 249. §. Quòd si ex occasione.
Conjugibus conceditur tempus bimestre ad deliberandum de ingressu Religionis. 262. n. 4.
Obligantur ordinariè sub gravi culpa ad cohabitandum. 726. n. 1.
Conjux negans debitum conjugale conjugi petenti peccat mortaliter. 764. n. 2.
Conjuges an, & quando vacare possint actui conjugali in loco Sacro? 800. n. 2.
An diebus Dominicis, & festis, jejunij? &c. 804. n. 5.
An, quando sequenti die percepturi sunt S. Eucharistiam? 805. n. 6.
Quid circa usum conjugalem faciendum sit conjugibus, quando dubium est de valore Matrimonij? 807. n. 7.
An reddens debitum conjugale, illud ex sola voluptate, vel aliàs peccaminosè exigenti, peccet? 812. n. 10.
Quid liceat conjugibus circa tactus, amplexus &c.? 814. n. 12.
An peccet mortaliter conjux, si in absentia alterius conjugis oblectat se cogitatione copulæ conjugalis? 815. n. 13.

Consanguinitas, Consanguinei.

Quid sit? 550. §. Definitur Consanguinitas.
Duplex in ea observatur linea, & diversi gradus. 551. n. 2.
Regulæ pro dignoscendis gradibus Consanguinitatis in quavis linea. 552. n. 3.
An, quando petitur dispensatio in in consanguinitate gradùs inæqualis, debeat exprimi uterque gradus, tam remotior, quàm etiam propinquior? 565. n. 13.
Vide Impedimentum Consanguinitatis.

Consensus.

In contractu Matrimonij debet consensus esse non merè internus, sed etiam exteriùs sufficienter manifestatus. 233. n. 3.
Quæ signa ad hoc sufficiant? ibid. n. 4. & seqq.
Fictitius in Matrimonio non sufficit, sed est grave peccatum, redditque conjugium irritum. 239. n. 1.
In foro externo non creditur asserenti, se fictè contraxisse. 241. n. 3.
Neque pars altera innocens tenetur ipsi

ipsi credere, hoc affirmanti. 240. n. 2.

Copula Conjugalis.

Ex Varijs causis potest reddi illicita, & peccaminosa. 807. à num. 7.

Vide Debitum conjugale, item Conjuges.

D.

Debita.

Contracta à Marito, aut Patre an teneatur Uxor, aut liberi solvere? 744. n. 1. & seq.

Debitum Conjugale.

Debitum Conjugale negare conjugi petenti est peccatum mortale 764. n. 2.

Tenetur reddere Maritus debitum conjugi etiam solùm interpretativè petenti; at uxor communiter non obligatur, nisi Maritus id expressè petat. 765. n. 3.

An possit Maritus petere debitum ab uxore, dum ea fluxu menstruo laborat? 767. n. 6. & seq.

An à prægnante, vel puerpera ante purificationem? 769. n. 8. & seq.

An tempore, quo lactat prolem? 771. n. 10.

An ab uxore amente? 772. n. 11.

An uxor teneatur debitum reddere Marito ebrio? 774. n. 12.

Vel irrationabiliter petenti? 775. n. 13.

An sit obligatio reddendi debitum, quando inde timetur morbus contagiosus, vel aliud grave malum? 7 5. n. 14.

An nimia multiplicatio prolium excuset uxorem à redditione debiti? 776. n. 15.

An propter adulterium amittatur jus petendi debitum conjugale? 781. n. 1. & seqq.

Jure petendi debitum non privatur, qui cum Affine suæ uxoris peccavit carnaliter, sed qui cum ejus consanguinea. 790. n. 1.

Nec qui cognovit carnaliter uxoris consanguineam solùm in tertio, vel quarto gradu. 792. n. 3.

Neque incurrit hanc pœnam, qui laboravit ignorantiâ Juris, vel Facti. 793. n. 4.

Imò neque ille, qui habuit ignorantiam pœnæ. 795. n. 5.

Vacare actui conjugali in loco publico, est peccatum mortale. 799. n. 1.

An reddens id exigenti ex sola voluptate, vel aliàs cum peccato peccet? 812. n. 10.

An conjux possit reddere debitum conjugi morbo contagioso laboranti? 837. n. 6.

Episcopus potest dispensare ad petendum debitum cum eo, qui post votum simplex castitatis contraxit Matrimonium. 350. n. 10.

Id ipsum possunt Regulares ex privilegio. 351. §. sed hic iterum.

Vide Votum.

Denunciationis.

Quid sint, & quot fieri debeant? 411. n. 1.

A quonam, quo in loco, & tempore fieri debeant? 422. n. 2.
Quando sponsi pertinent ad diversas. Parochias, in utraque fieri oportet denunciationis. 424. n. 3.
Non sunt de essentia, & substantia Matrimonij, ut ijs non præmissis invalidum reddatur. 425. n. 4.
Nequeunt tamen omitti sine peccato mortali. 426. n. eod. col. 2.
Quomodo fiant Denunciationes, à Missionarijs Castrensibus? 428. n. 6.
Quis possit dispensare quoad denunciationes? 430. n. 8.
In Matrimonijs Principum, & Magnatum non solent fieri denunciationes. 432. col. 2. V. Septima.
Quas pœnas incurrant, qui contrahunt Matrimonium, omissis denunciationibus, & qui hujusmodi Matrimonio assistunt? 433. n. 10.

Dispensatio, Dispensare.

Qnænam sint justæ causæ ad dispensandum in Matrimonio rato? 278. §. Causæ autem.
An dispensatio sine justa causa in Matrimonio rato sit invalida? 279. n. 10
Episcopus etiam in casu necessitatis non potest dispensare in Matrimonio rato, illudque dissolvere. 280. n. 11.
Quis possit dispensare in Impedimentis impedientibus? 347. n. 7.
In quonam voto castitatis possit dispensare Episcopus? 348. n. 8.
In casu necessitatis dispensat aliquando Episcopus etiam in voto simplici castitatis perpetuæ, Pontifici reservato. 349 n. 9.
Cum ijs, qui post votum simplex castitatis contraxerunt Matrimonium, ex consuetudine dispensat Episcopus in ordine ad petendum debitum. 350 n. 10.
Hæc, aliæque similes dispensationes fieri possunt extra confessionem. 352. n. 10. ad finem.
An, & quando possit Episcopus dispensare in voto ingrediendi Religionem? 352. n. 11.
Quis possit dispensare quoad Denunciationes Matrimonij? 430. n. 8.
An possit Pontifex dispensare in voto castitatis solemni? 495. n. 5.
An in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ? 558. n. 7.
An in eodem gradu lineæ transversæ? 562. n. 10. & 564. n. 11.
Dispensatione egent Hæretici, si ante conversionem contraxerunt Matrimonium in tertio, vel quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis. 564. n. 12.
An in petenda dispensatione in gradu inæquali consanguinitatis debeat fieri mentio utriusque gradûs,

dûs, remotioris, & propinquioris? 565. n. 13.

An, & quando Episcopus possit dispensare in impedimentis Matrimonij dirimentibus occultis? 712. n. 2. & 3.

Quando impedimentum est publicum, Româ peti debet dispensatio è Dataria, nec satis est, quòd petatur ab Episcopo, vel etiam Româ à S. Pœnitentiaria. 718. n. 9.

Dissolubilitas Matrimonij.
Vide Indissolubilitas.

Divortium.

Qui potest propria authoritate habere divortium perpetuum, potest etiam ignorante, aut invitâ, & non consentiente conjuge, profiteri Religionem, aut SS. Ordines suscipere. 499. §. Illud præterea.

Vita improba Mariti non est causa Divortij, nisi conjugi sit occasio Spiritualis ruinæ; tunc enim potest divertere ad tempus. 824. n. 2. & seq.

Divortium propter hæresin non est perpetuum, si factum sit authoritate propriâ, secus, si authoritate Judicis Ecclesiastici. 827. n. 4.

Quandonam hæresis præbeat causam Divortij? ibid. n. 5.

An possit uxor divertere à Marito hæretico, quando eam solicitat non quidem ad deserendam fidem, sed ad comestionem carnium diebus prohibitis violationem festorum? &c. 828. n. 6.

An idem liceat uxori, quando ob latrocinia, furta &c. mariti, etiam ipsi imminet periculum ex cohabitione? 833. n. 1.

Ex morbo contagioso, cognito ante contractum Matrimonium, nulla est causa divertendi. ibid. n. 2.

An lepra, vel alius morbus contagiosus superveniens det causam sufficientem divortio? 834. n. 3. & seq.

Subinde sufficiunt ejusmodi morbi ad solam separationem tori, non autem cohabitationis. 836. n. 5.

An ad Divortium sufficiat morbus Gallicus? 837. n. 6.

An hectica, vel phthisis? 838. n. 7.

An amentia, furor, epilepsia? 839. n. 8.

Ad divortium præbet causam sufficientem sævities conjugis, quanta autem hæc esse debeat? 843. n. 1. & 2.

An, & quando verbera inflicta à Marito præbeant uxori causam divortij? 846. n. 4.

Percussio merè præterita, etsi atrox, non præbet causam divortio, nisi simile malum in futurum timeatur. 848. n. 5.

An propter sævitiem conjugis divortium institui possit propria authoritate? 850. n. 7.

An possit uxor à viro divertere, quando non ipse quidem, sed Parentes Mariti in se sævitiem exercent? 852. §. Ad alterum.

An possit uxor divortium instituere quan-

quando Maritus habet concubinam? 851. n. 8.
Ob adulterium justè instituitur divortium, idque non solùm temporale, sed perpetuum. 857. n. 1.
An oscula, tactus, amplexus præbeant jus ad divortium? 860. n. 4. & seq.
Solæ suspiciones commissi adulterij non præbent causam sufficientem ad divortium, nisi sint violentæ. 862. n. 6. & seq.
An propter adulterium liceat divortium instituere propria authoritate? 864. n. 8.
An obligetur Maritus uxorem adulteram dimittere? 865. n. 9.
An teneatur Maritus uxorem post factum divortium pœnitentem, iterum recipere? 867. n. 10.
In certis casibus nequit Maritus uxorem adulteram à se dimittere. 868. n. 11. & seq.

Dos.

Dote non solutâ possunt dissolvi Sponsalia. 159. n. 4.
Affertur Dos ab uxore ad onera Matrimonij sustinenda. 734. n. 1.
Peccat graviter Maritus, si dos ipsius culpâ intereat. 735 n. 2.
Si dos promissa soluta non fuerit, non tenetur Maritus alere uxorem. 736 n. 3.
Non potest tamen propterea eam domo expellere 738. n. 5.
An Pater teneatur dare dotem filiæ, quæ nupsit sine ipsius consensu? 741. n. 9.

Dubium.

In dubijs judicare debemus secundùm ea quæ plerunque contingunt. 25. n. 6.
Quid agendum conjugibus, quando dubium est de valore Matrimonij? 807. n. 7.

E.

Ecclesia.

An polluatur Ecclesia per actum conjugalem? 800. n. 2. & seq.
An profanetur, quando factum, ex quo profanatio sequi potest, occultum est? 803. Col. 2. V. Quod verò addunt aliqui.
Vide Ecclesiæ Vetitum, sive Interdictum, & Impedimenta impedientia.

Episcopus.

Non potest constituere impedimenta Matrimonij. 195. n. 4.
Etiam in casu necessitatis non potest dispensare in Matrimonio rato. 280. n. 11.
An possit dispensare in Impedimentis impedientibus? 347. n. 7.
In voto castitatis perpetuæ nequit dispensare Episcopus, potest tamen in temporali, vel castitatis non absolutæ, & omni modæ, sed partialis. 348. n. 8.
Imò aliquando etiam in voto castitatis perpetuæ, exigente necessitate. 349. n. 9.
Non potest dispensare, ut mortuâ comparte, aliud Matrimonium ineat,

eat, qui voto castitatis obstrictus est. 351. Col. 1. ad initium.
An possit aliquando dispensare in voto Religionis? 352. n. 11.
Nequit dispensare, ut Matrimonium contrahatur sine Parocho, & testibus. 443 n. 4.
Potest aliquando dispensare in impedimentis dirimentibus occultis. 712. n. 2. & seq.

Equites Ordinum Militarium.
An, & quinam sint Religiosi? 264. n. 7. & seqq.
Etiam Equites Alcantaræ, & Calatravæ sunt veri Religiosi. 265. n. 8.

Error.
Quando versatur circa substantiam personæ, Matrimonium reddit invalidum. 359. n. 3.
Circa qualitatem personæ Matrimonium non invalidat. 361. n. 6.
Nisi ejusmodi qualitas apponatur tanquam Conditio, vel redundet in ipsam substantiam personæ. 362. n. 7. & seq.
An conjuges, qui ob errorem invalidè contraxerunt, si velint invicem vivere ut conjuges, debeant de novo contrahere in facie Ecclesiæ? 367 n. 11.
Vide Impedimentum Erroris.

Excommunicatio.
Eam non incurrit, qui percutit Clericum in actu turpi deprehensum cum uxore. 94 §. Deduces 2.

F.

Fœmina,
Fœminæ Indicæ cur unà cum cadavere Mariti in ejus funere fuerint crematæ? 629. n. 1. ad finem.

Filij.
Qui nascuntur ex Parentibus simplici castitatis voto obstrictis, non sunt spurij. 93. n. 3. §. Ex his porrò. & 229 n. 10. §. Resp. 2.
Qui nascuntur ex Matrimonio ficto, ac proinde irrito, si pars altera contraxit bona fide, habentur pro legitimis. 242 §. Tertium Denique. & 531. n. 12.
Nati ex Patre, qui cum consensu uxoris post consummatum Matrimonium professus est Religionem, sed cum hac rursum congressus fuit, non sunt illegitimi. 261. §. Colliges 3.
An in divisione Paternæ hæreditatis teneatur filius in partitionem adducere, & in legitimam suam computare expensas in se factas tempore studiorum &c.? 755. n. 5.
Vide Liberi.

Fornicatio.
Cum Sponsa aliena continet specialem malitiam, specialiter aperiendam in confessione. 95. n. 6.

Galliæ

G.

Gallia.

Quo tempore in Gallia receptum sit Concilium Tridentinum? 483. n. 7.

Gratianus.

Decretum Gratiani an habeat authoritatem Juris? 372. n. 4.

Græci.

Non eligunt Episcopos, nisi cœlibes. 515. n. 10.

Post susceptos SS. Ordines non possunt ducere uxores, ordinantur tamen jam antè conjugati, ijsque permittitur usus Matrimonij, sed tamen cum limitatione. ibidem.

H.

Hæreditas.

An filius in divisione Paternæ hæreditatis teneatur computare in legitimam expensas in se factas tempore studiorum &c. 755. n. 5.

Hæresis, Hæretici.

Hæresis quando præbeat causam divortij? 827. n. 5.

Hæretici obligantur Legibus Ecclesiæ. 478. n. 1.

An Matrimonia eorum contracta coram Præcone sint valida. 479. n. 3. & seqq. & 484. n. 8. & seqq.

Contrahentes Matrimonium verè conficiunt, & recipiunt Sacramentum, non obstante eorum protestatione in contrarium. 211. n. 2.

Qui convertuntur ad fidem Catholicam, si ante conversionem contraxerunt Matrimonium in tertio, vel quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, debent petere dispensationem. 564. n. 12.

Matrimonia cum hæreticis, vel apostatis contracta valida sunt, sed illicita. 658. n. 5.

Henricus IV. Galliæ Rex.

Laborat, ut in Regno suo recipiatur Concilium Tridentinum. 483. n. 7.

Honestas publica.

Quid sit, & quale impedimentum? 536. n. 1.

Extenditur solùm ad consanguineos alterius Sponsi, non verò ad illius affines. 537. n. 2.

Impedimentum publicæ honestatis non oritur ex promissione Sponsalitia non mutua, & merè liberali. 35. n. 4.

Nec ex Sponsalibus incertis, ac indeterminatis. 61. n. 3.

Nec ex Sponsalibus merè conditionatis. 538. n. 4. §. Dixi *sive vivente.*

S. Huberti Ordo Equestris.

Instauratur à Serenissimo Electore Palatino. 264. n. 7.

I.

Impedimenta Matrimonij impedientia.

Quot olim fuerint, & quem effectum habuerint? 285 n. 1.
Impedimentum Cathechismi quid, & an etiam hodie in usu sit? ibid. n. 2.
Quale impedimentum impediens oriatur ex incestu? 286. n. 3.
Quid intelligatur per raptum Sponsæ alterius? 287. n. 4.
Quænam sint alia impedimenta impedientia ex Jure antiquo? ibid. n. 5. & seqq.
Impedimenta impedientia orta ex crimine hodie in usu non sunt. 288. n. 8.

Tempus Sacratum.

Quid intelligatur per tempus sacratum, quod est impedimentum impediens? 291. n. 1.
Incipit à media nocte, non autem à primis Vesperis Dominicæ primæ Adventûs. 292. n. 3.
Prohibentur solæ nuptiarum solemnitates, & quid per has intelligatur? ibid. n. 4.
Non prohibentur Sponsalia de futuro, aut Denunciationes, vel consummatio Matrimonij. 293. n. 5.

Vetitum, sive Interdictum Ecclesiæ.

Quid intelligatur per hoc impedimentum? 298. n. 1.
Contrahentes contra interdictum Ecclesiæ ordinariè peccant mortaliter. 303. n. 6.

Sponsalia.

Sponsalia de futuro impediunt Matrimonium cum alia contrahendum. 314. §. III.

Votum.

Votum simplex castitatis impedit Matrimonium contrahendum. 317. n. 1.
Quis possit dispensare in impedimentis impedientibus? 347. n. 7.

Impedimenta Dirimentia.

Quot sint? 354.

Impedimentum Erroris.

Error quotuplex evenire possit in contractu Matrimonij? 358. n. 1. & seq.
Circa substantiam personæ reddit Matrimonium invalidum. 359. n. 3.
Non item, si versetur circa solam personæ qualitatem. 361. n. 6.
Nisi hæc apponatur tanquam conditio, aut redundet in ipsam substantiam personæ. 362. n. 7. & seq.

Impedimentum Conditionis.

Quid per istud impedimentum intelligatur? 369. n. 1.
Nullum est Matrimonium, quod contrahit liber cum serva propriè dicta, ignorans huius servitutem. 373. n. 6.
An debeat hanc suam ignorantiam probare? 374. n. 7.
Servitus adscriptitia, vel originaria non obest Matrimonio. 377. §. Dicendum itaque.

Impedi-

Impedimentum Metûs, seu vis.

Quid sit? 380. n. 1. & 2.

Reddit Matrimonium irritum. ibid. & 384. n. 5.

Idque probabiliùs non Jure Naturæ, sed Ecclesiastico tantùm. 385 n. 6.

Vide Metus.

Impedimentum Raptûs

Dirimit Matrimonium, quamdiu rapta existit in potestate Raptoris. 407. n. 3.

Imò etiam sponsalia de futuro. 416. n. 10.

Vide Raptus.

Impedimentum Clandestinitatis.

Quid intelligatur per Matrimonium clandestinum, quod irritum est, & invalidum? 418. §. V.

Matrimonia clandestina post Concilium Tridentinum irrita, & invalida sunt. 440. §. Quidquid autem.

Neque excusat ignorantia constitutionis S. Concilij, vel necessitas. 441. n. 2. & seq.

Satis est, quòd Matrimonio assistat Parochus alterutrius è Sponsis. 452. n. 12.

Vide Clandestinitas.

Impedimentum Voti.

Votum castitatis solemne emissum in Religione approbata, vel in SS. Ordinibus dirimit Matrimonium. 491. n. 1.

At hoc non Iure naturali, sed Ecclesiastico. 493. n. 3.

Vide votum, & Religio.

Impedimentum Ordinis.

Sacri Ordines quando cæperint esse impedimentum dirimens? 506. n. 2.

Dirimunt conjugium solo jure Ecclesiastico. 508. n. 3.

Ut sacer Ordo sit impedimentum, debet esse validè susceptus. 510. n. 5.

Vide Ordo.

Impedimentum Ligaminis.

Quid sit istud impedimentum. 521. n. 1.

Conjux volens transire ad secundas nuptias, debet esse moraliter certus de morte prioris conjugis. 522. n. 22.

Nec sufficit probabilitas, aut causa rationabilis ita credendi. 523 n. 3.

Quid intelligatur per certitudinem moralem, & an ad hanc unus testis oculatus sufficiat? 524. n. 4.

Testes duntaxat de auditu etiam plures, non sufficiunt, nec sola fama. 525. n. 5.

Sufficiunt tamen duo testes de visu. 526. n. 6.

Attestatio Parochi, vel alia authentica Magistratûs reddit plenam fidem de morte conjugis. 528. n. 8.

Quid agendum conjugi, quæ ad secundas nuptias transivit, si prior maritus, qui mortuus putabatur, comperiatur adhuc vivere? 529. n. 12.

Quid si dubium sit de ejus morte? 532. n. 13.

Impedimentum publicæ honestatis.

Quid sit? 536. n. 1.

Extenditur solum ad consanguineos alterius Sponsi, non autem ad affines illius. 537. n. 2.

Quid olim in usu fuerit circa impedimentum publicæ honestatis. 537. n. 3.

Ex Sponsalibus invalidis hodie nullum oritur impedimentum publicæ honstatis, ex validis autem non ultra primum gradum. 538. n. 4.

Est hoc impedimentm perpetuum; unde manet post mortem quoque Sponsi, vel Sponsæ, atque etiam, quamvis Sponsalia fuerint dissoluta. ibid. §. Dixi, *sive vivente &c.*

Ortum ex Matrimonio rato hoc impedimentum dirimit usque ad quartum gradum inclusivè. 539. n. 5.

Idque, etiamsi Matrimonium fuerit invalidum, nisi invalidum fuerit ex defectu consensûs. 540. n. cit.

Oritur etiam ex Matrimonio clandestino. 540. n. 6.

Et ex Sponsalibus mutuo consensu dissolutis. 542. n. 8.

Vide Honestas publica.

Impedimentum Consanguinitatis.

Quid sit consanguinitas? 550. n. 1.

Olim dirimebat Matrimonium usque ad septimum gradum inclusivè, hodie usque ad quartum. 556. n. 5.

Multi tamen dicunt, in linea recta extendi, & Matrimonium dirimere in infinitum jure naturali. 557. n. 6.

Sed hoc est verum iu primo tantùm gradu lineæ rectæ. 558. n. 7.

In reliquis gradibus dirimit consanguinitas ex solo jure Ecclesiastico. 560. n. 8.

Etiam in linea transversa irritum est Matrimonium jure naturali in primo gradu inter fratrem, & sororem. 562. n. 10.

Vide Consanguinitas.

Impedimentum Cognationis spiritualis.

Unde oriatur. 576. n. 1.

Quæ conditiones requirantur, ut contrahatur cognatio spiritualis? 580. n. 4.

Maritus in necessitate baptizans suam prolem, contrahit quidem cognationem spiritualem, sed nullum ex ea impedimentum. 581. n. 5.

Ut contrahat hoc impedimentum, debet, qui tenet in baptismo, ipse esse baptizatus. 584. n. 7.

Idem est de Confirmatione. 585. §. Major difficultas.

Vide Cognatio spiritualis.

Impedimentum Cognationis Legalis.

Cognatio Legalis quare causet impedimentum dirimens Matrimonium? 598. n. 4.

Inducit hoc impedimentum sola adoptio perfecta, sive arrogatio. 599. n. 5.

Quousque extendatur hoc impedimentum, & quas personas afficiat? 600. n. 6.

Vidé

Vide Cognatio Legalis.

Impedimentum Affinitatis.

Olim triplex erat genus Affinitatis, hodie attenditur solùm affinitas directa. 609. n. 3.

Neque extenditur ad tot gradus, ut ante hac. 610. n. 4.

Affinitas ex fornicatione ultra secundum gradum Matrimonium neque dirimit, neque impedit. ibid.

Regulæ pro dignoscendis gradibus Affinitatis. 610. n 5.

Affinitas lineæ transversæ in nullo gradu irritat Matrimonium jure naturali, sed illud dirimit solo jure Ecclesiastico. 613. §. Unde dicendum.

In primo gradu tamen lineæ rectæ Matrimonia jure naturæ sunt illicita, non irrita, & invalida, sed hoc habetur à solo jure Ecclesiastico. 615. n. 9.

Impedimentum Criminis.

Quid, & quotuplex sit? 628. n. 1.

Non invalidat Matrimonium infidelium ad fidem conversorum, si fuit patratum adhuc in infidelitate. 629. n. 2.

Perinde est ad contrahendum hoc impedimentum, an vir uxori, an uxor mortem machinetur marito ex intentione contrahendi Matrimonium cum complice hujus delicti. 630. n. 3.

Debet tamen cædes reipsa esse secuta. 631. n. 4.

Et hæc occisio fieri debet ex intentione contrahendi cum complice, & in cædem, quando non simul accessit adulterium, pars utraque conspirare. ibid. n. 5.

Quando autem accessit etiam adulterium, sufficit, quòd cædem machinetur pars alterutra, ex intentione contrahendi Matrimonium cum complice. 634. n. 8.

Ut inducatur hoc impedimentum, debet utrique constare de conjugio alterius. 636. n. 10.

Non quodvis adulterium ponit impedimentum dirimens, sed quod conjunctum est cum promissione Matrimonij facta adulteræ, etiam sine machinatione mortis adversùs conjugem. 639. n. 1.

Hæc promissio debet esse seria, ficta enim non sufficit. 642. n. 3.

Debet insuper esse sufficienter manifestata alteri parti, & ab ea acceptata, non tamen opus est repromissione. 643. n. 4. & seq.

Non excusatur ab hoc impedimento contrahendo, qui adulterium commisit cum promissione Matrimonij etsi ignoraverit, tali delicto annexum esse impedimentum dirimens, & Matrimonium reddi irritum. 647. n. 7.

Impedimentum ex Disparitate Cultûs.

Quid intelligatur per cultûs disparitatem? 654. n. 1.

Matrimonium cum infideli contractum non est irritum jure naturali, & Divino, est tamen utroque hoc jure

jure illicitum, nisi excusent circumstantiæ. Ibid. & 655. n. 2.
Quòd sit impedimentum dirimens, & Matrimonium irritum reddat, habet à jure Ecclesiastico, non scripto, sed consuetudinario. 656. n. 3.
Hoc impedimentum non afficit Matrimonium contractum à Catholico cum hæretica, vel Apostata. 858. n. 5.
Sunt tamen ejusmodi Matrimonia illicita. 660. n. 6.
Impia, & irrita sunt pacta, ut è liberis masculi in fide Patris, fæmellæ autem in dogmate Matris educentur. 661. n. 7.

Impedimentum Impotentiæ.

Quid sit, & quotuplex impotentia? 664. à n. 1. usque ad 5.
Sola impotentia perpetua antecedens dirimit Matrimonium. 668. n. 5.
Spadones, & alij impotentes non possunt contrahere Mattimonium, etsi velint castè vivere per modum fratris & sororis. 668. n. 6.
Impotentes inhabiles sunt etiam ad contrahenda Sponsalia. 73. n. 2.
Quid agendum, quando est dubium, an adsit impotentia? 670. §. Igitur cùm
Quid faciendum, si post dissolutum Matrimonium deprehendatur, impotentiam non fuisse perpetuam? 672 n. 8
Senes, & moribundi an validè possint contrahere Matrimonium? 673. n. 10.
Impotentia superveniens Matrimonio, non tantùm consummato, sed etiam rato, illud non dirimit 678 n. 2. & seq.
Si tamen certò constat, eam esse perpetuam, usum conjugij impedit. 680. n. 4.
Non item quando dubium est, nam tunc permittitur experientia triennalis. 682. n. 6.
Quibus medijs tolli possit, vel non possit impotentia per maleficium inducta? 684. n. 8.

An possit Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus? 712. n. 2.
Quando impedimentum dici possit esse occultum? 714. n. 5.
Quæ censeantur esse publica? 715. n. 6.
An, qui novit impedimentum occultum inter eos, qui volunt contrahere Matrimonium, teneatur id manifestare? 433. n. 11.

Incestus.

Quinam incestus privet jure petendi debitum conjugale? 790. n. 1.
Incestus, qui est impedimentum petendi debitum conjugale, non extenditur ultrà secundum gradum, hinc qui peccavit cum consanguinea Conjugis in tertio, vel quarto gradu, non impeditur à petitione debiti. 792. n. 3.

Neque

Neque privatur jure petendi debitum, qui laboravit ignorantiâ Juris vel facti. 793. n. 4.
Imò etiam, qui ignoravit, hanc pœnam esse statutam in hoc delictum. 795. n. 5.

Indissolubilitas Matrimonij quoad vinculum.

Ob adulterium, & alias causas posse dissolvi, docent Hæretici. 245. n. 2.
In Lege veteri ex speciali concessione dissolvi potuit, etiam consummatum, libello repudij. 247. n. 5.
Et in Lege nova potest dissolvi Matrimonium infidelium, si unus convertatur ad fidem, & alter converti nolit. 248 n. 6.
Matrimonium consummatum fidelium nullo modo dissolvi potest. 249. n. 7.
Etiam hæreticorum Matrimonia sunt insolubilia. 251. à n. 9. usque ad finem.
Ratum, & nondum consummatum dissolvitur professione Religiosa. 258. n. 1.
Sed debet hæc fieri in Religione approbatâ. 263. n. 6.
Dissolvi potest Matrimonium ratum etiam authoritate Pontificis. 271. n. 3.

Interdictum quatenus est Censura Ecclesiastica.

Quid, & quotuplex sit? 305. n. 1.
Tempore interdicti sive localis, sive personalis licitè, ac validè contrahuntur sponsalia de futuro. 306. n. 2.
An possint fieri etiam Denuntiationes? ibidem.
Matrimonium contractum in interdicto, validum est. 307. n. 3.
An licitè contrahatur Matrimonium in interdicto? 308. n. 4. & seq.
Solemnes Benedictiones nuptiarum tempore interdicti conferri non possunt. 310. n. 6.
In aliquibus tamen festivitatibus etiam hoc licet, attentis circumstantijs. 311. n. 7.

Irregularitas.

Eam non incurrit, qui occidit Clericum carnaliter peccantem cum Matre, uxore, sorore, filia &c. 94. §. Deduces. 3.

Iuramentum.

Quod cedit in præjudicium tertij, non obligat. 47. n. 5.

L.

Lascivia.

In re Venerea non datur parvitas materiæ. 102. n. 7.

Lepra.

An lepra, vel alius morbus contagiosus sit causa sufficiens ad divortium? 834. n. 3. & seq.
Subinde sufficit ad solam separationem tori, non autem cohabitationis. 836. n. 5.

Liberi.

Liberi.

A quo alendi sint, quando ob morbum contagiosum alterutrius è conjugibus factum est divortium? 840. §. Ex occasione.

Apud quem educandi sint, quando divortium factum est inter conjuges ob sævitiem? 853. §. Ad secundum.

Ligamen.

Vide Impedimentum Ligaminis.

M.

Magistratus Civilis.

An possit interdicere Matrimonia? 299. n. 3.

Maleficium.

An licitè tolli possit destructione signi? 685. n. 9.

An possim hoc ipsum petere à maleficio? 686. n. 10.

An idem liceat ponendo signa contraria? 688. n. 12.

Malitia.

Potest supplere ætatem ad contrahenda sponsalia. 74. n. 4.

Maritus.

Uxore dissentiente, validè quidem, sed illicitè ordinatur, & potest ab ista revocari. 517. n. 13.

Baptizans in necessitate suam prolem, non impeditur à petendo debito conjugali. 581. n. 5.

Si uxor sine justa causâ recesserit à viro, non tenetur hic ei præstare alimenta, etsi dotem ab ea receperit. 736. §. Cæterùm.

Si dos promissa soluta non fuit, non tenetur uxorem alere. 736. n. 3.

Non tamen potest eam domo expellere. 738. n. 5.

Non tenetur ad totam alimentationem, etiam quando pars dotis soluta non est. 740. n. 7.

Si, dote non soluta, dedit alimenta, non potest petere compensationem, nisi de hac protestatus fuerit. ibidem

An liceat ipsi verberare uxorem? 846. n. 4.

Mater.

Potest expensas à se factas in sustentationem liberorum repetere, nisi liberaliter donaverit. 758. n. 6.

An teneatur ipsa lactare suos liberos? 758. n. 7. & seq.

Matrimonium.

Vnde dictum? 1. In dissert. Procœmiali p. 1.

Varia illius nomina. 188. In Dissert. Procœmial. p. 2.

Ejus materia, & forma. 2. & 203. n. 6.

Illius Minister. ib. & 204. n. 7.

Causæ Matrimoniales non pertinent ad forum sæculare, sed ad Ecclesiasticum privativè. 185. n. 9.

An

An ſint arcendi à contrahendo Matrimonio, qui ignorant rudimenta fidei? 195. n. 3. & ſeq.
Matrimonium inter fideles eſt verum Sacramentum novæ Legis. 200. §. Dicendum.
Etiam quando celebratur per Procuratorem. 202. n. 4.
Peccant mortaliter conjuges in ſtatu peccati mortalis contrahentes. 205. n. 9.
An etiam peccent mortaliter ſpeciali peccato, in quantum ſunt Miniſtri? 206. n. 10. & ſeqq.
An Matrimonium inter fideles poſſit eſſe validum in ratione contractûs, & tamen non eſſe Sacramentum? 212. n. 4. & ſeq.
Contrahere Matrimonium primariò, ac principaliter in remedium concupiſcentiæ, nullum eſt peccatum. 220. n. 3.
Non peccat, qui contrahit ex alio fine extrinſeco honeſto, v. g. ob Illuſtris familiæ conſervationem, tollenda diſſidia &c. 223. n. 5. & ſeq.
Peccat venialiter, qui contrahit ob voluptatem. 222. n. 4.
An pactum ſervandi perpetuam caſtitatem, præmiſſum contractui, invalidet Matrimonium? 224. n. 7. & ſeqq.
Matrimonium poteſt contrahi per ſola ſigna. 236. n. 7.
Conſummatum inter fideles nullo modo diſſolvi poteſt. 249. n. 7. & 270. n. 1.
Etiam hæreticoum Matrimonia ſunt inſolubilia. 251. à. n. 9. uſque ad finem.
Matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum diſſolvitur profeſſione Religioſa. 258. n. 1.
Sed debet hæc fieri in Religione approbata. 263. n. 6.
Matrimonium ratum diſſolvi poteſt authoritate Pontificis. 271. n. 3.
Sed requiritur ad hoc juſta cauſa. 277. n. 9. & 279. n. 10.
Epiſcopus in nullo caſu poteſt illud diſſolvere. 280. n. 11.

Matrimonij invalidi revalidatio.
Vide Revalidatio.

Melitenſes Equites.

Sunt veri Religioſi. 264. n. 7.
Vovens Religionem nihilominus non ſatisfacit ſe conferendo ad Ordinem Melitenſium. 265. eod. num. 7. ad finem.

Metus.

Quid ſit, & quotuplex? 381. n. 2.
An invalida reddat Sponſalia? 45. n. 2.
Quæ conditiones requirantur ad hoc, invalidet Matrimonium?. 382. n. 3. & ſeq.
Irritat Matrimonium non jure naturali, ſed Eccleſiaſtico. 384. n. 6.
Etiamſi juramento firmatum ſit. 387. n. 8.

An

An Matrimonium ex metu invalidum cohabitatione ſpontaneâ, aut copulâ ratificetur? 390. n. 10.
An idem præſtet etiam metus reverentialis? 393. n. 1. & ſeq.
Preces importunæ aliquando æquivalent gravi metui, eundemque effectum habent. 395. n 3.
Metus proveniens ab intrinſeco, aut cauſa naturali non invalidat Matrimonium. 396. n. 4.
Uti nec metus, qui juſtè incutitur. 397. n. 5.
Nec qui ad alium finem, quàm ad extorquendum Matrimonium. 399. n. 7.
An validum ſit Matrimonium contractum ex metu cum Medico, qui renuit mederi, niſi ægrota ſibi nubat? 399. n. 8.
Reddit vota invalida. 320. n. 8.
An, qui ſuſcepit SS. Ordines ex gravi metu injuſto, obligetur ad continentiam? 513. n. 8. & ſeq.

Milites.

An vagis annumerandi ſint? 463. n. 2.
An in hybernis, vel præſidio contrahere Matrimonium debeant coram Parocho loci. an verò coram Curione, ſive Capellano caſtrenſi? 464. n. 4 & ſeqq.
An poſſint contrahere coram Capellano alterius Legionis? 469. n. 8.
Miles Catholicus in Legione mixtæ Religionis non poteſt contrahere Matrimonium coram Curione Lutherano ſuæ Legionis. 474. n. 4.

Mulier.

An poſſit contrahere Matrimonium, quæ nequit parere ſine extremo vitæ periculo, vel non ſine abortu mortui fœtûs. 675. §. Denique.

Mutus.

Muti, cæci, & ſurdi ſimul nequeunt contrahere Sponſalia. 73. n. 2.

N.

Navarrus.

Martinus Navarrus quantæ authoritatis ſit? 288. n. 8.

Neceſſaria ſcitu.

Alia ſunt ſcitu neceſſaria neceſſitate medij, alia neceſſitate præcepti. 194. n. 2.

Nobiles.

Nobiles, & Illuſtres perſonæ poſſunt in aliquibus locis ferre teſtimonium ſcripto ſub fide ſua, nec tenentur ad juramentum. 572. n. 4.

Nuptiæ.

Unde ſic dictæ? 189. in Diſſert. Procem.

O.

Occultum.

Quidnam dicatur eſſe occultum? 714. n. 5.

Officiales

Officiales Bellici.

An possint suis militibus interdicere Matrimonia? 300. n. 3.

SS. Ordines.

Ordines sacri dirimunt Matrimonium subsequens, non tamen dissolvunt Matrimonium ratum antecedens, in quo differunt à professione Religiosa. 498. n. 8. & 515. n. 11.

Post Ordines Presbyteratûs, & Diaconatûs jam olim quoque illicitum fuit contrahere Matrimonium, non tamen cum Subdiaconatu. 506. n. 2.

An invalidè ordinatus teneatur ad castitatem? 510. n. 5.

An infans ante usum rationis validè ordinetur, & num deinceps teneatur ad votum castitatis, quando pervenerit ad pleniorem ætatem? 510. n. 6.

Quid sit dicendum de ijs, qui ordinati sunt post usum rationis jam obtentum, sed ante pubertatem? 511. n. 7.

An, qui suscepit SS. Ordines ex gravi metu injusto, obligetur ad continentiam? 513. n. 8. & seq.

Uxore consentiente potest maritus transire ad SS. Ordines, ad quid verò tunc obligetur uxor? 516. n. 12.

Oscula.

Oscula, tactus &c. an liceant sponsis de futuro? 99. per totum casum.

An præbeant causam sufficientem resiliendi à Sponsalibus? 154. n. 6.

An possint conjuges propterea instituere divortium? 860. n. 4. & seq.

P.

Pactum.

Pactum præmissum contractui conjugali de servanda perpetua castitate an invalidet Matrimonium? 224. n. 7. & seq.

Parentes.

An possint contrahere sponsalia pro filijs? 39. n. 2.

Atrociter verberantes suos liberos, non excusantur à peccato mortali. 752. n. 1.

Quam curam animæ debeant habere erga eos. ibid. & seq.

Tenentur ijs præbere alimenta, etiam illegitimis, ac spurijs. 753. n. 3.

Quid veniat nomine alimentorum? 754. n. 4.

Qui negligentes sunt in eligenda nutrice pro suis liberis, peccant mortaliter. 760. n. 8.

Parochus.

An possit interdicere Matrimonium? 289. n. 2.

Quænam interrogare debeat eos, qui volunt nuptias celebrare? 193. n. 1.

Non peccat mortaliter, dum Matrimonio assistit in statu peccati mortalis. 208. §. Quæ dicta sunt.

Obligantur Parochi graviter, ut doceant rudes doctrinam Christianam. 194. n. 2.

An, & quando Parochus incurrat pœnas à Tridentino statutas, dum assistit Matrimonio inter raptorem, & raptam? 414. n. 9.

Quam pœnam incurrat assistendo Matrimonio, omissis denunciationibus? 433. n. 10.

Potest assistere Matrimonio, etiamsi Sacerdos non sit. 449. n. 9.

Non tamen potest dare licentiam assistendi alteri, quàm Sacerdoti, sive sæculari, sive Regulari, approbato, vel non approbato. ibid.

Assistere etiam potest, etsi sit excommunicatus, vel aliâ censurâ ligatus. 450. n. 10.

Debet esse Parochus proprius, qui assistit, vel assistendi licentiam alteri concedit. 451. n. 11.

Validè assistit etiam extra Parochiam propriam. 454. §. Extenditur hoc.

Non potest assistere Matrimonijs vagabundorum, & aliorum ignotorum, nisi præmisso diligente examine, & obtentâ licentiâ Ordinarij. 472. n. 1.

Pater.

An possit dotem negare filiæ, vel eam exhæredare; quæ nupsit sine suo consensu? 741. n. 9.

Patrini.

An, qui simul tenent infantem ex Baptismo, vir, & fœmina, possint contrahere invicem Matrimonium, an verò obstet aliquod impedimentum? 579. n. 3.

Qui tenent infantem, dum baptizatur privatim in necessitate, non sunt veri patrini, nec contrahunt cognationem spiritualem. 583. §. Quantùm ad hoc.

Non debent esse plures, quàm ad summum unus, & una in Baptismo, in Confirmatione autem tantùm unus. 586. n. 8.

Plures admittendo peccat Parochus mortaliter. ibid.

An, si plures infantem teneant, omnes contrahant Cognationem? 587. n. 9.

Ad hoc, ut contrahatur Cognatio spiritualis, requiritur tactus physicus. 589. n. 10.

Qui tenet infantem in Baptismo nomine alterius, ut Procurator, non ipse contrahit cognationem, sed is, qui misit. 590. n. 11.

In patrino non requiritur certa ætas, dummodo habeat usum rationis. 593. §. Porrò, ut hæc.

Potest frater esse patrinus fratris, vel sororis in Baptismo, vel Confirmatione, sed cum his contrahit etiam cognationem spiritualem. 593. n. 13.

Vide Baptismus, Impedimentum Cognationis spiritualis, & Cognatio spiritualis.

Pœna.

An, & quando appositio pœnæ ad sonsalia sit ipso jure irrita? 48. à Num. 6. usque ad 11.

Preces importunæ.

Æquivalent aliquando gravi metui, & eundem effectum præstant. 395. n. 3.

Procurator.

Contrahens pro alio Matrimonium in statu peccati mortalis, per hoc non peccat lethaliter. 206. §. Quòd si Contractus.

Promissio.

Debet esse deliberata, ad hoc, ut obliget. 22. n. 1.

Quanta deliberatio requiratur ad promissionem sponsalitiam? ibid. n. 2. & seq.

An ad Sponsalia sufficiat promissio solùm indirectè voluntaria? 27. n. 1. & seqq. per totum.

Ut obliget promissio, debet ea esse acceptata. 32. n. 1.

Virginem corrumpens sub ficta promissione nuptiarum, tenetur eam ducere, nec potest aliter compensare. 13. n. 2. & seqq.

An, qui sub ficta promissione Matrimonij corrupit Virginem, teneatur eam dotare, si nolint parentes dare in uxorem? 20. n. 3.

Publicum.

Quid dicatur esse publicum? 715. n. 6.

R.

Ramirus II. Rex Arragoniæ.

E Monacho, & Sacerdote factus est Maritus. 489. Vide Casum.

Raptus, Raptor.

Quid sit, & quæ olim pœnæ in eum statutæ fuerint? 404. n. 1.

Quænam conditiones requirantur ad incurrendas has pœnas? 405. n. 2.

Concilium Tridentinum cum Jure antiquo quoad hoc partim convenit, partim discrepat. 407. n. 3.

Qui rapit fœminam causâ libidinis, non verò Matrimonij ineundi, non incurrit pœnas à Tridentino Concilio constitutas, & Matrimonium validum est, si rapta consentiat. 409. n. 4.

Nec, qui rapit consentientem, etiam inscijs, vel invitis Parentibus, Tutoribus &c. 410. n. 5.

Committit verum raptum, sitque obnoxius pœnis à Tridentino statutis, etiam qui Sponsam propriam abducit nolentem. 411. n. 6.

An ijsdem pœnis subijciatur, qui non pro se, sed pro alio fœminam rapuit? 412. n. 7.

Non cessat esse raptus, etsi fœmina per vim abducta, postea consentiat. 413. n. 8.
An ijsdem pœnis subijciatur Parochus assistens Matrimonio inter Raptorem, & raptam? 414. n. 9.
Raptor, etsi postea raptam in libertatem restituat, & uxorem ducat, incurrit nihilominus pœnas à Tridentino statutas. 415. §. Quoad secundum
Raptores Virginum an gaudeant asylo? 417. n. 11.

Regulares.

An possint dispensare in voto castitatis non integræ, & perfectæ? 349. §. Eandem dispensationem.
In voto castitatis perpetuæ dispensare nequeunt, etiam in necessitate. 350. §. An verò.
Possunt tamen dispensare ad petendum debitum cum ijs, qui ante contractum Matrimonium fecerunt votum castitatis perpetuæ. 351. §. Sed hîc iterum.
An possint dispensare in voto Religionis? 352. n. 11.

Religio, Religiosa Professio.

Professio Religiosa nequit fieri ante ætatis annum decimum sextum completum. 76. n. 8.
Professione Religionis Matrimonium ratum dissolvitur. 258. n. 1. & 498. n. 8.
Ad emittendam Professionem in Religione præmitti debet annus integer Novitiatûs. 263. §. Denique.
Professione Religiosa Equitum Melitensium, & Teutonicorum dissolvitur Matrimonium ratum, non ita in Ordinibus Alcantaræ, Calatravæ &c. 265. §. Dicendum est absolutè.
Professio Religiosa nulla est, ac irrita, si fiat à conjugato, ignorante, aut invitâ conjuge. 498. n. 8.
Si tamen adest justa causa faciendi perpetuum divortium propriâ authoritate, tunc potest etiam invitâ, vel ignorante conjuge profiteri Religionem, vel suscipere SS. Ordines. 499. §. Illud præterea.
Viro cum consensu uxoris profitente Religionem, debet hæc quoque Religionem ingredi, saltem quando est juvenis. 499. n. 9.

Revalidatio Matrimonij.

An, qui ob impedimentum erroris invalidè contraxerunt, si velint invicem cohabitare ut conjuges, debeant de novo contrahere in facie Ecclesiæ? 367. n. 11.
An per cohabitationem spontaneam, vel copulam Matrimonium ex metu invalidum ratificetur? 390. n. 10
Quid faciendum, quando Matrimonium fuit invalidum ex defectu consensûs vel in utroque conjuge, vel

vel ex parte unius tantùm? 693. n. 2 & seq.

Quando Matrimonium irritum fuit ob impedimentum dirimens, post impetratam dispensationem requiritur novus consensus utriusque partis. 696. n. 4.

An nullitas Matrimonij manifestari debeat parti impedimentum ignoranti? 697. à num 5. usque ad 7.

An sufficiat, parti ignoranti movere suspicionem, vel dubium de nullitate conjugij? 700. n. 7.

An, & quando revalidatio fieri debeat coram Parocho, & testibus? 701. à num. 8. usque ad 11.

S.

Sævities.

Quæ censeatur esse sufficiens, ut conjuges possint à se invicem separari quoad torum, & cohabitationem? 844. n. 2.

Sævitia merè præterita, etsi atrox, non præbet causam divortio, nisi simile malum timeatur in futurum. 848. n. 5.

Sævities exercita non quidem à marito, sed à Parentibus Mariti, præbet uxori justam causam instituendi divortium, nisi hoc malum maritus impediat. 852. §. Ad alterum.

Sanchez Thomas.

Defenditur contra Basilium Pontium. 92. n. 2.

Ejusdem laus. ibid.

Senex.

Senes an possit validè contrahere Matrimonium? 673 n. 10.

Servi, Servitus.

Servi propriè dicti quinam fuerint antiquis temporibus, & quantùm licuerit Dominis in suos servos? 370. n. 2.

Servi adscriptitij, & Originarij quinam sint? 370. n. 2

Hæc Servitus minùs propria non est impedimentum Matrimonij. 377 §. Dicendum itaque.

Servus, & ancilla propriè dicti, etiam invito Domino, validè invicem contrahunt Matrimonium. 371. n. 3.

Etiam liber validè, ac licitè contrahit cum ancilla, si hujus servitutem non ignorat. 375. n. 5.

Invalidum est Matrimonium liberi cum serva, si ignoravit hujus servitutem. 376. n. 6.

Societas IESV.

Vota simplicia in ea emitti solita post Novitiatum sunt substantialia, & constituunt veros Religiosos. 260. n. 3.

Vota illius simplicia dirimunt Matrimonium post ea emissa contractum. 492. n. 2.

Etsi verò dirimant Matrimonium consequens, non tamen dissolvunt Matrimonium ratum antecedens. 260. n. 3. §. Colliges. 2.

Sponsa, Sponsus.

An possit sponsa communicare cum sponso

sponso excommunicato? 732. n. 7.
An sponsi possint de actu conjugij futuro delectari. 817. n. 14.

Sponsalia.

Unde sic dicta? 2. in Dissert. Procem. §. Igitur Sponsalia.
Quid sint, & quotuplicia? ib. 2. & 3.
Ad Sponsalia non sufficit solum propositum. 5. n. 1.
Neque promissio ficta. 6. n. 2. & seqq.
Debent esse promissio deliberata. 22. n. 1. & seqq.
Non sufficit, quòd solùm sint indirectè voluntaria. 28. n. 2.
Debet hæc promissio esse acceptata. 32. n. 1.
An sponsalitia promissio acceptata, sed sine repromissione, promittentem obliget? 33. à n. 2. usque ad finem.
Possunt Parentes pro filijs contrahere sponsalia. 39. n. 2.
Etiam pro absentibus. 40. n. 3.
Non item hoc possunt frater pro sorore, aut consanguinei &c. 41. n. 5.
Nec Tutores, vel Curatores. ibid. n. 6.
Debent Sponsalia esse libera. 45. n. 1.
Ex metu inita sunt ipso jure nulla. 46. n. 3.
An, & quando appositio pœnæ tollat libertatem sponsalium, atque ideo irrita sit? 48. n. 6. & seqq.
Sponsalia debent indicari signo aliquo externo, & sensibili. 53. n. 1. & 3.
Signa alia certò significant sponsalia, alia sunt signa dubia. 45. n. 4. & seqq.
Sponsalia debent fieri circa determinatam personam, aliàs ordinariè sunt iuvalida. 60. n. 1. & seqq.
Ex Sponsalibus indeterminatis non oritur impedimentum publicæ honestatis. 61. n. 3.
Qui indeterminatè promittit pluribus sponsalia, quòd unam ex ijs velit ducere, si renuat illa, quam elegit, non tenetur ducere aliam. 61. n. 5.
An Sponsalia indeterminata per supervenientem copulam cum una transeant in absoluta cum hac determinata persona? 26. n. 7. & seq.
An necessariò præmitti debeant sponsalia ante Matrimonium? 66. n. 2.
An ad Sponsalia requiratur præsentia Parochi, & testium? ibid. n. 3. & seqq.
Sponsalia contrahere nequeunt impotentes, item qui simul cæci sunt, surdi, & muti. 73. n. 2.
Ad contrahenda sponsalia requiritur septennium completum. ibid. n. 2. & 3.
Potest tamen malitia ætatem supplere. 74. n. 4.
Sponsalia inscijs, & invitis Parentibus contracta, valida sunt. 80. n. 3.
Subinde etiam licita. ibid. n. 4.

Plerunq;

Plerunque tamen debent liberi saltem petere Parentum consilium. ibid. n. 5, & seq.
Sponsalia obligant sub gravi ad contrahendum Matrimonium. 85. n. 2.
Quando impleri debeant? 86. n. 3. & seq.
Nolentes implere sponsalia compelli possunt à Iudice. 89. n. 7. & seq.
Fornicatio sponsi, vel sponsæ de futuro non est adulterium. 93. n. 3.
Continet tamem specialem malitiam, specialiter aperiendam in Confessione. 95. n. 6.
Dissolvi possunt mutuo consensu. 108. n. 2.
In aliquibus Diœcesibus mutua dissolutio est peccatum Episcopo reservatum. 110. n. 4. & seq.
An mutuo consensu dissolvi possint etiam Sponsalia jurata, quando id factum est principaliter in honorem Dei? 114. per totum casum.
An per ingressum in Religionem dissolvantur sponsalia priùs facta? 120. & seq.
Uno è sponsis concipiente votum castitatis perpetuæ, alter evadit liber ab obligatione sponsalitia. 127. n. 1.
Sponsalia de futuro, etiam juratò contrahens cum secunda, non liberatur à sponsalibus, quæ antecedenter contraxit cum prima. 135. n. 1.
Tenetur tamen ducere secundam, si cum ea sub promissione Matrimonij habuerit copulam 136. n. 2.
Sponsalia de præsenti dissolvunt sponsalia priora cum alia de futuro contracta, etsi hæc jurata fuerint. 138. n. 4.
Mortua conjuge, adhuc tenetur ducere priorem sponsam. 140. n 6.
sponso mutante domicilium, potest Sponsa resilire. 145. n. 1.
Quid si discedat animo redeundi? ibid. n. 2. & seqq.
Ob sponsæ fornicationem potest sponsus resilire à sponsalibus, & vicissim. 151 n. 1.
Etiamsi per violentiam compressa sit. ibid. n. 2.
An, quando uterque Sponsus fornicatus est, delictum unius compensetur delicto alterius, ita ut neutri resilire liceat? 152. n. 3. & seqq.
Ob notabilem mutationem supervenientem possunt dissolvi sponsalia. 157. n. 1.
In quo, & quanta debeat esse hæc mutatio? 158. n. 2. & seqq.
An Sponsus possit resilire, quando factus est notabiliter ditior post contracta sponsalia? 160. n. 6. & seqq.
An sponsa ante contracta sponsalia ab alio impregnata, debeat hunc defectum sponso manifestare? 165. n. 3. & seqq.
Quæ conditiones sponsalibus apponi possint? 180. n. 3. & seq.
Sponsalia conditionata impleta conditione

ditione transeunt in absoluta. 181. n. 5.
An ex Sponsalibus mutuo consensu dissolutis oriatur impedimentum publicæ honestatis? 541. n. 7. & seqq.

T.

Taciturnitas.

An, & quando habeatur pro consensu? 38. n. 1.

Tempus Clausum, sive Feriatum.

Quid sit? 291. n. 1.

Testamentum.

Ad condendum testamentum requiritur in maribus annus decimus quartus completus, in fœminis duodecimus. 77. n. 2.

Testes Matrimoniales.

Quomodo jurare debeant, nullum adesse impedimentum? 429. n. 7.
Quot, & quomodo debeant esse præsentes præter Parochum in Matrimonio? 444. n. 5.
Non opus est, ut sint omni exceptione majores. 445. n. 6.
Nec, ut sint specialiter rogati ad testandum. 447. n. 7.
Ad impediendum Matrimonium sufficit unus testis, plures autem requiruntur, & omni exceptione majores ad dissolvendum. 573. n. 5.
Parentes, & consanguinei possunt esse testes in causa Matrimoniali. 573. n. 6.

Teutonici Equites.

Sunt veri Religiosi. 264. n. 7.
Communicant in privilegijs cum Melitensibus. 266. n. 9.
An annus integer Noviciatûs, aut certa ætas requiratur ad eorundem professionem, & quid de alijs Ordinibus Militaribus dicendum sit quoad hoc punctum? 266. n. 9. per totum.

Tridentinum Concilium.

Tantùm obligat in ijs locis, ubi promulgatum, & receptum est. 440. §. Quidquid autem. & 483. n. 7.
Etiam in Gallia nunc est receptum. ibid.

Trullani Canones.

Quinam sint, & unde sic appellentur? 658. n. 4.

Tutores.

An possint contrahere sponsalia pro suis pupillis? 42. n. 6.

V.

Vagi.

Quinam veniant hoc nomine? 461. n. 11.

Quis

Quis possit assistere eorum Matrimonijs, aut alia Sacramenta ijsdem ministrare? ibid.

An vagis accensendi sint milites? 463. n. 2.

Vetitum, seu interdictum Ecclesiæ. Vide Impedimenta inpedientia.

Virgo.

Virginem corrumpens sub ficta promissione nuptiarum, tenetur eam ducere, nec potest aliter compensare. 13. n. 2. & seq.

Excipiuntur ab hoc aliqui casus. 14. n. 4.

Non tenetur eam dotare, vel aliter compensare, si ducere volenti nolint parentes dare uxorem. 20. n. 3.

Vis, vide Metus.

Votum.

Vota in sæculo edita, per ingressum in Religionem suspenduntur, quamdiu durat probatio. 120. §. Confirmatur.

An Sponsus, vel Sponsa post contracta Sponsalia possint emittere votum ingrediendi Religionem, & an hoc votum dissolvat Sponsalia? 124. n. 6. & seq.

An votum simplex castitatis post contracta Sponsalia emissum hæc dissolvat etiam ex parte voventis? 128. n. 2. & seqq.

Voto simplici castitatis obstrictus, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere. 131. n. 7.

An post contracta Sponsalia possit Sponsus concipere votum suscipiendi sacros Ordines. 132. n. 8.

Post votum Religionis ineundæ deflorans Virginem sub promissione Matrimonij, tenetur eam ducere. 137. §. Confirmatur ulteriùs.

Votum castitatis, quod includitur in sacris Ordinibus, & in ipso Ordine Episcopali, non dissolvit Matrimonium ratum. 260. n. 3.

Vota simplicia in Societate JESU post Novitiatum emitti solita, sunt vota substantialia, & constituunt verè Religiosos, non minùs, ac solemnia. 260. n. 3. & 318. §. Verùm hæ rationes.

Per ea non dissolvitur Matrimonium ratum antecedens. ibid.

Dirimunt tamen Matrimonium consequens. ibid. & 318. ibid.

Vota emitti solita ab aliquibus Eremitis, vel Tertiarijs non dissolvunt Matrimonium ratum. 263. n. 6.

Votum simplex castitatis impedit Matrimonium, sed non dirimit. 317. n. 1.

Per quid differant vota simplicia à solemnibus. ibid.

Quotuplicis generis votum simplex impediat Matrimonium? 319. n. 2.

Peccat lethaliter, qui contrahit cum eo Matrimonium, quem scit voto simplici impediente ligatum esse; ibid.

Vota ab infantibus emissa, & regulariter ante septennium in dubio habentur pro invalidis. 320. n. 3.

An, & quando vota conditionata impe-

impediant Matrimonium? 321. n 4.
An voto castitatis, vel Religionis obstrictus possit inire Matrimonium, cum proposito, ante illius consummationem ingrediendi Religionem? 322. n. 5. & seq.
An, qui post editum votum castitatis, cœlibatûs, vel Religionis patitur graves tentationes carnis, ijsque frequenter succumbit, possit transire ad Matrimonium sine dispensatione? 324. n. 7. & seq.
An voto castitatis adstrictus, vel sacrorum Ordinum, si Matrimonium contrahat, teneatur ante illius consummationem Religionem ingredi, ut possit implere suum votum? 330. n. 1.
An, qui cum voto castitatis, Religionis &c. virginem defloravit, teneatur eam ducere? 331. n. 2. & seqq.
An tali voto ligatus, si fœminam honestam, aut virginem vitiavit, teneatur petere dispensationem sui voti? 335. n. 6.
Ad quid obligentur, & quid ijs liceat, qui cum hujusmodi voto contraxerunt Matrimonium? 335. n. 7.
An viro voto castitatis obstricto debitum conjugale petenti possit uxor reddere? 337. n. 10.
An pars conscia voti alterius conjugis ante Matrimonium emissi, possit petere debitum conjugale? 339. §. Secundum dubium est.
An, qui contraxit cum voto castitatis, possit primo bimestri reddere debitum conjugi petenti? ibid. §. Tertium dubium est.
Vovens Religionem indeterminatè, non hanc præ alia, tenetur in pluribus admissionem petere, si in una non recipiatur. 342. n. 1.
Non tenetur tamen ingredi Religionem strictissimam, etsi in ea recipéretur. 343. n. 2.
Nec obligatur adire Provincias remotiores ad impetrandam susceptionem. 344. n. 3.
An obligatus voto ingrediendi Religionem, si transeat ad Matrimonium, possit petere, & reddere debitum? 344. n. 5. & seq.
An, & quando possit Episcopus dispensare in voto castitatis? 348. n. 8 & seq.
Votum solemne castitatis in Religione approbata emissum, vel in SS. Ordinibus dirimit Matrimonium. 491 n. 1.
Idque jure Ecclesiastico tantùm; non jure naturali. 493. n. 3.
Debent præterea vota Religionis validè emissa fuisse, aliàs nullum habent effectum. 494. n. 4.

Vxor.

Intra bimestre de ingressu Religionis deliberans, si per vim cognoscatur à conjuge, potest eo invito Religionem ingredi. 262. n. 5.
Ad quid obligetur uxor, quando cum

cum ejus consensu Maritus ingreditur Religionem? 499. n. 9.
Vel quando ipsa consentiente transit ad sacros Ordines. 515. n. 12.
Maritum ipsâ invitâ ordinatum potest uxor revocare. 517. n. 3
Tenetur sequi Maritum quoad domicilium. 727. n. 3.
An teneatur eundem sequi, etiam, quando missus est in exilium? 728. n. 4.
An, & quando teneatur sequi vagabundum? 729. n. 5.
Licitè cohabitat Marito excommunicato. 730. n. 6.
An uxor possit obligari ad laborandum Marito, præsertim, quando nullam dotem attulit? 740. n. 8.
Non obligatur solvere debita contracta à Marito ad alendam familiam. 745. n. 2.
Nisi contracta sint ipsâ consciâ, & consentiente. 747. n. 3.
Communiter non tenetur reddere debitum conjugale, nisi Maritus expresè petat. 765. n. 3.
An teneatur debitum conjugale reddere Marito amenti, vel possit ipsa ab eodem illud petere? 772. n. 11
Non tenetur reddere Marito debitum irrationabiliter petenti. 775. n. 13.
Uxor an excusetur à redditione debiti ob prolium multiplicationem? 776. n. 15.

FINIS.

Syllabus potiorum Erratorum.

Erratum.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Legendum.*
Nihil est furore amentius.	24.	2.	30.	*Furore amoris*
Teneri talem Sponsam adhuc ducere primam.	138.	1.	34.	Talem Sponsum.
Commissit.	153.	1.	7.	Commisit.
Vicet	207.	2.	8.	Vices
Profeffione	258.	2.	9.	Professione
Doctorem privati	273.	2.	33.	Doctores privati
Non omninò solubile.	277.	2.	13.	Insolubile.
Loss.	332.	1.	19.	Less.
In obtrusum tibi conjugium	390.	1.	7.	Sibi
Qui autem subtrahendo	401.	1.	6.	Quia.
Ex uxor	502.	1.	3.	Et
Mortaliter certam	526.	1.	9.	Moraliter.
Prolmen atam	534.	2.	2.	Prolem natam
Ex ipso minùs	541.	1.	11.	Non minùs.
Proxi-	608.	2.	10.	Proximè
Constitutioni	609.	1.	15.	Constitutionis
Resilere	660.	1.	17.	Resilire
Impotis	665.	2.	1.	Impotens.
Apendix	690.	in Tit.	1.	Appendix
Qua	712.	1.	1.	Quæ
Suspicere	730.	1.	1.	Suscipere.

Reliquos leviores errores Benevolus Lector facilè condonabit, & ipse corriget.

Collegii Societatis Jesu Paderborna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Karl Unger

Th
2151

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN